ANNALES CAMALDULENSES.

TOMUS NONUS.

ANNALES CAMALDULENSES ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

TOMUS NONUS,

Qui continet ADDENDA & MUTANDA in superioribus Tomis, necnon APPENDICEM Tomi OCTAVI

OPERA ET STUDIO

D. JOHANNIS-BENEDICTI MITTARELLI, ET D. ANSELMI COSTADONI
ABBATUM CAMALDULENSIUM.



VENETIIS, MDCCLXXIII.
Ære Monasterii Sancti MICHAELIS DE MURIANO.

Prostant apud Jo: BAPTISTAM PASQUALI.
SUPERIORUM VENIA ET PRIVILEGIO.

IN TOMUM NONUM ANNALIUM CAMALDULENSIUM

PRÆFATIO.

CUm nimiam in molem excreviſſet Tomus VIII. Annalium Camaldulenſium, neque par eſſet excipiendæ intra ſinum ſuum Appendici copioſæ Documentorum ad eum Tomum ſpectantium ad inſtar ceterorum, viſum eſt Nobis novum ſuperaddere volumen ordine IX. in quo per annos diſtributa haberentur Brevia, Inſtrumenta, Diplomata, aliaque documenta, quibus innititur hiſtoria Tomi VIII., ab anno nimirum 1515. ad annum 1764.

Protracta ad aliquot annos editio horum Documentorum tempus modumque præbuit nobis aliqua addendi prætermiſſa in ſuperioribus Voluminibus, quæ ſerius venerunt ad noſtras manus, vel ea ſuis locis reſtituendi, nec non emendandi alia, quæ minus caute irrepſerant in Annales; exemplo etiam Cl. Mabillonii, qui poſtremo Annalium ſuorum volumine idem præſtitit. In iis, quæ addita ſunt, præcipuum locum obtinet plena fere & integra hiſtoria celeberrimi eremi, monaſterii & abbatiæ S. Crucis Fontis-avellanæ. Maurus Sartius monachus Camaldulenſis ex Abbatia Claſſis Ravennæ, qui ad aliquot annos incola fuit ejuſdem ſacri Fontis-Avellanæ loci, Antiquitates Avellanenſes tradere animo cogitabat; collegit proinde chartas omnes veteres, diſperſaſque jure poſtliminii donavit, ac iterum ſcriniis monaſterii, ad quod pertinebant, reſtituit. Verum variis ſubinde implicitus Religionis negotiis, Cancellarii Congregationis munere functus, inde ad Prælaturas evectus, & præſertim inſignis cœnobii SS. Andreæ & Gregorii de Urbe, & poſtea ad officium generalis procurationis pro Ordine in monaſterio S. Romualdi itidem de Urbe; adhibitus etiam in gravibus negotiis Congregationis SS. Rituum, cujus erat Conſultor; diſtractus in colligendis monumentis clarorum Profeſſorum gymnaſii Bononienſis, quod opus ei commiſit S. M. Benedictus XIV. & demum morte præpeditus nimis immatura, quæ ſumma bonorum & doctorum virorum jactura contigit die xxv. menſis auguſti anni 1766. imperfectum commentarium Antiquitatum Avellanenſium dereliquit, una cum pluribus aliis lucubrationibus, quas inceperat, vel quas meditabatur. Ex ipſius itaque Commentario proficientes, chartas ab ipſo collectas & recenter a nobis conſultas, occaſione, qua hoſpites fuimus in eodem monaſterio Avellanenſi, publici juris facimus in hac Appendice, una cum pluribus aliis paginis & documentis ſpectantibus ad alia Camaldulenſia monaſteria, quæ hinc inde excerpſimus, ex quibus Hiſtoriam Camaldulenſem præteritorum Seculorum ſupplevimus.

Poſt Supplementa ſequitur Appendix Tomi VIII. ut diximus, quæ

con

conſtat CLXXXVIII. documentis ad duo poſtrema cum dimidio Secula pertinentibus.

Præterea, cum multa Tomo VII. & VIII. dixerimus de beato Paulo Juſtiniano & de venerabili Petro Quirino, illuſtribus ornamentis eremi Camaldulenſis, non injucundum lectoribus futurum judicavimus deſcribere ex tabulario Rhuenſis eremi in territorio Patavino epiſtolas, quas ab anno 1507. ad 1514. ad invicem ſibi dederunt amiciſſimi hi duo viri, aliis etiam adjectis literis aliorum ad ipſos, & ipſorum ad alios, quæ ad illuſtrationem converſionis & vitæ eorum faciunt; ex quibus placet aliqua, ſpeciminis loco, hic ſubjicere. Paulus, in ſeculo Thomas, ex Juſtiniana antiquiſſima & nobiliſſima patritia gente Venetiis natus anno 1476. poſt exacta ſtudia in lyceo Patavino, poſt operam datam lectioni Ariſtotelis & Ciceronis per duodecennium, defunctis patre, matre & duobus fratribus, ſolitudinis & philoſophiæ amore captus, Murianum ſeceſſit ad ſuburbanam domum, ſed devitare magis cupiens amicos, qui frequentius ad eum viſitandum conveniebant, totam Italiam percurrit, Dalmatiam, Græciam, & demum in Syriam navigavit, ſacra Paleſtinæ loca inviſit, & aliquo tempore ibi moratus eſt; quo tempore Etruſcam, Latinam, Hiſpanicam & Syriacam linguam loquebatur. Redux e Syria meditabatur ſe recipere apud Cartuſienſes ad nemus Montelli in agro Tarviſino, vel apud monachos Pratalienſes in territorio Patavino, vel etiam apud Caſſinates; prævaluit tamen in eo deſiderium amplectendi vitam eremiticam Camaldulenſem in ſummis Alpium jugis in Ethruria, ubi ſe contulit ſub finem anni 1509. annos natus triginta-quatuor, relictis in ſeculo Antonio fratre, ſex ſororibus, pluribuſque nepotibus & neptibus, quarum una Blanca nomine nupſit poſtea Georgio Quirino Vincentii fratri. Iter ſuum e Venetiis ad Camaldulenſem eremum fuſiſſime deſcripſit epiſtola VI. ad amicos ſuos. Speciali dilectione proſequebatur Juſtinianus Vincentium Quirinum, alterum nobiliſſimum patritium Venetum, quocum ſtudia percurrerat Patavii, & qui eodem ſolitudinis deſiderio tenebatur; hunc ergo ad eamdem eremiticam vitam capeſſendam literis invitavit. Fuerat Vincentius eatenus a patria adhibitus in honorificis magiſtratibus, & in graviſſimis legationibus ad ducem Burgundiæ, ad regem Hiſpaniarum, ad Maximilianum imperatorem; Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, & partem Angliæ viſitaverat, ac in patriam redierat adhibendus in publicis conſiliis, eo vel maxime tempore, quo tota Italia bellis ardebat, præſertim contra Venetæ Reipublicæ potentiam inſurgentibus fere omnibus Europæ principibus. Is itaque ſub nomine Lycenopis plures amico ſuo Juſtiniano, cum quo animum ſuum aperuerat, literas dedit, ut de temperie eremi Camaldulenſis, de ritibus, moribus, converſatione & vita eremitarum edoceretur, & demum poſt plures tergiverſationes manus & ipſe dedit; & poſt biennium hoc eſt anno 1512. togam eremiticam in eodem loco induit, trigeſimo-ſecundo vitæ ſuæ anno. Antequam eremum conſcenderet, ſubſtiterat Florentiæ, ubi amicitiam ſtrinxerat cum Johanne Mediceo cardinale, cum Juliano magnifico ejus fratre, cum Coſmo Pactio archiepiſcopo Florentino, cum Antonio Puccio archiepiſcopi vicario, & cum illuſtrioribus & nobilioribus Florentinis viris. Erat Florentiæ eo tempore, quo, Piſis relictis, cardinales indignati contra Romanum pontificem Julium II. Concilium tranſtulerant Mediolanum, ut admonet in epiſtola ſua XIX. Juſtinianum; ex qua in notitiam venimus eoſdem cardinales citaſſe Julium II. ad eorum Concilium, eique propo-

fuiffe novem urbes, Vercellas, Mediolanum, Taurinum, Cafale in Pedemontio, Pifas & Veronam, extra Italiam autem Avenionem, Lugdunum, Bafileam & Conftantiam, quas eligeret intra quadraginta dies, quibus tranfactis procederent ipfi ufque ad electionem novi pontificis.

Vix pervenit Venetias notitia Quirinum eremitam factum, Gafpar Contarenus, qui fuit poftea S. R. E. cardinalis, Nicolaus Theupolus doctor, Andreas Navagerius, Hieronymus Savornianus improbarunt ipfius confilium, durius increpantes pariter Juftinianum, quem Phrygium appellant, eo quod author illi fuerit, ut fe concluderet in eremum; extat inter ceteras epiftola Contareni Latina, in qua etiam exemplum affertur fratris de Ordine Prædicatorum Thomæ Mauri in conventu fancti Petri de Muriano, qui ob macerationes carnis, jejunia, vigilias prope infaniens recens occubuerat. Acerrime refpondit his objurgationibus Juftinianus, impios & tamquam hæreticos eos traducens, utpote retrahentes homines a religione. Addidit tamen paulopoft alias mitiores ad Egnatium, Contarenum & Theupolum, quibus ferio vanitatem feculi demonftrat, & inanitatem mundanæ philofophiæ, exempla etiam exhibens plurium doctorum virorum, Francatiani, Cottæ & Canalis, quorum vix poft obitum nomina fupererant, & recentis mortis Marci-antonii a Turre, qui infignis Philofophus eo temporis habebatur; & aperit, quam maturo confilio & prudentia Quirinus vitam eremiticam delegerit, quam a decem annis ante legationes fuas, antequam rex Galliarum defcenderet in Italiam, antequam fufus fuiffet Venetorum exercitus in Lombardia, animo conceperat, ipfiufque prudentem receffum ab eorum calumniis tuetur; defumit etiam a recenti clade Brixianorum argumentum, quam parum fit fidendum feculo, immo quantum fit ipfi valedicendum.

Eremita factus Quirinus fcribit duciffæ Urbini, ut impetret pro fe & pro Juftiniano breve pontificium, quo difpenfentur ambo ab affumendo facerdotio, utiturque opera ejufdem duciffæ ad id obtinendum, licet potuiffet, ait, uti opera Petri Bembi, vel archiepifcopi Salernitani. Salutat Emiliam. Duciffa Urbini erat Helifabetha Gonzaga, uxor Guidi-ubaldi Ruverii Urbinatis ducis. Emilia autem Pia a Monte-feretro, quibus eft epiftola Petri Bembi anno 1506.

Invitat Thomam Stoccium Ordinis FF. Prædicatorum conventus fancti Marci de Florentia, & Johannem-mariam Canigiani alterum ejufdem conventus afcetam ad experimentum faciendum folitudinis Camaldulenfis, faltem ad tempus. Memorat quemdam cardinalem, Bernardum nomine, auctorem cujufdam operis fuperftitiofi. Mentionem facit trium cardinalium, quos unierat, & fummo pontifici Leoni conciliaverat magnificus Julianus ipfius frater; hi facile erant cardinales, qui recefferant olim a Julio pontifice, & mifericordiam impetrabant a novo electo pontifice Leone X. Pofthæc Quirinus a Leone advocatur Romam, ibi tractat & concludit pacem inter pontificem & inter Venetos; hinc rumor exoritur, quod pontifex Quirinum velit in numerum cardinalium cooptare. Conqueritur Bembus, quod Quirinus ipfi pileum cardinalitium præripiat. Motus animi fui communicat Quirinus cum Bonfio & cum archiepifcopo Jadertino amiciffimis fuis; refugiebat enim pius vir honorem hunc. Nullus porro tam acceptus & gratus pontifici, quam Bibiena & Quirinus. Julianus magnificus exoratus, ut a Quirino maximum, quod hic timebat, amoveret periculum, fcilicet ne cardinalis fieret, fincere fatetur, fe nihil tantum concupifcere, quam ut cardinalis evaderet. Narrat

rat

rat Quirinus ad Justinianum scribens, plebem in Hungaria concitatam contra clericos & adversus nobiles. Maximis in dies idem Quirinus fluctibus agitabatur, nihilque tantum metuebat, quam communem vocem de galero cardinalitio, quem avebat pontifex imponere capiti ejus; sed mors eum ab hoc periculo liberavit. Supremum namque diem piissime obiit in conventu S. Silvestri de Urbe. Ejus mortem deplorat in epistola ad Justinianum Alexander Pactius, qui memorat etiam eumdem Quirinum paulo antea supremam opem & officium præstitisse Cosmo Pactio germano suo archiepiscopo Florentino in agone constituto.

Pauli Justiniani amantissimi fuere Antonius, Nicolaus & Paulus ex Dandula gente, Marcus Polani, sed præsertim Paulus Canalius, qui jam mortem oppetierant, antequam ad eremum Camaldulensem convolaret; viventes vero erant Gaspar Contarenus, Nicolaus Theupolus, Hieronymus Savornianus, Andreas Navagerius, Georgius, Gabriel ipsius cognatus, Maurocenus, Gradonicus & Hieronymus Trivisanus sanctissimus episcopus Cremonensis, præter Baptistam Egnatium præceptorem & presbyterum Venetum. Petri vero Quirini amicissimi erant Augustinus Donatus, Marcus-antonius Contarenus, Albertus Carpi princeps, Angelus episcopus Tiburtinus pontificius legatus ad Venetos, Valerius Superchius Pisaurensis Medicus & Polyhistor, ac Petrus Bembus filius Bernardi prætoris Veronæ. Marcus Musurus, qui postea fuit episcopus Hieropetrensis, cupiebat socius esse itineris Quirino eremum Camaldulensem petenti, in qua forte & ipse commorari deligebat, sicut etiam Egnatius ab ea vita suscipienda non erat alienus.

Nominantur a Justiniano Longinus, Luscus, frater Fuscarius, frater Perottus, qui solitudini Camaldulensi inhiabant, Michael reclusus Camaldulensis, qui Beati titulum obtinet; frater Franciscus Placentinus visitator ordinis canonicorum Lateranensium illustris concionator, qui relicta lectione modernorum Parisiensium doctorum, & assumpta lectione sacrarum Scripturarum & sanctorum Patrum, animos dissidentium & inimicitias sedaverat in urbe Lucensi vel Pistoriensi; frater demum quidam eremita in abbatia Burgundionum sancti Thomæ de Torcello, qui rigidissimam & extreme pœnitentem vitam ducebat.

Huic Appendici parvum quemdam Quirini tractatum de Conciliis adjunximus, quem exscripsimus ex eodem codice Rhuensi. Et hæc quidem sufficiant quoad epistolicum commercium utriusque; cetera de Justiniano & de Quirino requirenda sunt in Annalibus.

Non omittimus tamen reddere rationem de quodam libello seu opusculo, quod ex Codice nostro sancti Michaelis de Muriano sub numero 1110. dignum judicavimus, quod lucem videat. Inscriptus est libellus Leoni X. pontifici maximo, & auctores ipsius fuerunt iidem duo eremitæ Paulus Justinianus, & Petrus Quirinus, qui cum impetrassent anno 1513. a Julio II. pontifice maximo facultatem celebrandi Capituli generalis Camaldulensis in urbe Florentia pro reformatione sui ordinis, decrevissetque idem summus pontifex, ut cardinalis Johannes Mediceus capitulo præsideret; atque dum hæc gererentur, defunctus fuisset ipse Julius, & mira Dei providentia trigesimum septimum annum agens suffectus fuisset ipse Cardinalis Mediceus, qui nomen assumpsit Leonis X., ob familiaritatem & necessitudinem, qua cum ipso utebantur, nec non ob arctam amicitiam cum Juliano magnifico fratre pontificis, paucis diebus libellum confecere, ad electum pontificem ipsum destinantes.

In sex porro partes dividitur libellus. Prima agit de officio & potestate

Pon-

Pontificis Maximi. Secunda hortatur Pontificem, ut Judæos & Idololatras ad gremium Catholicæ Ecclesiæ adducat. Tertia classicum canit contra Turcas & Mahumetanos, vel ad fidem convertendos, vel armis debellandos. Quarta proponit unionem exterarum nationum divisarum ab ecclesia Romana. Quinta tractat de reformatione universali cunctorum Catholicorum, & omnium ordinum ecclesiasticorum & regularium. Sexta demum temporale ecclesiæ imperium dilatandum & augendum suadet, modumque docet.

Nihil porro mirum, quod simplices eremitæ solitudini & contemplationi assueti agant de rebus, quæ ad expertissimos rerum publicarum ministros spectare potius videbantur; enimvero, ut vidimus, tam Justinianus quam Quirinus plures Patriæ honores & magistratus obierant, Quirinus præterea legationibus honorificentissimis penes Imperatorem, regem Hispaniarum, ducem Burgundiæ ac Rempublicam Helvetiorum functus fuerat; politicarum proinde rerum experientia apprime docti erant; nam grandiores natu, ut vidimus, eremiticum pallium assumpserant. Scimus de Quirino, quod ita gratus erat Leoni X. ut ipsum ad Romanam curiam evocaverit, neque unquam passus fuerit, ut a latere suo discederet, ipsius consilia iu ambiguis & gravissimis rebus adoptabat, sequestrem voluerat & mediatorem pacis inter se & Venetos, ac ipsum inter S. R. E. cardinales cooptare voluisset, si immatura Quirini mors non intercessisset. Uterque insuper tam Quirinus, quam Justinianus epistolicum commercium frequentabant cum Juliano magnifico Leonis fratre, cum Gaspare Contareno, qui postea cardinalis creatus fuit, cum Petro Bembo, qui simili honore fuit decoratus, cum Nicolao Theupolo Doctore & Veneto Patritio, cum Marino Georgio, cum Johannebaptista Rhamusio, cum Marco-antonio Flaminio, cum Johanne-petro Carafa, qui postea ad summum pontificatum evectus est sub nomine Pauli IV. cum Cajetano Thieneo Sanctorum fastis adscripto, cum Baptista Egnatio celeberrimo per ea tempora rhetore, aliisque summis viris; ita ut rebus maximis gerendis essent nati, licet sub rudi toga remotam a frequentia urbium, aularum & hominum vitam elegissent.

Amplissimam & universalem in quoscumque Orbis homines potestatem & auctoritatem plurimis argumentis demonstrant habere Pontificem maximum in prima parte, nec alicujus, sive in Ecclesia sit, sive extra ecclesiam, hominis negligendam ab ipso curam.

In secunda parte, quæ de Judæorum conversione agit, varios modos proponunt trahendi ad Fidem Judæos, nimirum alliciendo eos beneficiis, permittendo, ut aliqua post conversionem retineant ex acquisitis per fœnera, vel ea impartiantur iis, qui pauperiores sunt inter ipsos; conferendo Judæis jus civitatis illius, in qua Christo nomen dederint, augendo eos bonis, & etiam beneficiis & dignitatibus ecclesiasticis. Quod si dura cervice & obstinato animo renuerint cedere benefactis Pontificis in ipsos, ac in sua perfidia voluerint perfracte permanere, tunc cum ipsis durius erit agendum, interdicendo eis mercaturas cum Christianis, pedagia & impositiones supra ipsos augendo, denegando extructionem synagogarum, signumque aliquod omnibus visibile ab ipsis deferendum jubendo, & demum eos extra omnem christianitatem sub poena capitis deportando, si christianis per superstitiones, usuras, maleficia noxii esse perseveraverint. Mitius autem tractandi erunt pagani & idololatræ novi Continentis sive Americæ noviter detectæ ab Occidentalibus regibus; de quibus refert Quirinus se audivisse, dum apud regem

Hiſpaniarum legatione fungeretur pro Republica Veneta, nullam majorem difficultatem ſupereſſe pro eis edocendis in myſteriis noſtræ Fidei, quam addiſcere eorum linguam; ceterum teſtatur ſuo tempore ſexdecim in India Occidentali conſtructa jam fuiſſe monaſteria ſub beati Franciſci regula. Quapropter Pontificem rogant, ut viros idoneos, qui linguam earum gentium addiſcant, & linguæ peritia accepta veritatem Chriſtianam earum auribus prædicent, mittat, atque ſeipſos exhibent, ſi mittantur, ad ſubeundum qualemcumque laborem pro Chriſti nomine inducendo apud eas nationes. Certe Juſtinianus poſt aliquot annos eo conſilio eremum Camaldulenſem Ethruriæ dereliquit, ut, ex Pontificia permiſsione, quam obtinuerat, Indis Fidem chriſtianam annuntiaret; quod profecto feciſſet, ſi dum Hiſpaniam & Indiam toto animo cogitat, quaſi ſomno correptus, inopine non effugiſſet ab ejus mente ea intentio, ſuperni quidem Numinis operatione, qui Juſtinianum ad propagandam eremiticam converſationem detinere volebat in Italia, ut revera per ipſum multæ fundatæ fuere eremi, ex quibus prodiere viri, qui eamdem anachoreticam inſtitutionem in Germaniam, in Poloniam, in Hungariam invexerunt; quæ ſoboles dicta fuit congregatio Camaldulenſis eremitarum Montis-coronæ a principe loco. Inſuper proponunt Pontifici, ut in iis urbibus, in quibus vigent ſtudia literarum, inſtituat ſcholas, ubi Hebraica, Græca, Latina, Arabica & ceteræ linguæ doceantur, ac ex iis remotiſſimis Occidentalibus regnis noviter detectis faciat juniores aliquot in Europam deportari, qui linguas Europeas ediſcant, & propriam communicent linguam Chriſtianis Europam incolentibus.

In tertia parte expeditionem in Mahumetanos Pontifici ſuadent, eo vel maxime tempore, quo fere omnes Principes Chriſtiani exercitum & arma convertebant in miſeram Italiam, ejuſque viſcera rodebant; exiſtimantque facillime poſſe Pontificem ea arma & arma eccleſiæ ſimul vertere in communem hoſtem. Diſtinguunt autem inter Mahumetanos eos, qui Turcæ vocantur, eos, qui Mauri appellantur, eos, qui Arabes, eos demum, qui Perſæ nominantur, & horum quatuor generum Mahumetanorum variam religionem, ritus, potentiam deſcribunt. Turcæ, ajunt, ſub eorum imperatore ex Ottomanica familia vivunt, Mauri ſub Sultano, Arabes ſub diverſis principibus, Perſæ ſub potentiſſimo Rege Sophi; atque ad facilius debellandum Turcarum imperatorem, optimum factu ducunt deſtinare legatos ad Perſarum regem, & viros pietate & doctrina conſpicuos, qui aut ipſum ad Chriſtianam religionem adducant, quandoquidem non eſt multum ab ea alienus, vel ipſum arment & incitent ad conjungendas copias ſuas cum exercitibus Chriſtianorum Principum contra Turcas, adverſus quos continua bella gerit Perſica natio; vel demum ipſum diſſuadeant ab uniendis viribus ſuis cum Ottomanicis. In tabulario Rhuenſi extat Juſtiniani epiſtola ad Sophim regem Perſarum, qua adverſus Turcas eum incitat, ut vidimus in Annalibus. Idipſum Pontifici exiſtimant agendum cum magno Sultano Maurorum ſeu Mamaluchorum imperatore, qui pariter a religione Chriſtiana haud multum adhorret; quorum duorum Principum Mahumetanorum auxilio fretus poterit ſæviſſimum religionis & libertatis Chriſtianæ hoſtem invadere cum exercitibus principum Chriſtianorum, ea potiſſimum tempeſtate, qua frater contra fratrem digladiantur de imperio Turcico; nam ſi Chriſtiani principes jura unius fratris patrocinentur adverſus jura alterius fratris, unus eorum pro aſſequendo imperio facile ſociabit vires ſuas cum viri-

viribus Chriftianorum. Ad hæc Indulgentias concedendas iis, qui in hac expeditione partes habuerint, vel armis, vel oblationibus, vel precibus, Pontifici fuggerunt. Quod fi permittet Religiofis hominibus arma fumere, & contra communem inimicum ea deferre, augebitur mirum in modum exercitus Principum Europæ. Laudant etiam Rhodianos milites, qui animorum virtute, belliquė exercitatione fupra omnes populos valent ad conterendam Turcarum potentiam. Poftremo fi fignum aliquod apparebit victoriæ, etiam ii Chriftiani, qui fub jugo Turcicæ impietatis gemunt, confurgent, & arreptis armis communi caufæ fuppetias ferent. Huic autem expeditioni, quandoquidem ipfe pontifex impeditus celebratione Concilii Lateranenfis intereffe non poterit, præficiendum in fummum exercitus imperatorem aptiffimum arbitrantur Julianum magnificum & magnanimum ejus fratrem ad grandia natum, neque parvipendendum judicant Julium religiofiffimum prudentiffimumque virum pontificis confobrinum.

Quarta pars defcribit nationes, & quidem Chriftianas, fed in multis diffentientes a Catholicis, & non unitas cum capite Romano pontifice, quæ habitant extremas Afiæ & Africæ oras, quafque afferunt libelli auctores fuperare numero omnes Europeas catholicas gentes. Inter eas principis presbyteri Johannis, qui Abifsinis & Jacobitis imperat, potentiam majorem faciunt, quam illam Turcarum fimul & Maurorum; Aliam nationem enuntiant, quæ quinque reges, totidemque regna habet. Juftinianus ait non quidem fe ad has nationes peregrinatum fuiffe, fed ibi tamen aliquo tempore moras traxiffe, ubi ex fingulis nationibus Afiæ & Africæ multi homines multæque familiæ degunt, fcilicet ad fanctum Sepulchrum Domini, & in Hierufalem circumjacentibus locis, in qua urbe cum effet, invenerit Abifsinos colore fubfufco, Jacobinos albos, Armenos formofos, Georgianos ceteris ditifsimos, quibus poftremis pro incolatu deputatus eft locus, ubi crucifixus fuit Dominus, & ubi fepultus; Surianos, & Maronitas, qui Gabrielem quemdam ex ordine fancti Francifci, linguarum peritia infignem in epifcopum receperant; is autem eos in ecclefiæ Romanæ obedientia cuftodiebat; & demum Græcos; quarum nationum ritus & ceremonias etiam refert. Ad has nationes mittendos effe probos viros fapientia & dignitate confpicuos pontifici declarant, qui eas ad unitatem perducant, nec non vocandos eorum patriarchas, archiepifcopos & epifcopos ad Concilium Lateranenfe, quibus, quatenus opus fuerit, aliquas effe conferendas dignitates in Romana curia arbitrantur. Ex iis tamen Græcam nationem difficiliorem fore, quæ deducatur ad unitatem, ob ejus facerdotum & populi ignorantiam & fuperbiam. Inter eos, quos aptifsimos judicant ad Græcos uniendos, laudant epifcopum Cremonenfem, Hieronymum fcilicet Trivifanum Venetum patritium, virum zelo, doctrina moribufque excultifsimum, qui multos annos commoratus apud Græcos, infirmitates hujus nationis optime novit, linguam apprime callet, labores fubire & pericula non formidat, & poftremo fefe ipfos exhibent convolaturos pontificis imperio & nutu ad levamen harum nationum.

Quinta pars libelli verfatur circa Chriftianos Catholicos populos; hos diftinguunt in feculares & in religiofos; & quoad feculares & præfertim reges & principes, precantur Pontificem, ut pacem inter eos conficiat, agatque, ut arma vertant adverfus Turcas, legationes ipfis deftinando Cardinalium & internuntiorum, qui ipfos animent contra fæviffimum communem hoftem. Hortantur etiam, ut juftitiam in populo Chriftiano inducat, ita ut potentiores gravia pedagia non imponant, hofpi-

hoſpitalium & eccleſiarum bona non uſurpent, immo tueantur, in electionibus eccleſiaſticarum dignitatum non ſe ingerant, beneficiorum poſſeſſiones cum armis non capiant; ita etiam judices avaritiæ non ſtudeant, cauſas pupillorum non protrahant, & alia hujuſmodi, quæ ad politicum regimen pertinent. Quoad Religioſos vero, curet Pontifex, ut ignorantiam & inſcitiam eorum depellat, qui Latinam linguam vel non, vel vix callent: ut interdicat lectionem Gentilium Scriptorum, & artem dialecticam, ſophiſticam, & cavillationes nullius momenti; ut ſcholaſticas vanaſque quæſtiones vetet; illarumque loco Chriſtianæ Theologiæ & Canonici juris doctrinam inducat, nulluſque monachi habitum ſuſcipiat, qui Latinæ linguæ ſit ignarus, nullus ad ſacros ordines promoveatur, qui in Sacræ Scripturæ & ſanctorum Patrum lectione non ſit exercitatus, nullus ad epiſcopale faſtigium elevetur, qui ſacros canones eccleſiæ non didicerit, nullus parochus omittat explicare populo ſibi commiſſo evangelium & epiſtolas canonicas, nullus ad confeſſiones Fidelium excipiendas, & ad conciones habendas admittatur, qui per examen non probetur; neque quis audeat quæſtiones & proprias opiniones e ſuggeſtu prædicare, ſed purum Dei Verbum, & Sanctorum Patrum ac Doctorum eccleſiæ interpretationes; quibus profecto cautionibus tam in religioſis, quam in Chriſtiano populo craſſa & ſupina ignorantia depelletur. Prohibeat inſuper pontifex vanas impiaſque per aſtra & per ſomnia divinandi artes, imperando, ut libri noxii, quorum tunc magna aderat copia, comburantur; rejiciantur inſuper opera illa, in quibus Sanctorum hiſtoriæ, & antiquorum Patrum vitæ a veritate alienæ exarantur, ſed potius ex Vaticana Bibliotheca imprimantur ſacroſancta Eccleſiæ Concilia, ad utilem Fidelium lectionem. Demum ad removendam noxiam ignorantiam ſuadent Pontifici, ut Sacræ Scripturæ libri materna lingua tradantur, & fidelibus populis exhibeantur legendi; quod multis rationibus probant; ita ut videantur ex iis fuiſſe, qui utiliorem in vulgarem linguam Sacrarum Scripturarum translationem putarent, quam putarent damnum & incommodum Chriſtianis populis allaturam. Idipſum vellent, ut imperaretur a pontifice tabellionibus & notariis, nimirum, ut inſtrumenta & contractus Italico ſermone conficerent, ad lites evitandas, quæ oriri plerumque ſolent, eo quod contrahentes non aſſequantur, neque intelligant, quæ Latino ſermone digeruntur.

Ex fonte ignorantiæ putant profluxiſſe tot ſuperſtitiones, quibus miſerum in modum tunc inquinabatur Chriſtianitas, pro futuris cognoſcendis, pro amovendis aut auferendis infirmitatibus corporis, aut quæ ſub devotionis & religionis umbra impia, ſæva, & nefanda perpetrabantur. Aſtrologos itaque de medio tollendos, libros confictos ſub Danielis aut Salomonis nomine concremandos, ligaturas, incantationes, carmina, quæ adhibentur ad infirmitates ſanandas, omnino vetari volunt, orationes vero confictas & non approbatas ab eccleſia; ſuperſtitioſas ceremonias & ritus eliminanda proponunt, atque multum & acrius in his deteſtandis, ſive in earum abuſu demonſtrando inſudant.

Declamant contra diſſenſiones, diſcordias, diviſiones, ſchiſmata & ſeparationes religioſorum hominum; varietatem ſcilicet ceremoniarum in divinis officiis, lites circa præcedentiam in publicis ſupplicationibus, extollentias ſuorum ſanctorum Fundatorum ſuper alios Sanctos, immo comparationes cum ipſo Chriſto Domino, diſputationes acerrimas circa Conceptionem beatæ Virginis Mariæ, & circa Sanguinem Domini, alia-

aliaque hujuſcemodi. Vellent inſuper, ut omnes monachi ſub Regula ſancti Benedicti militantes eodem habitu, forma & colore uterentur, ſicut eamdem Regulam ſervant; quod idem dicunt de Mendicantibus S. Auguſtini & S. Franciſci, eumdemque victum & veſtitum uſurparent; ut tollerentur tot opiniones Scholarum, ob quas religioſi unius ordinis ceteros religioſos proſcindunt; ac, ut verum profiteamur, quodam exceſſu invehuntur, nimioque zelo trahi ſe patiuntur.

Ad poſtremam partem libelli deſcendentes, neceſſariam demonſtrant reformationem omnium ordinum & membrorum eccleſiæ; ac a Cardinalium eminentiſſimo ordine incipientes modeſte de ipſo loquuntur, uniceque pontifici aperiunt, quanta diligentia quantamcumque vel minimam culpam ab eodem ordine removere debeat ſatagere, cum is ordo præcipuus ſit in eccleſia, cum quo munera ſua diſpartiatur pontifex. Volunt, ut exceptis eorum titulis nullum ipſis beneficium conferatur, ſed ut eorum dignitati & utilitati provideatur, ſuggerunt, ut pontifex eos certis penſionibus, nequaquam imminuto publico ærario, alat. Volunt, ut archiepiſcoporum & epiſcoporum ordo Cardinalibus ita ſubjiciatur, ut ſingulis annis aut ſaltem quolibet triennio apud ipſos rationem reddat quilibet epiſcopus munerum ſuorum, nulluſque aſſumatur ad epiſcopatum principum gratia, vel vexatione importuna apud Pontificem. Viſitentur ſæpius epiſcopi a cardinalibus vel a familiaribus Pontificis, inquiratur populus, an aliqua contra ſuos paſtores deponere habeat; epiſcopi vero ipſi clericos ſuos ſæpius inviſant, non ſint faciles in imponenda manu, ſed viros probos aſſumant ad ſacerdotalem ordinem, quibuſque etiam ſit de congruo patrimonio proviſum, cum paupertas indecora opera excogitare ſacerdotem compellat. Reformandos quoque religioſorum virorum, & religioſarum mulierum cœtus neceſſarium exiſtimant, approbandas regulas, quæ virorum prudentum judicio approbationem merentur, deſtruendas, quæ aliquod vel multa perverſa continent, inter quas regulam & ordinem Beguinarum, quæ in Gallia vigent, & Fraticellorum de Opinione, qui Sabaudiam Pedemontanamque regionem miſere corrumpunt; eorum pariter religionem, cujus homines nudis pedibus, non velato capite, ſacco induti per ſecularium domos diſcurrunt, quos Apoſtolos Satanæ jure vocaret S. Hieronymus. Delendum etiam eſſe nomen Conventualium, omneſque ad ordinem Obſervantium reducendos. Frequentia habenda eſſe Comitia ſive Capitula, quæ vocant, in quibus abuſus corrigantur, & recta diſciplina ſtatuatur; religioſos demum & religioſas ſubjici oportere epiſcoporum viſitationi, non quidem quoad bona temporalia, vel quoad prælatorum electiones, ſed ad ſartam tectamque tenendam diſciplinam, dummodo epiſcopi tales non ſint, qui ipſi reformatione indigeant.

Reformatis omnibus ordinibus ſacris eccleſiæ reformabitur etiam plebs. Hic autem loci præcavenda addunt aliqua, quæ licet in ſe ipſis non ſint peccata, peccandi tamen occaſionem præbent, quæque proinde ſunt emendanda. In primis itaque volunt tollendam eſſe obligationem jurandi in judiciis vel extra; ludum vetandum, a quo blaſphemiæ, furta, perjuria oriuntur; excommunicationes ob temporalium neglectam vel protractam ſolutionem tollendas; quadrageſimæ & vigiliarum obſervationem ſub præcepto peccati lethalis impoſitam moderandam; mulierum ceruſſa fucatarum, & diſcoopertis crinibus incedentium petulantiam & deformitatem; ipſarum commixtionem cum

viris

viris in ecclesiis; demum meretricum diffusionem per quoscumque vicos & plateas civitatum, & præcipue Romæ, ubi habitant in via sacra, & prope palatium pontificis, quæ a curialibus in carpento publice ducuntur per mediam civitatem, & aluntur ac vestiuntur bonis & beneficiis ecclesiarum; hæc inquam omnia impedienda, & eliminanda.

Sed illud in primis erit maximum reformationis remedium & juvamen, si Religiosi frequentius sua Capitula celebrent; si episcopi sæpius synodum clericorum suorum teneant; si metropolitani coepiscopos suos ad Concilium convocent; si demum Concilia generalia ecclesiæ non omni dumtaxat decennio, sed quolibet quinquennio habeantur, & præsertim continuetur Synodus Lateranensis a Julio II. inchoata, ad quam non solum episcopi Italiæ & Europæ advocentur, sed & Græci & aliæ nationes Asiæ & Africæ ab ecclesia Romana divisæ, de quibus supra dixerant, ut omnes ad unitatem invitentur & alliciantur; fieri enim potest, ut quemadmodum pedetentim ab ecclesia se diviserunt, pedetentim etiam ad ejus sinum revertantur. In eodem Lateranensi Concilio agendum erit de abolendo schismate exorto sub pontificatu Julii II. præsertim cum duo præcipui schismatis auctores initio pontificatus Leonis X. se se in manibus ejusdem dederint, & ad ecclesiam convolaverint. Alludunt nimirum ad cardinales Bernardinum Caravajalem & Fredericum Sanseverinatem, quos Leo vix creatus pontifex ad ecclesiam e pseudo-synodo venientes in sui pontificatus auspiciis benigne recepit, restitutis pileis cardinalitiis & dignitatibus. Hortantur itaque Pontificem, ut eadem benignitate & clementia reliquos schismaticos revertentes suscipiat.

Reddita pace curare debebit Pontifex reformationem Romanæ Curiæ; defunctis cardinalibus & episcopis eos, quos meliores repererit, subrogabit. Denique, quæ in Concilio Lateranensi vel in Decretis pontificiis ipse supremus Pastor statuerit, observanda custodiendaque inviolabiliter faciet. Coronidis loco hoc esse Pontificis maximi & magnanimi summum opus declarant, animarum & ecclesiæ salutem quærere, imperium spirituale magis quam temporale dilatare. Quod si etiam imperii temporalis dilatatio placeat, ea poterit obtineri Mahumetanorum dispersione & interitu, quorum imperia & regna ad devotionem sanctæ Romanæ ecclesiæ transibunt. Hæc vero omnia ab ipso Pontifice facillime perficienda, si propriæ infirmitati diffidens ab alto auxilium petat & præstoletur. Meretur profecto libellus, ut legatur, & accurate perpendatur.

Huic Justiniani & Quirini libello adjecimus alterius eremitæ Camaldulensis, Beati nimirum Hieronymi a Praga sermones, ex alio codice Camaldulensis eremi. Illustris est ejus memoria, & multa de ipso protulimus sub anno 1440. qui fuit Hieronymi emortualis. Ipsum sacris literis apprime eruditum, simulque vitæ munditia, & facundia singulari clarum appellat Æneas Silvius pag. XXVI. Europæ. Occurrunt itaque primo loco sermones duo, quos habuit in Concilio Senensi anno 1423. primus Dominica prima Adventus, secundus alia die, ad episcopos inibi congregatos. De his sermonibus Senis prolatis hæc habet Stanislaus Scygielski eremita Camaldulensis Polonus: *Bis pro occasione cum stupore & admiratione omnium dixit, & magnam sibi auctoritatem & gratiam conciliavit.* Declamat Hieronymus in his duobus sermonibus coram Patribus congregatis in Concilio Senensi, quod erat quasi Appendix ad Concilium Constantiense pro reformanda ecclesia, contra

vitia

vitia Prælatorum, intemperantiam, luxum, avaritiam, pluralitatem beneficiorum & commendarum, ignorantiam. In secundo sermone ait infrra trie nnioun regno Bohemiæ & Moraviæ plures quam quindecim mille sacerdotes ab Hussitis interfectos fuisse. Jejunia proinde, processiones & devotas orationes esse a Concilio indicenda pro arduo cleri reformandi negotio, visitatores esse instituendos, qui Clerum reforment usque ad futurum concilium, & coerceant manus violentas Hussitarum. Laudat in primo sermone Philippum quemdam cancellarium Parisiensem. In secundo ait se metuere, Martinum V. minime accessurum ad Senense Concilium; citat etiam quasdam revelationes factas sanctæ Birgittæ, & Sanctæ Catharinæ Senensi, & Hugonis librum de Claustro animæ; ac repetit originem perfidiæ hæreticorum Bohemorum a lectione librorum Aristotelis & Platonis. Tertius Sermo est contra Hussitas ad comprobandam existentiam Domini in sacramento Eucharistiæ. Quartus est tractatus contra Bohemos dicatus A.. idest Alberto priori Cartusiæ in urbe Basilea, cum degeret ibi, & apud Cartusienses diversaretur, theologus concilii Basileensis anno 1433. In hoc tractatu confundit quatuor articulos errorum Bohemorum, quorum primus erat de Communione sub utraque specie ministranda laicis. Adnotat sacerdotes Bohemos dicere Missam in foro absque ornatu ecclesiastico, armatos, vel in sola tunica, alta voce proferre *Pater noster*, & verba consecrationis in lingua Bohemica, ac consecrare centum calices, quandoque pro viginti mille personis. Secundus error vetat Sacerdotibus habere possessiones & dominium temporale. Tertius error potestatem facit etiam laicis prædicandi & annunciandi verbum Dei, vel sine licentia Papæ & Episcoporum. Quartus error Bohemorum erat, quod quælibet peccata mortalia & præsertim publica ubique & in quolibet statu rite & rationabiliter sunt punienda, & destruenda, etiam in Sacerdotibus per laicam potestatem; impugnabantque auricularem confessionem. Contra quos errores Hieronymus noster acriter invehitur. Ait in hoc tractatu se tribus annis habitasse in terra Saracenorum, & Fidem Christi ipsis prædicasse. Citat lecturam super Genesim doctoris magistri Henrici de Hassia.

Sequuntur sermones habiti in festivitate sancti Benedicti ad fratres monasterii sancti Benedicti extra portam Florentiæ ordinis Camaldulensis; in festo sancti Hieronymi de Dalmatia doctoris gloriosi anno 1432., in festo sancti Blasii de Sclavonia episcopi & martyris gloriosi, ad preces Eustachii abbatis Vallis-castri; in festo sancti Georgii de Sclavonia martyris gloriosi Cappadocum tribuni, exorante fratre Luca de Sclavonia eremita Camaldulense anno 1428. In funere domni Raphaelis Boncianii Generalis Camaldulensis anno 1422. in urbe Ravenna; In visitatione monasteriorum Provinciæ Venetæ. Omisimus sermonem in festivitate sencti Romualdi eremitæ & confessoris die XIX. junii, & sancti Adalberti episcopi de Praga ad preces eremitarum Camaldulensium anno 1430. quia totidem verbis habetur apud Bollandum sub die VII. februarii. Eumdem sermonem iterum recitavit anno 1433. ad petitionem fratrum domus Cartusiæ Basileæ.

Post hos sermones sequitur Epilogus B. Hieronymi de Praga in revelationes beatæ Angelæ de Fulgineo ad preces ser Marii de Burgo-sancti-sepulcri anno 1425. De Mario Burgensi verba facit Ambrosius ejus amicissimus Hodœporici pag. 14. & alibi. Auctor vitæ & revelationum beatæ Angelæ fuit quidam Arnaldus frater ordinis sancti

Fran-

Francisci confessarius beatæ, sed ubi auctor decem & septem passus duntaxat commemorat ejus progressionis in amore Dei, noster Hieronymus viginti septem enumerat, qui tamen reperiuntur in contextu toto vitæ scriptæ ad Arnaldo. Post hunc epilogum alium texuit Hieronymus in vitam beatæ Catharinæ Senensis anno 1425.

Rursus brevi narratione quatuor errores exponit Græcorum, circa processionem Spiritus-sancti, circa celebrationem in azimo, circa purgatorium, & circa vicariatum Romani pontificis. Laudat archiepiscopum Colossensem, qui e Græco in Latinum transtulerat impium libellum Græcorum continentem viginti articulos hæreticos, quem destinaverat ad Concilium Basileæ.

Demum concludit collectionem suam cum sermone de vera & de falsa pœnitentia, quem compilavit & dictavit ad preces domini Stanislai episcopi Plocensis anno 1430. Alia composuit Hieronymus, de quibus videantur Annales Camaldulenses ad annum 1440., & iis adjicimus sermonem habitum in Concilio Basileensi Dominica *Quasi modo* anni 1433. de quo Monachi S. Mauri in Itinere Literario edito anno 1724. in secunda parte pag. 81.

Addidimus literas Concilii Basileensis ad Hieronymum de Praga monachum & eremitam Camaldulensem datas die v. junii anni 1432. quibus ipsum advocant patres ad convincendos in Synodo hæreticos Bohemos. Has literas exscripsimus ex Miscellaneis Stephani Balutii novo ordine digestis a Cl. V. & archiepiscopo Lucensi Dominico Mansio Tomo III. pagina 192. Memorat iter Hieronymi ad Concilium Ambrosius Generalis Camaldulensis, tum in Hodœporico, tum in Epistolis, & Hieronymum insugillat, quod favens patribus congregatis steterit contra Eugenium IV. Romanum pontificem, nonnullæque simultates inter utrumque exortæ fuere, ob quas redux Hieronymus e Basilea ad suam eremum Camaldulensem, alio fuit translatus ab Ambrosio, nimirum ad Monasterium sancti Mathiæ de Muriano, ubi etiam post paucos annos, idest anno 1440. pie occubuit.

Hæc, ut rationem redderemus emendatorum, & additorum, & contentorum in hoc postremo Tomo Annalium Camaldulensium.

ANNA-

ADDENDA ET EMENDANDA IN ANNALIBUS CAMALDULENSIBUS.

IN TOMO I.

AD ANNUM *926. pag.* 23. *ad oram :* Johannes VIII. & Gratiosus ; *lege :* Johannes VII. & Gratiosus.

Ad annum 927. *pag.* 35. *ad oram in postrema postilla f. T. XLV. lege : T. XLIV. Sic & pag.* 38., *& pag.* 41.

Ad annum 927. *pag.* 37. *linea* 3. Johannes XI., *lege :* Johannes IX.

Ad annum 945. *pag.* 72. *lin.* 2. *Adde :* In Inventario primo Bibliothecæ Vaticanæ apud Montfauconium *pag.* 100. *Bibl. Biblioth. ad Codicem* DC. *num.* 153. *fol.* 54. *& sequentibus* extant enarratio de constructione Ecclesiæ S. Andreæ in Clivo Scauri : Reconciliatio ejusdem ecclesiæ fædatæ per Robertum Guiscardum : Restitutio brachii S. Gregorii eidem monasterio, & alia ad diversa tempora spectantia.

Ad annum 961. *pag.* 95. *lin.* 15. Diximus Martinellium de monasterio S. Petri apostoli & S. Martini confessoris in Orreis , ac S. Jacobi in Orreis non meminisse, ubi agit de templis obsoletis Urbis in sua *Roma sacra*. Id tamen emendavimus eodem *Tomo I. pag.* 419. quam vide versus finem.

Aa annum 984. *pag.* 165. *lin.* 38. Addatur donatio facta : *Anno Deo propitio pontificatus domini Johannis summi pontificis & universalis quartidecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli primo indictione duodecima mense .... die quartadecima a Rosa nobilissima femina una cum Stephano S. R. E. scriniario, Johanni religioso abbati venerabilis mona-*

sterii S. Andree apostoli , & S. Gregorii , quod vocatur Clivus Scauri , de fundo, qui vocatur Aucesano cum ecclesia S. Gregorii, in quo est Castello-novo , seu fundum Sacram , fundum casa Corvuli , necnon fundum Spejano cum ecclesia S. Lucie, fundum Elianum, fundum Centum vigere , item fundum Pavarano, Virianum & Paretado, & fundum Luciano, similiter fundum Balle, sive suis aliis vocabulis nuncupentur &c. posito territorio Tiburtino, milliario ab Urbe Roma plus minus vicesimoquarto , & monte in integrum, qui dicitur Vultarella , in quo est ecclesia S. Marie cum pelagis & appendicibus suis &c. posito in eodem territorio Tiburtino , milliario ab Urbe Roma plus minus vicesimo quinto &c. pro redemptione anime mee & filia mea bone memorie &c. quam scribendam rogavi Albinum scriniarium S. Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta duodecima. Signum manu Rose suprascripta donatrice . Stephanus Domini gratia scriniarius sedis apostolice. Sergius Scanno. Benedictus Domini gratia scriniarius S. Romane ecclesie. Johannes nobili viro . Jugibaldo nobili viro . Chartam integram ex Codice Vaticano *num.* 6883. *pag.* 156. serius a nobis habitam edidimus in altera Appendice Monumentorum ad aliqua monasteria spectantium *Tomo IV. col.* 603. horum Annalium, quæ proinde locari debet sub hoc anno.

Ad annum 992. *pag.* 190. *lin.* 40. Produximus in eadem Appendice ad *Tomum IV. col.* 605. ex codice eodem Vaticano *pag.* 185. Ottonis III. imperatoris diploma signatum *nonis decembris anno dominice incarnationis nongentesimo nonagesimo secundo indictione tertiadecima anno tertii Ottonis regni decimo sexto imperii quarto. Acta Rajano*; quo diplomate ipse Otto confirmat *ob amorem domni Andree nostri venerandi abbatis monasterio S. Andree in clivo Scauri castellum, quod vocatur S. Pauli cum omnibus pertinentiis suis, variosque fundos* . Sed non componitur indictio XIII. cum anno 992. neque quartus annus imperii Ottonis III. Videtur potius hæc confirmatio assignanda anno 1000. quo decurrebat a septembri mense indictio tertiadecima , vel ad annum 995. quo quartum auspicabatur Otto imperii sui annum . Pariter , si Andreas abbas, ob cujus amorem confirmationem castri S. Pauli fecit Otto, abbas erat monasterii S. Andreæ in Clivo Scauri, jam vidimus anno præsenti 992. Johannem nominari abbatem in ceteris chartis hujus anni, immo & anno 998. Non tamen exploratum est ex diplomate Ottonis, an Andreas fuerit abbas ejusdem monasterii; ac potuerit Andreas , abbas esse alterius loci , ob cujus amorem monasterio Sant-andreano diploma Otto concesserit . Vivebant tunc Ottoni acceptissimi Andreas abbas Palatioli , Andreas abbas S. Salvatoris Ticinensis &c.

Ad annum 998. *pag.* 216. *lin.* 16. *Adde* : Vel si legendum sit in textu Damiani: *Hæc, ut caneret, impulerunt*, non *canerent* , id explicari potest, quod impellebant quidem ut caneret, sed non inde consequitur, quod cecinerit . Erat ea irrisio potius in ore populi, quam in ore antipapæ . Admittendo etiam auctoritatem scriptoris vitæ S. Nili, non videtur Johanni Placentino ita radicitus avulsam fuisse linguam, ut nullas omnino nec imperfectas emittere posset voces, sed aliqua sui parte amputatam. Quidquid sit , non meretur profecto Damianus Muratorianam admirationem & interrogationem.

Ad eumdem annum 998. *pag.* 219. *lin.* 49. Legenti Tagmarum in vita S. Bernvvar-

Bernvvardi episcopi Hildesheimensis apud Mabillonium *Seculo VI. Part. I. num.* 25., & Damianum *in vita Sancti Romualdi cap.* XXIII. luce clarius apparet duplicem Tiburtinæ urbis obsidionem factam ab Ottone III. Imperatore distinguendam esse, unam anno 998. cujus urbis liberationis mediator fuit S. Romualdus, tempore Gregorii papæ V., alteram anno 1001. sub Silvestro II. papa, in qua pro reconciliatione urbis cum imperatore maximas partes habuit S. Bernvvardus episcopus una cum ipso Apostolico, nempe cum eodem Silvestro II. Quare miramur Muratorium nimis inofficiose semper se gerere & gessisse cum Damiano, cujus narrationes vel flocci facit, vel in dubium revocat, contra testimonia coæva, quæ eadem fere in medium proferunt, quæ proferuntur a Damiano. Etiam Mabillonius post Sigonium & Baronium duplicem distinguit Tiburtinæ urbis obsidionem & liberationem.

Ad ipsum annum 998. *pag.* 231. *lin.* 37. Addatur huic anno executio testamenti cujusdam Stephani in favorem monasterii SS. Andreæ & Gregorii de Urbe, cujus paginam ex codice Vaticano 6883. pag. 169. produximus T. IV. nostrorum Annalium col. 606. Charta his notis chronicis signatur: *Imperante domino piissimo perpetuo augusto Ottone a Deo coronato magno & pacifico, imperii* (melius *regni*) *anno sextodecimo indictione undecima mense augusti die tertiadecima*. Indictio pertinet ad hunc annum, sed annus regni Ottonis mense augusto erat tantummodo quintus-decimus, cum coronatus fuerit in regem anno 983. in Natalitiis festis. Quare vel annus regni, vel indictio sunt corrigenda. *Leo itaque arcarius S. Apostolice sedis, Johannes consul & dux qui vocatur de Primicerio, Sergius comes palatii, Rozzo abbas monasterii S. Pauli apostoli, Leo abbas S. Silvestri, Theophylactus abbas S. Christi martyris Laurentii, fidei commissarii & testamentarii Stephani bone memorie donant Johanni religioso presbytero & monacho atque coangelico abbati venerabilis monasterii S. Andree apostoli & S. Gregorii, quod appellatur Clivus Scauri, medietatem castelli Arvarii, medietatem ville Carsulane, medietatem ville Stabla, & medietatem lacus Paparani, cum casis vineis & hortis &c. exceptis famulis & famulabus, omnia posita in territorio Sutrino & Nepesino; alia donant in territoriis Ariciensi, Nepesino, Campanino, Tiburtino & Prenestino &c. propterea quod corpus supradicti Stephani humatum quiescit intus subtus & venerabile monasterium in loco, qui dicitur Capitulum &c. manu Stephani scriniarii.*

Ad annum 1012. *pag.* 344. *lin.* 15. Rectius tamen observavimus ad annum 1106. pagina 127. T. III. Maurum fuisse vere episcopum Arretinum ab anno 1136. usque ad annum 1144. non coadjutorem Gregorii episcopi. De Azone vide, quæ inferius in hac eadem Appendice proferimus ad pag. 193. T. II.

Ad annum 1013. *pag.* 361. *lin.* 18. per triennium; *lege:* per tricennium.

Ad annum 1019. *pag.* 400. *lin.* 17. Quoad monasterium SS. Andreæ & Gregorii de Urbe addenda sub hoc anno 1019. charta donationis Purpuræ illustris feminæ germanæ bonæ memoriæ Gregorii, factæ ei cœnobio, quam ex codice Vaticano 6883. pagina 180. edidimus T. IV. col. 609. Signatur ipsa charta *anno Deo propitio pontificatus domini nostri Benedicti summi pontificis & universalis octavi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli septimo, imperante domino Henrico a Deo coronato imperatore anno sexto indictione secunda mense ma-*

dio die quartadecima. Donat vero monasterio castellum Justinianum situm in territorio Tiburtino, & portionem suam de curte appellata Gritti foris portam majore. Johannes scriniarius S. R. E. scriptor complevit & absolvit.

ADDENDA ET EMENDANDA
IN TOMO II.

AD ANNUM 1027. *pag.* 14. *lin.* 14. De Vaza comitissa & de Willelmo marchione. Ad paginam 277. ejusdem Tomi secundi sincere fassi sumus Guichenonium Willelmi marchionis mentionem fecisse sub anno 1011., quod negabamus pagina 14.

Ad annum 1030. *pag.* 28. *lin.* 27. *Adde*: Exploratum non est, ut verum fateamur, ex verbis opusculi Damiani, an fædum commercium Zeuzolini clerici cum pellice sua ortum habuerit eo tempore, quo Damianus morabatur in urbe Parmensi; potuit enim initium habere ante eum annum, & ita nequiret definiri verum tempus mansionis Damiani in ea urbe. Aliud igitur suppetere potest fortius argumentum ad differendum ingressum Damiani in monasterium Avellanense ad annum 1034. quod ex verbis Laudensis desumitur: Cum enim dicat Laudensis Damianum *discendi finem ex omni liberali scientia fecisse, mox alios cepisse erudire studiosissime, clientium turba ad doctrinæ ipsius famam undique confluente, favorem popularem obtinuisse, divitiarum copia cumulatum fuisse, & sic lenocinio & illecebris secularibus illectum implicatum fuisse, & tandem remotum a mundanis studiis divinis obsequiis cepisse accingi, totumque se pietati & caritatis operibus addixisse*; hæc omnia profecto tempus aliquod exigunt; neque verisimile videtur, ut vigesimo-quarto suæ ætatis anno, sed vigesimo-octavo potius anno ad Deum ipsum conversum existimemus. Quis enim credat juvenem vigesimum-quartum vix attingentem annum, post completum liberalium omnium studiorum curriculum tum Faventiæ, tum Parmæ, aliis magistrum factum, magnum jam sibi fecisse nomen, & magnas divitiarum cumulasse copias? Hæc omnia profecto exigunt aliquam majorem ætatem.

Ad annum 1030. *pagg.* 31. & 47. Serius acceptam protulimus ex archivo monasterii nostri SS. Justi & Clementis Volaterrarum aliam paginam, infeliciter tamen mutilatam ad calcem, qua Gunfredus episcopus Volaterranus, ille ipse, qui anno 1030. erexerat monasterium præfatum, aliis donationibus communiit eum sacrum locum. Hanc extra locum habes Tomo VI. *pag.* 83. Sed aqua statim nobis hæsit, qua ratione conciliare possemus annos episcopatus Gunfredi. Signata siquidem est *anno Dominice incarnationis* M. XXXIIII. *episcopatus illius anno* XIIIII. Si enim anno 1030. præsulatus decimum-octavum annum auspicatus fuerat, videbatur annus 1034. componendus cum anno vigesimo-secundo vel forte vigesimo-tertio sedis ipsius. Anne pro XIIIII. legendum XXIII. itaut superabundent duæ primæ unitates in archetypo, & earum loco sigla X. sit legenda? Sed postquam

hæc

hæc scripsimus, & paginas conciliare sategimus, amicissimus noster, & diligentissimus rerum patriæ suæ collector Jacobus Pagninius medicus Volaterranus ad nos transmisit antiquissimam sepulcralem inscriptionem appositam monumento Gunfredi Volaterrani episcopi, adhuc extantem in cathedrali ecclesia. Eam, qualis est, excipe:

Omnia disponit, sicuti Deus omnia novit
In mundo cunctos dirigit & populos,
Quos vult sublimat, quos vult & ad ima reclinat,
Hos patria retinet, & alios aliter.
Donnus Gunfredus statuens ad Pontificatum,
Quam procul a patria non regione sua.
Novarie natus, Vulterre est inthronizatus,
Progenie dignus, moribus eximius.
Sollers finitimis prebens solatia cunctis,
Regnum consiliis fovit & eloquiis.
Æcclesiam Christi supplevit mente fideli,
Augens multiplici cuncta labore sui.
Vestitum nudis, victum donavit egenis,
Auxilium miseris, omnibus & viduis.
Nunc rogo te titulum frater qui legeris istum
Deposcas semper huic miserere pater.
Anno incarnationis DNI. NRI. IHV.
XPI. M. XXXVII. IND. VII.
G. EPS sedit annos XXIII.

Post hæc verba: *annos* XXIII. apud Gatolinum legitur: VIII. *kal. septembris obiit: Guido episcopus posuit.* In Gunfredi urna humati fuere S. Hugo, & Rogerius archiepiscopus Pisanus, episcopi Volaterrani, ut eruitur ex Breviario MS. membranaceo in 4. seculi XIII. quod existit in bibliotheca Guarnacciana, ubi legitur: *Anno Domini* M. C. LXXXIIII. *mense septembri die nativitatis gloriosæ Virginis Mariæ obiit episcopus Hugo beatæ memoriæ, & sepultus est in sepulcro marmoreo, in quo quiescebat Gunfredus episcopus per* CXL. *sex annos, & Rogerius archiepiscopus per* LVIIII. *qui utramque rexit ecclesiam, Vulterranam primum & Pisanam simul cum ea tempore revoluto, videlicet uno anno post mortem ejus quarto nonas februarii.* Ab anno 1037. quo Gunfredus obiisse dici debet, ad annum 1184. excurrunt reapse anni 146. & rectius 147. ex qua supputatione pervenisse Gunfredum ad annum 1037. clarissime eruitur, cujus etiam memoria apud Muratorium, ut alibi diximus, extat ad eum annum in actis concilii Romani. Sed si ex hoc monumento parvo negotio expiscatur annus mortis Gunfredi, majoribus involucris irretiuntur anni sedis ipsius; nam juxta primam paginam annus ipsius obitus signandus esset cum anno XXV. vel XXVI. ejus episcopatus; juxta alteram paginam cum XVIII. Itaque donec clariora non suppetant monumenta, incertum remanet, quo anno Gunfredus Volaterranam cathedram conscenderit.

Ulterius eodem tomo II. *pag.* 47. & in Appendice *col.* 52. edidimus paginam Guidonis Volaterrani episcopi, & Gunfredi successoris, qua benemeretur de eodem monasterio. Eam ad Fortunii fidem, qui pluribus annis incola fuit ejus cœnobii, sub anno 1034. reposuimus;

supple-

suppIevimus autem ex tabulario præfati monasterii, integramque, qua parte sui deficiebat, produximus T. VI. pag. 84. Sed jam ex dictis, Guidonis confirmatio seu donatio ad annum 1037. vel melius ad posteriores est retrahenda; proinde rogavimus amicissimum nostrum Gherardinium præsulem ejus monasterii, qui rescripsit paginam in medium allatam a Fortunio, & a nobis iterum ex ipso productam, signatam fuisse anno 1039. haberique ad hodiernam diem in tabulario monasterii sub numero 15. manu Guidonis episcopi, presbyterorum, diaconorum seu inferioris ordinis clericorum S. Volaterrensis ecclesiæ. Itaque ad hunc annum 1039. erit referenda.

Data occasione, heic loci colligimus inscriptiones aliquas, quas summa humanitate communes nobis voluit præfatus Cl. V. Pagninius, quæ tum urbem Volaterranam, tum abbatiam nostram SS. Justi & Clementis illustrant. In nova ecclesia S. Justi a civibus constructa intra mœnia urbis, ad dexteram manum ingredientibus templum, legitur sequens inscriptio in polito lapide, qui paucis ab hinc annis inserviebat pro planitie aræ majoris ecclesiæ S. Marci; & facile locatus antea existebat in veteri suburbana ecclesia S. Justi.

....ORE SCI IVSTI ALCHIS ILL. GASTALDIVS FIERI IUSSET TEMPORE
DOMN. CVNINCPERT. REGI ET GAVDENTIANO EPISCOPO A ....

Hoc est: *in honore sancti Justi Alchis illustris Gastaldius fieri jussit tempore domni Cunicperti regis & Gaudentiano episcopo a ...* Quod Alchis legi debeat, eruitur ex actis S. Justi mss. exaratis seculo x. quorum exemplum scriptum in membrana seculo XII. reperitur in collegiata S. Geminiani diœcesis Volaterranæ, in quibus dicitur: *Judex civitatis nomine Alchis fabricavit duas ecclesias ante corpora Sanctorum*; quæ verba respondent iis: *fieri jussit*, cum lapis memoriam contineat erectionis ecclesiæ. Hujusmodi inscriptio publici juris facta fuit a Targionio, & a Lamio in Notitiis Literariis anni 1750. pag. 675.

In Museo Guarnacciano asservatur marmor inventum in voragine, vulgo *Botro*, S. Justi.

SNO. ARI. REGIS
ESTED. FIDELIS. QVI. VIXIT
POSVERVNT. DARE
MERO. COMITI

Sebastianus Donati siglam explicavit pro Ariperti vel Aliprandi regis. In eadem voragine repertus fuit sequens Lapis:

D. M.
IARONIE. VERE
CVNDE. PIENT...
SIME. FILI. VRS
ET. APER. LVPVS
MATRI. BENEME..
TI. VIXIT. ANNIS
XXXXI.

Lupi mentio fit inter aulicos Ariperti regis Langobardorum.

Sequio-

Sequioris ævi sunt inferius positæ. In ære turris campanariæ ecclesiæ S. Marci in Burgo legitur........... *& patrie liberationem* A.D. M.CC.LI.

In alia campana abbatiæ S. Justi: *Johannes Aelamaini* 1439. *Ave Maria gratia plena.*

In quodam marmore, quod pertinebat ad ecclesiam S. Justi:

A.D. M.CCC.LXV. DI
EX. MEN. NOV. TEM
PE. VEN. PRIS. DNI. IVSTI
....
IVSTI.........SA
SCI. CLEMENTIS. ET TVNC
MVLTA. CORPORA. INVENTA. FVERE
MIRABILITER. COLLOCATE.

In ecclesia nova abbatiæ S. Justi a cornu evangelii altaris S. Ursulæ legitur: *Quod duce te Juste hoc anno* M.D.XXVII. *Volaterrani a bello peste & fame liberati sint, quibus calamitatibus reliqua Italia vexata est, hinc populus universus de consilii sententia quotannis stato die solemnes ad tuum pulvinar supplicationes decrevit. Marius Maff. templi maximus antistes ad memoriam sempiternam.*

In columna marmorea ad dexteram atrii, quo via est ād viridarium: *DD. Justo & Clementi, quod instinctu Divinitatis Urbis calamitatem evaserit, in qua omnes curiales, cives, plebii, omnes variis..... non genus crudelitatis passi sunt, pontifice cum patribus captivo in mole Hadriani a Cæsarianis detento, Marius Maffeus suis Numinibus D.D.D. An. Salutis* M.D.XXVII.

In altera columna ejusdem atrii: *An. Sal.* M.D.XXXVII. *octavo kal. julii R. P. D. D. Marius Maffeus episcopus Cavarticensis obiit, qui vivens Jo: baptistam Bavam cœnobii hujus sibi successorem decrevit.*

In alia: *Marius Maffeus hunc xistum cum cœnobio vetustate consumptum restituit, reliqua perfecturus, ni gravia, quæ in dies imponuntur onera, impediant an. Sal.* M.D.XXVII. *Johannes baptista Bava Marii Maffei desiderium adimplere peroptans quotidianis etiam gravissimisque oppressus oneribus, cœnobium hoc antiquitate labefactatum restauravit* M.D.LI.

Cosmo Medices Florentino duce II. regnante Jo: baptista Bava cœnobii hujus antistes in hac sanctissima jubilei celebratione plures ac magnas expensas fecit, templum beatorum Justi & Clementis splendide ornando, nobiles viros ad jubileum venientes liberaliter suscipiendo, pauperes quoque ad templum ipsum confluentes in tanta hujus anni penuria annonæ largiter pascendo an. Sal. M.D.LI. *Julius Maffeus eques Jo: baptistæ ex Paulo Maffeo F. nepos* M.D.LXII.

Divinitus & Cosmi Medicei Florentini & Senensis Ducis II. gratia Johannes baptista Bava Volaterranus cœnobium hoc antistitibus diu concessum, ut in DD. Justi & Clementis templo ...... bis præposito, & charæ Maffeorum ac Bavæ familiæ commissum, obstantibus seditiosis nonnullis, sacris Camaldulensibus cœnobitis, sua ipsius claudens commoda sponte dedit. An. Sal. M.D.LXII.

Vivite qui legitis, virtutem quærite primum.
Nos & nostra ruent, solum petet æthera virtus.

Ad

Ad annum 1031. *pag.* 34. *versus finem.* Quæ diximus de ecclesia S. Clementis Arretii, *ubi sanctum corpus beati Donati quiescit*, rectius ad ecclesiam referri debent episcopii, itaut Theodaldus dixerit, non in ecclesia S. Clementis, sed in ecclesia majore quiescere sanctum corpus, ad quam revera ecclesiam transtulerat ante paucos annos ipse episcopus Theodaldus corpus S. Donati, postquam perfecerat reædificationem ipsius. Translatio hujusmodi facile facta fuit ad cathedralem ecclesiam ex ecclesia S. Mariæ in Gradibus; id, quod in tomo VI. pagg. 61. & 62. aliquo modo emendavimus. Videatur Theodaldi charta in Appendice ejusdem tomi II. col. 44.

Ad annum 1034. *pag.* 45. *lin.* 22. *post verba:* Sed hæ meræ sunt conjecturæ; *Adde:* quæ tamen confirmari aliquo modo possunt auctoritate Attilii Alessi in libro Antiquitatum Arretinarum, quas ipse Arretii scripsit anno 1552. enumerans præclaros viros, qui scientia & artibus Arretinam urbem nobilitarunt, hæc habet: *& oltra di questo l' arte Musica, che i Cinesi con maravigliose lode esaltano, la quale non si vergognò Socrate d' imparare essendo di anni ottanta, molto accrebbe e nobilitò il Fonte negli ecclesiastici canti. Guido dipoi Monaco* e Abbate di Camaldoli, *fu negli anni della salute* M.XXXIV. *Trovò costui con gli articoli delle dita della sinistra mano nuove note, e modi di cantare, delle quali sin' oggi s' accommodano i Musici nelle scuole; è questo Guido d' Arrezzo lodato assai dal Padre della vulgare Poesia Francesco Petrarca nelle sue Rime, perchè esso ancora compose molte rime in Toscana lingua, assieme con l' eccellente jurisconsulto Cino di Pistoja. Ambrogio parimente di Camaldoli abbate* ec.

Ad eamdem paginam addimus; Pluteo XXIX. codice XLVIII. Bibliothecæ Mediceæ-Laurentianæ apud Montfauc. pag. 300. reperiri Musicam secundum dicta Guidonis, sive Micrologum, hoc est brevem sermonem editum a domino Widone peritissimo musico, & venerabili monacho, prævio ejusdem Hexasticho, & epistola ad reverendissimum D. Theobaldum (lege Theodaldum) sacerdotem ac præsulem dignissimum. Ejusdem Rythmum. Ejusdem librum secundum in forma dialogi. Formulas tonorum satis humiliter pueris explanatas (fortasse ejusdem vel Aureliani) Dicta ejusdem cum tetrastico in principio. Epistolam demum ad Michaelem monachum Pomposianum.

Ad annum 1040. Pag. 76. Suppleatur Vita B. Fortis ex iis, quæ a nobis afferuntur *T. III. pag.* 84.

Ad annum 1049. *pag.* 110. *lin.* 25. post verba: *In Monte-feretrano*, addi potest: Ocrem antiqui vocabant montem confragosum, ut animadvertit Passerius ex Festo *Lettera* XIV. in Opusc. Calogerianis T.XXVI. pag. 367. qui Festus auctore utitur Attejo philologo in libro Glossematum. Atque hinc duæ civitates Ocriculum & Interocrea nomen sumpsere, quod illa in monte, hæc inter montes posita essent. Ista ex Sartio nostro addiscimus in Dissertatione prævia ad episcopos Eugubinos cap. II. pagina XLII. Locus etiam prope Fontem Avellanæ dicebatur *Nocria*. Æqua igitur ratione appellabatur Ocri quidam mons confragosus in territorio Sarsinate, ubi eremum fundaverat, vel statuerat Damianus.

Ad annum 1050. *pag.* 119. *lin.* 28. De Liberio & Pancratio sociis S. Gaudentii monachi, olim Absarensis episcopi videantur, quæ in clariorem lucem posuimus sub anno 1180. Tomo IV. pag. 92. sicut etiam

aliqua

aliqua illustravimus pag. 90. & sequentibus spectantia ad ipsum Gaudentium sanctissimum episcopum Absarensem. Similiter de Leoniana Bulla concessa monasterio S. Mariæ in Gradibus de Arretio videantur, quæ in medium attulimus & illustravimus sub anno 1106. Tom. III. pag. 84.

Ad annum 1051. *pag.* 124. *lin.* 23. Subjiciatur locatio castri Pauli facta a Benedicto abbate SS. Andreæ & Gregorii de Urbe Johanni nobilissimo comiti: *anno Deo propitio pontificatus domini nostri Leonis summi pontificis & universalis pape in sacratissima beati Petri apostoli sede tertio, imperante domino Enrico piissimo perpetuo augusto die decima .....* Chartam locationis habes ex codice Vaticano *6168.* & ex Panvinio libro II. ms. de Gente Maxima, in Appendice II. horum Annalium Tom. IV. col. *612.*

Ad annnm 1052. *pag.* 127. *lin.* 13. Corrige, quæ de Eleuchadio abbate S. Mariæ foris portam Faventiæ edidimus, ex iis, quæ dicemus ad annum 1168. in hac eadem Appendice.

Ad annum 1055. *pag.* 150. *lin.* 36. Post verba: *ut alibi videbimus:* Adde: Nihilotamen secius Leonem IX. Romanum pontificem confirmasse ante hæc proxima tempora Damiano possessiones, quas monasterium Avellanense tenebat in Massa Sorbituli territorii Senogalliensis, testis est omni exceptione major Eugenius pp. III. qui post seculum easdem confirmavit Sabino priori Avellanensi, *ut confirmaverunt*, ait, *Leo IX. & Gregorius VII.*

Ad annum 1055. *pag.* 151. *lin.* 48. Addantur chartæ omnes, quas de eremo S. Nicolai de Cornu tardius acceptas simul collegimus & publicavimus T. VI. pag. 7.

Ad annum 1058. *pag.* 193. *lin.* 2. Post verba: *Castrum Soci*. Adde: Animadvertimus tamen rectius Arnaldum episcopum Arretinum dictum fuisse etiam Azonem; id suadet mos horum temporum, juxta quem multi episcopi virique illustres erant binomii; Conradus & Cono, Irmenfridus qui & Immo, Liutprandus & Liutius, Ildibertus qui Albitho vocatur, Petrus qui & Pepo, Rodericus & Bonizzo, Eberardus & Ebbo, Ingelramus & Imizzo, Cunigundis & Cunizza, Cuneradus & Cunitio, Imiltruda & Imiza, Teuperus & Teuccius, Albericus & Albizo, Arduinus qui & Ardicio; quæ nomina passim occurrunt in chartis veteribus, & frequenter in his nostris Annalibus uni eidemque personæ tributa.

Ad annum 1059. *pag.* 202. *lin.* 42. Ad opusculum LIX. pag. 447. T. I. Damiani edit. Venetæ.

In Bibliotheca Regia Taurinensi T. II. pag. 40. extat integra epistola Petri Damiani ad Adam dilectum fratrem *de Die judicii & præcedentibus signis*, sive *de Novissimis & Antichristo*, quæ in editione Operum sancti Doctoris manca est & mutila; desinit enim in iis verbis: *Signum decimiquinti diei: Vivi homines morientur, ut resurgant cum mortuis longe ante defunctis*. Hinc apposita in margine hæc adnotatio: *Opusculi hujus finis videtur imperfectus*. Vere utique, nam multa in codice Taurinensi adhuc sequuntur, quæ non inutile fuerit hoc loco transcribere: *Cum mortuis longe ante defunctis finis, idest dies judicii. Quia igitur per septenarium numerum antiqua secula decurrerunt; octonario autem numero evangelicum tempus evolvitur; de septem vero & octo quindenarii*

 summa

summa conficitur. Dignum ergo fuit, ut idem signorum numerus tempus utrumque concluderet, quo videlicet & tempora ipsa constarent, sed hæc nos utcumque fides adhibenda sit in lectoris arbitrio ponimus, immo Dei omnipotentis, cui manifesta sunt omnia, notitiæ reservamus. Tu autem venerabilis frater hæc & hujusmodi sedule meditare; in his ingenium tuæ mentis indesinenter exerce, ut dum hæc intra conscientiam versas, vanas cogitationes & inepta sursum intentus excludas. Vanæ enim cogitationes de corde proferunt frigora, cum mens videlicet a veri sponsi fervore requiescit, & quasi vanos amatores per inanium cogitationum semitas discurrit. Mox enim ut ab amplexibus resoluta sui Redemptoris egreditur errabundis male libera gressibus per titillantium cogitationum illecebras evagatur, ut juxta prophetam sub omni ligno frondoso meretrix porrigatur, & omni transeunti per viam corpus suum divagata substernat. Tunc infelix anima fit simul & vaga; quia dum in Creatoris amore frigefricta non figitur, tamquam per flantium ventorum impulsus, sic ingruentium vitiorum impulsione raptatur. Unde per prophetam dicitur: Serpenti pulvis panis est; & David: Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis, quem proiicit ventus a facie terræ. Tu autem dilectissime esto, quod diceris, ut rebus ipsis mysterium tui nominis exprimere videaris. Adam siquidem interpretatur terra rubra. Et certe ecclesiastes loquitur: Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum stat. Et dilectus in Canticis dicit ad Sponsam: Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce sicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ. Terra ergo constantiæ stabilitatem, rubra caritatis designat ardorem. Audenter dicam, quod præter solum Adam cœleste regnum nullus ingreditur, nec ad electorum valeat aspirare consortium, nisi qui hujus nominis in se continet sacramentum. Esto igitur terra, ut fixo pondere consistentem irruentium temptationum te aura non rapiat. Esto similiter & rubra, ut menstrua in Redemptoris tui semper amore fervescat. Esto terra, ut te semper in ima tamquam vile lutum per humilitatis custodiam deprimas. Esto nihilominus rubra, ut ad concupiscenda cœlestia quoscumque potueris, & ipse vaporatus alios accendas. Esto terra, ut in te non nutantis fidei colloces fundamentum. Esto rubra, ut super hoc erigatur cohærentium ut in charitate structura virtutum, ut sit in te, sicut per Apostolum dicitur, fides, quæ per dilectionem operatur. Diem vero judicii, ad quem tendit omnis prolixitas temporum, cui certe militant omnes paginæ scripturarum, ita tibi magnum tremendumque pone, quem nec mens humana quantumlibet sagax, sicut est comprehendere, nec ullus humanæ linguæ sermo valeat explicare. Cujus videlicet mens tua continuo terrore transfixa nec carnis unquam delectari possit illecebris, nec a tenendo arduæ conversationis incessu quibuslibet obtundatur adversis. Sicque diem judicii metuat imminentem, ut non expediat timere præsentem. Quatinus dum tuo judicio prudenter examinas, ante tribunal æterni judicis non denuo judicandus, sed jam judicatus ac per hoc purificatus assistas. Et qui in confessione faciem judicis prævenisti, non judicii compellaris subire censuram, sed judex cum judicibus & senatoribus terræ feliciter introducaris in gloriam. Amen.

De Gallica domni Petri Damiani profectione, & ejus ultramontano itinere habetur in Vaticana codex 4920. pag. 118.

Epistola Damiani de Antichristo & die judicii nonnihil discrepat ab edita ex Codice DCCXLVI. Reg. Taurinensis.

In Bibliotheca Mazzariniana habetur Petri Damiani commonitio ad

ani-

animam suam ex SS. Scripturis; & expositio ex Chrysostomo exercitationis Monasticæ. Ex Nota 109. in Codices ejus Bibliothecæ T. II. Montfauc. 1320.

Rhytmi Petri Damiani de omnibus Ordinibus. Inter MSS. codices Reginæ Sueciæ 1942. pag. 57.

Ad annum 1060. *pag.* 223. *lin.* 31. De octo novi Testamenti festivitatibus: *lege:* de octo veteris Testamenti festivitatibus.

Ad annum 1061. *pag.* 246. *lin.* 27. Videantur de hac permutatione Guidonis episcopi Volaterrani cum Andrea abbate SS. Justi & Clementis, quæ breviter diximus Tom. VI. pag. 86.

Ad annum 1062. *pag.* 259. *lin.* 38. Ad annum 1039. *lege:* Ad annum 1139.

Ad annum 1062. *pag.* 261. *lin.* 25. Pertinet ad præsentem annum 1062. sequens Avellanensis pagina ex fasciculo v. num. 11. *In nomine Domini. Ab incarnatione anni sunt millesimo sexagesimo secundo temporibus domni Alexandri summo pontifice & universalis papa sede ejus anno primo & die* XX. *octava mense januariu indictione* XV. *Callense. Cartula donationis & transacionis perpetualem modum ad presentem diem, quam facimus nos que sumus Ermegarda filia q. Urso & Berta filia sua ab insimul cum nostra propria voluntate in monasterio cujus est vocabulo sancte Cruce de res nostra propria, que nos habemus infra comitato Calense ipsum loco qui cognominatur Aqualbella de ipso castello, quanta nobis pertinet totus integre cum casis & ripa & cum fosato & cum introito & exito suo, & in alio loco, qui nominatur monte de filiis de Sicco totus in integrum, & in aliis vocabulis locis, ubi nos pertinet, omnia & totas in integrum cum casis & ortis & vineis & terris & silvis salictis, aquis, aquimolis &c. destinatis locis circumdamus finibus ejus a primo latere ipso rio, qui est meriente per fossa de predicta Aqualbella, & ad secundo latere ipsa via publica, que perit de super Sancto Paterniano, & a tertio latere ipsa fosa de lo pozolo, & meriente in flumen Suasano, & ad quarto latere predicto flumen, & inde reveniente in prima fines, qui est primo latere &c. Petrus tabellio.* Ermegardam donatricem confundunt aliqui cum matre Rodulphi monachi Avellanensis, inde episcopi Eugubini, sed tempora non patiuntur, & donatio matris Rodulphi præcessit aliquot annis donationem Ermegardæ, cum Rodulphus hoc anno jam obiisset episcopus Eugubinus, ut alibi probavimus.

Ad annum 1065. *pag.* 302. *lin.* 45. Ad hæc circiter tempora referenda est sequens pagina, quam ex tabulario Avellanensi, & quidem ex autographo descripsimus: Diximus ad hæc tempora, nam notæ chronicæ sunt ad summum vitiatæ; profert enim annum 1045. indictionem tertiam & annum quintum Alexandri II. mense martio. Hoc anno 1065. indictio quidem erat tertia, sed annus Alexandri II. mense martio erat quartus; credimus quoque notarium pro LXV. substituisse notam Romanam XLV. Ea porro est hujusmodi. † *In nomine Domini ab incarnatione Domini anni sunt millesimo* XLV. *& temporibus domni Alexander papa anno ejus quinto & die mensis martii per indictione tertia. Ego in Dei nomine domnus petrus Dei gratia prior fontis avellanæ una cum voluntate monachorum meorum & cuncta congregatione jure ehemphyteosim do & trado vobis gozo filio quondam guinisi in filiis & nepotibus vestris legitimis*

gitimis masculinis usque in tertiam heredem finitam, idest omnes & possessiones & res, quas dedisti & tradidisti heremo sancte Crucis, concedimus & confirmamus vobis gozo & a filiis & nepotibus vestris in dogato Spoletino & in comitatu Nocerino, in curte Castilioni, & castaldato Frisiano in loco, qui dicitur Venatoriis, & ipso castello, quod nominatur Licia & cum ipse ecclesie que insuper castellis & omnia ipsa pars, quantacumque concedisti nobis in gualdo gritiniano, & in curte fagetti, & ipsa ecclesia beato sancto Petro, & ipsa curte que antea fui de ripa scinda, sive in trepoza, sive in monte-majoris, a latere cujus primo latus flumen castello inde veniente in Sazano inde saliente in ipsa montagia; secundo latere finis alpis montium, & mergente a mons mitula inde veniente a monte silo, & mergente in fluvio sasanus inde currente ad aqua albella; tertio latere fine terra tallata inde veniente in ipsis finis inter comitatu Nocerino & comitatu Senogalliense a monte sancto-angelo, inde veniente a monte de la rocca; quarto latere monte firmino inde mergente & veniente in flumine Sintino & flumine castellone, quod est primo latere. Inter eas fines habeatis predictas possessiones, ut dictum est, terris videlicet, vineis casis castellis cultis atque incultis aquis aquimolis pratis pascuis in montibus & in planis una cum arboribus frugiferis & infrutiferis atque cum suis pertinentiis ac hominibus cum eorum utilitatibus scilicet & ecclesiis. Et si quis vestrum sine filiis obierit, ejus pars deveniat ei qui supra vixerit. Omnes predictas res habeatis teneatis possideatis & non alienandum, & in omni anno predicte ecclesie candelam unam pro pensione reddatis & amplius non imponatis. Ideoque ego predictus prior per me meosque successores omni tempore & in omni loco contra omnes personas semper legitime guarentare & auctorizare in judicio & in arbitrio vobis promitto vestrisque filiis & nepotibus usque in tertiam heredem finitam, & ad renovandum cum tempus advenerit, & non minuabimus quod superius legitur vobis & vestris eredibus, & si minime fecerimus & omnia predicta non observaverimus & non adimplevimus, ipsam rem duplam pro pena vobis dare promittimus, & post pena soluta hec omnia predicta usque ad constitutum tempus rata permaneat.

† *S. firma manus predicti petri prioris, &c. rogavit.*
† *Manus doni Johannis prioris claustrensis manu mea misi.*
† *Manus doni Martintini monachi & prepositi manu mea misi.*
† *Ego Gualterius monachus consensi.*
† *Signum manus Frogeri rogatus testis.*
† *Signum manus Uberto de Salico rogatus testis.*
† *Signum manus Amico qui Corbo vocatur testis.*
† *Signum manus Bezo Salico rogatus testis.*
† *Ego Gregorio tabellio scripsi & clausi.*

Ad annum 1065. *pag.* 302. *lin.* 4. De monasterio S. Savini de Chio suppleantur, quæ de ipso subiunximus T. IV. pag. 211.

Ad annum 1071. *pag.* 339. *lin.* 49. Ubaldus episcopus Eugubinus: *Dele, quæ sequuntur usque* suppofuit & *substitue:* facile Mainardus, qui certe erat episcopus Eugubinus anno sequenti.

Ad annum 1072. *pag.* 343. *lin.* 28. Mainardus Eugubinus episcopus videtur mortem oppetiisse anno 1074. non 1073. epistola enim Gregorii pp. VII. quæ enuntiat viduatam ecclesiam Eugubinam suo pastore data indictione XIII. pertinet ad annum 1075. Hugo Mainardo successerit eodem anno 1075. cujus memoria superest ad annum sequentem 1076., ut recte

recte Tom. III. pag. 18. lin. 25. annum, quo data fuit Gregorii epistola, emendavimus.

Ad annum 1072. *pag.* 344. *lin. penult.* Dele, quæ de abbatibus S. Mariæ foris portam Faventiæ congessimus, & corrige juxta ea, quæ a nobis proferuntur in hocce ipso additamento ad annum 1168.

Ad annum 1072. *pag.* 348. *lin.* 10. Victoris II. *lege:* Victoris III.

Ad annum 1072. *pag.* 352. *lin.* 16. *Post verba:* In vita S. Joannis Laudensis: *Adde:* Ex anno III. Gregorii VII. & ex ind. XIII. corrigendus est annus incarnationis, & reponendus annus 1075. Similiter anno 1078. legitur Damiani nomen in sequenti pagina: *In Dei nomine ab incarnatione Domini nostri Jesu-christi anno millesimo septuagesimo* (desunt cæteræ notæ) *temporibus domno Gregorio universale papa consacratio anno ejus sexto mense octuber indictione tertia* (legendum *prima*) *Sinogalie. Ego quidem in Dei nomine Fusco clerico filius de q. Guido ad hodierna die spontanea mea bona voluntate in mensa sancte Crucis de eremo & tibi domno Damiano & successoribus tuis in servi servorum Dei in perpetuum toto meo palacio cum solo & muro & dificio suo cum tenimentis juxta se habeatis in integrum cum ipso orto & cum ipsa casa pede plana solis & dificiis suis juxta se juxta regione sancti Johannis, & insuper dono & largio similitar in mensa sancte Crucis omnia meas res in fundo tribbio territorio Sinogalie, & quantum mihi pertinet in monte Corvale & in fundo Roncalli & in fundo Cacciano & in fundo Maule & unum campo totum in integro quod habeo in fundo Veclano & in fundo Plage & in fundo S. Crucis cum ipsa ecclesia sancto Erasmo cum pars de ipso castro & cum mea silva de Tassina, & quantum mihi pertinet in fundo Ornetulo, & in fundo Graviano, & quantum mihi pertinet de frassinetum & in aliis locis &c.*

† *Ego Fusco clerico filius Guido sicut superius legitur rogavit & tradidit.*
† *Ego Johannes de Gisardo rogatus testis.*
† *Ego Dominico de Johannis rogatus testis.*
† *Ego Leo de Petro rogatus testis.*
Ego Leto tabellius ipsius civitatis Sinogalie scripsi & complevi.

Pariter sub anno 1079. nomen reperitur Damiani in alia charta Avellanensi fasc. VI. num. 2. *In nomine Domini, qui sunt agni Domini millesimo septuagesimo nono & temporibus dono Gregorio universalis pape & die mense madio indictione prima.* (lege *secunda*) *Ideoque ego Quirico filius de Acto cum mea bona propria voluntate dono trado & transacto ad ipso eremo beata sancta Cruce que est edificata in fundo delavelane & a tibi Damiano abbas & a tuis successoribus &c. ipsa terra que est posita in territorio Castellano in loco qui dicitur. Monte-ameno &c. Johannes notarius scripsi & complevi & absolvi.* Demum Damiani nomen legitur sub anno 1082. pagina III. ejusdem fasciculi: *Anno millesimo .... tempore Enrigus filius Enrigo imperator mense januario indictione quinta. Ideoque ego Adamo ..... secundum nostra lege longobardorum dono &c. a sancta Cruce, que est edificata in fundo de la velana a tibi donus Damianus abbas &c.* Licet enim detritus sit annus incarnationis, indictio tamen quinta detegit annum 1082. Sequitur: *Damianus junior*.

Ad annum 1072. *pag.* 353. *lin.* 34. Dele, quæ dicuntur de ecclesia Agnæ

Agnæ confusa a nobis cum ecclesia de Alina usque ad verba: *eremo Camaldulensi*. Ecclesiam in Agna primus nominat in bulla anni 1136. Innocentius II. Tomo III. in App. col. 355.

Ad annum 1074. *pag.* 366. *lin.* 40. *Adde*: Urbs olim perantiqua Brintum dicta exsurgebat eo loci, quæ erat suffraganea Ravennatis ecclesiæ. Vide Sartium pag. LXXXII. de episcopis Eugubinis ex Agnello in Johanne Angelopte, ubi dicit: *Usque in præsentem diem quatuordecim civitates cum episcopis sub Ravennæ ecclesia redactæ sunt. Una vero destructa deest, cujus vocabulum Brintum dicitur, non longe a Bononiense urbe*.

Ad annum 1074. *pag.* 368. *lin.* 14. *Addatur*: Sed melius Caroli nomine venit Henricus IV. vel V. imperator, qui alio nomine appellabatur Carolus. Vide ad annum IV. T. III. pag. 136. lin. 46. & ad annum 1113. pag. 157. Etiam Henricus VI. imperator aliquando Caroli nomen usurpavit. Videatur T. IV. pag. 154. versus finem. Similiter de Friderico archiepiscopo Coloniensi & de Hartuico episcopo Ratisponensi viventibus tempore Henrici IV. dicti etiam V. vide eumdem annum IIII.

Ad annum 1074. *pag.* 369. *lin.* 17. *Adde*: Anne & Gerardus abbas S. Mariæ de Strata de Bononia idem est ac Gerardus abbas S. Michaelis de castro Brittorum, qui eodem tempore florebat, & utrumque fortasse regebat monasterium?

ADDENDA ET EMENDANDA
IN TOMO III.

IN PRÆFATIONE *pag.* XVII. *lin.* 7. *Adde*: Lebetum tamen nomine possunt melius intelligi vasa ollarum & cacaborum, quæ aqua mundarentur.

Ad annum 1080. *pag.* 8. *lin.* 19. Post verba: *Die primo mense martii indictione tertia*, adde, in qua *Pagano filius q. Ugo comes & Gisla jugales ambo insimul nostra bona voluntate secundum nostram Salica lege fuste & antilagine & guantone & ramis de arboribus & glevas de ipsa terra per gurfide in dicta secundum nostra Salica lege vindimus & transatamus in heremum sancte Crucis de fons avelane & adtibi dom Liuprandus priore &c. in fundo serra spinosa & in fundo casale, a primo latere via publica serra spinosa, a secundo latere via que perit da sancto andrea ad sancto Silvestro, a tertio latere via que perit da sancto Silvestro a lo farneto, a quarto latere lo fossato de lo farneto. Dominicus tabellio*. Aliæ tres contractuum tabulæ, quæ spectant ad hunc annum 1080. Aliprandi nomen præferunt.

Ad eumdem annum 1080. *pag.* 9. *lin.* 32. Post *disponendum Opizoni episcopo ejusdem urbis*, adde: Ugarus etiam diaconus & monachus legitur in tabulario monasterii S. Mariæ foris portam Faventiæ fasc. I. num. VII. qui una cum Alberto & Petro fratribus suis filiis quondam Petri dicti Castaldii donat Giselberto præposito ejusdem monasterii S. Mariæ acce-

acceptori pro persona domni Oberti abbatis dicti loci viginti tornaturias silvæ in plebe S. Johannis de Galciano territorio Bononiensi; manu Bonizonis tabellionis civis Faventini; *anno ab incarnatione D. N. J. C.* M. LXXIX. *tempore domni Gregorii pape apostolice sedis anno sexto, regnante domno Enrico quondam Enrici secundi imperatoris filio die* XV. *mensis januarii indictione secunda, infra claustra monasterii S. Marie foris portam.* Anne Ugarus monachus & diaconus idem ac Ungarus vel Unganus olim abbas S. Gregorii Arimini?

Ad annum 1084. *pag.* 22. *lin.* 13. Post *Lambertum abbatem:* Adde: & forte etiam post Willelmum ad annum 1050.

Ad ipsum annum 1084. *pag.* 23. *lin.* 40. De Abbatibus S. Mariæ foris portam consulantur, quæ in hac Appendice afferimus ad annum 1168.

Ad annum 1085. *pag.* 31. *lin.* 8. Adde chartulam confirmationis aliquot bonorum factam prædicto Aliprando priori S. Crucis Fontis-avellanæ a Fulcoino abbate monasterii de la Streta. Situm erat hocce monasterium inter Forum-Sempronii & Pergulam. Nunc superest tantum ecclesia, adjudicatis bonis monasterii episcopo Foro-semproniensi, in cujus diœcesi erat. Aliprandi prioris nomen perseverat in chartis Avellanensibus ad annum 1090. immo 1099. quo postremo & exeunte anno Johannis Laudensis nomine rursus signantur paginæ ejus loci.

Ad annum 1089. *pag.* 47. *lin.* 14. Ad examen tamen revocatis rationibus Cl. V. Matthæii in Historia Ecclesiæ Pisanæ pag. 174. allatis, non ambigimus revocare opinionem nostram, qua statueramus inter Gerardum & inter Daimbertum locandum alium episcopum Pisanum ordinatum diaconum a Guezelone archiepiscopo Moguntino hæretico simoniaco, & differendam electionem Daimberti episcopi aliquo tempore ab anno 1088. Non ambigimus, inquam, præsertim cum & nos jam observaverimus nomine episcopi in synodali concilio diris devoti venire posse non episcopum Pisanum in concilio Romano damnatum, sed ipsum Guezelonem excommunicatum in concilio Quintiniliburgensi anno 1085. ab ipso Urbano, non quidem ut Romano pontifice, sed tunc tantum Romanæ ecclesiæ legato; & insuper ex alia parte validas rationes non habeamus remittendi ad apocrypha scripta epistolam ejusdem Urbani Petro Pistoriensi episcopo, & Rustico abbati Vallisumbrosæ scriptam, quæ reperitur apud Gratianum Parte 2. Decreti causa 1. quæst. 7. cap. 24. in qua conceptis verbis Urbanus diaconum consecratum, sed non simoniaco pacto a Guezelone simoniaco appellat Daimbertum, a se denuo consecratum in diaconum, & subinde in episcopum Pisanum.

Ad eumdem annum 1089. *pag.* 50. *lin.* 31. Adde monumentum sequens spectans ad monasterium S. Bartholomæi de Camporegiano. *In nomine Domini. Anno ab ejus incarnatione* M. LXXXIX. *mense junii indictione* XII. *Eugubio. Profitentes profitemur nos quidem in Dei nomine Hioannes presbiter & Urso germanis filiique Ingilberto de plebe de Plusiano. Nos jamdicti nominati facimus hanc cartulam donationis offertionis transhactionis perpetuale pro redemptione e luminaria anime nostre & parentibus nostris in monasterio S. Bartholomei apostoli sito juxta flumen Asino in loco qui dicitur Camporazani & tibi domno Venerando abbas tuisque successoribus in perpetuum, idest integra omnia ipsa res nostra, quos pertinet pro jure proprietatis. Ista res est posita in loco qui dicitur*

Stir-

Stirpito aut in alia fundora vel vocabolis ubi invenire poteritis, istas res cum casa & solo suo curte orto vinea terra culta & inculta cum pomis & arboribus, licentia & potestate abeatis vos suprascripto abbas tuisque successoribus istas res introire, investire & omnia quidquid facere volueritis ad jura suprascripto monasterio, et si quoque tempore nos suprascripti nominati aut qualive de nostris heredibus vel coheredibus suprascriptas res agere vel frangere presumserimus &c. dare & componere nos promittimus pena nomine argenti optimi libras decem, soluta pena maneat hec cartula firma & stabile in perpetuum.

† Signum Johannes presb. & Urso &c.

Ego Benedictus explicui & subscripsi & complevi.

Ad annum 1091. *pag.* 55. *lin.* 9. *Ubi dicitur de Ugolino comite Donigalia:* Hic anno 1097. investituram castri Donigalliæ accepit a Wiberto archiepiscopo Ravennate, *dele et substitue:* Hic anno 1097. castrum suum Donigaliæ tradit jure pignoris VViberto archiepiscopo Ravennati.

Ad annum 1094. *pag.* 62. *lin.* 9. Superaddatur sequens monumentum spectans ad monasterium S. Crucis Fontis-avellanæ ex fasc. IV. num. I. *In nomine Domini anno ab incarnatione sunt millesimo nonagesimo* III. *mensis martii indictione secunda comitato Senogallie. Dum in Dei nomine in territorio Senogallie in villa que dicitur Valle, residerent domno Bernulfus comes missus domno VVarnerio dux & marchio cum his etiam comitibus adque residentibus causidicis, quorum nomina hec sunt, in primis Grimaldo judex: necnon Rustico legis doctus. Stephanus legis doctus anconitano cive. Aldone vice comes .... Arnulfo & Albertus germani fratres & filii de q. Martinus de Acto .... Ugo de Bucco. Ghislerius de Bonofilio, Bernardo de Offredo. Abbas S. Gaudentii. Rezo de Goto & alii plures. In eorum omnium presentia venit Acto de Goto evocatus de sancta Crux & dixit: Domine comes facite legem & justitia ad sancta Crux de Johanne muto de omnia ipsa res, que illum detinet de jure sancta Crux & contendit sine lex, & de Guelfo filius q. Bucco de Mainardo qui illum contendit ad sancta Crux sine lex, quantocumque laxavi Martinus presbyter de Massaro pro anima sua ad supradicta egglesia in fundo sancto Vitale terris vineis & aliis bonis. Tunc prefatus comes fecit eum proclamare ambi aversarj ut veniat ad placitum jamdicti aversarj, per suam contumaciam .. ad placitum noluit venire. Tunc prenominato evocatus post tres dies proclamatum est & dixxit. Domine comes facite lege & justicia ad sancta Crux de ipsi avversarj qui illi contendit sine lex de tota res sicut superius legitur. Tunc prenominato comes dixxit .... quod est inde lex. jam dicto judex dixxit: lex est ut investiatis ad ipso proclamatore unde illum proclamatum est .... sancta Crux a salva querela. Tunc nominato comes fecit sicut dixxit, & misit bannum super caput proclamatore ad onorem sancta Crux..... tempore agere causare & corrumpere voluisset ..... persona vel divestire sine legale judicio .... auri optimi libras una medietate ad ipso judice & alia medietate ad sancta Crux, & misit eum investitore Acto de Goto ut corporaliter eum investiret.*

Ego dono Bernulfus comes sicut superius legitur fieri rogavi.

Grimaldus delegatus a principe judex subscriptione firmavi.

Ego Rusticus legis doctus interfui.

Stephanus legis doctus his interfui testis.

Ego Leto tabellius ipsius civis Senogallien. complevi & absolvi.

Juxta

Juxta indictionem corrigendus est annus M. XCIII. & substituendus M. XCIIII. vel usurpatur annus M. XCIII. perseverans usque ad diem XXV. martii anni M. XCIIII.

Ad annum 1096. *pag.* 66. *lin.* 46. De Gualterio episcopo Arretino consulantur ea, quæ ex monumentis certis extra tempus habitis supplevimus T. IV. pag. 72.

Ad annum 1099. *pag.* 89. *lin.* 42. Referri debet ad hunc annum 1099. decretum securitatis factum a Petro episcopo Volaterrano, monasterio SS. Justi & Clementis ejusdem urbis, quod nos ex archetypo ejus cœnobii tardius acceptum produximus T. IV. pag. 86. Approbavit quoque idem Petrus donationem Huberti & Mansonis filiorum Curradi, qui octavo idus julii ejusdem anni 1099. cesserunt monasterio jura in decimis de curte & castello Castilionis infra plebem Casalliæ, ex eodem tabulario num. 31.

Ad annum 1100. *pag.* 99. *lin.* 2. Pertinet ad seculum duodecimum sequens monumentum, quod reperimus in archivo Armanno fasc. M. m. 10. *Acta Civilia.*

D. Simon monasterii Camporesano monachus testificando dixit, quod quadam vice comitissa Rizabella venit ad montem Letonis, & emisit nuncios suos ad depredandum predictos homines, & ipse testis ibat versus comitissam, & invenit eam cum preda, & ipsa abstinuit et reddidit predictis hominibus, unde comitissa se turbavit, cui ipse testis dixit: Domina isti sunt donicati homines canonice S. Mariani, et nos eos defendere debemus, quia de nostra domo venerunt, jamdicte canonice pro beneficio, quod idem habemus. Hec omnia dicta et scripta sunt ante portam monasterii S. Bartholomei coram domno abbate Rolando etc. et me presente Homodei imperiali notario.

Ad annum 1101. *pag.* 103. *lin.* 4. *Adde:* Sartius noster in Dissertatione prævia ad opus suum de Episcopis Eugubinis pag. LXXIX. nominat ex tabulis Valle-castrensibus ecclesiam S. Mariæ Francolinorum, quæ Perusina in urbe extabat, & pertinebat olim ad idem monasterium Valle-castrense, postea vero ad Capitulum Eugubinum, ut patet ex bulla Alexandri papæ III. data præposito Eugubino Benedicto anno 1170. in qua cavetur, ne episcopo Perusino liceat novas & indebitas pensiones & tributa exigere ab ecclesia S. Mariæ Francolinorum, aut eam subjicere absque justa & manifesta causa ecclesiastico interdicto. De ecclesiis subjectis monasterio Valle-castrensi in Perusina urbe vide etiam ad annum 1157. T. III. pag. 349.

Ad annum 1104. *pag.* 114. *lin.* 14. Testimonio Fulcherii Carnotensis nitimur, ut comprobemus Daimbertum archiepiscopum Pisanum & patriarcham Jerosolymitanum obiisse anno 1104 quia *Daimbertus Romam ivit, ut causam suam, et injuriam sibi a rege factam Romano pontifici innotesceret; ivit et impetravit, sed non rediit, quia in via obiit;* quæ verba ad eumdem annum 1104. quo refert Fulcherius ejus iter Romam, videntur referenda; sed Fulcherii verba mordicus non propugnamus; subjunximus enim, *si Fulcherii testimonium non admittatur;* & contendimus tantummodo Petri episcopi Pisani ejus successoris episcopatum auspicandum vel ab anno 1104. si eo anno obiit Daimbertus, vel ab anno 1106., etenim hoc anno monumenta extant Petri episcopi Pisani,

sani, & propterea Petrum successisse Daimberto per hujus obitum, vel eo vivente successisse per abdicationem Daimberti ab ecclesia Pisana. Animadvertit siquidem Matthæjus plures nobilioresque scriptores assignare annum emortualem Daimberti ad annum 1107. non ad annum 1104. ut videretur erui posse ex Fulcherii testimonio, atque proinde hujus testimonium esse ablegandum.

Ad annum 1105. *pag.* 120. *lin.* 10. *Addatur*: Baruntii prioris Avellanensis nomen legitur in charta ejus monasterii, qua *Petrus presbyter et monachus pro ex persona dono Baruncius presbyter et prior de dicta heremo recipit aliquot bona in loco fossagranaria territorio Calliensi anno septimo sedis Paschalis II.* hoc est præsenti anno 1105. Hoc ipso tamen *anno* M. C. *quinto tempore domni Enrici imperatoris et die mense marcii indictione* XIII. Rainerio priori Avellanensi traduntur bona in fundo sancti Savini; ex eodem chartario Avellanensi. Baruntius proinde vel objerat, vel dimiserat officium prioris mense martio.

Ad annum 1106. *pag.* 131. *lin.* 23. Addatur exemptio & liberatio a fodro monasterii SS. Justi & Clementis de Volaterris facta a Rogerio episcopo Volaterrano, cujus paginam attulimus T. VI. fol. 87.

Ad annum 1115. *pag.* 162. *lin.* 2. Henricus episcopus Spoletanus sub hæc tempora subjecit monasterio S. Salvatoris Vallis-castri alterum monasterium S. Salvatoris de Aqua-pagana situm in territorio Spoletano, ut fidem facit ad annum 1325. Bartholomæus alter episcopus Spoletanus in sua pagina, quam produximus Tomo V. pag. 330.

Ad eumdem annum 1115. *pag.* 165. *lin.* 2. Plura, quæ de Guidone priore Camaldulensi hic loci asserimus, emendanda sunt, & supplenda juxta ea, quæ a nobis referuntur Tomo III. pag. 205. & IV. p. 71. & sequentibus ex documentis serius acceptis, ex quibus liquet Guidonem priorem Camaldulensem minime mortem oppetiisse hoc anno, sed ex priore transiisse ad infulas Arretinæ ecclesiæ. Inter testimonia, quæ excepit cardinalis Laborans in renovatione hujus causæ Heliottum episcopum Arretinum inter, & inter Gunteramum episcopum Senensem, Uguccio filius Alberti a S. Flora decimus septimus testis affirmavit, se, cum esset in ætate quatuordecim annorum, vidisse Guidonem cognominatum Buccatortam ex eremita Camaldulensi episcopum Arretinum in castello S. Floræ, qui suadebat Rodulpho abbati SS. Floræ & Lucillæ, & B. Eugenii martyris in loco appellato Turrita, ut secum ire vellet Romam ad defendendam causam suam coram summo pontifice contra episcopum Senensem super ecclesia Assianigæ. Testatur insuper idem Uguccio alia vice vidisse eumdem episcopum Guidonem incedere per viam, quæ ducit ab Arretio ad castrum S. Floræ, & abbatem Rodulphum descendisse a S. Flora, & copioso comitatu ivisse Romam cum episcopo. Aldibrandinus a Civitella decimus-tertius testis asseruit se in decem annorum ætate constitutum audivisse a patre suo Ranutio incola Civitellæ, eundem ipsum patrem suum ex ore episcopi Guidonis, quando Roma rediit Civitellam, excepisse verba, quæ ipse Guido dixerat Episcopo Senensi; nimirum: *Celebremus ambo jejunium in cilicio, et eamus ad ecclesiam S. Salvatoris in Laterano, quando clausæ sunt januæ, et sit causæ victor ille, cui oranti januæ aperiantur.* Cetera videantur locis citatis, certe non injucunda.

Ad

Ad ipsum annum 1115. *pag. eadem lin.* 25. *Adde:* Ignoramus, an de Johanne priore Camaldulensi, an vero de ejus prædecessoribus Martino & Guidone verba facere velit Bruno episcopus Signinus in libro de *Hæresi Investituræ*, ubi scilicet ait in epistola ad fratrem B. præpositum S. Georgii & ad cunctos fratres, qui cum eo sunt: *Significastis nobis per literas vestras, quia sancti ac venerabiles episcopi Lucensis & Parmensis & sacrarum congregationum magistri Camaldulensis & Vallis-umbrosæ nostram voluntatem cognoscere volunt &c.* Melius tamen ad Martinum referimus.

Ad eumdem annum 1115. *pag.* 168. *lin.* 29. Documentum spectans ad monasterium S. Crucis de Fonte-avellana, ex quo eruitur sedisse hoc anno 1115. in sede Senogalliensi Actonem hujus nominis secundum. *Anno* M.C.XV. *mense junio indictione nona. Acto Dei gratia Senogalliensis episcopus consentientibus canonicis ecclesie sue domno Rainerio priori S. Crucis Fontis-avellane ejusque fratribus concedit medietatem unius palatii & unius case pede plane & unius horti in civitate Senogalliensi, vetans, ne cui eas res vendere aut concedere possint, nisi ad S. Johannem, cujus juris est.*

† *Ego Acto Dei gratia S. Senogall. ecclesie episcopus fieri jussi.*

† *Ego Bonus archipresbyter consensi.*

† *Ego Martinus primicerius & rationarius ipsius ecclesie consensi & scripsi.*

Videtur tamen vel mutandus annus in M.CXVI. vel mutanda indictio in VIII. cum indictio nona pertineat ad annum 1116.

Transmundi autem senioris episcopi Senogalliensis mentio fit in donatione Presbyteri episcopi Asculani ad annum 1137. & in actibus consecrationis ecclesiæ Fulginatis ad annum 1146. & in quadam veteri inscriptione anni 1142. allata a Sebastiano Andreantonellio in libro, quem de Asculana ecclesia conscripsit, in qua habetur ecclesiam S. Petri in Castello dedicatam fuisse: *Anno* M.CXLII. *P. Asculanus episcopus cum T. Senogalliense, & V. Eugubino episcopis hanc ecclesiam consecravit* VI. *die augusti*. Presbyter nimirum Asculanus, Transmundus Senogalliensis, & Ubaldus Eugubinus episcopi.

Ad annum 1118. *pag.* 177. *lin.* 13. Dicimus Petrum antistitem Pisanum in chartulis, privilegiis & monumentis archivi Pisani archiepiscopatus, eatenus se semper episcopum Pisanum nominasse, nunquam archiepiscopum, nisi ab anno 1118. Animadvertit tamen Cl. Vir Matthæjus pag. 16. suæ historiæ Pisanæ, in instrumentis annorum 1109. 1110. & 1115. extantibus in archiepiscopali tabulario, & vulgatis a Muratorio T. III. Antiq. coll. IIII. & sequentibus ipsum se, vel notarios illum insignivisse titulo archiepiscopi. Quod verum quidem est; his tamen non obstantibus, ut observavimus, Petrus diaconus in Chronico Casinensi asserit Gelasium II. Romanum pontificem, ut Pisanorum obsequia sibi præstita remuneraretur, *primum in eadem urbe archiepiscopatum instituisse*; Annalistæ pariter Pisani apud Ughellium T. X. coll. 95. & 101. *Gelasium concessisse archiepiscopatum ecclesiæ Pisanæ, & dedisse, quia usque tunc tantum episcopus erat*. Ita alii Annales a Muratorio editi Rer. Ital. T. V. *Et dedit archiepiscopum Pisanæ civitati, quia usque tantum episcopus erat, excepto Daimberto &c.* Extant insuper plurimæ paginæ, in quibus episcopus tantummodo effertur.

Ad annum 1122. *pag.* 192. *lin.* 33. Quæ de Sinibaldo intelligi tamen deberent, non quod apud Canonicos Portuenses meruerit post approbationem Regulæ; hæc enim facta fuit tantummodo ad annum 1117. sed quod assecla Petri fuerit, & ex eorum numero, qui ipsi Petro adhærebant, cum cœtum virorum religiosorum cepit colligere. Idem forte dici debet de Fabiano primo priore monasterii Carcerum.

Ad annum 1123. *pag.* 195. *lin.* 40. *adde* Guarnerium marchionem & ducem nominatum in alia nostra pagina Avellanensi ad annum 1094. producta in hac Appendice sub eo anno.

Ad annum 1125. *pag.* 203. *lin.* 21. Ceterum Petrum Ariminensem priorem Avellanensem locandum esse ad hunc circiter annum, ejusque prædecessorem Rainerium hæc præterpropter tempora attigisse, luculentissime demonstratur ope chartarum Avellanensium erutarum a nostro Sartio, quas in gratiam studiosorum hic loci subjungimus per summum compendium, & primum pertinentes ad Rainerium. *In nomine Domini anni ab incarnatione ..... sexto temporibus domn. Paschasius pp. & die. Placuit adque convenit in Dei nomine inter nos ego .... Callensis ecclesia uno per consensu &c.. trado & confirmo in ecclesia .... domnus Rainerius ejusdem priore e a tuisque successoribus .... & hoc est de res nostras ecclesia S. Maria que res jacet infra comit.... a sancto Martino de Tavernole est ipsa res omnis que antea detinuit Lutigerius tota integra, & insuper confirmo vos ego jamdictus ep.... de res nostra jam dicta ecclesia, que re jacet in loco qui dicitur Carpenetum &c. † Ego Ambrosius episcopus sancta Maria Callensis ecclesia. † Ego Enricus presbyter & canonicus manu ... † Ego Guido archipresbyter sancto Fabiano mm. scripsi. † Signum Ubaldo fil. Pagano rogatus tt. Ego Dominicus tabellius scripsi & complevi.* Ipse est annus 1106. Augetur beneficio hujus paginæ catalogus episcoporum Calliensium nomine Ambrosii. Tavernellæ ecclesia S. Martini est non longe a castro Frontonis in territorio Calliensi.

In nomine Domini Mill. centesimo decimo, & die mensis novembris indictione quarta, Sinogalie. Et ideo in Dei nomine ego qui sum Anserano fil. q. Beraldo mea bona voluntate dono trado & transacto in ecclesia heremi sancta Cruce de fons avelane, & a tibi dom. Rainerius ejusdem priore & in comitato Synogalie in fundo Arctione medietate de ipsa ecclesia sancta Maria, que ibi edificata est cum medietate circuitus & cum introitu & exitu suo & cum muris & altaris & libris & paramentis & omnia sua patrocinii sanctorum, & cum decem modiorum de terra prope ipsa ecclesia &c. Ego *Dominicus tabellius &c.*

In nomine Domini. Anno dominice incarnationis Millesimo C. V. IX. (legendum M C. XVI. nempe millesimo centesimo sexto decimo) *mense madii indictione nona Eugubio. Ego quidem in Dei nomine Guidonis monachus prepositus cum parabola & bona voluntate de Rainerius prior de sancta Cruce fons avelane & Johannes monachus & prepositus & cum aliis nostris successoribus trado jure locationis &c. Ego Guido notarius.*

In nomine Domini. Ab incarnatione anno millesimo C. XX. die mensis februarii indictione XIII. *Calli. Et ideo ego quidem in Dei nomine dono Johannes gratia Dei prepositus rector heremi fonte de la Velana mea voluntate & pro consensu de dono Rainerius gratia Dei priore de ipso heremo facio cartula pro emphiteotecario jure a tibi Acto fil. q. Petrus. Ego Johanne notarius.*

Anno M. C. XXII. tempore Calixti papæ, & regnante Enrigo rege mense

ſe auguſti indictione xv. Rainerius Avellanenſis prior cum canonicis S. Mariani Eugubinis, & cum Ubaldo eorum priore, qui poſtea fuit ejus urbis epiſcopus, tranſactionem facit, quæ extat in archivo epiſcopali Eugubino.

Anno M. C. XXIII. *de menſe octobri indictione* I. *tempore domni Calixti pape Enrigo regnante. Chartula donationis, quam facit Martinus presbyter pro redemptione anime ſue vel parentorum ſuorum tibi domno Rainerii prior infra comitatu Synogalie. Ugo tabellio Senogallienſis.*

Obitus Rainerii, ut innuimus, conſignatur in Necrologio Avellanenſi ad diem quintam ſeptembris, non certe anni 1123. quo anno vivebat ſuperſtes menſe octobri, ſed anni 1124. vel etiam 1125. Prima autem Petri Ariminenſis ejus ſucceſſoris mentio ex tabulario dicti loci habetur: *Anno Domini* M. C. XXVI. *& Corrado regnante & Honorio papa & de menſe genuario indictione tertia Callis. Ego Petrus filio de Maria de mea bona voluntate ſecundum mea ſalica lege dono trado tranſacto in eccleſia de remo Sancta Cruce de fons avelane, & a tibi Johannes presbyter pro ex perſona Petro priore & a tuis ſucceſſoribus in perpetuum eſt och eſt de res mea propria quam ego abeo infra comitato Calis in fundo ponzano; a primo latere & ſecundo & tertio detinet ſancto Zirunzo* (ſcilicet Geruntio) *&c. Ego Silveſter notario ſcripſi & complevi.*

Eodem *anno* M. C. XXVI. *temporibus domni Honorii pape & die menſis junii indictione tertia. Hoc quidem tempore ego Nicola Spoletini filius mea ſpontanea voluntate donavi & tradidi tibi domne Petre atque prior heremi S. †. de fonte avelane totam meam portionem unius eccleſie ſancti Andree apoſtoli que eſt poſita infra civitate Spoletana in regione que nominatur Tabernule &c. Pro hac mea donatione accepi a te indulgentiam peccatorum meorum. Ego Ugo judex ſcribere rogatus.*

Anno ſequenti 1127. memoratur idem Petrus Ariminenſis prior. *Anno* M. C. XXVII. *menſis junii tempore Onorii pape indictione quinta Luterio regnante. Ego quidem in Dei nomine Girardutius Gueniſi q. filius una cum uxore mea Talia nomine ſecundum noſtram Salicam legem damus & tradimus atque tranſactamus etiam finimus, ideſt in primis unum campum in monte qui dicitur Plage de Suca &c. tibi eccleſia S. Crucis fonte avelana, & tibi domno Petro priori, & inſuper refutavimus omnes uſus quos uſque nunc abuimus de eccleſia S. Johannis que eſt poſita in fundo Valle ville de Botano, & promittimus Deo & S. Cruci & Johanni & dicto priori dare predicte eccleſie S. Johannis medietatem decimarum omnium poſſibilitatum noſtrarum, ſicut dicitur in cartula quam fecit epiſcopus Mainardus Eugubinus &c. & inſuper de villanis predicte eccleſie, de quibus abuimus in uſum, abere duas operas ad ſapare in vinea, ſimiliter dimittimus unam, unde accepimus benedictionem & pretium a te domno Petro priore unum equum optimum. Guido notario ſcripſi & complevi.* Extat etiamnum Eccleſia ſancti Johannis de Bottano prope Cantianum viæ Flaminiæ vicum.

Ignoramus, an ſub Rainerio, an ſub Petro prioribus Avellanenſibus ſequens emanaverit privilegium, quod ex ſchedis Guidi-ubaldi Angelini & ex archivo Collegii Germanici de Urbe edimus: *In nomine ſancte & individue Trinitatis. Anno Dominice incarnationis milleſimo centeſimo vigeſimo quinto indictione* III. *Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus tam futuris quam etiam preſentibus, qualiter ego Fridericus Dei gratia dux & marchio pro Dei timore atque pro ſalute anime mee nec non pro ſalute imperatoris accepi ſub defenſione mea heremum S. Crucis de*

Fonte-

Fonte-avellana & omnes ejus possessiones & bona. Proinde precipio volens, ut de suis castellis seu villis sive terris Lauriccio, Monte de Sicco, Ripalta, Turre de filiis Petro de Antico, S. Fortunato, VValdo, Valentano, Monte majore, & quidquid habent in territorio Callense aut Phanense aut Pesaurense sive Nucerino sive Senogalliense vel quocumque loco alio nostre potestatis vel de suis hominibus nullum fodrum, nullam albergariam, nullam dationem acceptetis, & nullus episcopus, nullus comes, nullus vicecomes, nullus castaldio, nullus Scoldasius, nulla major vel minor persona eos molestare, inquietare, disvestire vel minorare de omnibus rebus mobilibus seu immobilibus, que supradicta sancte & vivifice Crucis ecclesia & Deo inibi servientes ad presens possidet & possessura est in futurum in ducatu vel in marchionatu deinceps omnino non presumat, sed ea omnia, que ad eremum pertinere videntur, ut mea vice omnibus modis defendatis. De villis, que predicta heremus habet in civitate Senogallia sive in civitate Phani omnino interdicimus, ut nullus de nostris missis vel albergariam in eis faciat, vel ullam dationem accipiat, & si aliquis homo vel major vel minor sua bona supradicte ecclesie dare voluerit, nullus sit ausus interdicere. Si quis autem episcopus vel comes vel cujuscumque ordinis persona majoris vel minoris contra hoc preceptum meum fecerit, sexaginta libras argenti componat, medietatem in camera mea, medietatem vero ipsi ecclesie S. Crucis.

Ad annum 1125. *pag.* 205. *lin.* 36. *Subde:* Nisi demum dicere velimus Gregorium abbatem S. Gregorii de Urbe monasterium rexisse ante Anastasium, qui Gregorius creatus cardinalis S. Eustachii a Paschale II. vale dixerit regimini Gregoriano, subinde interfuerit concilio Wastallensi, & superfuerit ad comitia Gelasii II. Calixti II. Honorii II. & Innocentii II. & demum transierit ad partes Anacleti II.

Ad annum 1126. *pag.* 207. *lin.* 2. *ubi dicitur:* Fortunius in primis, Ughellius & Ciacconius. *Dele* Fortunius, & *substitue* Minius.

Ad annum 1127. *pag.* 210. *lin.* 19. Papebrochio tamen non subscribimus, cum Gualfardus oriundus non fuerit ex urbe Augusta-Prætoria, dicta Salassiorum, metropoli in Pedemontio, sed ex urbe Augusta Vindelicorum, ut clarissime habet auctor ipsius vitæ scribens: *Oriundus de civitate Augusta de provincia Alemaniæ.*

Ad annum 1128. *pag.* 213. *lin.* 26. Sub hoc eodem anno ex tabulario Avellanensi addenda sequens permutationis pagina inter eumdem Divizonem abbatem S. Severi de Ravenna, & inter Petrum Ariminensem priorem Fontis-avellanæ. Extat ipsa fascic. v. sub num. 6.

In nomine Domini. Anno ab incarnatione ejusdem M. C. XXVIII. *indictione sexta Senogallie die tertio intrante mense novembri rem gubernante Leuterio. Ego quidem in Dei nomine Divizzo abbas monasterii S. Severi Ravennatis, jussione domini VValterii egregii archiepiscopi mei una cum consensu monachorum meorum per hanc paginam permutationis do & concedo tibi domno Petro venerabili eremite & priori S. Crucis Fontis-avellane tuisque & fratribus & successoribus in perpetuum; idest concedo vobis in loco sancti Avondii sex mansos cum omni usu & consuetudine & reditu, sicut ad monasterium sancti Severi pertinet, cum omnibus vergatis & servitialibus & redentibus, qui ad predictum monasterium qualibet ratione pertinere videntur. Similiter concedo in alio loco in plebe sancti Angeli sex mansos cum omni usu & consuetudine predicta, sicut*

ad

ad dictum monasterium pertinent cum vergatis & servitialibus & redentibus, qui ad dictum monasterium qualibet ratione pertinere videntur; idest concedo ego predictus abbas cum confratribus meis vobis & dictis vestrisque successoribus. Quia vero dedisti mihi meisque confratribus & successoribus duo oliveta, unum in loco Bifurca in comitatu Riminense, & aliud in loco Cretarie in comitatu Pesariense, sicut usque modo a manibus vestris habere & tenere visi estis. Et dedisti nobis pro hac re triginta libras aforzatorum in ariento & denarium bene apensata. Et insuper inter nos talis est convenientia, ut unus confratrum vestrorum monachorum singulis quibusque annis in festivitate S. Vitalis usque ad monasterium nostrum pro onore Dei & reverentiam S. Severi cum munere quodcumque vobis placuerit fraterne ad nos veniat. Hec omnia, que supraleguntur, concedimus vobis & predicte heremo S. Crucis ad habendum tenendum possidendum, & quidquid vobis exinde placuerit faciendum in perpetuum ... predictarum rerum mons Catrie ascendendo, Salanum perveniendo in vallem Sapanam qui vadit per Clandielam & ascendens in Catriam, que & ipsi mol... Et insuper promitto ego predictus abbas cum confratribus meis pro me & pro meis successoribus vobis prefatis vestrisque successoribus predictas res omni tempore defendere & auctoriare ab omni persona hominum. Quod si facere noluerimus vel non potuerimus, tunc ipsas res induplicare promittimus, & hec pagina permutationis suam obtineat firmitatem.

† *Rustico judex ibidem interfui.*
† *Johannes Castellano testis & investitor de supradicta re.*
† *Johannes de Zeza testis.*
† *Tignosus de Rodulfo interfui.*
† *Martino de Johannes de Galio testis.*
† *Bonus filius Lecorii tabellarii testis.*
† *Erro de Petri testis fui.*
† *Nonvollio de Martino testis.*
† *Ego Divizzo abbas in ac permutatione antefata subscripsi atque affirmo.*
† *Ego Johannes monachus atque prior consensi & subscripsi.*
† *Ego Petrus prior S. Laurentii subscripsi & consensi.*
† *Ego Morantius monachus & presbyter consensi & subscripsi.*
† *Ego Stephanus monachus consensi & subscripsi.*
† *Ego Doctius tabellarius Senogalliensi civitate subscripsi atque complevi.*

Eruitur etiam ex hac pagina communicatio, quæ intercedebat inter monasterium sancti Severi de Ravenna & inter eremum Avellanensem.

Ad annum 1128. *pag. eadem lin.* 26. Sub præsenti anno 1128. licet annum antecedentem præferat pagina, referendum est placitum Gualterii archiepiscopi Ravennatis, quod ex archivo S. Pauli de Urbe acceptum produximus Tomo IV. Annalium nostrorum in secunda Appendice col. 627. scilicet *anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo septimo tempore domni Honorii pape die septimo mensis januarii indictione* VI. (quæ decurrebat anno 1128.) *Ficoclense in palude majore apud ecclesiam B. Johannis qui vocatur in Morario.* Gualterius archiepiscopus & Petrus episcopus (facile Cerviensis) aliique judices Ravennates, Cæsenates, & Ariminenses, Ugone notario S. Ravennatis ecclesiæ adjudicant Martino abbati S. Apollinaris-Novi de Ravenna, qui causam

evicerat,

evicerat, contra Johannem abbatem S. Apollinaris in Classe, fundum Flixanum, & fundum Quinque-tabernula territorii Ficoclensis, de quibus monasterium S. Apollinaris-Novi investitum olim fuerit ab Humfredo archiepiscopo Ravennate.

Ad ipsum annum 1128. *pagina eadem lin.* 35. Archiepiscopus Pisanus cum multis judicibus se contulit Morronam, & examinatis justificationibus abbatis ipsius monasterii refutavit, & posuit in manu prioris dicti loci omnes res, quæ continebantur in suis instrumentis, quasque ipse habebat & possidebat de Acquisiana curte in Volaterrano episcopatu, utpote in Rialto, in Riparossa, & in aliis locis.

Ad annum 1132. *pag.* 228. *lin.* 42. Charta permutationis, quam conscripsit idem Berardus abbas S. Geruntii Benedicto priori S. Crucis Fontis-avellanæ, ex tabulario hujus postremi loci fasc. v. num. v. est sequens; ex qua dilucidatur altera pagina, quam ex Brichio exscripsimus.

In nomine Domini. Anno M. C. XXXII. *& die mense julii indictione* X. *Callis. Cartula commutationis, que facio ego domnus Berardus abbas monasterio sancto Igeruntio cum consensu monachorum ipsius ecclesie a vobis domnus Benedictus priore & rectore S. Crucis & vestris successoribus in perpetuum tantum de res de dicta ecclesia ipsa res que est posita in comitato in loco qui dicitur a campo da colas a primo loco ecclesia S. Martino cum libris & paramenta cum campana & muris cum omnibus suis pertinentiis & cum omnia in omnibus a lateribus ejus, a primo latere serra de Orneta proveniente a serra de Finilgne per ipso castro meriente per fossa putida usque in flumen Sasano, a secundo latere ipso castro Monteagati proveniente a Sasano, qui mergit per Glandida, a tertio latere monte Saco a serra de Orneta veniente in prima fine. Infra istis finis abeatis quantacumque pertinentia fuit de sancto Igeroncio mobile & immobile, terra vinea silvis pratis pascuis donnicatis cultum vel incultum aquis aquimolis diricium vel usum, hominibus mansis cum omnibus illorum pertinentiis ad abendum cambio dato, sicut inter nos bene convenimus amen. Abeatis licentia vobis dicti rectores S. Crucis in dictis terris ibidem intraire exire &c. Expondimus nos dicti rectores de S. Igeruncio defendere guarentare contra omnes personas hominum. Quod si non fecerimus, componamus nos a vobis dicti rectores S. Crucis tota dicta res dupla &c.*

Ego domnus Berardus abbas manu mea subscripsi.

Ego domnus Fulcus monachus manu mea subscripsi.

Ego domnus Ugo monachus manu mea scrivere rogavi.

Ego Ugo monachus scribere rogavi.

Ego Carbo monachus & Gualfredus & Guiduccius monachi scribere rogavimus.

Ego Petrus monachus manu mea subscripsi.

Ego Episcopo de Guinizo, Acto de Filice & presbyter Martino isti sunt testes rogati.

Ego Johannes de Bambo & Andrea Lombardo rogati sumus testes.

Ego Johannes notario scripsi.

Emendandum autem est in nostris Annalibus erratum quod irrepsit, ubi monasterium S. Geruntii posuimus in territorio Eugubino, cum revera esset in territorio Calliensi. Episcopus testis nomen est, non dignitas.

Ceterum Benedictus prior Avellanensis Petro Ariminensi successerat saltem

saltem ante mensem januarii anni 1130. *Anno* enim *ab incarnatione Domini* M. C. XXX. *& die mense genuario indictione nona* (dicendum fuerat octava, nisi forte annum serius ordirentur Senogallienses). *Quamobrem in Dei nomine nos qui sumus Gualdino & Guarnerio & Tudino filius q. Rodulphus & filius q. Tangredo secundum nostra Salica lege vendimus & tradimus & transactamus, & refundimus & concedimus a jure cui est ecclesia sancta Maria episcopatus Foro-sinfroni adque confirmamus ad ecclesia heremu sancte Crucis de fonte-avellana, & a tibi domnus Benedictus priore in manu, presente Acto monachus idest infra comitato Senogallie in fundo Tasenaja. Ego Silvester notarius. Actum Senogallia.*

Extat & alia hujus anni 1130. mense martio confecta pagina, continetque venditionem agri Avellanitis factam ac Benedicto priori in fundo *lo Poblico* agri Calliensis a Landrino & a Rainuzo filiis de Lobricto comes & a Clara earum matre.

Quoad Petrum Ariminensem, quem defunctum diximus, vel saltem non amplius priorem Avellanensem mense januario anni 1130. hoc illi elogium texit Theobaldus electus episcopus Eugubinus in vita S. Ubaldi cap. I. num. VI. *Cujus vita in Dei servitio admodum habebatur mirifica, & praconium sanctitatis longe lateque clarius coruscabat.* Hæc Theobaldus, qui eum de visu potuerat cognoscere.

Ad eumdem annum 1132. *pag.* 231. *lin.* 22. *Adde*: Demum verosimilius dici potest, usurpatum fuisse in Innocentiano privilegio annum Pisanum.

Ad annum 1134. *pag.* 241. *lin.* 24. Ad hunc annum pertinet traditio ecclesiæ S. Leonardi ad Volubrium Benedicto priori Avellanensi, cujus traditionis instrumentum protulimus T. IV. pag. 251.

Ad annum 1135. *pag.* 242. *lin.* 42. Cum Ubertus archiepiscopus Pisanus, licet in pluribus paginis archiepiscopalem titulum tantummodo usurpet, in aliquibus tamen etiam S. R. E. cardinalem tituli S. Clementis se faciat, libenter assentimur Cl. V. Matthæjo, qui in Historia ecclesiæ Pisanæ Ubertum cardinalitia dignitate insignitum scribit; & componit, quommodo titulum S. Clementis obtinere potuerit eo tempore.

Ad annum 1137. *pag.* 260. *lin.* 23. *Adde*. Subjungimus autem ex schedis Sartii ipsam Presbyteri Asculani episcopi donationis paginam, quæ est hujusmodi:

In nomine sancte & individue Trinitatis. Dum ab omnibus incognitum non est, sed a pluribus est manifestum, qualiter ego domnus Presbyter episcopus Esculane sedis hodierna die propria mea bona voluntate una cum voluntate & per consensum de primatis sacerdotibus vel canonicis meis, qui modo preordinati sunt in officio de supradicto episcopatu, ego prefatus episcopus ecclesie Esculane confirmo atque concedo & do ecclesiam S. Hilarii cum pertinentiis suis que posita est in fundo Parengiani ad ecclesiam S. Crucis que edificata est in comitato Eugubino in loco qui dicitur Fontis-avellane, & in loco qui dicitur Murrum, beneficium cujusdam hominis, nomen cujus hoc est Lodulfus filius Gissonis cum suo servitio ut liberi hominis cum omnibus pertinentiis suis & campum unum terre in eodem loco quinque modiorum terminatum intra suos fines cum omnibus que super se & infra se habere videntur, & sic integrum. Et in alio loco ad Proclanum campum unum terre culte modiorum quinque a capite

& de uno latere finis terra ipsius episcopatus & a pede & ab alio latere terra filiorum Proclani. Et omnia quecumque ab episcopatu & a me episcopo detinet tam in terris quam in decimis. Trado & confirmo atque concedo ecclesie S. Crucis & S. Hilario in servos servorum Dei usque in perpetuum. In tali vero tenore ut ipsa supradicta res nec vindendi nec donandi nec concambiandi, neque per ullum ingenium in alterius potestatem mittendi, & de omnibus ipsis frugibus, quas Dominus per omnes annos vobis exinde dederit, quidquid volueritis sine omni calumnia faciatis, censumque persolvere debeatis per omnes annos in assumptione S. Marie aut in octava ejusdem denarium unum. Pro hac vero concessione atque confirmatione recepi ego predictus episcopus pro me & meis successoribus societatem a servis Dei S. Crucis dicta ecclesia usque in sempiternum. Quandoquidem si ego vel quelibet persona temerario spiritu violare presumpserit, fiat anathema, & cum Juda proditore damnetur. Insuper persolvat bisantios auri optimi centum, medietatem camere regis, & medietatem supradicto monasterio. Post penam vero solutam &c. Actum in Asculo. Hoc decretum scripsi ego Simon notarius anno dominice incarnationis M.C.XXXVII. *indictione* XV. *& mense madio rogatu Presbyteri episcopi feliciter.*

Ego episcopus Transmundus Senogalliensis ecclesie interfui.
Ego Giso presbyter primicerius.
Et ego Presbyter Asculanus capellanus.
Ego Giso Alberti in hac confirmatione atque concessione interfuimus.
Ego Moricus vicedominus.
Et ego Moricus Alberti & ego Berardus & Raibaldus & Enricus medicus testes interfuimus.

Vivebat Benedictus prior Avellanensis etiam anno 1138. *Anno* M.C. XXXVIII. *die mensis martii indictione prima tempore Frederico marchio. Ego in Dei nomine Bruno filius q. Petro & Ugofilio q. Gualfredo fidei commissarii de Petro filio q. Ugo damus tradimus & in perpetuum transactamus pro redemptione & summa dilectione anime de predicto Petro ad ecclesiam beata sancta Crux & a tibi domnus Benedicto priore &c. masio uno qui vocatur de li Vitali territorio Nucerinensi in fundo da lo pojo de Cresciola. Ego Girardo notario.* Immo vivebat etiam anno 1139. cum ipsi inscribatur bulla Innocentii papæ II. data nono Kalendas junii anni M.C.XXXIX. in favorem eremi Avellanensis.

Ad annum 1139. *pag.* 270. *lin.* 7. Ad illustrationem Innocentiani privilegii concessi eremo Avellanensi videantur, quæ ad simile Honorii papæ III. congessimus in hac eadem Appendice ad annum 1218.

Ad eumdem annum 1139. *ipsa pagina* 270. *lin.* 28. Referenda sunt querela Petri abbatis S. Gregorii de Urbe contra Odonem de Polo, ac judicata varia Innocentii II. ad favorem dicti monasterii: *Anno* itaque *dominice incarnationis millesimo centesimo trigesimo-nono, anno vero pontificatus domini Innocentii secundi pape x. indictione secunda mensis aprilis die quarta. Petrus monasterii beati Andree & sanctissimi confessoris Gregorii in clivo Scauri humilis abbas in concilio Lateranensi solemniter habito in ecclesia S. Salvatoris, presidente domino nostro papa Innocentio secundo, consedentibus cardinalibus & cum lateribus episcopis, tribus quoque patriarchis Antiocheno, Aquilejensi & Gradensi, archiepiscopis, episcopis & abbatibus in magno numero congregatis, canonice & legaliter conquestus fuit de Odone de Polo, qui violenter & sacrilege castra monaste-*

rii invaserat & detinebat , ipsum videlicet castrum de Polo , Fustinianum & Guadaniolum. Sed cum dominus papa multis esset negotiis impeditus querelam remisit post concilium . Tales autem & tantas inducias postulavit Odo , ut judicium dilatum fuerit usque ad annum 1141. , quo in die Cœnæ Domini Innocentius Odonem diris devovit, qui eousque contumax fuerat, & excusationes prætendebat , præsertim quod ire deberet in auxilium Marsorum consanguineorum suorum contra filium regis Siciliæ. Reluctantem ulterius Innocentius, convocatis capitaneis & magno exercitu statuit ad sanum sensum reducere gladio temporali . Quare territus Odo castrum Faustinianum in potestatem pontificis dedit, & tandem aliquam pecuniæ summam pro justitia monasterii numeravit. Emersit inde controversia papam inter & Tiburtinos ; quare alias Odo obtinuit dilationes temporis. Interea obiit Innocentius ; quo mortuo, cum Siculi regis filius totam Marsiam occupasset, Odo habita occasione præparandi se contra violentiam principis , ad successorem Innocentii Cœlestinum II. properavit, petens, ut vel sibi liceret pacem facere cum filio regis , vel ut sibi restitueretur pecuniæ summa jam numerata. Quod postremum tandem concessit pontifex. Pagina autem hic deficit ; quare controversiæ ignoratur exitus. Ipsam ex ms. Onuphrii Panvinii de Gente Matthæja penes marchionem Frangipanium protulimus extra locum, quia serius acceptam, Tomo IV. in Appendice II. col. 614.

Ad annum 1144. *pag.* 285. *lin.* 15. Classensi privilegio subjungimus alterum ejusdem Lucii papæ II. concessum eremo Avellanensi & Sabino ejus priori, qui in Benedicti prioris locum intraverat post annum 1139. *Lucius episcopus servus servorum Dei dilectis in Christi filiis Savino priori heremi sancte Crucis de Fonte-avellane ecclesie fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis ad perpetuam rei memoriam . Ad hoc universalis ecclesie cura nobis a provisore omnium bonorum Deo commissa est, ut religiosas personas diligamus, & beneplacentem Deo religionem studeamus modis omnibus propagare . Nec enim Deo gratior aliquando famulatus impenditur, nisi ex caritatis radice procedens a puritate religionis fuerit conservatus . Oportet igitur omnes Christiane fidei amatores religionem diligere, & loca venerabilia cum ipsis personis divino servitio mancipatis attentius confovere, ut nullis pravorum hominum inquietentur molestiis vel importunis angariis fatigentur. Eapropter dilecti in Christo filii vestris justis postulationibus clementer annuimus , & prefatum locum, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus , & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona inpresentiarum juste & canonice possidetis, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum , oblatione fidelium seu aliis justis modis Deo propitio poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergo , ut nulli omnino hominum liceat eumdem locum temere perturbare, aut ejus possessiones auferre , vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva in omnibus apostolice sedis auctoritate. Si quis igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona &c.*

L. † *S.* *Ego Lucius Catholice ecclesie episcopus.*

Datum Laterani per manum Baronis capellani & scriptoris VIII. *kal. maji*

maji indictione VII. *incarnationis Dominice anno* M. C. XLIV. *pontificatus vero D. Lucii II. pp. anno primo.*

Ad annum 1148. *pag.* 302. *lin.* 4. Superius enuntiata bulla Eugenii papæ III. ad Sabinum priorem Avellanensem a Jacobillio citata, est sequens ex exemplo Avellanensis tabularii. *Eugenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Sabino heremi fontis-avellani priori ejusque fratribus &c. in perpetuum. Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri &c. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & predictum locum, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones quecumque bona ecclesia sancte Crucis in predicta heremo sita in presentiarum juste & canonice possidet aut in futurum concessione pontificum &c. prestante domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. Concedimus vobis, ut clericos seu laicos liberos e seculo fugientes ad conversationem suscipiendi facultatem absque alicujus contradictione liberam habeatis. Preterea laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium nullus omnino a vobis decimas exigere presumat. Possessiones etiam quas in massa Sorbituli habetis vel in posterum juste poteritis adipisci, sicut b. m. precessoris nostri pape Leonis privilegio continetur, vobis apostolice sedis munere roboramus. Decernimus ergo &c. salva sedis apostolice auctoritate & diecesani episcopi canonica justitia. Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus ss.*

Datum Viterbii per manus Guidonis S. R. E. diaconi cardinalis & cancellarii secundo kal. februarii indictione VI. *Incarnationis dominice anno* M. C. XLVIII. *pontificatus domini Eugenii pape III. anno quarto.*

Exemplum tamen est vitiatum in notis chronicis. Nec enim Viterbii esse potuit Eugenius III. ad II. Kal. februarii, quippe qui in Galliis moratus est saltem usque ad junium hujus anni, nec componi potest indictio VI. quæ erat XI. hoc anno, nec ad II. Kalendas februarii quartus adhuc inceperat annus Eugenii III. Reliquum est, ut imperitus monachus videns Eugenii legitimum diploma vetustate consumptum, illud descripserit, sed suo marte suppleverit notas chronicas, quæ forte legi amplius non poterant, atque propterea confuderit.

Ad annum 1151. *pag.* 324. *lin. penult.* Quoad episcopatum Clusinum Gratiani hæc addere non erit injucundum. In antiquo codice membranaceo, qui scriptus videtur circa finem seculi XIII. compendium habetur libri Decretorum Gratiani, cujus tale est initium. *Omnibus Religiosis ac aliis pauperibus Sacerdotibus, qui propter paupertatem copiam Doctorum ac apparatum non possunt habere, Jacobus pauper monachus & presbyter religiosus ad augmentum scientiæ cum mei recommendatione salutem. Dominus per prophetam &c.* Sic autem definit proemium: *In isto parvulo libello discant, quod debeant respuere vel tenere, cujus causa materialis sunt leges & canones; efficiens Gratianus Clusinus episcopus; formalis, idest modus agendi de canonibus obscuris, ac de vita & moribus scientia plenissimum documentum; finalis autem salus animarum & ipsa justitia, ut reddatur unicuique quod suum est.* Fuit autem hic codex Philippi-antonii Gualterii cardinalis; nuper autem cum tota MSS. Codicum ejusdem cardinalis ditissima suppellectile in bibliothecammi gravit illustrissimi & reverendissimi præsulis Francisci-xaverii Zeladæ. „ Jacobus iste monachus,

„ nachus, quamquam definire non ausim, an fuerit Jacobus ille mona-
„ chus S. Proculi, qui vixit seculo XIII. verisimile tamen admodum ju-
„ dico; nomen enim & professio & studiorum ratio mire congruunt, nec
„ actus repugnat. " Hæc Sartius noster pagg. 419. & 420. suæ Historiæ Bononiensis Universitatis in Juris canonici Professoribus, qui etiam addit notitias aliquas Jacobi monachi S. Proculi Bononiæ, quod scripserit commentarium in Decretalem de Summa Trinitate & Fide Catholica, anno primo Urbani papæ IV. ideft anno M. CC. LXI. quod Ottobono diacono cardinali S. Hadriani dicavit. Extat in codice ms. Gymnasii Navarr. Paris. ex Eccardo de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum T. I. pag. 124. Ex memorialibus Communis Bononiensium adhuc in vivis erat Jacobus ad annum 1285. nam anno 1274. die quinta novembris Magister Jacobus recensetur inter monachos S. Proculi, qui cum Azone abbate actis quibusdam subscribunt. Anno 1279. Magister domnus Jacobus de Casaglia monachus S. Proculi cum Rodulpho abbate & aliis monachis procuratorem sui monasterii instituit. Anno 1285. quintadecima aprilis domnus mag. Jacobus de Casaglia monachus S. Proculi præsens est cuidam instrumento. Decretalis, quam interpretandam suscepit, rem Theologicam potius complectitur quam juridicam, ut proinde in sacris literis non leviter eruditum fuisse oportuerit hunc monachum, ut argumentum illud cum dignitate tractaret. Est autem Casaglia locus ad tria millia circiter passuum supra Bononiam in collibus ad solem occiduum. Hucusque Sartius. Addimus & nos habere in nostra MSS. Codd. Bibliotheca insignem ejusdem Jacobi commentarium in Regulam S. P. Benedicti. Quapropter si Jacobus auctor compendii Libri Decretorum Gratiani idem est ac Jacobus monachus S. Proculi, non ignobile argumentum habetur, episcopatus Clusini Gratiani, quippe qui vixerit & quidem in urbe Bononiensi uno dumtaxat seculo post Gratianum. Hæc ad confirmationem episcopatus Gratiani.

Ad annum 1158. *pag.* 351. *lin.* 48. Ne quid depereat monumentorum Fontis-boni ad efformandam seriem priorum Camaldulensium, Gregorii nomen, qui per hæc tempora enuntiatur prior Camaldulensis ab anno 1158. ad 1164. legitur in tabulario ejus loci etiam anno 1160. die 8. aprilis in §. *Renuntiatio.* num. 48. A. 2. 1. Ildebrandi vero ejus successoris nomen apparet mense januario anni 1170. *Ibid.* num. 54. A. 2. 4.

Ad annum 1160. *pag.* 356. *lin.* 26. Supradicto Theobaldo hoc anno Anselmus episcopus Fulginas remisit omnem litem, quam habebat cum ipso, eo tempore, quo præfecturam Avellanensem obtinebat, quoad res Benedicti Fulginatis episcopi, olim monachi Avellanensis, quem obiisse diximus anno 1155. Paginam subjicimus ex fasc. XIII. chartularii monasterii Fontis-avellanæ. *In nomine Christi. Anno ejus millesimo C. LX. indictione* VIII. *mense junii regnante Federico imperatore. Ego in Dei nomine Anselmus Fulginensis episcopus libera voluntate sub presentia Lamberti Anconitani episcopi & multorum fratrum Fontis-avellane, intuitu pietatis & religionis remitto omnem querimoniam, quam habui adversus predictam ecclesiam & adversus domnum Tebaldum priorem ejusdem ecclesie de rebus Benedicti Fulginensis episcopi. Unde obligo me meosque successores daturum & compositurum nomine pene* XXX. *libras proprie monete, si ullo tempore contra hanc cartulam agere temptaverimus. Ego Anselmus episco-*

episcopus scribere rogavi . Ego Petrus Gentilis rogatus . Ego Ulivus notarius subscripsi & complevi.

Pertinet hæc charta ad mensem junium anni 1160. quo mense Teobaldus erat episcopus Eugubinus; sed origo & causa querimoniæ & controversiæ pertinet ad tempus , quo ante episcopatum gerebat officium prioris in eremo Avellanensi.

Sequentes paginæ spectant ad Theobaldum priorem iterum Avellanensem.

In nomine Domini Jesu-christi a nativitate ejusdem M. C. *sexagesimo secundo Victoris & Alexandri pp. anno tertio Federici imperatoris anno sexto* (die septimo) *mense januarii indictione* x. *Castri Barti comitatus Plani . Pagina donationis inter viros irrevocabiliter quam facimus nos Mattheus & Benedictus filii Rodulphi Carbonis donatores tibi ecclesie S. Crucis fontis-avellane, & a te donno Tebaldo priori &c. Ego Petrus notarius.*

Rariusculum exemplum nominari cum legitimo etiam pseudopontificem. Sed id judicaverit acutus notarius Fanensis . Extant aliæ membranæ signatæ nomine Theobaldi prioris ad annum 1165. mense martio & mense majo. Ab anno 1105. usque ad 1170. nulla extat Theobaldi memoria . Rursus annis 1171. 1172. & 1173. & quidem nono Kalendas julii memoratur Tebaldus, Rambaldus, & mense augusto anni postremi 1173. Tobaldus . Ex his paginis constat Theobaldum ex ecclesia Eugubina rediisse ad suam dilectam Avellanensem solitudinem , ibidemque fuisse saltem initiis anni 1162.

Ad ipsum annum 1160. *eadem pagina* 356. *lin.* 39. Quoad Ubaldum addi potest; quod Avellanitæ , qui Ubaldum viventem magnopere coluerunt, post mortem peculiari religione prosequuti sunt ; nam non solum in ecclesia Altare erexerunt S. Ubaldo sacrum , sed & cubiculum in monasterio de S. Ubaldi nomine dictum voluerunt. Altare autem dedicatum fuit anno 1197. Sic enim legimus in tabulis antiquis dedicationis ecclesiæ Avellanensis ad eum annum celebratæ : *Altare , quod est a sinistra parte, est consecratum ad honorem S. Trinitatis, S. Jacobi minoris , S. Bartholomæi & Barnabæ apostoli & S. Ubaldi episcopi & confessoris &c.*

ADDENDA ET EMENDANDA
IN TOMO IV.

AD ANNUM 1161. *pag.* 6. *lin.* 41. Monasterium S. Mariæ foris portam Faventiæ concessum Avellanensibus seculo XIII. *lege:* Seculo XII.

Ad annum 1161. *pag.* 9. *lin.* 46. *ad calcem anni adde:* Inter statuta Pisana anni 1161. MSS. pag. 70. ad oram libri legitur . *Quia monasterium S. Savini Pisarum nulla necessaria hactenus denegavit , & maxime portantibus , Constitutoribus , b.... vajolis aliisque ambaxiatoribus civitatis , ideo hac ipsa constitutione sancimus , ut dictum monasterium sua victualia , caseos , pannos , & salem usque ad unam quartam pro qualibet*

ebdomada

ebdomada de suo vel aliunde habere & extrahere de civitate possit, absque aliqua drictura. Quod de monasterio S. Michaelis Discalceatorum duximus ordinandum quantum ad pannos & etiam salem, qui ad suam refectionem sufficere valeat annuatim. Idem de aliis monasteriis. Hanc constitutionem legimus apud Targionium Cl. V. lib. II. pag. 193. suorum Itinerum.

Ad annum 1162. *pag.* 9. *lin.* 37. Gerardus Pomedella episcopus Patavinus non anno 1169. sed 1165. auspicatus est regimen ejus ecclesiæ, quam gubernavit usque ad annum 1214. ut emendavimus ad annum 1225. T. IV. pag. 306. lin. 28. Rursus Jordanus episcopatum Patavinum tenuit ab anno 1214. ad 1228. ut ibidem correximus, non autem ad annum 1239. ut primo loco enuntiavimus, cum ab anno 1228. ad 1239. admittendus sit in episcopum Patavinum Jacobus.

Ad annum 1163. *pag.* 12. *lin.* 36. Eumdem Johannem de Struma pseudo-pontificem hæresiarcham cum sequacibus suis nominat Tolosanus in chronico Faventino capp. LII. & LIII. quem pace facta cum ecclesia tradidisse in potestatem Alexandri III. Fridericum imperatorem scribit.

Ad annum 1164. *pag.* 17. *lin.* 45. Castrum S. Archangeli ponitur a nobis in territorio Ariminensi. Admoniti sumus hujusmodi castrum esse quidem in diœcesi Ariminensi, sed territorium separatum ex se facere; quod emendandum erit in aliquibus aliis locis horum Annalium, & præsertim pag. 124. Tomi IV.

Ad annum 1166. *pag.* 23. *lin.* 4. *Vivianus & Ranaldus filii q. Viviani de Fieri Totadone sorori sue dotis nomine & Bartholo marito ejus tradiderunt medietatem domus infra muros civitatis Cortone, cum licentia ecclesie de Fieri & domni prioris Hieronymi.* Ex tabulario monasterii SS. Floræ & Lucillæ Aretii Caps. E. num. 7. exscripsit canonicus Philippus Angelerii Alticozzi Patritius Senensis & Cortonensis in libro cui titulus: *Risposta Apologetica al libro dell' antico dominio del Vescovo di Arezzo sopra Cortona, stampata in Livorno an.* 1763. *pag.* 80. Familia Cortonensis de Fieri nomen dedit monasterio S. Ægidii sive eremo S. Johannis de Cortona Ordinis Camaldulensis.

Ad annum 1168. *pag.* 28. *lin.* 6. Sed quoniam datum fuit nobis excurrere chartas omnes tabularii loci S. Mariæ foris portam de Faventia, non abs re ducimus historiam hoc loco texere ejusdem monasterii, juxta quam emendari poterit aliquatenus series abbatum, de quibus non uno in loco aliqua protulimus seculo præcedenti. Refert magister Tolosanus canonicus Faventinus, qui chronicon contexuit urbis Faventinæ, quique obiit anno 1226. extitisse antiquissimam ecclesiam extra portam Faventinæ urbis, appellatam S. Mariæ, quæ priscis temporibus erat cathedralis ecclesia urbis. Sed jubente Romano pontifice, post tempora Luitprandi Langobardorum regis, cathedram translatam fuisse in urbem in ecclesia S. Petri. Eo tempore evocatos fuisse monachos ex monasterio S. Mariæ in Afri, qui incolerent & deservirent ecclesiæ S. Mariæ; monasterium autem in Afri conversum fuisse in plebem. In tabulario archiepiscopali Ravennæ Caps. G. num. 2914. ad annum 891. fit mentio plebis S. Mariæ in Afri, quæ exsurgebat, sicut ante plebem exsurgebat cœnobium, eo loci, ubi olim habitabant sanctimoniales, quæ modo incolunt asceterium Sanctissimæ Annuntiatæ milliario distans a

Tre-

Tredotio, sive ab oppido Treudacio, ut effertur in veteribus chartis; habitatio siquidem earum erat in nemore, quod magis distabat a Tredotio, & appellabantur *le Sore d'Africa*. In diploмate Henrici II. imperatoris concesso monasterio Bifurcensi locus erat dictus *in Africo*, in quo bona obtinebat idem monasterium Bifurcense. Etiam in tabulario Fontis-boni §. *Notabilia registrata* num. 14. A. 7. 18. nominatur terra in pertinentiis *dell' Africo* concessa in permutationem abbati S. Salvii de Florentia ab eremitis Camaldulensibus, quam tamen terram ignoramus, an esset in territorio Tredotiano.

Monachorum S. Mariæ foris portam antiquius monumentum pertinet ad annum 883. quo Johannes, primus abbas ejus monasterii nobis cognitus ex chartis ejus tabularii, donationem terrarum excipit a Dominico archidiacono Faventino, & ab ejus patre.

Non supersunt notitiæ aliorum abbatum usque ad annum 1023. & 1026. quo postremo anno alteri abbati Johanni Heribertus archiepiscopus Ravennas reædificandam divinisque honoribus frequentandam tradidit ecclesiam SS. Mariæ & Georgii in plebatu S. Stephani in Catena. Apud Tonduccium Hist. Favent. pag. 151.

Anno 1032. Erat abbas Guarinus sive Guarnerius, qui investituram quamdam terrarum fecit.

Anno 1042. 1045. 1051. Eleuchadius, cujus mentionem facit S. Petrus Damiani.

Annis 1071. 1074. Andreas.

Anno 1079. Obertus.

Anno 1082. Johannes usque ad 1099.

Anno 1099. Mainardus.

Anno 1102. Johannes usque ad 1125.

Anno 1128. Rambertus 1131.

Anno 1134. Petrus 1152.

Anno 1154. Guitto sive Vitto 1162.

Anno 1163. Drudo 1167.

Anno 1168. Sub Drudone cœnobium traditum fuit Johanni priori S. Crucis Fontis-avellanæ reformandum, ut ex pagina Faventina diximus in Annalibus ad eum annum.

Anno 1170. Drudo abbas.

Anno 1172. Salvus 1175.

Anno 1177. Philippus.

Anno 1178. Salvus iterum usque ad annum 1185.

Anno 1189. Johannes abbas regularis.

Anno 1190. Albericus.

Anno 1193. Berardus 1198.

Anno 1199. Rainaldus.

Anno 1200. Albericus.

Anno 1202. Macchabeus, & Thodinus vel Teodinus, qui etiam erat abbas anno 1204.

Anno 1205. Macchabeus iterum.

Anno 1206. Petrus 1210.

Anno 1212. Jacobus usque ad 1228.

Anno 1230. Dominicus.

Anno 1231. Petrus 1232. 1233.

Anno 1233. Guido 1235.

Anno 1236. Rodulfus.

Anno

Anno 1237. Guido.
Anno 1242. Rodulphus 1245.
Anno 1248. Jacobus 1249.
Anno 1250. Constantius 1261.
Anno 1263. Rodulfus. Eodem anno Vita, qui regimen protraxit ad annum 1291.
Anno 1298. Johannes.
Anno 1301. Jacobus, & Severus.
Anno 1303. Jacobus 1305.
Anno 1305. Clarius 1307. 1308.
Anno 1310. Severus 1311. 1312.
Anno 1313. Petrus 1314.
Anno 1315. Severus usque ad annum 1330.
Anno 1331. Jacobus.
Anno 1332. Clarius 1333. 1334. 1335.
Anno 1338. Johannes.
Anno 1340. Mons sive Monte usque ad 1347.
Anno 1354. Matthæus de Callio 1356.
Anno 1358. D. Laurentius de Eugubio.
Anno 1370. D. Ursus ab Eugubio 1384.
Anno 1392. Cariophylus Nuti ab Eugubio, ad cujus vitam monasterium S. Mariæ unitum fuit cum altero S. Benedicti in Alpibus, cujus abbas erat idem Cariophylus.
Anno 1414. Johannes-baptista Cavalierius.
Anno 1425. Uguccionus de Ubaldinis a Carda.
Anno 1431. Johannes q. Bertoli de Faventia.
Anno 1469. Franciscus Manfredi episcopus Faventinus primus abbas commendatarius, qui substituit Hieronymum Utili canonicum Faventinum.
Anno 1478. Vocati canonici Portuenses de Ravenna a Galeotto Manfredo ad incolendum locum, sed cum id factum fuisset, non postulata voluntate Juliani S. R. E. cardinalis abbatis commendatarii, brevi loco cesserunt, vel nunquam loci possessionem iniere.
Anno 1486. Laurentius Trotti episcopus Ferrariensis abbas Commendatarius.
Anno 1493. Franciscus de Pasiis abbas Commendatarius.
Anno 1514. Antonius Marchesius protonotarius apostolicus abbas Commendatarius.
Anno 1515. Johannes-andreas Papalandi clericus Casalis abbas Commendatarius.
Anno 1516. Prosper de Comitibus Montis-vetuli abbas Commendatarius.
Anno 1534. Flaminius Savelli abbas Commendatarius.

Interim anno 1513. vocati fuere monachi Cistercienses e Provincia Thusciæ, qui perseverant deservire eidem ecclesiæ. Hæc series conficitur ex chartulis tabularii ejusdem monasterii. Illustriora monumenta hujus loci suis annis protulimus in his Annalibus, sicut etiam nonnulla diximus de ecclesiis ipsi monasterio subjectis. Plura vero & omnia, quæ pertinent ad hocce cœnobium, collegimus in Sylloge veterum chartarum urbis Faventinæ, quam cum historia urbis ejusdem publicæ luci donavimus anno 1771. in opere cui titulus est: *Rerum Faventinarum Scriptores*.

Ad annum 1177. *pag.* 68. *lin.* 48. Diximus hoc anno 1177. ſubjecta fuiſſe eccleſiam & hoſpitale S. Leonardi prope Æſinum fluvium monaſterio Avellanenſi, ſed cum in privilegio Friderici imperatoris hoc ipſo anno conceſſo eidem eremo mentio non fiat hujus hoſpitalis, bene vero fiat ſpeciatim anno 1185. in altero imperiali diplomate, rectius exiſtimamus ſpatio temporis intermedio annos 1177. & 1185. hoſpitale hujuſmodi accepiſſe inſtitutionem fratrum Avellanenſium.

Ad annum eumdem pag. 88. *lin.* 18. Mirifice hæc confirmantur ex charta Avellanenſi, quam attulimus in hac eadem Appendice ad annum 1160. qua Anſelmus Fulginas epiſcopus, præſente Lamberto Anconitano epiſcopo, remittit Theobaldo priori Avellanenſi querimoniam, quam ipſe habebat circa res olim Benedicti epiſcopi Fulginatis. Vivebat ergo eo anno Lambertus Anconitanus epiſcopus, cujus proinde ſedis tempus ſtatuendum eſt inter Bernardum & Gentilem, anno ſcilicet 1160. & præcedentibus & ſequentibus annis.

Ad annum 1180. *pag.* 86. *lin.* 30. Annum 1187. *Corrige*: annum 1186.

Ad ipſum annum pag. 91. *lin.* 31. Oſcitantia typothetæ irrepſit vox *diviſi* omnino expungenda, quæ nihil dicit.

Ad annum 1181. *pag.* 95. *lin.* 30. Deleatur vocabulum *S. Martini*, quod nunquam fuit titulus eccleſiæ & monaſterii SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia, ſed lege: SS. *Martyrum* Hippolyti & Laurentii. Ita etiam pag. 96. linea 1. & col. 101. in Appendice.

Ad annum 1191. *pag.* 95. *lin.* 36. Ad annum 1019., *Corrige*: ad annum 1022.

Ad annum 1185. *pag.* 112. *lin.* 36. Tertium addimus ex tabulario Avellanenſi Friderici imperatoris privilegium eremo Avellanenſi conceſſum, & datum *Fulginii indictione* IIII. (melius III.) *ſecundo kalendas ſeptembris*; quo confirmat ejus heremi bona, & ſpecialiter hoſpitale apud Æſinum fluvium, quod eſt hujuſmodi.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator ſemper auguſtus. Cum eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis, precipue autem viris Deo & hominibus probate religionis virtutem atque favorem imperatorie majeſtatis impendimus, indubitanter gratum Deo nos preſtare credimus obſequium, ut preſentis vite curriculum feliciore proſperitate peragamus & eterne retributionis merita certiori fiducia recipere valeamus. Ea propter notum facimus univerſis fidelibus imperii preſentibus & futuris & nominatim dilectis noſtris Bertoldo legato Italie, & Cunrado duci Spoletano & marchioni Anconitano eorumque ſucceſſoribus & omnibus majeſtatis noſtre legatis, qui nunc ſunt & poſtmodum in Italia futuri ſunt, quod nos monaſterium S. Crucis & heremum Fontis-avellane & fratres inibi Divinis mancipatos & mancipandos obſequiis ſub protectione majeſtatis noſtre ſuſcepimus, & omnia ipſorum bona mobilia ac immobilia, que nunc habent vel in poſterum preſtante Domino ſunt habituri, & nominatim hoſpitale apud Eſinum cum pertinentiis ſuis ſimiliter eidem tuitioni noſtre ſubjicimus. Ad augmentum quoque noſtre imperialis gratie concedimus eis quidquid juris habemus in bonis & poſſeſſionibus eorum, ſalva dignitate & fodro imperialis juſtitie, ſicut in privilegio continetur a majeſtate noſtra eis indulto,

to. Statuimus ergo &c. Quod qui fecerit, in ultionem temeritatis sue LX. *libras auri puri pro pena componat, dimidium imperiali camere, & reliquum personis injuriam passis. Hujus rei testes sunt Bonifacius Novariensis episcopus, Anselmus Fulginensis episcopus, Bertholdus legatus Italie, Anselmus frater ejus, Fridericus prepositus S. Thome in Argentina, Bertholdus de Rotuvilre, Eberardus de Eistede, Ottobellus, Albertus Ferrariensis & Grossus judices curie.*

Datum apud Fulgineum anno dominice incarnationis M. C. LXXXV. indictione IIII. (scribendum erat III.) II. *kalendas septembris*.

Ad eumdem annum pag. 112. *lin.* 23. Anno regni ejus XXIII. *lege* XXXIII.

Ad eumdem annum pag. 114. *lin.* 44. Addatur huic anno 1185. instrumentum, quo Nicolaus episcopus Foro-sempronienſis adjudicat & confirmat eremo Avellanensi medietatem castri Laureti in agro Rocchæ contratæ diœcesis Senogalliensis, post judicium trium cardinalium, qui ipsum castrum pro medietate ad Avellanense monasterium spectare definiverunt anno 1181. quod ex Turchio edidimus extra locum T. V. pag. 209.

Ad annum 1186. *pag.* 120. *lin.* 12. Ipsum autem Henricianum privilegium, post editos Annales acceptum, subjungimus ex archivo secreto Eugubino A. num. 1.

Henricus Divina favente clementia Romanorum rex augustus. Ad temporalis regni gloriam &c. Hujus autem precipue regie benignitatis nostre clementiam libentius debemus impartiri, quibus sue religionis & honeste conversationis intuitu serenissimum patrem nostrum Fredericum imperatorem augmentum propensiorem imperialis excellentie sue gratiam defensionis sue protectionem contulisse cognoscimus. Quia vero fratres de eremo Fontis-avellane sacris operibus jugiter insudare, & bona fama in domo Dei flagrare intelleximus, propterea confirmamus ipsi ecclesie omnes homines & possessiones, quas nunc habet, vel imposterum juste est habitura, & nominatim hospitale apud Esinum cum universis suis pertinentiis. Si quis vero &c. Hujus rei testes sunt Rodulfus imperialis aule protonotarius, Magister Godefridus Viterbiensis noster capellanus, magister Berardus, Figicus, Petrus Urbis prefectus, Bertholdus legatus Italie & alii quamplures. Signum D. Henrici Romanorum regis invictissimi.

Ego Godefridus imperialis aule cancellarius vice Philippi Coloniensis archiepiscopi & Italici regni archicancellarii.

Acta sunt hec anno Dominice incarnationis M. C. LXXXVI. *indictione* IV. *regnante domno Henrico VI. Romanorum rege gloriosissimo, anno regni ejus* XVII. *in obsidione Urbis veteris* VIII. *kal. julii feliciter amen.*

Addimus quoque sequentem memoriam donationis ex eodem Avellanensi chartario.

In nomine &c. Anno ab incarnatione ejus M. C. LXXXVI. *domno Federico imperatore & tempore Urbani pape decimo die intrante mense januario indictione quarta. Quoniam certum est, qui Deo servit, sibi associari desiderat. Quapropter videntes & cognoscentes nos quidem Michaelis Actonis filius cum voluntate Mathelde uxoris mee, quod bona ecclesiarum augere Deo studet servire ex his, que delicta commissa delebuntur. Idcirco propria & spontanea voluntate pro anima nostra & patris & matris nostre, necnon & parentum nostrorum per hanc paginam donationis concedimus, donamus, atque in perpetuum supponimus ecclesie S. Crucis Fontis-avellane & vobis domno Philippo ipsius ecclesie priori & domno Alberico preposito &c. omnia nostra bona propria ubicumque posita sunt in comitatu Senogal-*

lia in castris in curtibus in villis, videlicet in castro & curte Collinalti, in castro & curte montis Aldani, & in curte Quercus cupe & in curte & castro Taurilis, in curte & castro Campilongi, & in aliis locis vel vocabulis cum ecclesiis & eorum dotis cum hominibus & eorum heredibus, usibus, abusibus, servitiis, tenimentis, & cum viis, fontibus, tribiis &c. a primo latere dictarum rerum litus maris, a secundo latere flumen Sasani, a tertio latere via publica, que venit per S. Paulum de Conocla, & vadit per Farnetum, a quarto latere Neula pavonis veniens ad litus maris. Ego Helis notarius scripsi.

Ad annum 1189. *pag.* 139. *lin.* 47. Hæc, quæ diximus, ita videntur corrigenda: Theobaldi sive Tebaldi prioris eremi Avellanensis nomen in chartis ejus loci legitur constanter usque ad annum 1173. Ergo usque ad eum annum & forte usque ad annum 1177. quo translatus fuit ab Alexandro III. ad archiepiscopalem sedem Jaderensem, regimen obtinuit Avellanensis eremi, nisi dicamus aliquo intermedio anno denuo revocatum fuisse ad regendam ecclesiam Eugubinam, ex qua translatus fuerit ad illam Jaderæ.

Philippi prioris Avellanensis nomen ex paginis extantibus primum apparet sub anno 1180. in duplici membrana scripta Kalendis novembris ab Actone medico notario, quæ nihil habet, quo digna sit, ut in lucem proferatur. Ab eo anno die 1187. XV. intrante februario idem Philippus memoratur in tabulis Avellanensibus.

Marci prioris Avellanensis nomen legitur mense julio anni 1189. *Ecclesie S. Marie, que est edificata in Cervegnano in comitatu Senogalliense ab Alumello & Dominico bona donantur ad mensam dicte ecclesie in manibus Johannis prepositi ejus loci, & Marci prioris Avellanensis.* Anno 1190. Bonus monachus S. Crucis Fontis-avellanæ constituitur eremi procurator in comitatu Urbini de licentia Marci prioris, una cum domno Ugone de sancto Donato. Perseverat nomen Marci toto sexennio.

Marco translato anno 1195. ex officio prioris Avellanensis ad sedem Eugubinam successit Albericus, qui olim, nempe anno 1186. fuerat ejus loci præpositus, ejusdemque ut prioris memoriæ supersunt a julio mense anni 1196. ad martium 1197. Sed de his prioribus iterum occurret sermo.

Ad annum 1191. *pag.* 144. *in fine*. Addatur sequens pagina spectans ad eremum Avellanensem, ex qua Gottoboldi marchionis monumentum eruitur, qui vel Guarnerii erat nepos & frater Gosebaldi, vel idem ac Gosebaldus. Vide, quæ diximus T. III. pag. 194. in excursu de marchionibus Guarneriis. Pagina est hujusmodi.

In nomine &c. Ab incarnatione ejus M.C.LXXXXI. *die* VI. *exeunte mense januario indictione* IX. *in comitatu Senogallie in castro Algnani, Frederico imperante, & filio ejus Henrico rege regnante. Quoniam Rainerius a Doleo legitime vocatus ad curiam marchionis Gottoboldi ad rationem faciendam dominis S. Crucis venire contempsit, qui petebant ab eo omnes res & possessiones, quas predictus Rainerius vel alii pro eo habent & tenent in comitatu Callense infra hos fines: a primo flumen Sesani; a secundo fossa Aque albelle & trivium Ace & sancto Petro in Teruco; a tertio mons catus, a quarto casa ventosa, & Finilium; scilicet in insula Callensi & casali Clusi, & ubicumque sunt. Idcirco predictus marchio habito consilio Greci judicis sui jussit predictos dominos nomine heremi S. Crucis mittendos in possessionem omnium predictarum rerum, omni auxilio*

absenti

absenti reservato legitimo, redditis tamen prius expensis pro judicatura in curia factis, scilicet VI. libris Lucensibus, & investivit eos de predictis bonis per Carolum nuntium suum, & posuit bandum super eos. Ego marchio Gottoboldus hanc sententiam possessionis scribi jussi. Rogati testes interfuere Grecus judex. Ego Ugo Dei gratia tabellio Senogalliensis. Gottoboldus vel Senogalliensi urbi, vel Picenæ provinciæ ex mandato imperatoris præsidebat. Ugo notarius assuetus signare tabulas suas nomine Friderici, qui tamen obierat superiori æstate, vel defuncto Friderico, ipsius nomine chartam hanc in notis chronicis signavit.

Ad annum 1192. *pag.* 148. *lin.* 2. Novum, si Superis placet, adjungimus Cœlestium Numinum fastis virum Sanctum, Buldronum vel Buldronem, eum ipsum, quem dicimus Buldronensem ædificasse & a suo nomine appellasse eremum in parœcia S. Stephani in Pane extra urbem Florentiæ. In archivo sanctimonialium Dominicanarum S. Jacobi de Ripulis in charta anni 1271. legitur: *Dominabus reclusis de S. Stephano in Pane, loci S. Boldronis*, monialibus scilicet, quæ post medietatem seculi XIII. incoluerunt locum, quem eousque incoluerant eremitæ Camaldulenses. In alia anni 1282. *Dominabus de S. Stephano sive de S. Boldrone*. Demum in tertia anni 1284. *Dominabus de S. Boldrone*. Suspicati sumus notarios imperitos *Sancti* nomen addidisse Boldrono, vel etiam notarios siglam S. usurpasse pro *Ser*; ut usuveniebat iis temporibus, non pro *Sancto*; sed admoniti sumus ab erudito viro Johanne-baptista Tondino Faventino, & Pisis commorante, a quo eas notitias habuimus, etiam in MSS. Miscellaneis & Excerptis Ferdinandi Melioris existentibus in Bibliotheca Magliabechiana, & pariter in publico archivo Florentino bis & ter Boldronem appellari *Sanctum*; & optimum doctissimum senem amicum nostrum Dominicum Mannium aliquando vidisse, & legisse Orationem recitandam in honorem *sancti Boldronis*; neque admittendam suspicionem notarios siglam S. apposuisse pro *Ser*, *quia* integra dictione in aliquibus paginis legitur *de Sanboldrone*.

Ad annum 1193. *pag.* 150. *lin.* 13. Pertinet ad hunc annum 1193. donatio ecclesiæ S. Mariæ de Laureto facta Marco priori Avellanensi a Jordano episcopo Humanatensi sequenti pagina.

In Dei nomine: anni ejus sunt ab incarnatione domini nostri Jesu-christi M.C.LXXXXIII. IIII. *die intrante januario indictione* XII. *dopno Celestino papa sedente in sede beati Petri apostoli & regnante Henrigo imperatore Federici imperatoris filius anni ejus imperii III. Nos quidem Jordanus Humanensis ecclesie episcopus una cum voluntate & consensu canonicorum meorum qui preordinati sunt in nostra ecclesia, intuitu pietatis & religionis & pro redemptione peccatorum nostrorum nec non & predecessorum tradimus & cedimus & per transantum concedimus in perpetuum in heremo Fontis-avellane & tibi dopno Marco venerabili priori & toti vestro conventui & vestris successoribus & per manus dopni Rainerii qui est prepositus & rector ecclesie S. Marie de Ract... que est edificata in fundo Rasenano qui Antiniano vocatur, idemque damus & concedimus ipsam ecclesiam S. Marie que est sita in fundo Laureti totam cum omnibus suis dotibus & pertinentiis & cum libris & calicis & campanis & paramentis & cum cellis & cum circuitu & parochianis cum terris & vineis & olivis & ficis & cum molendinis & aquis aquimolis cum pratis & pascuis & rebus & cum omnibus suis pertinentiis & cum omnibus suis actionibus & rationibus que ad ipsam ecclesiam pertinent vel pertinere debent de ju-*

re

re vel usu. Ita a die presente tu.... una cum suis successoribus abeatis teneatis possideatis usufruatis predictam ecclesiam cum omnibus suis possessionibus & pertinentiis & in perpetuum possidendo tenendo & exfructuando & quidquid vobis placuerit faciatis. Et ego Jordanus Humanensis episcopus una cum canonicis meis promittimus per nos & per nostros successores vobis dopno Marco priori & toto vestro conventui & omnibus vestris successoribus ipsam dationem & concessionem semper firmam & ratam abere & tenere, & nunquam retractare & nullam litem & nullum malum & nullam querimoniam & nullam questionem vobis facere, sed semper stare & defensare & bonam facere & auctorizare vobis promittimus per me & meos successores contra omnes personas hominum. Quod si defendere noluerimus aut non potuerimus, aut hanc concessionis chartam iritare corrumpere vel falsare voluerimus, vel si dolo malo ingenio cuncta que superius leguntur non observaverimus, tunc obligo me Jordanus episcopus cum canonicis meis meosque successores vobis supradicto priori vestrisque successoribus pene nomine libras C. & post pena data & soluta chartula ista donationis cessionis & concessionis semper firma permaneat, sicut superius legitur.

Domnus Jordanus Humanensis ecclesie episcopus hanc chartulam fieri precepit.

Mattheus archidiaconus in hac chartula consensit.

Marcus archipresbyter in hac chartula consensit.

Sanguineus canonicus in hac chartula consensit.

Goffredus canonicus in hac chartula consensit.

Presbyter Acto canonicus in hac chartula consensit.

Dopnus Angelus plebanus Gardeti in hac chartula consensit.

Petrus Stephani de cessione & concessione fuit investitor & testis.

Ego Acto notarius precepto ipsius episcopi & rogatu & ab ipsis canonicis hanc chartulam scripsi.

Ad annum 1195. *pag.* 154. *lin.* 29. Subjungimus sequentem paginam ex tabulario Avellanensi, quæ illustrat ecclesiam S. Angeli Montalliani subjectam eidem eremo.

In nomine P. & F. & S.S. amen. Hactum est in die kalendas junii. Rogatus a priore S. Crucis Fontis-avellane de ecclesia S. Angeli Montalliani. Idcirco ego prior Marco de eremo sancte Crucis Fontis-avellane una cum voluntate & consentiente primatorum monachorum, scilicet presbyter Johannes, presbyter Bartholomeus & presbyter Albertus nos concedimus vobis filiis comitis Girardi, sicut sunt Bonus Transmundus Bonicomitis Girardi vestrisque heredibus de hinc esse patronos de medietas ecclesie sancti Angeli Montalliani, ut vos agatis & petatis actiones & defensiones quidquid ecclesie predicte pertinuit & pertinet vel pertinere debet, sine omnis legis hoccasione vobis concedimus atque adfirmamus vobis vestrisque heredibus generaliter pro omnibus rebus ecclesie mobilibus & immobilibus, & ideo predicto prior promitto pro me & successores meos vobis predicti filii comitis Girardi & vestris heredibus stare & defendere contra omnem hominem sine omni calumnia. Signus manus a suprascripto prior cum voluntate primatorum monachorum ista cartula fieri rogavi. In anno M.C.XCV. *indictione* XIII. *regnante Henrico imperatore Romanorum imperio & rex Sicilie divina gratia semper augustus. Marquardo Anconitano marchioni duci Ravennati & magnifice imperialis aule providentissmo Senescalco. Ego autem magister Azolinus interfui rogatus notarius Urbesalie scribere scripsi, & complevi hanc chartam. Hactum apud ecclesiam sancti Blasii de Urbesala.* Montallianum erat ad septem-

triona-

trionalem Maceratensis urbis partem, ubi & fons Allianus, & Porta Alliana. Urbisalia erat proxima Maceratæ, olim urbs. Ecclesia autem S. Blasii de Urbisalia post exstinctam Avellanensem familiam adjudicata fuit seculo XVI. monasterio nostro Pisaurensi S. Mariæ Angelorum.

Ad annum 1196. *pag.* 161. *lin.* 43. Hæc sunt monumenta, quæ sub hoc anno pertinent ad eremum Avellanensem, cui præsidebat Albericus prior.

In nomine Domini. Anno ejusdem M. C. *nonagesimo* VI. *tempore Celestini pape & Henrici imperatoris die* VII. *exeunte mense julii indictione* XIIII. *Eugubii. Cartula venditionis, quam facio ego Johannes Actoli filius vobis dono Alberico S.* †. *Fontis-avellane priori &c. idest vendimus vobis unam petiam terre & silve positam in comitatu Callis in parochia plebis S. Savini in loco Lame; a primo latere Sasanus, a secundo Lame, a tertio a quarto latere res sancte Crucis.*

Ego donnus Albricus heremi fontis-avellane prior. Peto ab Uguicione Rainaldi de insula Gualfredi & suis filiis coram te domino Honesto a Collinalto a partibus arbitro electo, scilicet ex communi consensu meo & jamdicti Uguicionis in compromisso habito, quartam partem insule Gualfredi cum ejus curte, quam ipse acquisivi ab episcopo Forosinfronienfi. Et si contingerit, quod jam dictam quartam partem vel saltem medietatem ejus juste & recte petere non possem, peto preteritorum annorum pensionem, & in antea prestet pensionem & renovationem & omnes rationes quas predicto episcopo prestare debebat. Item peto medietatem clausure, que fuit Petri Johannis Bricti. Item peto medietatem omnium bonorum & possessionum & hominum ubicumque sunt, qui fuerunt Richardi Gualfredi, & terram quam tenent filii Agrestoli in fundo Memorie juxta Tancredum & campum in fundo Laureti & unam petiam in plano Laureti, & quartam partem oliveti ante castrum Laureti. Item peto Martinum & Johannem Saboli & Dominicum & Martolum filios Jubiani cum omnibus eorum bonis. Item dico, quod usualia servitia, que retro hucusque accepimus ab hominibus nostris, & nominatim a Petro Brolli, quem Baligamus fecit eum jurare dare ei omni anno unum amessere & tres libras Lucenses abstulit, ut ab hinc in antea ab eo non exigat, & illas tres libras restituat. Item peto XXXVII. *solidos & unam scrofam, & bovem valentem* C *solidos & plus, & unum mantellum, & unum majale, & duos castratos, & tres pecudes, & omnes pullos, & unam vegetem optimam, & domum cum omnibus massaritiis; que omnia abstulit Johanni de Zampo, & cepit eum per personam, & vulneravit cum castaldione suo. Hec sunt que Uguicio abstulit hominibus Laureti, in primis Benedicto & Ugolino tres boves &c. &c. &c.*

Omnia peto cum fructibus & augmentis & accessionibus & estimationibus, sicut ratio precipit. Datus est iste libellus a domno priore domno Onesto, & oblatus est & datus Uguicioni prima die exeunte mense decembris. Ego Helis curie notarius hunc libellum scripsi, & cancellavi & rasi & emendavi. Anno M. C. LXXXXVI. *mense decembri indictione* XV.

Extat prælongus libellus, ex quo ista excerpta de damnis illatis agris & hominibus Avellanensibus a scelestissimo Uguicione.

Ad eumdem annum & paginam ipsam. Habemus sub hoc anno nomen Gregorii abbatis Insulani; locum dictum Lutruso, & montem Cusonis in territorio Galeatano. Ex archivo Fontis-boni §. *Renuntiatio* 65. A. 2. 37.

Ad

Ad annum 1197. *pag.* 164. *lin.* 7. Ad chartam allatam ex Sartio & ex archivo Avellanensi adde nomen notarii, qui se subscribit : *De casa spissa Martinus comprobat ipsa* . Ceterum non recte ibi dicimus Albericum perseverasse in officio prioris Avellanensis ad annum 1201. Nam Johannis prioris nomine signatæ apparent tabulæ anno 1198. Quare dele verba: *Alberici prioris nomen* usque *congregationis Avellanensis*.

Ad eumdem annum pag. 165. *lin.* 10. Sartius noster putat eamdem esse ecclesiam S. Mariæ de Arzilla, ac ecclesiam S. Mariæ novæ, & exactis canonicis regularibus transiisse eam ecclesiam ad monachos Classenses; successu scilicet temporis, obsolescente veteri appellatione, dictam esse S. Mariæ novæ, alias S. Mariæ a mari.

Ad annum 1198. *pag.* 172. *lin.* 17. *Adde:* Johannem in prioratu Avellanensi successisse Alberico vel sub finem anni præteriti, vel anno præsenti probant sequentes chartulæ tabularii Avellanensis.

In nomine Domini nostri Jesu-christi. A nativitate ejusdem anno M. C. LXXXXVIII. *tempore Innocentii pp. anno ejus primo die* XII. *exeuntis mensis madii indictione prima Fani. Pagina dationis & donationis irrevocabilis inter vivos, quam facio ego comes VValterius de Fano vobis domno Johanni heremi S. Crucis Fontis-avellane priori, & domno Rainaldo preposito ejusdem eremi, nomine ejusdem ecclesie, totum palatium meum novum, ubi habito, positum in civitate Fani in loco qui dicitur Palatium majus cum turre & cum parte curtis, & usu puthei & cum aliis terenis juxta se positis & suis pertinentiis. A primo latere cujus est via que vadit inter ecclesiam S. Johannis & palatium vetus & dictum palatium usque ad plateam de Rena; a secundo est platea de Rena, a tertio detinent filii Viviani Fusculi, & ego predictus comes, a quarto ego prefatus comes & curia Communis &c. Sed de eo corporaliter vos investio per Ramolum conversum vestrum, ut ipse inducat vos in vacuam possessionem dicte rei. Et si contra hanc cartulam ire agere aut causare presumpsero, obligo tam me quam meos heredes vobis prefato priori dare nomine pene auri libras decem. Ego dictus comes VValterius, ut superius legitur, fieri rogavit. Nos Ramolus dictus investitor, & domnus Albertus capellanus ipsius comitis & Johannes Amicoli, & Guiduccius scutifer prioris, & egomet tabellio testes rogati interfuimus. Andreas scripsit solum, quod homo sibi dixit.* Walterii comitis Fanensis pietatem & religionem commendat Cœlestinus pp. III. in diplomate pro ecclesia S. Mariæ de Arzille, quam ipse Walterius construxerat & dotaverat; ex archivo Classensi.

In nomine Domini. Anno ejusdem M. C. *nonagesimo octavo tempore Innocentii pape imperatore caremus die* XII. *intrante mense martii indictione prima Callis. Cartula vinditionis jure enfiteosis, quam facio ego domnus Aloderius Calensis episcopus bona mea voluntate vobis donno sancte Crucis Fontis-avellane priori, idest concedo vobis unam petiam terre positam in comitatu Calensi in plebe S. Savini in parochia S. Martini in loco Collis benni ad centum annos, ut annualiter in festivitate S. Marie augusti unum Lucensem denarium amplius non imponatis. Ego Aloderius episcopus m. m. scribere fecit. Ego Johannes notarius.*

In nomine Domini. Anno ejusdem M. CC. I. *tempore Innocentii pp. imperatore caremus die* XV. *exeunte ms...... indictione* IIII. *Eugubii. Cartula jure enfiteosis quam facio ego Johannes S. C. Fontis-avellane prior cum voluntate meorum fratrum & cum voluntate domni Ugolini Capitalis rectores, vobis Mingolo & fratribus tuis filiis & nepotibus tenimentum in plebe S. Savini.*

Actum

Actum in loco S. Crucis ante palatium. Johannes notarius. Capitalis castri reliquiæ adhuc supersunt.

In nomine Domini. Anno M. C. *nonagesimo nono* v. *idus februarii indictione* II. *Domnus quidem Johannes ecclesie S. Crucis Fontis-avellane prior, presentibus & volentibus domno Johanne preposito ecclesie S. Marie Vallis Meragi, & domno Raynaldo & domno Trasmundo &c.* Eam edimus pag. 186. T. IV. ad annum 1199.

Ad annum 1201. *pag.* 188. *lin.* 31. Pertinet ad hunc annum 1201. sequens Philippi Romanorum regis diploma ad favorem eremi Avellanensis, ex chartario ejusdem loci.

Philippus Dei gratia Romanorum rex semper augustus. Utriusque vite felicitatem nobis confert & largitur, si predecessorum nostrorum vestigiis inherendo ea, que ad ecclesiam Dei conducere possunt, commodum & profectum curamus ampliare. Quapropter omnibus Imperii fidelibus tam presentis, quam futuris notum esse volumus, quod nos attendentes honestatem dilectorum fratrum nostrorum vivifice & sancte Crucis de Fonte-avellane & divine religionis cultum, qui in eodem monasterio vigere dignoscitur, concedimus eis & confirmamus pro salute nostra & pro remedio animarum parentum nostrorum, quidquid juris & obsequii tam in fodro, quam in aliis per castra eorum villas & ecclesias, & per homines nobis debent, benigne & integre hoc ipsis, sicut predilectus frater noster Henricus Romanorum imperator remittentes, & presentis scripti patrocinium confirmantes. Statuimus quoque ut nulli hominum fas sit huic nostre concessioni temere contraire. Datum apud Hagnoyye anno Dominice incarnationis M. CC. I. *quarto nonas junii indictione* IV.

Ad annum 1202. *pag.* 190. *lin.* 23. En ipsum fragmentum ex schedis D. Romualdi Mantuani servatis in tabulario Avellanensi. *Innocentius pp. III. Dilecto filio Nicolao priori eremi S. Crucis Fontis-avellane ..... Eapropter dilecte fili justis vestris postulationibus clementer annuimus, ut prefatam eremum S. Crucis Fontis-avellane, que ad jus & proprietatem B. Petri specialiter pertinere dignoscitur, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Gregorii & Celestini Romanorum pontificum predecessorum nostrorum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus &c. Datum Velitris anno* M. CC. II. *pontificatus nostri anno* v. Periit etiam Cœlestini diploma, quod Innocentius III. laudat. Extat aliud monumentum ejusdem Nicolæ prioris in tabulis Avellanensibus confectis mense februario anni 1202. indictione v. in Auximana civitate. Sed quamdiu superfuerit in prioratus officio, definire non licet; nam ab anno 1202. ad 1207. in membranis ejusdem loci adnotantur præpositi & procuratores plures, at nullus prior.

Ad eumdem annum pag. 191. *lin.* 12. Ecclesia S. Mariæ de Camaldulo Bononiensi per hæc tempora ob pietatem & regularem disciplinam eremitarum & monachorum Camaldulensium, insigniter florebat; quare nil mirum, si fidelium ultimis voluntatibus & largitionibus ditabatur. Extant in archivo Fontis-boni testamentariæ tabulæ Jacobi de Galanco, Constantii Bursarii, & Jacobi de Tuscis sub annis 1197. 1200. 1202. Prior seu Major ejus ecclesiæ erat Samson, cujus ejusque successorum arbitrio bona testatorum dividebantur inter legitimos hæredes. Ipsi quoque scholares universitatis ad mortem devenientes benefici se ostendebant erga Camaldulenses, ut egit Isnardus de Navarra filius q. Lupi scholaris

ris Bononiensis, qui hæredes reliquit bonorum suorum *illos de universitate & collegio Camalduli Bononiensis* anno 1220. die VIII. augusti §. *Testamentum* 7. 8. 9. 10. 11.

Ad annum 1207. *pag.* 207. *lin.* 11. *Adde:* Unum extat Aliotti, forte prioris, monumentum in archivo Avellanensi, præterea nullum. Est hujusmodi: *Ego quidem Martinellus filius q. Janni Actonis do trado & simpliciter dono tibi domno Aliotto nomine ecclesie S. Crucis Fontis-avellane terram in comitatu Callensi in loco dicto Camporegianum.* Fasc. XVIII. Certum tamen non est Aliottum fuisse priorem, nam eodem anno Johannes effertur titulo prioris, ut in sequenti monumento.

Ad annum 1207. *pag.* 208. *lin.* 2. Johannis prioris Avellanensis nomen legitur in tabulis Avellanensibus. *Anno Domini* M.CC.VII. *indictione decima nullo imperatore imperante quintadecima die intrante mense januarii. Ego Berbece filius Villani do concedo atque investio ad proprium tibi donno Johanni priori ecclesie S. Crucis, vinee scilicet partem dimidiam in agro Assisinate in vocabulo Colle de Picara. Et factum fuit hoc in presentia domni Machabei abbatis monasterii S. Benedicti, & prioris Insule intus ecclesiam S. Pauli. Ego Bonus-homo notarius.*

Ad annum 1212. *pag.* 228. *lin.* 13. Azonem patrem beatæ Beatricis Estensis sanctimonialis Gemmulanæ, filium asseruimus Obizi marchionis Estensis. Probat luculentis rationibus Brunaccius amicus noster in Vita ejusdem Beatricis edita ex antiquissimo scriptore, Patavii anno 1767. & eruditis ornata dissertationibus, Azonem fuisse filium alterius Azonis, qui progenitus fuerit ab Obizo marchione, cujus Obizi etiam mortem statuit ad diem XXV. decembris anni ea ipsa die incipientis 1194. Libenter ipsi Brunaccio assentimur, sicut etiam ad ipsius calculos & rationes composita & emendata nonnulla volumus, quæ de Beatrice occasione ejus obitus protulimus pag. 294. & alibi. Gratias quoque ipsi referimus, quod honorifice de nobis nostrisque Annalibus pluribus in locis in ea vita senserit, scripseritque, sicut ipsius fuit semper laudabilis mos etiam in ceteris eruditis suis elucubrationibus.

Ad annum 1213. *pag.* 233. *lin.* 25. Perseverabat nomen Johannis prioris Avellanensis, ut eruitur ex sequenti charta archivi ejusdem loci. *In nomine &c. Pateat quod domnus E. Anconitanus episcopus cum suis canonicis, & propter pietatem pauperum & peregrinorum, qui recipiuntur in ospitali sancti Cosme & Damiani loci religiosi cenobii S. Crucis Fontis-avellane & canonice predictis oblationibus ..... sibi & suis successoribus per singulos annos* XX. *solidos Anconitanos & Ravennates, quos prelati & prepositi in dicta ecclesia manentes debent solvere, & dare domno episcopo & canonicis in festivitate Omnium Sanctorum per singulos annos. Ideo quia dictus domnus episcopus & canonici remiserunt omnes oblationes festivitatis sancti Cosme & Damiani & vigilie similiter & pro conservando jure sancte Anconitane ecclesie & canonice dictos denarios, ut dictum est, servaverunt. Et domnus episcopus remisit procurationem suam specialem per chartam, quam conservat sibi in concessione supradicta quam fecerat priori, pro qua reservavit sibi* XL. *solidos Anconitanos & Ravennates, quos denarios debent dare in singulis annis prelati dicte ecclesie domno episcopo vel suis nuntiis & successoribus in festivitate natalis Domini. Et D. Johannes prior pro se & suis successoribus dicti cenobii in perpetuum conservare promisit sub pena C. marcarum argenti purissimi. Hoc*

actum in palatio dicti domini episcopi, in presentia presbyteri Philippi S. Petri, presbyteri Chari S. Nicolai, presbyteri Johannis camerarii domni episcopi, Marcellini notarii, Razi Romagne servi ipsius domini episcopi, Guiducci scutiferi ipsius prioris, Berardi Tuscani scutiferi domini episcopi. Anno Domini M. CC. XIII. *& dies* II. *intrante januario indictione* II. *in civitate Anconitana. Ego Leonardus gratia Dei imperialis aule notarius.* Licet charta proferat E.. episcopum, existimamus tamen notarium E. posuisse pro G. hoc est Gerardo, qui tunc temporis erat Anconitanus episcopus; vel facile charta ipsa G.. habet, non E.

Ad annum 1216. *pag.* 245. *lin.* 43. Ad calcem anni addatur sequens chartula ex tabulario Avellanensi.

In nomine Domini amen. Anno M. CC. XVI. *die ultimo exeunte decembri; tempore discordie inter domnum Innocentium summum pontificem, & Ottonem imperatorem indictione quarta. Ego vero Rainerius Montis-episcopalis propria & spontanea mea bona voluntate pura & sana mente sic promisi, & corporali sacramento affirmavi, & sententiam Ugicioni Jordanis & conventionem, quam dedit & fecit predictus Uguicio inter domnum Paulum yconomum heremi S. Crucis agentem & respondentem pro dicto heremo & suis hominibus ex una parte, & ex altera Guidonem agentem & respondentem pro se & filiis suis, & aliam paginam quietationis, transactionis, renuntiationis & perpetualis finis, quam fecit cum parentibus suis ibidem nominatis domno Johanni priori dicti heremi & toti conventui ejusdem heremi suisque successoribus firmas & illibatas tenere in perpetuum, ita nunc iterato sacramento prestito, & promitto dictam sententiam & quietationem & dictam paginam confectam per manum Martini de Casa-spissa notarium in integrum promitto firmas & illibatas, ut dictum est in perpetuum tenere &c., & specialiter castrum Montis-sicci & homines dicti castri cum omnibus rebus mobilibus vel immobilibus dicto castro pertinentibus. Et si quando domnus prior qui pro tempore fuerit, a me auxilium vel juvamen sive tuitionem pro castris & omnibus rebus dicte sancte Crucis petere placuerit, pro meo posse dare promitto. Quam renovationem & quietationem & obligationem ideo vobis feci, quia mihi cartulam renovationis de possessionibus injuste a me detentis renovastis, & pensionem pro dictis rebus detentam indulsistis. Hec omnia sunt acta in castro Montis-sicci in ecclesia S. Angeli. Ego Martinus auctoritate imperiali notarius.* Annus 1216. signatus proprie est annus 1215. ultima die anni; indictio autem a notario mutata fuit mense septembri, vel sumpta a Nativitate Dominica.

Ad annum 1218. *pag.* 250. *lin.* 40. Raynaldi ut prioris Avellanensis sequentia habentur monumenta sub anno 1218. *In nomine Domini anno* M. CC. XVIII. *sexta die intrante septembri tempore domni Honorii pp. Ego quidem domnus Anselmus prior ecclesie sancti Superantii, voluntate & consensu dopni Rainaldi prioris heremi sancte Crucis Fontis-avellane, & ipso presenti, & dopni Petri prepositi Fontis-boni, & dopni Ugolini monachorum dicte heremi, nec non consensu conversorum omnium & familiarium dicte ecclesie S. Superantii, concedo terre quinque staria ad cannam* XV. *pedum, Compagnono Johannis recipienti nomine hospitalis Spineti, & confiteor te tradidisse terram positam in plano Civite infra portam montanam, ubi vult edificari ecclesia nova ad honorem beati Superantii & beati Nicolai. Johannes notarius de Cingulo.*

Ex schedis equitis Caballini Cingulani, qui ex archivo monialium S. Ca-

Catharinæ ejuſdem urbis exſcripſit, habuit Sartius. Sequentem autem paginam ex tabulario Avellanenſi.

In nomine Domini. Anno ejuſdem tempore Honorii pape die XIV. *exeunte ſeptembri indictione* VIII. *Ego quidem in Dei nomine Brunamonte filius Palmoli bona mea voluntate refuto, quieto, tranſigo & in perpetuum remitto in menſam beata ſancta Crucis Fontis-avellane tibi donno Rainaldo priore, donno Auximano prepoſito &c. Omnem uſum & omnem actionem & petitionem, quam avus meus & pater meus & ego uſque modo habuimus in eccleſia S. Marie in Cervegnano & in ſuis hominibus. Ego VV. ſcripſi & abſolvi.* Corrigenda indictio, quæ erat VI. Eodem tamen anno ad finem vergente in ipſo archivo Avellanenſi legitur nomen Petri prioris Avellanenſis.

In nomine S. Trinitatis amen. Anno Domini M. CC. XVIII. *tempore Honorii pape XII. die exeunte decembri indictione* VI. *Eugubii. Ego quidem in Dei nomine Simottus... bona & ſpontanea mea voluntate do, offero & concedo eccleſie Fontis-avellane, & tibi dopno Petro priori ejuſdem eccleſie medietatem totius clauſure mee poſite in Palcano. Fines ejus a primo latere vinea dicti monaſterii deſuper via, a pede Igones, ab alio domini de Aquaviva. Actum in capitulo Fontis-avellane in preſentia Petri prioris, donni Rainaldi, donni Berardi prioris clauſtri, donni Liberii camerarii. Ego Ratius notarius.*

In Palcano aderat eccleſia in honorem S. Mariani. Domini de Aquaviva erant nobiliſſima familia, quæ olim incolebat caſtrum Aquavivæ in agro Callienſi, unde & cognomentum traxit. Eſt is locus in edito colle bis mille paſſus Callio diſſitus ad orientem, ſed præter antiquum nomen vix ulla antiqui caſtri veſtigia ſuperſunt. Rainaldus, qui nominatur poſt Petrum priorem, idem eſt, qui fuerat prior menſe ſeptembri ante Petrum, ſed cum poſt menſem ſeptembrem electus fuiſſet epiſcopus Nucerinus, fugiens honorem ſe concluſerat in ſuam ſolitudinem, vitam monachi continuaturus. Honoris ergo cauſa, quia electus fuerat epiſcopus, nominatur ſtatim poſt priorem, & ante priorem clauſtri.

EXCUR-

EXCURSUS HISTORICUS
MAURI SARTII
ABBATIS CAMALDULENSIS

Quo illustrantur Bullæ Innocentii II. & Honorii III. Romanorum Pontificum, in quibus recensentur monasteria & ecclesiæ, quæ ad congregationem monachorum Fontis-avellanæ pertinebant. Bulla Innocentii II. spectat ad annum 1139. illa vero Honorii III. spectat ad annum 1218.

Ad paginam 250. *Tomi IV.*

ITaque post monasterium ipsum Avellanense, loca subjecta sequenti ordine referuntur in Honoriano diplomate, quod copiosius est Innocentiano, licet in aliquibus plura recenseantur in privilegio Innocentii, quæ desiderantur in illo Honorii.

Apud Faventinos: *Monasterium S. Mariæ de Faventia cum capellis suis & pertinentiis earum. Ecclesiam S. Johannis in Agereto cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Barnabæ de Gamundio.* Monasterium S. Mariæ de Faventia anno 1168. disciplinm Avellanensem suscepit, appellatum S. Mariæ foris portam. De ipso nos ad eum annum aliqua diximus Tomo IV. & subinde aliis sequentibus Tomis, sed omnia collegimus in hac ipsa Appendice, & uberius etiam in Accessionibus Historicis Faventinis nuperrime editis. Ecclesia, seu Abbatia S. Johannis in Agereto, sive in Acereta, vel in valle Aceretana, & eremus de Gamundio, alias de Gamugno, fundata fuere a S. Petro Damiani Avellanensium monachorum restauratore & secundo veluti parente, de quibus mentio fit a nobis Tomo II. ceterisque sequentibus sub variis annis.

Apud Ariminenses: *Ecclesiam S. Silvestri de Arimino cum bonis quondam Calcoli & domibus.* Similia in Innocentiano leguntur, his superadditis: *Et ea, quæ vos constat habere tam infra, quam extra civitatem Pensaurienfium.* Sed quid Avellanitæ apud Pisaurenses habuerint tempore Innocentii II. incompertum est.

Apud Urbinates: *Ecclesiam S. Marinæ de Beforca. Ecclesiam S. Donati de Urbino. Ecclesiam S. Mariani.* Est autem suburbana ecclesia S. Donati apud Urbinates celebris, ejusque rector archipresbyteri titulo insignitur in antiquis tabulis ad eam ecclesiam pertinentibus, quarum ingens unmerus est in archivo Avellanensi. Anno tamen 1199. nondum eum titulum consequuti fuisse videntur ejus ecclesiæ præfecti, sic enim habent ejus anni tabulæ Avellanenses: (*Fasc.* XIV. *num.* V.) *Peto ego quidem a vobis domno Alberto heremi S. Crucis converso atque bailo & rectore plebis S. Donati* &c. Anno 1256. erat ejus ecclesiæ archipresbyter D. Bonajudus monachus; anno 1274. D. Paulus, qui archipresbyter plebis S. Donati & sindicus eremi S. Crucis inscribitur; quod & alios deinceps factitasse comperimus. Anno 1287. D. Villanum; anno 1335. D. Johannem; anno 1336. D. Philippum de Spello; & anno 1343. D. Ubaldum de Gualdo tabulæ Avellanenses exhibent; ex quibus facile esset multos plures eli-

elicere, si in re minime necessaria tempus terere liceret. Sub extremo Avellanitarum tempore habuit ea ecclesia rectores, modo ex seculari clero, modo ex Avellanensi familia, prout abbatibus commendatariis maxime placebat, quorum arbitrio totius rei Avellanensis administratio regebatur. Sed anno etiam 1369. ejus ecclesiæ *plebanus* (sic enim inscribitur) inauguratus est Paulus Feltrius, Galassii Feltrii comitis filius, qui postea ad annum 1388. Urbinatis ecclesiæ cathedralis præposituram gerebat, quemadmodum accepi (*Ex arch. publ. Urbinate*, *& Canonic. Eccl. Urbin.*) a V. Cl. Hannibale Oliverio, quem cum rogassem, ut si quid alicunde habere posset, quod ad ejus ecclesiæ historiam pertineret, illud ne me celatum pateretur, monuit me de hoc Paulo Feltrio, deque Baldo quodam Eugubino monacho Avellanensi, qui ad annum 1422. S. Donati præfecturam obtinebat; sed in veteri tamen ecclesia S. Donati nullum antiquum monumentum, quod ad Avellanitas pertineat, extare adjecit. Eam nunc obtinent fratres Minores, quos observantes appellant, eo inducti circa annum 1425. Sacerdotium vero S. Donati inde translatum est, nova scilicet ecclesia constructa, 300. fere passibus a veteri dissita, ubi & S. Donati archipresbyter sedem habet, & vetera jura S. Donati servat. In antiqua S. Donati ecclesia illustre est comitis Guidonis-antonii Feltrii Urbinatium Principis monumentum. Hoc nos in hac Appendice publici juris facimus ad annum 1443.

Apud Fanenses: *Ecclesiam S. Salvatoris de Fano. Ecclesiam S. Martini de Barti cum omnibus pertinentiis earum, & quid habetis in comitatu Fanensi*. In diplomate Innocentii hæc insuper recensetur: *Ea quæ habetis in curte Montis-majoris. Ecclesiam S. Martini de Exaltaria* (nunc vulgo Saltara). *Ecclesiam S. Silvestri de Ruico*. Fanense S. Salvatoris sacerdotium celebre fuit & opulentum. Qui ei præerat Avellanæ monachus, Prior dicebatur. Est in tabulario Avellanensi ingens veterum chartarum numerus ad S. Salvatoris prioratum pertinentium, sed in iis tamen nihil illustre & memoratu dignum occurrit. Re Avellanensi ad commendatarios delapsa, eadem hujus Sacerdotii, quæ ceterorum, sors fuit; monachis enim exactis, abbatis commendatarii arbitrio in beneficium concedi coeptum est. Sub initium XVI. seculi prioratum hunc obtinebat vir nobilissimus Galeatius Gabriellius canonicus Fanensis, qui alia quoque opulenta Sacerdotia possidebat. Sed cum is, divino afflante Spiritu, mundo nuntium remittere cogitaret, diuque in ea deliberatione fuisse, ad novam congregationem Eremitarum Camaldulensium, quam nunc Montis-coronæ appellant, quæque per eos dies instituì cœperat a B. Paulo Justiniano eremita Camaldulensi, se tandem adjecit, & a sede apostolica impetravit, (*ex Rescript. Clem. VII. apud Florium lib. II. c. XVI. Vit. B. Pauli Justiniani.*) ut quæ Sacerdotia, quæque monasteria ipse beneficii loco ab eadem sancta sede obtinuerat, sibi liceret nascenti illi sane quampauperrimæ congregationi attribuere. Gesta sunt hæc anno 1524. atque ita S. Salvatoris Sacerdotium eremitis Camaldulensibus adjudicatum, quemadmodum & monasterium S. Salvatoris de Monte-acuto in agro Perusino Cisterciensis ordinis, & Prioratus S. Leonardi de Volubrio in agro Firmano, qui Avellanensium erat, & duo item Sacerdotia minora, alterum in agro Fanensi, alterum in Agro Tuderte, quæ omnia ad Galeatium pertinebant. Et factum est, ut nova illa eremitarum familia magnum incrementum ceperit, & ut alia aliis locis, ita illud apud Fanenses, cui S. Salvatoris bona reddituſque assigna-

gna-

gnata sunt, quod Montis-Jovis appellant, domicilia construere successu temporis potuerit. Nunc S. Salvatoris ecclesiam obtinent fratres Minores, quos Observantes vocant, non quidem ea forma, qua olim erat, sed multum amplificatam & ornatam, in eaque altare unum est, ubi secularis sacerdos ab eremitis electus parochialia munera exercet; parochiali enim titulo semper ea ecclesia fuit illustris, & multorum opinio est esse illam ecclesiarum omnium apud Fanenses antiquissimam, ubi & S. Apollinaris prima Christianæ religionis fundamenta posuerit, & primi episcopi Fanenses sedem ac domicilium habuerint. Sed hæc aliis discutienda libenter concedimus. De ceteris Avellanensium ecclesiis apud Fanenses nihil dicendum occurrit.

Apud Foro-sempronienses: *Quidquid habetis in ecclesia S. Mariæ in Portuno & in possessionibus suis, & quidquid habetis in castro & in curte Turiclis*. In Innocentii bulla nihil ejusmodi legitur. Extat in tabulario Avellanensi vetus charta, quæ seculum XII. redolet, ex qua constat diuturnam acerbamque litem fuisse inter Avellanitas & inter monachos Nonantulanos, quoad ecclesiam S. Mariæ in Portuno, sed adeo mutilum & lacerum est hujusmodi documentum, ut boni nihil inde duci possit.

Apud Senogallienses: *Ecclesiam S. Bartholomæi de Senogallia; Ecclesiam S. Luciæ cum omnibus pertinentiis ejus. Quidquid habetis in Fractula & curte ejus; Ecclesiam S. Lotherii; Ecclesiam S. Mariæ in Civignano cum omnibus earum pertinentiis; quidquid habetis in ecclesia S. Petri de monte Tebaldi, & in ecclesia S. Cosmæ cum pertinentiis suis; Et quidquid habetis in curte Ripaltæ extra Neulam*. Innocentianum diploma aliquid amplius habet, sed alio modo, sic enim in eo legimus: *Infra civitatem ecclesiam S. Bartholomæi cum palatio & casamentis & aliis pertinentiis suis; extra urbem ecclesiam S. Septimii; plebem S. Erasmi; ecclesiam S. Mariæ de Cerveniano; curtem Fractulæ; curtem Boni Girardi; ecclesiam S. Eleutherii in curte Castellari; curtem Calcinariæ; castrum Laureti; & medietatem castri Insulæ*. Ex his constare potest, quantum opibus pollerent Avellanitæ, qui tantam non agri modo, sed etiam urbis Senogalliensis partem obtinebant; singula enim hæc Sacerdotia peropulenta erant, ut antiquæ tabulæ Avellanenses demonstrant, quas quia nihil habent quod ad historiam pertineat, hic libenter omittimus. Sed quid opus est tabulis? Amplissima latifundia, quæ in Senogalliensium finibus a Collegio Germanico possidentur, quæque olim ex Avellanensi patrimonio erat, satis superque demonstrant.

Apud Nucerinos: *Ecclesiam S. Nicolai de Valle-rea; & in curte Vallis-reæ; Ecclesiam S. Laurentii de Colle-alto; Ecclesiam S. Mariæ de Vallemergo cum omnibus pertinentiis ejus, & quidquid habetis in ecclesia S. Petri de Cordonase & in curte Dulii & in toto comitatu Nucerino*. Sed hic etiam Innocentii bulla aliquid amplius habet, imo multo plures ecclesias recenset, in Honorii diplomate prætermissas. In his est: *Ecclesia S. Crucis de Staviniano; S. Antonini de Postiniane; S. Blasii de Balciano; S. Romani de Graphano; S. Prospeci de Glo.......jus quod habetis in plebe S. Mariæ de Gualdo; & in ecclesia S. Mariæ de Rotundo; S. Stephani de Gardinasia; S. Laurentii de la Metula; & Ecclesia de Collalto*. Seculo XV. obtinebant Avellanitæ in agro Nucerino Sacerdotium S. Crucis de Ficarella dictum, quod anno 1450. a Petro abbate commendatario collatum est Ludovico Accorambono Eugubino Avellanensi monacho. Eumdem Prioratum anno 1531. obtinebat Vincentius Durantinus episcopus Urbeveta-

vetanus. S. Laurentii de Collalto ecclesia in agro Sentinate sive Saxoferratensi est. Ejus mentio crebra est in Avellanensi tabulario ; ex quo etiam constat præter loci rectorem fuisse etiam alios Avellanensis instituti monachos ei subjectos. Sic enim in nonnullis tabulis legitur sub initium seculi XIII. *In nomine* &c. *F. Clarus custos & rector ecclesie S. Laurentii de Collalto una cum confratribus suis , scilicet F. Alberto monacho eremi S. Crucis ibidem existente, dompno Rainaldo clerico ipsius ecclesie, Ugolinello Blasole converso &c.*

Apud Callienses: *Ecclesiam S. Angeli de Clandida cum capellis & earum pertinentiis; Et Bellissium cum curte sua; Ecclesiam S. Angeli de Ripalta cum curte & pertinentiis suis; Ecclesiam S. Mariæ de Pundo; Et quidquid habetis in curte montis Ajati; Ecclesiam S. Fortunati de Capitalis; Ecclesiam S. Petri de Bugno; medietatem castri Frontonis cum curte ejus; Vallem Sorclani cum curte Fenilli; Ecclesiam S. Angeli de Sorteclo; S. Bartholi de Taruco; S. Marcelli de Monte-scapto; S. Angeli de Monte-sicco; S. Paterniani de Casale Clusi cum curtibus & ejus pertinentiis; & quidquid habetis in comitatu Callensi.* Hæc ex Honorii diplomate. In diplomate Innocentii nonnulla ex iis locis in agro Eugubino describuntur, ex quo apparet Calliensium & Eugubinorum fines non satis recte temporibus illis definitos fuisse , quæ res non levium simultatum causa fuit inter utramque civitatem . Sicut etiam nonnulla Avellanensium loca in bulla Innocentii sunt, quæ in Honoriana desiderantur. Tale est: *Castrum de Turre; Ecclesia S. Bartholomæi de Fleruleta, S. Martini de Monte-aculeo; S. Christophoro de Scotaneto;* & nescio quid juris, quod Avellanitis erat, *in ecclesiam S. Flaviani*. Bellissium & Ripalta duo sunt ex iis castris, quæ societate inita Pergulense oppidum ædificarunt. Bellissii locus non plane habitatoribus destitutus est, sed Ripaltæ nullæ supersunt reliquiæ. Loco tamen vetus insidet nomen, ubi in ea planitie, quæ Cesano flumine alluitur, ecclesia monachorum Avellanensium est Deiparæ sacra; in editiore vero parte crebræ effodiuntur antiquitatis reliquiæ, & tumuli lateritii cum hominum ossibus, & ollæ cinerariæ, & numismata etiam omnis moduli ; quæ locum declarant habitatoribus plenum fuisse, jam inde ab antiquioribus Romanorum temporibus. Mons Ajatus Acatus dicitur in antiquis tabulis; castrum est semidirutum. Capitalis castrum vetus fuit , cujus nonnullæ visuntur reliquiæ ex Avellanæ monasterio Frontonem adeuntibus. Olim castrum Faucis Capitalis dicebatur, nunc Faucis nomen loco adhuc hæret; quod quidem nomen rei convenit maxime; est enim locus in ipsis montium augustiis & faucibus . Sed S. Bartholi ecclesia ad quingentos passus inde dissita in ima valle undique fere clausa sita erat ad Catriæ radices, qua parte Calliensis agri fines incipiunt. Præalta rupes ab Catriæ jugis longo tractu demissa vallem hanc ab ea dividit , in qua Avellanæ monasterium situm est, ut non facile dixeris, uter locus sit eremiticæ vitæ aptior, sed is, de quo agimus , graviori aere premitur , & horridiore montium septo clauditur. S. Bartholomæi ecclesia tota ex secto lapidea erat, ut ejus non exiguæ parietum reliquiæ declarant, ex quibus & ejus formam & amplitudinem, quæ haud magna erat, facile intelligimus. Altare unicum in ea fuisse videtur, cujus prægrandis tabula lapide ibi etiamnum dejecta visitur. Qui ei ecclesiæ præerat, Prioris sive Rectoris nomine curam animarum gerebat in castro Faucis Capitalis, sed successu temporis Sacerdotium illud plane dissolutum est , cura animarum in vicinum Frontonis castrum translata , & exiguis ejus redditibus monasterio nostro Pisaurensi attributis. Jam inde ab anno 1095.

eremo

eremo hæc S. Bartholomæi constructa erat, quo scilicet anno *Atto filio Raineriu agri jugera duo donasse* legitur *in eremo S. Bartholomeo apostolo, qui edificatum est in territorio Callense in ipsa foce de S. Fortunato: a primo latere .... a secundo latere res de S. Silvestro*; ex archivo Avellanensi. (*Fasc. III. num.* II.) Nullus autem dubito, quin eremus hæc in fauce S. Fortunati eadem sit, de qua dicimus, nam & in agro Calliensi (Calensi, rectius Callensi olim scribebant) sita erat, & agellus ei eremo donatus in vicinia castri S. Abundii erat, ubi Nonantulanum S. Silvestri monasterium & multa olim prædia habebat, & insignem hodiedum jurisdictionem retinet; quæ omnia in nostram S. Bartholomæi eremum bellissime quadrant. Sed quo tempore in eum locum Avellanitæ inducti sint, plane obscurum est. Ecclesia S. Petri de Bugno, sive melius de Begno vel Benno erat in loco in vicinia Frontonis, ubi parvula ecclesia superest primario Frontonis Sacerdotio subjecta. Castrum collis Begni seu de Begno vel Benno sæpe memoratur in antiqnis Avellanensium tabulis, & præcipue ad annum 1109. sub Rainerio Avellanensi priore. Quoad castrum Frontonis creberrima erant iis locis castella a viris nobilibus in suis fundis constructa, parva quidem & perexiguo ambitu comprehensa, sed natura loci fortissima; occupabant enim fere editiorum collium cacumina, & quandoque etiam in ipsorum montium arduissimis jugis sita erant. Eorum pars major ita vastata est, ut vix rudera nonnulla supersint; multorum locus etiam ignoratur. Reliqua ita corrupta sunt, ut in iis nihil requirere possis, præter pauca agricolarum & pastorum tuguria. Unicum est, quod multum pristinæ nobilitatis retinuit Frontonum; alias Frontonem appellatum legimus in antiquis monumentis jam inde ab anno 1080., quo primum anno is locus in tabulis Avellanensibus occurrit. (*Fasc. VII. num.* 11.) Ad tria passuum millia infra Avellanæ monasterium ad Septemtrionem præaltus & præacutus monticulus assurgit, quem a meridie & ab oriente sole a vicinis montibus Cesani fluenta partiuntur & dividunt. A reliquis partibus liberum apertumque habet aspectum supra subjectum haud inamænum agrum, supraque ingentem montium tractum usque ad mare Adriaticum. Summum ejus monticuli verticem Frontonum tenet, quatuor circiter passuum millibus Callio ad solem occiduum, sex autem ad Septentrionem ab oppido Pergulano dissitum. Fenilium vetus castrum est ad tria passuum millia super Pergulam, sed fere dirutum. In ejus vicinia ampla obtinent latifundia Avellanitæ, quorum partem ad vallem Sorclani hic memoratam pertinere crediderim, quam infra Fenilium & circa Cesanum fluvium fuisse multæ conjecturæ confirmant, sed ejus tamen nomen deperditum est. Notissimus est Sorticuli locus (sic enim appellant) in agro Calliensi, ubi olim monachorum conventus fuit primis quidem temporibus a priore seu rectore, tum ab abbate gubernatus. Post exactos Avellanæ antiqui instituti monachos in liberam episcopi Calliensis potestatem concessit, a quo ejus satis opulenti sacerdotii curator Abbatis titulo insignitus eligitur, cui cura animarum in ea vicinia incumbit. Locus plane horridus & inamænus est, ut cetera fere antiqua Avellanensium domicilia. Anno 1220. ejus loci præfectus adhuc rectoris nomen gerebat, necdum assumpto Abbatis titulo. Anno 1312. Matthæus abbas in tabulis ejus anni legitur, aliique deinceps, quorum syllabum texere operæ pretium non est. Anno 1085. Ugo Richardi comes cum Gemma conjuge sua D. Aliprando priori Avellanæ promittit se nec molestiam, nec litem ullam illaturum Avellanitis pro

monasterio S. Angeli & S. Nicolai, & pro rocca de Monte-ventuoso. Erant ea loca in Calliensium finibus; quare verosimile est sermonem esse de monasterio Sorticulano in iis tabulis, unde id deprompsimus. Taruci rivus est Pergulam inter & Forum-Sempronii, sæpe in antiquis Avellanensium tabulis nominatus; Terucum etiam dicebant. Legimus etiam & fundum Taruci, & castrum Taruci, quæ loca incertum est, num ex præterlabente fluviolo nomen sumpserint, an ipsi dederint. Anno 1109. *Guido q. Constantini filius & Ermengarda conjux secundum suam legem Romanorum* ampla latifundia donant Avellanitis *Rainerio priore in comitato Calli in fundo Taruco, & in fundo monte-piloso & in le lame &c. a primo latere Monte-scatto, a secundo foce de Nocilda, a tertio serra de Orneta, a quarto serra de S. Giorgio.* (*Fasc.VII. n.* IV.) Mons Scaptus dictus etiam Mons Scattus. Montis-sicci castrum olim Avellanensium erat. Per summam injuriam ab Eugubinis devastatum est medio circiter seculo XIII. Sed tandem dissidium omne inter eam civitatem & Avellanitas sublatum est, S. Albertino Avellanensem præfecturam gerente, & Montis-sicci habitatores, qui Avellanitis serviebant, æquis conditionibus libertate donati sunt. Est is locus in edito colle infra Peregulam tribus millibus passuum supra Cesanum fluvium. Præter memoratas ecclesias Avellanitæ alias in Calliensium finibus aliquando acquisierunt. In his est ecclesia S. Angeli Papalis, unde nomen inditum est novæ Calliensium urbi, quæ Nicolao IV. regnante constructa est. Cum enim inter civiles discordias magna pars Callii veteris, quæ in edito colle sita erat, ubi nunc Capuccinorum ædes, corrupta & vastata esset, consilium ceptum est condendi novam civitatem commodiore in loco. Itaque delecta est ea planities, quam per eos dies ob ecclesiam Archangelo Michaeli sacram Mercatale S. Angeli vocitabant, ubi nova Calliensium urbs condita, & civitas S. Angeli Papalis, volente ac jubente Romano pontifice Nicolao appellata. Sed tamen novum illud nomen, licet in publicis monumentis aliquandiu obtinuerit, antiqui nominis usum nunquam extinguere potuit. S. Angeli ecclesia monachos primum Avellanenses custodes habuit, quos priores vocabant; tum priores habuit commendatarios. Ecclesia quoque S. Trinitatis veteris de Monte Neronis, & S. Mariæ Magdalenæ de Aqualanea Avellanensium erant. Huic postremæ, quæ est in via Flaminia ad Candilianum flumen, hospitium pro excipiendis peregrinis conjunctum erat, ut ex inscriptione ecclesiæ foribus præfixa manifestum est. Ecclesia quoque S. Mariæ, quam de Aqua-nigra appellant, Avellanitarum fuit, loco aspero & pene inaccesso in præruptis montibus ad bis mille passibus supra Frontonum sita. Non modica est ejus loci religio, & statis anni diebus magnus eo fit hominum concursus. Anno 1528. *Antonius Pinus de Bergomo Decretorum doctor monachus professus S. Crucis Fontis-avellanæ, abbas Frontonis, reverendissimi D. Nicolai tituli S. Viti in Macello martyrum diaconi cardinalis de Rodulphis commendatarii perpetui ejusdem monasterii vicarius generalis, cum diu ecclesia seu Oratorium S. Mariæ de Aqua-nigra vacaverit propter varias temporum mutationes & bellorum infestationes, & ob nimiam paupertatem, & cum tandem Deo sic permittente aliqua bona stabilia ex eleemosynis & oblationibus fidelium & relictis intuitu pietatis aquisita fuerint &c.* ad divinum cultum in ea ecclesia restituendum D. Alexandrinum Marci Bergomatem monachum Avellanensem ejus ecclesiæ curatorem instituit; ut constat ex tabulis Avellanensibus. Nunc ea ecclesia & duæ item illæ, de quibus ante diximus, nostro monasterio Pisaurensi subjectæ sunt. Non est pariter prætereunda

da alia Avellanensium ecclesia, quam S. Mariæ de Morimunda appellant. Bernardus etiam abbas S. Gerontii, monasterii apud Callienses olim celeberrimi anno 1132. Avellanitis ecclesiam S. Martini concessit Frontonum inter & Fenilium, quantum conjicere possumus constitutam, a quibus ipse alias aliquot ecclesias recepit, scilicet S. Sebastiani, S. Petri & S. Leonis, ut constat ex tabulis ea de re confectis. Ecclesia demum S. Donati, quam de Pecorariis vocant, Avellanensium fuit. Testantur id Pauli Narii de Ruvere episcopi Calliensis literæ asservatæ in archivo comitum Brancaleonum apud Plobicum, & comunicatæ a viro humanissimo Comite Alexandro Matarozio. In iis ita legitur. *Cum itaque per laudabilem nostri summi pontificis dispositionem sancitum sit congregationem olim monachorum Abbatiæ S. Crucis Fontis-avellanæ Fugubinæ diœcesis aboleri & extingui, & monachorum Camaldulensium probatam religionem & congregationem transferri, & ob id in posterum monachos dictæ abbatiæ nequaquam posse amplius retinere beneficia. Et cum in hac diœcesi Calliensi dicta de causa vacaverit, & vacet ad præsens parochialis ecclesia S. Donati de Pecorariis, cujus erat rector & commendatarius D. Lucas de Brancaleonibus de civitate Callii, olim monachus dictæ Abbatiæ; Cumque summopere desideremus curam ecclesiarum nostræ diœcesis &c. Reservantes tamen capitulo canonicorum ecclesiæ Cathedralis Calliensis jus, si quod justum & legitimum habent in conferendo pro eorum parte ecclesiam prædictam &c. Datum Callii anno* 1570. *die* 27. *Aprilis*.

Apud Æsinos. *Ecclesia S. Crucis de Esio cum suis pertinentiis; & Ecclesia S. Leonardi de Esino*. Prior juxta civitatem erat, eique cura animarum erat adjuncta. Ejus curator prioris titulum habet in antiquis tabulis, in quibus tamen nihil memoria dignum occurrit. S. Leonardi ecclesia ad pontem Æsini fluminis erat in litore maris Adriatici, ubi & publicum erat peregrinorum hospitium. Anno 1177. eum locum sub imperiali tutela suscepit Fridericus Œnobarbus, ut ex diplomate: *Ecclesiam S. Leonardi apud Æsinum fluvium sitam in litore maris, & ejus venerabilem rectorem Benedictum, & pontem ejus loci, & ipsum hospitale, ac omnia bona & possessiones suas* &c. *sub nostram imperialem tuitionem suscipimus*. Credibile est eum locum nondum Avellanitis attributum fuisse, cum diploma illud editum est; id enim silendum non fuisset in diplomate ipso; sicut verosimile redditur subjectum ipsis fuisse ante annum 1185. ex altero ejusdem imperatoris præcepto, quo Hospitale apud Esinum dumtaxat nominatim exprimitur.

Apud Auximanos: *Ecclesia S. Laurentii cum pertinentiis suis; Ecclesia S. Petri de Casarolis; Ecclesia S. Christophori de Monte-filetrano; Ecclesia S. Superantii de Cingulo cum omnibus earum pertinentiis; Et quidquid habetis in toto comitatu Auximano*. Ex iis ecclesia S. Laurentii, & Superantii etiam in diplomate Innocentiano. Post tempora Honorii accessit ecclesia S. Mariæ de Tarquignano, quæ serius venit in potestatem Avellanensium; hæc adjuncta fuit a Julio Feltrio cardinale monasterio Pisaurensi. Illustrior in his est, semperque fuit Cingulana ecclesia S. Exsuperantio sacra, de qua hic paulo uberius dicendum est. In hac clara Piceni urbe obscurum est, quando inducti ad S. Exsuperantii Avellanenses. Ab Innocentii II. temporibus ad pontificatum usque S. Pii V. qui veteres Avellanitas sustulit, semper ejus instituti monachos ibidem degisse manifestum est. Dissimulandum tamen non est, monachos S. Mariæ Vallis-fucinæ, quod nobilissimum olim fuit agri Septempedani monasterium, jus aliquod in ecclesiam S. Exsuperantii habuisse; ut constat ex diplomate

mate Lucii III. quod anno 1184. tertio nonas aprilis Verulis datum est anno sedis ejus III. estque Johanni ejus monasterii abbati inscriptum. (*Ex arch. Septemp. Cath. ecclesiæ.*) Inter cetera enim ejus monasterii jura, pontificia auctoritate confirmatur *jus omne*, *quod habet in ecclesia S. Exsuperantii de Cingulo*. Jam vero quam illustris fuerit hæc Cingulana Avellanensium colonia, satis ex eo perspici potest, quod eos Cingulani delegerint, quibus S. Exsuperantii ejus civitatis episcopi ac Patroni præcipui corpus adservandum committerent, quo nihil sanctius, nihil carius ea civitas unquam habuit. Jacet etiamnum ibi in subterranea crypta sanctum corpus, & quanta semper fuerit ejus loci dignitas, templum ipsum, quod superest, antiquissimi operis & plane magnificum, satis superque declarat. Eruditissimus vir Franciscus-antonius Cavallini Jerosolymitanus eques, in investigandis & colligendis Cingulanæ civitatis patriæ suæ monumentis diligentissimus, cui pauca hæc, quæ de S. Exsuperantii monasterio dicere institui, accepta magna ex parte refero, existimat canonicos regulares eum locum ab antiquissimis temporibus incoluisse, quibus tandem loco cedentibus Avellanitæ successerint, Ad eam ætatem refert etiam splendidissimi ejus templi constructionem; quod tamen sive perfectum, sive restauratum aliqua saltem ex parte ab Avellanitis negabit nemo, qui duplicem inscriptionem viderit, præ templi foribus alteram, alteram in summo, ut ita dicam, templi capite post aram maximam, parieti insculptam. Prior hujusmodi est: *Anno Domini* M.CC.LXXXXV. *tempore Dompni Jacobi Eugubini Magister Jacobus fecit Hoc Opus*. Atque hæc dicta esse possunt de grandi illo quidem Portæ-majoris ornatu, cujus forma plane inelegans & rudis ejus seculi barbariem sapit. Sed aliam inscriptionem accipe, cujus singula verba quibusdam quasi baculis pastoralibus intercepta sunt in hunc modum. *Anno Domini* M.CCLXXVIII. T. D. PP. N. III. DON. BARTOL. P.S. EX. C. E. Quæ quidem inscriptio non in tabula aliqua marmorea exarata, sed unica recta linea in pariete ipso incisa, qui totus ex secto lapide est, quemadmodum & reliqui ejus templi parietes. Sic autem legendam esse existimo. *Anno* M.CC.LXXVIII. *tempore Dompni Nicolai pape III. D. Bartholomeus Prior S. Exsuperantii Cingulani Episcopi*, nisi mavis legere *Confessoris episcopi*, vel quod potius probaverim *Constructum est*. Sunt parieti insculpta monasterii S. Crucis Fontis-avellanæ insignia, qualia sæpe alibi vidimus antiquis temporibus usurpata, Avellanæ nimirum nucis, sive coryli planta, & fons ex fornicata rupe manans, cui superne crux est infixa; ut ex sigillo veteri. Quæ autem verba insculpta sunt circa anaglyphum Cingulanum, ut mihi quidem a clarissimo equite Cavallino communicata sunt, aliisque longe istarum rerum peritissimis viris, legi nulla ratione possunt; adeo literarum forma a nostra scribendi ratione est aliena. Est autem id sane mirum; ex eo enim tempore, quo Avellanense institutum exorsum est, quamquam secula barbara admodum fluxerint, tamen nunquam tale aliquid scripturæ genus in his saltem locis usurpatum fuisse constat, quod nostra ætate legi non possit, si non ab hominum vulgo, ab iis saltem, qui in veterum monumentorum investigatione sunt exercitati. Quapropter multum vereor, ne cælatoris imperitia factum fuerit, ut frustra in ea epigraphe interpretanda defatigemur. Stant adhuc antiquæ monachorum ædes templo ipsi adjacentes, humiles tamen & multum infra ejus templi amplitudinem, dignæ tamen, quas Avellanensis instituti eremitæ incolerent. Ejus loci moderator summus Prioris nomine appellatus est

ad

ad extrema ſuſque Avellanenſium tempora, nec unquam Abbas eſt dictus; ex quo facile intelligitur exiguam ibi ſemper fuiſſe monachorum familiam. In antiquioribus ſane monumentis, quæ hactenus viderim, præter Priorem & Converſos & Familiares, ſic ſuæ quique eccleſiæ erant addicti, ut ne a ſupremo quidem Avellanenſium Præfecto, quanto conjicere poſſumus, alio modo amandari poſſent. Converſos autem non eos tantum quos nunc fratres laicos, ſed ſacris etiam ordinibus initiatos per illud tempus dictos accipimus monachos illos, qui non a teneris annis, ſed in adulta ætate monaſticæ militiæ nomen dediſſent. Sed ampliſſima tamen fuit Prioris S. Exſuperantii dignitas, tum quod nullum aliquando erat apud Cingulanos ſacerdotium illuſtrius; divi enim Exſuperantii templum totius civitatis primum atque præcipuum ſemper eſt habitum, tum quod minora etiam ſacerdotia in agro Cingulano fortaſſe non pauca ei Priori parebant, uti eſt eccleſia S. Martini de Monegia, de qua unicum hoc monumentum nuper eſt repertum in publico Cingulanorum tabulario. *In Dei nomine amen. Anno Domini* M.CCC.LXX. *tempore domni Urbani Pape V. die* XII. *menſis maji. Actum in clauſtro eccleſie S. Exuperantii juxta hoſtium campanarum dicte eccleſie &c. Religioſus vir frater Ugolinus de Saxoferrato prior dicte eccleſie S. Exuperantii cum alias inſtituerit in presbyterum S. Martini de Monegia & rectorem dicte eccleſie dompnum Ciccum Corradi de Eugubio, & eidem curam & adminiſtrationem dicte eccleſie in temporalibus & ſpiritualibus conceſſerit, quod ad eccleſiam S. Exuperantii idem Prior aſſeruit pleno jure pertinere, & cum contigerit, quod dictus dompnus Ciccus dictam inſtitutionem perdiderit &c. de novo primam inſtitutionem confirmando .. uſque ad ipſius fratris Ugolini Prioris beneplacitum & mandatum &c. Ego Bartolutius Silveſtri Bartoli de Cingulo notarius &c.*

Vetus etiam xenodochium, quod leproſorum excipiendorum cauſa conſtitutum erat, circiter bis mille paſſus a Cingulana civitate diſſitum, quodque vulgo Hoſpitale Buraci dicebatur, Priori S. Exuperantii aliquando ſubjectum fuit, & Avellanitici inſtituti homines pii illius operis adminiſtros habuit, in quo ſane monachos Avellanitas multum excelluiſſe alio loco demonſtravimus. Cogitari ceptum eſt anno M.CC. XVII. de eo Hoſpitali excitando, atque ad eam rem pecuniam & fundos aliquot a piis viris collatos eſſe, ex publicis monumentis conſtat, quod tandem poſt annum ab Actone Camertium epiſcopo fundatum eſt; Camerti enim antiſtiti ea pars agri Cingulani eſt etiamnum ſubjecta. Ejus autem loci curam Avellanitis commiſſam eſſe perſpicuum eſt ex tabulis archivi monialium Ciſtercienſium, quæ Cinguli ſunt, ad divæ Catharinæ, ex quibus aliquæ ſunt *anno* M.CC.XXXVI. *conſcriptæ, indictione* IX. *die* XI. *exeunte aprili tempore domni Gregorii pp. & Domni Frederici Rom. imperatoris*; ex quibus quidem tabulis conſtat Petrum Tenioſi pro ſalute animæ ſuæ obtuliſſe & donaſſe D. Petro priori S. Exuperantii recipienti nomine & vice hoſpitalis Buraci partem octavam cujuſdam fundi ad Montem Alvellum. Sunt autem hæc ſcripta ab Actone notario auctoritate Præfecti almæ Urbis. Quare cum anno M.CC.XXX. Cingulana civitas hoſpitale Buraci & religioſos homines in eo degentes ampliſſimo diplomate tuendos ac defendendos ſuſceperit, veroſimile eſt Religioſos illos homines ex Avellanitis fuiſſe, quos tamen inde exturbatos per ſummam injuriam a fratribus Cruciferis Pontis Potentiæ anno M.CC.XXXXVII. manifeſtum

ſtum

ſtum eſt; quo tempore .... Princeps Anconitanam tenebat Marchiam occupatam, ut antiqua monumenta apud eumdem Cl. Equitem Cavallinum demonſtrant. Ex quibus etiam conſtat anno quidem, qui conſecutus eſt, M. CC. XXXXVIII. Rainerium cardinalem diaconum S. Mariæ in Coſmedin, Romani pontificis vices agentem, in publico judicio decreviſſe fratribus Cruciferis nullum jus eſſe in hoſpitale Buraci, ſed tamen ejus loci moderatio priori S. Exuperantii adjudicata non eſt, ſed abbatiſſæ S. Catharinæ, cujus ampliſſima erat per eos dies auctoritas; ei enim non multa ſolum ſacerdotia & hoſpitale Spineti, & monachorum item collegium, quod Cinguli fuiſſe dicitur, ſed caſtra & pagi plures in agro Cingulano parebant. Nun autem Avellanenſes converſi, quod hominum genus temporibus illis publicis xenodochiis regendis deputari conſueverat, rurſus in eum locum ſint recepti, incompertum eſt, nec propterea quod ſumma ejus loci poteſtas abbatiſſæ S. Catharinæ commiſſa eſt, jure quis judicaverit Avellanenſium operam in eo hoſpitali adminiſtrando eſſe rejectam. Adjudicatum autem fuit abbatiſſæ S. Catharinæ hoſpitale Buraci decreto ejuſdem Rainerii cardinalis, idque poſtea ſuo diplomate Innocentius IV. probavit, dato Lugduni XIV. Kal aprilis, ideſt anno M. CC. L. Eſt alia Cinguli ſacra ædes, quæ olim Avellanenſium monachorum fuit, priori S. Exuperantii ſubjecta, in qua ab antiquis temporibus fons baptiſmalis aſſervatur. Ejus condendæ conſilium captum eſt anno circiter M. CC. XVIII. probante maxime S. Raynaldo, qui tunc Avellanenſem familiam moderabatur, & eodem illo anno Nuceriæ epiſcopus adlectus eſt. Extat etiamnum eccleſia hæc S. Nicolai vulgo dicta, quamvis condita fuerit in honorem B. Exuperantii & B. Nicolai, ut in eo monumento legitur. Sed nihil afferri poteſt illuſtrius ad demonſtrandam prioris S. Exuperantii ejuſque dignitatem, quam id, quod a Petro S. Georgii ad Velum aureum diacono cardinale Apoſtolicæ Sedis legato in Cingulanorum gratiam decretum eſt anno M. CC. L. ut ex ejus diplomate conſtat; quod datum eſt Cinguli XVII. Kalendas ſeptembris; ſic enim inquit: *Petrus miſeratione divina S. Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis apoſtolice Sedis legatus dilectis in Chriſto filiis Poteſtati, concilio & communi Cinguli ſalutem in Domino. Quia tanto eſt dignioribus attollendi premiis, quanto clarius & ferventius ad ſervitium S. Matris eccleſie veſtrum exercitum exercitatis, & opponitis vos murum fortitudinis contra hoſtes, merito inducimur, ut vos univerſos & ſingulos noſtre benevolentie amplectentes, petitionibus veſtris, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuamus. Quare veſtris precibus inclinati preſentium vobis auctoritate concedimus, ut nemini dioceſano epiſcopo teneamini reſpondere, ſed ſub protectione noſtre munimine perſiſtatis, & prior S. Superantii, qui pro tempore fuerit, prebeat vobis vice noſtra Eccleſiaſtica Sacramenta, eique Cingulani clerici reſpondere de juribus epiſcopalibus teneantur. Idemque Prior in Cingulo & ejus diſtrictu juriſdictionem exerceat, quam ibidem exercebat epiſcopus Auximanus.* (*Ex archiv. S. Catharinæ de Cingulo.*) Quæ autem cauſæ impulerint Romanæ eccleſiæ legatum ad id decernendum, ſubtilius inquirere neque propoſitum eſt mihi hoc loco, neque neceſſarium. Hoc vero ſine omni dubitatione confirmaverim Priorem S. Exuperantii primum locum inter ceteros ejus civitatis eccleſiaſticos homines in poſterum obtinuiſſe, donec ſedes Cathedralis in ea urbe inſtituta vel reſtituta eſt. Aliud ejus rei monumentum proferre licet

ex

ex ejusdem equitis Cavallini schedis depromptum, quod ejusmodi est. *In Dei nomine amen. Anno Domini* M.CCC.XL. *indictione* VIII. *tempore sanctissimi Patris & domini domini Benedicti divina providentia pp. XII. die* XXV. *mensis februarii in tertiis. Actum Cinguli in ecclesia S. Catharine hospitalis Spineti prope Cingulum supradictum, presentibus Magistro Putio Johannutii notario rogato subscribere, dompno Mattheo de Eugubio priore ecclesie S. Exuperantii capitis & majoris ecclesie, fratre Sperantio de Cingulo guardiano S. Francisci, Bartholomeo de Fabriano priore ecclesie S. Dominici .... dopno Marino &c.* Sed licet ceteris Ecclesiasticis hominibus dignitate antecelleret prior S. Exuperantii, & primum locum post episcopum ejusque canonicos etiamnum obtineat, definire tamen non ausim, quandiu suprema illa auctoritate potitus sit, quam a Legato Romanæ ecclesiæ acceperat; idoneis enim monumentis ad eam rem definiendam destituti sumus. Anno 1269. dissidium non leve excitatum est inter Avellanitas & Benvenutum Auximanum episcopum; quod intelligere licet ex multis tabulis archivi Avellanensis, quarum fragmentum, quod superest, hoc loco subjicimus. *In nomine Domini. Anno 1269. indictione* XII. *ecclesia Romana pastore vacante die .... aprilis in civitate Auximi ..... venerabilis patris D. Benvenuti Auximani episcopi, presentibus domno .... de his vocatis & rogatis. Ego Accursutus sindicus .... S. Crucis Fontis-avellane nomine Prioris & universitatis ejusdem ac prioratus ecclesie S. Exuperantii de Cingulo ad ipsam eremum spectantis, timens me pergravare posse in eo, quod a domno Johanne familiari Prioris ipsius S. Exsuperantii petitis juramentum fidelitatis vos & nuntii vestri, venerande pater D. B. episcope Auximane, & precepistis & mandatum fecistis eidem pluries & commonitiones ingexistis, & ingeritis per vos & vestros nuntios, si vobis parere nollet, ut juramentum fidelitatis prestet & exhibeat de novo contra consuetudinem hactenus conservatam in prejudicium & gravamen prioris dicte eremi ac universitatis ejusdem & dicte ecclesie S. Exuperantii, cum ad ipsum pertineat ordinatio Prioratus ipsius & institutio ac destitutio prioris dicti & monachorum & familiarium ejusdem, prout sibi visum est expedire, denegat sacramentum hujusmodi exhibere. Et ideo si contra hec inquietaretis vel molestaretis per vos & alios ipsum domnum Johannem, ulterius monendo, precipiendo, mandando & comminando super exhibitione hujusmodi juramenti, vel denegatione ejus, & sententiam feretis aliquam contrariam, & in eo quod indebite molestari facitis dictam ecclesiam S. Exuperantii per plebanum plebis Cinguli super parochianis, quos ipsa ecclesia S. Exuperantii habet & habuit per plures annos, precipiendo eis per dictum plebanum, quod non ipsi ecclesie S. Exuperantii, sed sibi & plebi respondere debeant in decimis primitiis & oblationibus, & si hoc non fecerint, sententiam promulgando .....* Hucusque fragmentum illud, ex quo intelligere non licet ecquis ejus dissidii exitus fuerit; non malum tamen fuisse crediderim propter Benvenuti episcopi, & Albertini prioris Avellanensis summam integritatem & sanctimoniam; uterque enim inter beatos cœlites ab ecclesia colitur. Anno 1351. ad diem IV. augusti ab auditore generali provinciæ Picenæ id muneris demandatum est venerabili viro domno Johanni de Eugubio priori S. Exuperantii de Cingulo, ut electionem abbatissæ S. Catharinæ ratam haberet, eamdemque in perpetuam abbatiæ ejus possessionem de more induceret. Id etiam anno 1363. ad diem 20. octobris domno Gentili de Collenucis districtus Saxoferrati priori monasterii S. Exuperantii de Cingulo mandatum est, ut liquet ex tabulis

ejusdem

ejusdem monialium asceterii. Monachorum ultimus, qui prioratum S. Exuperantii tenuerit, fuisse perhibetur D. Petrus-Paulus Venantius patria Ispellanus, cui Cosmus item Venantius clericus secularis, ex eadem, ut opinor, familia successit a Pio V. institutus post extinctos Avellanenses monachos. Nunc ejus ecclesiæ status is est. Præter priorem Commendatarium, Vicarium habet, sic enim appellant, cui cura animarum commissa est. Is duos habet in eo munere ministros Sacerdotes. Et præterea æditus sacerdotali item ordine conspicuus. Parvum hoc Sacerdotum collegium, ubicumque publicus & solemnis fit ecclesiasticorum conventus, primum post ecclesiæ cathedralis capitulum sibi vindicat locum, erectaque hastili cruce sub ea incedit, quo ejus libertas & non vulgaris dignitas declaratur.

Apud Anconitanos. *Ecclesia S. Anastasii de castro Ficardo*: at in diplomate Innocentii II. *Ecclesia S. Silvestri prope castrum Guicardi*; unde vera ejus loci appellatio elicitur; sed num eadem ecclesia sit, quæ primum S. Silvestri, tum S. Anastasii dicta sit, plane incertum est. Habuere præterea Avellanitæ apud Anconitanos ecclesiam SS. Cosmæ & Damiani, cum hospitali domo ad peregrinos excipiendos. G. Anconitanus episcopus anno 1213. annuam pensionem, quam Avellanitæ ei debebant pro ecclesia ista, remisit, quantum ex tabulis hac de re confectis intelligere possumus. Licet autem ecclesia hæc in neutra duorum Romanorum Pontificum bulla occurrat, ejus tamen possessionem Avellanitæ tenuere usque ad postrema tempora. Ecclesia S. Anastasii de castro Ficardo superius nominata olim erat in diœcesi Humanatensi, nunc est in Anconitana; sub Humanatensi refert Honorius.

Apud Humanatenses. *Ecclesia S. Mariæ de Recanato cum capellis & ejus pertinentiis, & quidquid habetis in toto episcopatu Humanensi.* Non incelebris erat ea ecclesia, cujus curator Avellanæ monachus Præpositi titulo insignitur in antiquis monumentis. Ei erat subjecta ecclesia alia S. Mariæ in fundo Laureti sita. Sub Marco priore anno 1293. Avellanitis tribuit Jordanus episcopus Humanensis.

Apud Firmanos Innocentii diploma hæc tantum recenset: *Jus quod habetis in ecclesiam S. Paterniani juxta castrum S. Johannis cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Leonardi de Volubrio cum suis ecclesiis earumque pertinentiis.* Honorius autem addit insuper: *Ecclesiam S. Johannis de Busco, & totas possessiones Alberti Rustici.* In indiculis ecclesiarum Avellanensi abbatiæ subjectarum seculo XVI. confectis multo plures recensentur: *Ecclesia*, scilicet, S. Crucis *de Monte Ranaldo, S. Crucis de Monte S. Mariæ in Georgio; S. Crucis de Monte sancto; S. Egmidii de Lapiduisio; S. Juliani in ipsa urbe Firmana. & S. Quirici.* Huc etiam referendæ sunt *ecclesiæ S. Jacobi, S. Petri, S. Quirici, & S. Nicolai de Lapidona.* Ex his ecclesia S. Leonardi de Volubrio ad nostros Eremitas Montis-coronæ translata est post abdicationem Galeatii Gabrielii. Ecclesiam vero S. Juliani nunc obtinent Moniales Benedictinæ, quas Cistercienses aliqui putant, sed ejus tamen monasterii ignoratur origo. Id unum constat caruisse illas antiquitus propria ecclesia, & sacerdote, a quo regerentur, & sacra mysteria reciperent; sed cum ecclesiæ divi Juliani contiguæ essent earum ædes, e fenestra, quæ in ecclesiam ipsam patebat, divina officia audiebant, & sacramenta de more percipiebant, quamquam initio, antequam ab ecclesia cautum esset, ne moniales e suis ædibus exirent, credibile est ipsas in ecclesiam cum ceteris fidelibus convenire consuevisse. Sed cum ea res magno monialibus incommodo esset, & a no-

a nostrorum temporum moribus aliena, ecclesia S. Juliani, Romano pontifice probante, sacris illis virginibus concessa est a Bruto Bonafide, qui post extincto veteres Avellanenses monachos Prioratum illum gerebat. Parochiani vero, qui ad eam ecclesiam pertinebant, vicinis ecclesiis attributi sunt. Habebat Sacerdotium illud Sacerdotia minora subjecta duo, nimirum S. Johannis in Busco, & S. Ægidii in Plano, & satis amplos redditus, quibus dimissa ecclesia non cessit Brutus prior Commendatarius, sed vix exiguam agri partem, quæ inter urbem ipsam & Teniam flumen erat, monialibus permisit, cetera sibi suisque successoribus servavit.

Apud Asculanos: Innocentii II. temporibus ad Avellanitas pertinebat *ecclesia S. Hilarii cum omnibus pertinentiis suis juxta civitatem*. Honorii autem tempore: *Ecclesia S. Angeli de Mutiliana, S. Laurentii de Cornial; S. Mariæ de Castignano; S. Paterniani de Sumat; S. Hilarii de Esculo cum omnibus earum pertinentiis; & quidquid habetis in toto comitatu Exculano*. In recentioribus Indiculis hæc insuper adduntur: *Ecclesia S. Crucis de Asculo; S. Pancratii de Acumulo*, quibus adjungere licet: *Ecclesiam SS. Laurentii & Georgii de Monte-alto*, quæ alias dicitur *in Vicariatu Offidæ*. Sacerdotium S. Hilarii ad Avellanitas transiit beneficio Presbyteri episcopi Asculani anno 1137. in fundo Parengiani. Anno 1265. S. Albertinus prior Avellanensis sacerdotio S. Crucis præfecit monachum suum, & subinde ejus sacerdotii memoria occurrit, at S. Hilarii non item. Historiæ Asculanæ scriptor Andreantonellius (*Pag.* 210.) ecclesiam S. Crucis inter ecclesias parochiales urbanas recenset. Idem auctor de monasterio S. Hilarii hæc habet: *Quarto loco fuit monasterium S. Hilarii ad Cœnobitarum montis radices extra urbis mœnia ducentes, constructa illius ecclesia anno dominicæ incarnationis* M. C. LXVII. *in lapide enim ibi posito rudibus versiculis ita legitur; Hoc opus est factum post partum Virginis anno Quinto milleno decimo bis terque triceno. Prior ibi Avellanensis residebat. Suppressum fuit monasterium a Gregorio XIII. At prope ecclesiam S. Hilarii mons attollitur, ad cujus radices cernuntur cryptæ, non utique diverticula & amphractus latronumque latebræ, sed sacræ olim cœnobitarum cellulæ, ac D. Emigdii oratorium*.

Apud Pennenses: *Ecclesiam S. Nicolai de Cornu cum pertinentiis suis, & quidquid habetis in comitatu Pennensi*. Hæc Honorius; nihilque præterea. Est autem antiquissima hæc eremus, quam etiam de Fano-cornu appellant, propterea quod ad Cornu montem in Brutiis notissimum & altissimum sita sit. Quo tempore eremus hæc in Avellanensem familiam sit recepta, in obscuro est. Multas minores ecclesias subjectas habuit in diœcesibus Pennensi, Atriensi & Termulana. Eo factum est, ut postquam abbatia Avellanensis in commendam abiit, non diu monachorum cœtus ad Fanum-cornu perseveraverit, sed unus aliquis institui cepit prior commendatarius, qui annuos ejus sacerdotii redditus perciperet. Aliquis tamen Avellanæ monachus semper ad Fanum-cornu degisse videtur, ut ibi sacrum faceret, & rem familiarem administraret, & pactam quamdam certam auri summam priori commendatario persolveret. Anno 1548. cum Ludovicus Gabriellius eo se sacerdotio abdicasset, ejus annui fructus alendæ familiæ monachorum, qui ad Avellanam degebant, & quorum mensa, ut appellant, conventualis tenuissima erat, attributi sunt a Nicolao Rodulphio cardinali, & Avellanensium abbate Commendatario. Itaque cum ejectis antiquis Avellanitis Camaldulenses in abbatia Avellanensi suffecti sunt, Sacerdotium illud ad nos transiit, & Ab-

bati

bati Avellanensi semper subjectum fuit. Administrari autem solet per duos monachos, qui curam animarum exercent, & quorum alter ad Fanum-cornu, alter autem ad divi Augustini de Bassiano degit, quo posteriore in loco cogitarunt aliquando nostri de construendo Ordinis cœnobio, multaque in eam rem & decreta, & comparata sunt, sed nihil tamen confectum. Post editam Innocentii X. bullam *Instaurandæ*, Abbas Avellanensis revocare volebat ad claustra duos illos monachos, sed intercessit Franciscus Pennensis episcopus literis ad abbatem datis anno 1653. 22. aprilis, quibus illum ab eo consilio removet, subdens S. Congregationem, quæ sibi præscripserat nominatim quos religiosos homines abigere debebat sub exiguo numero degentes in sua diœcesi, nec Bassianensem, nec Fanensem locum monachorum Avellanensium comprehendisse. In antiquo volumine membranaceo, quod Avellanensi in archivo servatur, ecclesiæ singulæ describuntur eremo Pennensi subjectæ, possessiones etiam & latifundia, sed majorem in partem vel indiligentia procuratorum, vel pravorum hominum rapacitate ab ejus ecclesiæ dominio exciderunt. Scriptum est volumen paulo post tempora Leonis X. Peculiare & proprium fuit ecclesiæ principis S. Nicolai, ut ejus ingressus feminis esset interdictus usque ad seculum XVI., quod mirum est servatum fuisse usque ad ea tempora, quibus de delendis Avellanensibus Romani Pontifices cogitavere.

Apud Camertes: *Ecclesia S. Crucis de Barclan; S. Blasii de Urbisalia; S. Angeli de Camusan; S. Damiani de Fonte-bono; S. Michaelis de Aquimoli cum capellis & pertinentiis earum, & quidquid habetis in comitatu Camerinensi*. Sed vereor, ne quid mendi subsit in apographo Honoriani diplomatis; Barclani enim & Camusani indicium nullum elicere licuit ab hominibus eorum locorum peritissimis. In illo Innocentii II. hæc leguntur: *In comitatu Camerinensi ecclesia S. Domnini de Valentiana cum ecclesiis & pertinentiis suis; Ecclesia S. Damiani cum aliis ecclesiis juxta castrum S. Natholie; Ecclesia S. Michaelis de Aquavivola; ecclesia S. Michaelis de Cariscianc*. Multo plures tamen ecclesiæ in Indiculis notantur; in his est ecclesia S. Mariæ Vallis-mergi prope Sentinum, nunc vulgo dicta de Monticellis, quod in alto monticulo sit supra Sentinum fluvium. Ejus mentio fit in tabulis ad annum 1199. sub Johanne priore. Qui ejus procurationem nunc gerit secularis presbyter, Abbatis titulo insignitur, & prædivite censu fruitur, quo olim monachorum familia, licet non admodum grandis, alebatur. Ecclesia vero S. Domnini, quæ hic de Valentiana dicitur, nunc autem vulgo de Rocca-contrata, hodiedum a nostris Avellanitis obtinetur; ex iis enim est, quæ ad mensam conventualem pertinebant sub abbatibus commendatariis, quæque propterea ad Camaldulenses translata est, qui & animarum procurationem ibi gesserunt, quoad licuit monachis ejusmodi campestria Sacerdotia obtinere. Nunc id munus presbytero seculari demandatur, annua pensione constituta, monachis in antiqua loci possessione manentibus. Hic etiam numerus aliquis monachorum antiquitus habitasse videtur; antiquæ enim ædes aliquam monasterii formam adhuc servant. Ecclesia S. Blasii in Urbisalia in nonnullis Indicibus ex Firmana diœcesi dicitur; jure ne an injuria alii viderint.

Apud Spoletanos & Fulginates: *Ecclesia S. Andree de Spoleto; & S. Fabiani de Trevi*; ita Innocentius & Honorius consentiunt. Anno 1126. Nicolaus quidam Spoletini filius, S. Andreæ ecclesiam Avellanitis attribuit quoad eam partem, quæ ad se spectabat, ex tabulis sub Petro

Arimi-

Ariminense Priore. Julius cardinalis Feltrius Avellanæ commendatarius ecclesiam illam, & contiguas monachorum ædes sororibus S. Dominici, quas tertii ordinis appellant, concessisse dicitur, animarum procuratione ad divi Salvatoris translata. Gregorius XIII. suis literis ad diem 13. junii anni 1573. datis hæc rata habuit, & parvus ille mulierum cœtus paulatim amplificatus est in illustre monasterium crescens, PP. Prædicatoribus subjectum, perpetuæ clausuræ lege constituta. Habitasse etiam aliquando dicuntur Avellanitæ Fulginii ad divi Claudii, eo inducti per Benedictum Fulginii episcopum ex Avellanensi familia assumptum, quem locum postea monialibus S. Damiani incolendum reliquerunt.

Apud Perusinos: *Ecclesia S. Salvatoris de monte-malbo; S. Martini de Ampuzan. S. Quirici cum capellis suis & earum pertinentiis; & S. Matthæi; Et quidquid habetis in comitatu Perusino*. Innocentius II. plures habet: *In comitatu Perusino ecclesia S. Quirici cum omnibus pertinentiis suis; Jus quod habetis in ecclesia de Pilo; Ecclesia S. Blasii de Rantello; & Ecclesia S. Martini de Mantiniano; Heremus S. Salvatoris de Montemalbo cum ecclesiis villis, omnibusque suis pertinentiis*. Ecclesia S. Salvatoris de Monte-malbo Monasterii nomen habet in recentioribus Indiculis. In his occurrit ecclesia S. Blasii de Cruciano, quæ forte eadem est cum illa, quæ de Rantello dicitur in Innocentiano. In iisdem indiculis memoratur ecclesia S. Petri de Monte-buturlo, quæ in diplomatibus non apparet. Minores alias ecclesias multo plures obtinebant Avellanitæ apud Perusinos superioribus subjectas. Anno 1336. D. Ubaldus primus Avellanensis abbas D. Puccio rectori ecelesiæ S. Nicolai facultatem fecit admittendi abdicationem ecclesiæ S. Faustini, quæ sacerdotio S. Quirici subjiciebatur, per D. Bartholomæum factam, ut se conferre posset ad ecclesiam S. Feliciani de Lacu, quæ item Avellanensium erat; ex tabulis archivi S. Romualdi de Urbe fasc. 11. num. 11. Anno 1507. prioratum Montis-malbi gerebat Angelus quidam Romani monachus, qui primum apud cœnobitas Montis-oliveti in Perusino Montis-morcini monasterio meruerat, tum ad Avellanitas transitum fecerat. Sed cum iterum is ad primæva castra remeasset, sacerdotium Montis-malbi ad montis oliveti monachos, ipso Angelo abdicante, & Julio II. approbante pervenit. Sed non admodum in ea possessione persliterunt Montis-morcini monachi; anno 1548. per Evangelistam Brunum Avellanæ mornachum, & vicarium commendatarii Avellanensis Nicolai cardinalis Rodulphii, S. Quirici de Pedona priorem, agi in judicio ceptum est contra Morcini monachos, quod annuam pensionem, quam Montis-malbi priores Avellanitis in legitimæ subjectionis testimonium debebant, ad diem non solvissent, & tandem eo ventum est, ut anno 1559. Kalendis julii Michael Ghislerius cardinalis Alexandrinus decreverit nullum jus aut esse aut fuisse unquam Montis-morcini monachis in prioratum S. Salvatoris de Monte-malbo, ejusque possessionem Avellanitis adjudicavit, non diu ab iis tenendam, quippe qui post decennium a S. Pio V. suppressi sunt. Cum Prioratus iste modo eremi, modo monasterii appellatione notetur in tabulis antiquis, fuisse ibi aliquando numerum aliquem religiosorum hominum Deo famulantium colligitur, quibus exactis unus loci commendatarius successerit, ut in ceteris fere Avellanensium locis, postquam abbatia ipsa Avellanensis Commendatariis abbatibus commissa est.

Apud Tiphernates: Innocentius hæc habet: *Castrum Montis-majoris, monasterium S. Crucis in eodem castro cum aliis ecclesiis, villis omnibusque suis pertinentiis; domos etiam, casamenta infra civitatem cum perti-*

nentiis suis. Est aliquid amplius in diplomate Honorii; sic enim habet: *Ecclesia S. Cassiani, & S. Fortunati cum capellis & earum pertinentiis; Ecclesia S. Crucis de Monte-majori; & S. Ægidii de Castello, S. Crucis de Citerna; S. Petri de Agilione cum capellis & earum pertinentiis; & quidquid habetis in comitatu Castellano*. His accedit ecclesia S. Benedicti de Citerna, & altera S. Petri Agilionis, alias de Agilione, notæ ex recentioribus Indiculis. Ecclesia S. Benedicti de Citerna monasterio nostro Pisaurensi attributa fuit per cardinalem Feltrium commendatarium. Reliquarum aliæ ad episcopum Tiphernatem spectant, una abbatem habet commendatarium, ecclesia scilicet S. Cassiani; S. vero Ægidii ecclesia clericis regularibus, quos de Somasca vocant, attributa fuit, qui ejus procurationem gerunt per secularem presbyterum, annua ei pensione constituta. Quemadmodum ad ecclesiam S. Crucis Montis-majoris, ita ad divi Cassiani & ad divi Ægidii monachorum conventus fuisse olim videtur; ea enim loca Monasterii vel Abbatiæ appellationem ad extrema usque Avellanensium tempora gesserunt.

Apud Eugubinos. Præter Monasterium ipsum Avellanense plurimis in locis habitarunt Avellanitæ tam in urbe quam in agro, atque in iis montibus, qui majorem agri Eugubini partem occupant. Pauca ex iis enumerantur in Honorii bulla, sed plura in illa Innocentii; in hac postrema hæc nominantur: *Monasterium S. Andree de Insula cum castris & villis & pertinentiis suis; Monasterium S. Bartholomei de Camporegiano cum castris atque ecclesiis villulis &c. Monasterium S. Petri de Salajolo cum ecclesiis villis &c. Ecclesia S. Apollinaris de Bartiano cum omnibus pertinentiis tam infra civitatem ipsam quam extra; Castrum de Castellati cum ecclesiis S. Silvestri, & S. Christophori. Jus quod habetis in ecclesia S. Laurentii de Postserra, Ecclesia S. Johannis de Botano; Jus quod habetis in ecclesia S. Mariani de Palcano; Monasterium S. Abundi, & plebs S. Angeli de Clandida cum ecclesiis &c Castrum .... cum pertinentiis suis. Castrum de Ripalta cum ecclesia omnibusque suis pertinentiis; Ecclesia S. Marie de Pondu*: Honorius autem hæc nominat: *Ecclesiam S. Mariani de Palcano; S. Johannis de Botano; S. Silvestri de Castellare; Sancti Donati de Flea cum curtibus & capellis & earum pertinentiis. Monasterium S. Andree de Insula Manfredi cum capellis & pertinentiis suis, Ecclesiam S. Apollinaris; S. Thome; S. Bartoli de Camporegiano cum pertinentiis earum. Monasterium de Monte-salajolo cum pertinentiis suis; Et quidquid habetis in comitatu Eugubino*; Anno 1397. cum Angelus abbas S. Benedicti de Gualdo, & Julianus e Saxoferrato abbas S. Petri de Eugubio delecti essent ad pensionem quamdam a clero Eugubino exigendam, quam Bonifacius IX. utrique clero imposuerat, hæc Avellanensium loca apud Eugubinos in album retulerunt. *Monasterium S. Crucis Fontis-avellane cum monasterio de Insulis filiorum Manfredi; Ecclesiam S. Rufinæ de Monte-Salajolo; Ecclesiam S. Crucis in civitate; Ecclesiam S. Crucis de Fauce, & cum hospitale de Mercatali, Ecclesiam S. Johannis de Botano; Ecclesiam S. Mariæ de Carestello; Ecclesiam S. Mariæ de Valle-marcula, S. Martini de Aqua-puzola, S. Donati de .... cum Ecclesia S. Blasii de Torricella, S. Johannis de Comartino, S. Justini de Colla filiorum Ugonis; S. Mariani de Saxo; S. Mariæ de Costacciaro; S. Blasii de Fractis; S. Angeli de Chianida; S. Fortunati de Capitali; S. Silvestri de Monte-urbino; & S. Angeli de Colmollajo*.

Neque in gemino Innocentii & Honorii diplomate, neque in allato Indiculo ad annum 1397. scripto ecclesia S. Andreæ in oppido Pergulensi

lensi recensetur, quæ tamen saltem ab anno 1266. Avellanensium fuit, nec unquam ab eo tempore ab Avellanensibus defecit. Quod autem anno 1266. Avellanensium esset, constat ex tabulis. Eo enim anno cum Eugubii episcopus Johannes ejus ecclesiæ visitandæ jus sibi arrogaret, idque coadjutori suo Fidantiæ demandasset, a Paulo Avellanæ monacho ejus ecclesiæ rectore rejectus fuit Fidantia, ac ne domo quidem exceptus, nequid vel ex ipso hospitio detrimenti caperet ecclesia; ac tandem in legitimo judicio Eugubinus episcopus causa cecidit, & judicum decreto ejus ecclesiæ libertas in perpetuum asserta & vindicata est. Ex eo tempore nullum episcopo Eugubino jus in ecclesiam illam fuit, quousque veterum Avellanitarum congregatio stetit. Monachorum autem ultimus, qui ei præfuerit, Franciscus Baldinus Pergulanus fuisse videtur ex indiculis per ea tempora confectis, cui successisse dicitur Andreas Baldutius presbyter secularis, Francisci nepos, qui primus Sorbolongo Eugubii episcopo volente archipresbyter est dictus, cum antea ecclesia illa Plebis titulo vocari consuevisset, ejusque rectores Plebani passim appellarentur in tabulis antiquis. Sed nuper illustri Canonicorum collegio aucta est a Benedicto XIV. Sunt ei ecclesiæ adjacentes ædes, in quibus exigua illa monachorum familia degebat, qui eo loco erant adscripti, quas Franciscus Romelinus cardinalis abbas commendatarius restauravit, atque ita instruxit, ut commendatariis ipsis excipiendis, si aliquando eo divertissent, non impares essent; jam enim in commendatariorum jus potestatemque omnia concesserant. Sed & Romelini successores Nicolaus Rodulphius, Fregosius, ac Philippus Rodulphius Nicolai nepos eas ædes exornasse & amplificasse videntur; passim enim eorum tituli & insignia totis ædibus insculpta legebantur, quorum tamen magna pars nuper dejecta est, postquam ædes illæ anno 1741. cum terræmotu plurimum labefactatæ fuissent, reparatæ & restitutæ sunt a procuratoribus collegii Germanici; ei enim collegio & ædes illæ, & cetera Avellanensium bona, quæ commendatarii obtinebant, attributa fuere.

Habuere etiam Avellanitæ sedem aliam apud Pergulanos ad pontem Cinischi, ubi xenodochium exsurgebat eorum curæ commissum. Testes ejus rei tabulas habemus anno 1304. scriptas, (*Fasc.* XXV. *num.* VI.) ex quibus constat Zacchellum Benincase de Serra S. Abundii constitutum coram religioso & honesto viro D. Jacobo priore eremi S. Crucis Fontis-avellanæ Eugubinæ diœcesis cum reverentia genuflexum obtulisse & dedicasse se & bona sua ibi recensita eidem Priori stipulanti pro se & suis successoribus vice & nomine hospitalis S. Mariæ a Ponte Cinischi, extra portam castri Pergulæ &c.; pro eo quod dictus Prior ipsum in Oblatum dictæ eremi, & prædicti hospitalis tamquam alios Oblatos ad beneficia dictæ eremi prædicti hospitalis recepit.

Alia quoque tenuerunt Avellanitæ in gemino illo Innocentii & Honorii diplomate prætermissa. In his est monasterium S. Victoris, quod Avellanensium erat sub finem seculi XII. Sed ubinam situm esset monasterium istud, incompertum prorsus est, nisi celebre illud fuerit S. Victoris de Clusis, nunc de Perosaria, in agro Fabrianensi ad fluvium Sentinum, ubi cum Æsino flumine conjungitur. Fortasse ejus monasterii monachi, cum rem Avellanensem in iis locis maxime florere viderent, cum Avellanitis haud diu duraturam societatem inierunt.

Sed neque prætereundum est hospitale, quod Cæsenæ erat extra portam Cerviensem, Camdulfinii hospitale olim dictum, & divo Gregorio nuncupatum. Ejus nihil hodie reliquum est præter exiguam ecclesiam, hospita-

le

le enim ipsum in urbem translatum est, eique adjunctum, quod olim Flagellantium, nunc divi Crucifixi, sive hospitale magnum appellant, cujus fundator a Claramontio Cæsenatium historiographo Malatesta Novellus Arimini & Cæsenæ princeps fuisse dicitur. Idem Claramontius auctor est suburbanum illud divi Gregorii hospitale in urbanum ab eodem Malatesta principe translatum fuisse, sed vereor, ne id multo serius contigerit. In antiquo enim libello, quo leges & statuta a curatoribus hospitalis magni Cæsenatium servanda continentur, narratiuncula quædam præmittitur de origine ipsius hospitalis, ubi hæc præsertim habentur; fuisse olim plura apud Cæsenates hospitalia, partim in urbe, partim in agro, atque in his suburbanum hospitale divi Gregorii ad portam Cerviensem, cujus rector & curator Leonardus Eugubinus ex Avellanensi familia, cum sponte libereque anno 1524. eam procurationem abdicasset, septennio post, anno scilicet 1531. a Clemente VII. hospitale illud majori hospitali Flagellantium, olim, nunc Sanctissimi Crucifixi in perpetuum adjunctum est. Sed hæc tanti non sunt, ut subtiliorem inquisitionem requirant; illud magis me movet, quod de manu D. Gregorii M. narratur. In principe Cæsenatium templo manus D. Gregorii M. religiosissime servatur, quæ quotannis ipso S. Gregorii festo die solemnissime defertur ad suburbanam illam ecclesiam divi Gregorii, ubi Candulfianum hospitium erat. Hujus publicæ supplicationis originem prodit laudatus Claramontius, aitque anno 1375. quemdam peregrinum, cui Ansilio nomen, cum Romam venisset, ad Celiomontanam ecclesiam divi Gregorii, quam olim ipse vir beatus in paternis ædibus construxerat, se contulisse, ibique cum supra aram maximam divi Gregorii manum sinistram expositam vidisset, ejus clam rapiendæ, & secum in patriam suam asportandæ consilium cepisse. Re autem in posteram noctem dilata, sacrum pignus, nemine mortalium conscio, abstulisse dicitur, atque itineri se commisisse; sed cum Cæsenam adventaret, subito febre correptus ad primam noctis horam Candulfianum hospitium subiit, ubi cum vim morbi ingravescentis ferre non posset, haud multo post diem extremum obiit. Interea explorata Ansilii sarcinula &c.

Hæc ad perennandum Sartii nostri accuratissimum studium in illustrandis ecclesiis subjectis archicœnobio Avellanensi, sicut etiam multa alia in hac nostra Appendice ex ipso congessimus & congeremus in annis sequentibus, ne monumenta hujusmodi pretiosa, exscripta ex schedis, pereant, sed memoria excitetur doctissimi Præsulis, qui sicut in omnibus elucubrationibus suis editis magnum sibi nomen fecit apud literatos viros, ita jure meretur, ut Opera, quæ inedita reliquit, ob acerbum fatum vigente adhuc ætate sequutum, lucem, quoad fieri possit, videant. Plurima etiam ad Avellanensem monasticam familiam spectantia, neque observata a Sartio, plura pertinentia ad ecclesias principi cœnobio subjectas legere est in nostris Annalibus ex aliis tabulariis excerpta, ita ut una cum iis quæ Tomo II. digessimus de S. Petro Damiani, locupletissimam efforment celeberrimi monasterii Avellanensis historiam cum præsentibus Accessionibus.

Nullo vero meliori loco commendanda occurrit nobis Cl. V. Francisci Raphaellii patritii Cingulani diligentia in colligendis omnibus, quæ ad patriam suam spectant, sed præcipue historiam S. Exuperantii Cinguli episcopi & Patroni, quam ad calcem hujus excursus. Sicut enim superius aliqua ex Sartio diximus de Avellanensi ecclesia S. Exuperantii apud Auximates, sive melius apud Cingulanos, quæ ipse ab eruditissimo

tissimò equite Cingulano Cavallinio didicit, & quæ etiam ex archivo Avellanensi deprompsit, ita in elaboratissimo Raphaellii opere omnia, quæ ad sanctissimum episcopum pertinent, & omnia, quæ spectant ad celeberrimam ipsius ecclesiam apud Cingalanos, collecta habemus, ut nil ultra exoptari queat. Opus, quo nos donatos voluit, maxima animi nostri voluptate totum perlegimus, authoremque fatemur de sancto Episcopo, & de patria optime meritum. Utinam quælibet Italiæ civitas virum haberet Raphaellio comparandum, qui monumenta omnia conquireret, archivorum forulos perscrutaretur, & venerabilis antiquitatis delitescentes memorias excitaret; ditissima, & omni ex parte completissima haberetur Historia civitatum, monasteriorum & ecclesiarum florentissimarum Italiæ regionum.

Ad annum 1219. *pag.* 260. *lin.* 14. *&* 34. Monasterium Patavinum Porciliense S. Mariæ dicitur ædificatum prope fluvium Medoacum. Rectius prope flumen Bachilionis, quod post sex milliaria a monasterio unit aquas suas cum altero flumine Medoaco, vulgo *Brenta*.

Ad annum 1220. *pag.* 263. *lin.* 36. Subjungimus hic loci sextum hujus anni privilegium ad favorem eremi Avellanensis ex archivo Armanno. (*A.* I.) *Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus. Regi regum servire decet* &c. ut in altero Friderici Œnobarbi, atque ait insuper se Avellanensium res bona & jura omnia confirmare, sicut felicis memoriæ divi Romanorum imperatores dominus Fredericus avus, & dominus Henricus pater fecerunt. Nihil tamen in hoc diplomate nominatim exprimitur, præter hospitale apud flumen Æsinum; quare superflue exscriberetur. *Hujus rei testes sunt Bertholdus Aquilejensis patriarcha, Sifredus Moguntinus archiepiscopus, Ulricus Pataviensis episcopus, Britoldus Brixinensis episcopus, Albertus Tridentinus episcopus, Ludovicus dux Bavarie, Marchio de Foemburo, Curradus de VVerda & alii plures. Actum est hoc anno dominice incarnationis* M.CC.XX. *mense novembris indictione* IX. *regnante domno Frederico illustrissimo Romanorum imperatore semper augusto & rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus in Germania octavo, in Sicilia vigesimo tertio feliciter amen. Datum apud Montem rosulum.*

Ad annum 1223. *pag.* 282. *lin.* 18. Ad finem anni addatur: Jacobus de castro Girardi pascua in suis prædiis concedit Avellanensibus monachis, a quibus renovationem medietatis castri Girardi acceperat. Auximanus monachus S. Crucis Fontis-avellanæ nominatur in sequenti pagina. *Nos quidem Monte-feltranus filius q. Besactioni & Besactionus filius q. Sfortia comitis hoc instrumento permutationis damus & tradimus vobis domno Auximano monacho S. Crucis fontis-avellane duas petias terre, quarum una posita est in fundo Cervegnani in comitato Senogallie, secunda ost posita in fundo plani Neule. Ego Johannes notarius constitutus a domno Pandulpho domini pape legato totius Marchie. Anno* M. CC. XXIII. *tempore domni Honorii pp. & Frederici imperatoris die* X. *intrante mense martii indictione* XI.

Ad annum 1227. *pag.* 302. *lin.* 30. *Adde:* Hæc tamen sunt certiora Jacobi abbatis monumenta. Jacobus I. olim Monachus Avellanæ creatus abbas S. Petri de Perusio a Summo Pont. Gregorio IX. juxta reformationem commissam magistro Johanni a S. Germano, & S. Raymundo de Pennafort

fort Pœnitentiario, ut constat ex Statutis peculiaribus factis ea occasione, quorum originale servatur in archivo dicti monasterii numero 26. in pagina pecudinea folio volante. Obtinuit Jacobus a Summo Pontifice bullam datam Reate die 22. septembris anni 1231. qua confirmantur bona & ecclesiæ ac privilegia Gregorii VI. Leonis IX. Nicolai II. Alexandri II. Stephani IX. & Innocentii III. Interfuit Jacobus fundationi monasterii S. Julianæ de Perusio O. Cisterciensis factæ a Johanne Angelo a Toleto cardinale & episcopo Portuense tempore Frigerii episcopi ejusdem urbis anno 1251. & fundi jussit campanum æs dicti monasterii, ut apparebat ex inscriptione, quæ legebatur; verum an hæc postrema pertineant ad Jacobum I. vel II. abbatem definire non audemus.

Ad annum 1230. *pag.* 314. *lin.* 13. *Anno Dominice incarnationis* M. CCC. XXX. lege M. CC. XXX.

Ad annum 1235. *pag.* 336. *lin.* 45. Pertinet ad ejusdem Fortis prioris Avellanensis tempora sequens monumentum: *Anno Domini* M. CC. XXXV. *tempore Gregorii pape & Frederici imperatoris die exeunte mense octubris indictione octava. Ego quidem Bentevolius filius q. Transmundi presenti die vendo trado, renuntio & refuto atque concedo ecclesie S. Crucis Fontis-avellane & tibi domno Jacobo abbati S. Miliani & rectori castri Liccie pro dicta heremo sive ecclesia recipienti, nomine & vice dicte ecclesie sive heremi: videlicet omnia mea bona immobilia seseque moventia, que habeo & teneo vel alii tenent meo nomine in castro Liccie & ejus curte & districtu infra castrum & extra in comitatu Eugubino & in comitatu Nucerino, scilicet domum positam in castro Liccie & terram cum vinea & silva & terram positam ad fontem de piscaria & aliam terram positam in villa Bignoni &c. insuper vendo trado atque concedo tibi domno Jacobo recipienti nomine & vice dicte ecclesie quidquid habeo & teneo infra hec latera, a primo flumen Sesani, a secundo via que descendit ad pontem S. Abundi, latere tertio possidet.... pro dicta ecclesia, a quarto via que vadit ad molendinum de mezo &c. & hoc pretio* XXXI. *librarum Ravennensium vel Anconitanarum, quas pro me & mandato meo domnus Fortis prior dicte heremi solvit & dedit domno Andree comiti comitatus Nocerie. Actum in castro Liccie. Ego Adam notarius.* Non vulgare Avellanensium decus est, quod S. Æmiliani monasterii abbas castrum Licciæ pro ipsis aliquando gubernaverit. Est autem S. Æmiliani cœnobium in finibus agri Eugubini in valle Conjunctuli, in qua fluvius alius quidam cum Sentino conjungitur, sicut ubi Mathelicanus fluvius cum Castellano conjungitur, Conjunctuli Albacinæ nominatus legitur in monumentis secretioris archivi Fabrianensis.

Ad eumdem annum & ipsam paginam. Ad calcem adde: *Servitia, quibus tenentur Blancus de Colalto, & Orlandinus ejus filius, & Amanatus olim Manentis monasterio sancti Bartholomæi de Subcastello, erant; annuatim solvere Raynerio abbati unam tortam de* XL. *ovis &* IV. *caseis, &* 21. *denariatis piperis, & duas focacias magnas in festo S. Bartholomæi, & duas operas in æstate &c. & alia servitia confessi sunt se debere facere prædicto Rainerio & Rigoni vicecomiti Camaldulensi, quæ faciunt homines dominis suis; manu Turelli notarii.*

Ad annum 1236. *pag.* 338. *lin.* 47. *Adde:* Die prima januarii Racevetus olim Vaccaj inter vivos pro anima donavit Guidoni monacho

pro

pro eremo Camaldulensi recipienti omnes terras, res, bona & jura, quæ ipse habebat a loco nominato Gricia supra versus Fontem-bonum & versus eremum, sicut trahit sega ipsius Griciæ in directum usque ad Civitellam; & usque ad jugum alpium versus eremum; manu Juliani notarii. Ex tabulario Fontis-boni §. *Donatio* 421. A. 3. 101.

Ad annum 1239. *pag.* 347. *lin.* 33. *Adde*: Berardum priorem Avellanensem indicat sequens pagina. *Anno Domini* M. CC. XXXIX. *tempore domni Gregorii pape & Friderici imperatoris die* X. *intrantis mensis februarii indictione* XII. *Ego quidem Albertus q. filius Bonepranche de Serralta presenti die vendo do trado jure proprio tibi domno Clario rectori Montis-sicci recipienti pro domno Berardo priore heremi sancte Crucis fontis-avellane duas petias terre. Actum in castro collis Pergule in monte ante domum Venleonis, presentibus domno Ugolino de Grefolleto, domno Vincileone, Michaele Altomillie, Albrito de Valrea, Rainaldutio Salvoli & aliis. Ego Anastasius imperialis aule notarius.*

Ad annum 1241. *pag,* 356. *lin.* 2. qui prope centenarius; *lege*: qui nonagenarius.

Ad eumdem annum pag. 359. *lin.* 43. De Philippa Biblenensi videantur, quæ diximus T. VIII. ad annum 1520. pag. 15. lin. 41. quo tempore ipsa vivebat.

Ad ipsum annum pag. 359. *lin.* 33. *Adde*: Idem Juncta vicecomes Camaldulensis accipiens promissionem Monterii de Biblena permanendi personaliter in castro Mogionæ, & faciendi omnia servitia, quæ solent facere homines de Mogiona, investivit ipsum Monasterium de medietate poderis, quod olim fuit dominæ Bonæ; manu Morgante Orlandi notarii. Post triennium prædictus Juncta pro eremo Camaldulensi apprehendit possessionem terrarum & vinearum in podio Biblenæ, quam possessionem ei dedit Panzius de Castillione Arretino de mandato domini Landulphi vicarii in comitatibus Arretino & Castellano, & domini Gentilis ejus Assessoris; manu Bondi notarii; ex tabulario Fontis-boni §. *Amissæ* 438. A. 84.

Ad annum 1242. *pag.* 361. *lin.* 4. Alteram Berardi prioris Avellanæ paginam ad annum 1244. subjungimus ex collectionibus Sartii. *In nomine Domini. Anno a nativitate ejusdem* M. CC. XLIV. *regnante excellentissimo domino domino nostro Friderico Romanorum imperatore & semper augusto, Jerusalem & Sicilie rege, die ultima mensis madii indictione* II. *apud ecclesiam S. Leutherii Senogalliensis diecesis. Nos quidem in Dei nomine Andrea Bucchus domini Ugolini de Curinando, & Ugolinus filius q. domini Bevulci pro nobis & Bonarello & Taurello fratribus ejusdem domni Bevulci q. filiis nostrisque heredibus & successoribus a presenti die vendimus atque jure proprietatis & allodii perpetualiter transactamus vobis presenti in Christi nomine domno Berardo venerabili & religioso priori heremi S. Crucis Fontis-avellane emptori pro vobis vestrisque successoribus, videlicet omne & totum id, quod acquisivimus a domna Beatrice filia q. Porcarii de Dolio totam partem suam de castro Dolii, & campum unum & in eadem urbe homines, quos acquisivimus ab eadem domna Beatrice, & generaliter omnia bona que fuerunt quondam Porcarii patris ipsius domne Beatrice, & ipsa habuit & tenuit infra hec latera; a primo fossatum, quod incipit a molendino Verleonis & exit ad xasum S. Marie de Genga,*

Genga, & intrat fossam de Castellaribus, & exit ad Serram priniculam, & venit per campum Conradi de Castellari, & exit ad Caporneclam, & per fossatum Rotundi & intrat conqueulam currentem, & exit per neulam usque ad cerretum filiorum Attonis de Podio, & vadit per fossam collis franei, & exit ad vallem grippoli, & intrat fossam sancti Benedicti, & exit ad vadum Morazani & ad fossam de Guomitelli. Prenominatas itaque res, damus vobis &c. Hoc autem facimus vobis pro eo quia dedistis & solvistis nobis nomine certi & deliberati pretii centum quinquaginta libras Ravennates & Anconitanas. Ego Rodulphus publicus notarius cuncta supradicta describens. Dolii locus & antiqui castri reliquiæ sunt in agro Sentinate, uti & cetera loca, quæ in hoc instrumento nominantur.

Ad annum 1244. *pag.* 368. *lin.* 14. Beatrix uxor q. Adriani, & Thaddæus ejus filius ratificant die quarta maji Michaeli sindico S. Mariæ de Camaldulo Bononiensi donationem, quam fecerat eidem ecclesiæ Adrianus præfatus de quadam via, qua itur ad prædictum monasterium, & quæ pertingit usque ad stratam publicam qua itur Florentiam, cum trunco & Cruce, quæ vulgariter appellatur *Via de Camaldulis*; manu Zagnibelli notarii. Ex archivo Fontis-boni §. *Ratificatio* 4. A. 3. 74.

Ad annum 1247. *pag.* 373. *lin.* 46. Nominatur Johannes de Deo, de quo vide Sartium in historia Universitatis Bononiensis in Professoribus juris canonici.

ADDENDA ET EMENDANDA
IN TOMO V.

AD ANNUM 1251. *pag.* 2. *lin.* 4. *Adde:* Ante paucos dies ex eodem loco sequenti diplomate eremum Avellanensem Innocentius IV. sub apostolica protectione susceperat: *Innocentius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis priori & fratribus heremi Fontis-avellane eorumque successoribus regulariter substituendis ad perpetuam rei memoriam. Superne miserationis respectu ad hoc universalis ecclesie suscepimus curam & apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis petentium votis benignitate faveamus, ac equitatis libramine debeamus omnibus, quantum cum Deo possumus, subvenire. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & vestram heremum Fontis-avellane Eugubine diocesis, que beati Petri juris existit, ad exemplum felicis recordationis Gregorii VII. Honorii III. & Gregoris IX. Romanorum pontificum predecessorum nostrorum sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones &c. illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefata domus sita est cum omnibus pertinentiis suis, possessiones quas habetis in civitate ac diecesi Eugubina, possessiones quas habetis in civitatibus & diocesibus Nucerina, Assisinate, Perusina, Castellana, Callensi, Forosemproniensi, Urbinate, Ariminensi, Faventina, Bononiense, Esculana, Firmana, Camerinensi, Recanatensi, nec non & Anconitana, Esina, Senogalliensi, Fanensi & Spoletana cum pratis, vineis terris nemoribus usuagiis & pa-*

scuis

ſcuis in boſco & plano, in aquis & molendinis in viis & ſemitis & in omnibus aliis libertatibus & immunitatibus ſuis. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis nihilominus in eccleſia veſtra excluſis excommunicatis & interdictis non pulſatis campanis clauſis foribus, ſubmiſſa voce Divina officia celebrare. Chriſma vero, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſeu baſilicarum, ordinationes clericorum veſtrorum, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, a dieceſano ſuſcipietis epiſcopo, ſiquidem catholicus fuerit, & communionem ſacroſancte Romane ſedis habuerit, & ea vobis voluerit ſine pravitate aliqua exhibere; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis, catholicum adire antiſtitem, qui noſtra fretus auctoritate vobis, quod poſtulatur, impendat. Ad hoc novas & indebitas exactiones ab archiepiſcopis & epiſcopis & aliis omnibus eccleſiaſticis ſecularibuſve perſonis in domo veſtra fieri omnino prohibemus. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci priore vel tuorum quolibet ſucceſſorum nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia ſeu violentia proponatur, niſi quem fratres communi conſenſu vel fratrum major pars conſilii ſanioris ſecundum Deum providerint eligendum. Illud diſtrictius inhibentes, ne terras ſeu quodlibet beneficium eccleſie veſtre collata liceat alicui perſonaliter dari ſive alio modo alienari abſque conſenſu omnium fratrum vel majoris & ſanioris partis eorum. Inſuper auctoritate apoſtolica vobis duximus concedendum, ut quandocumque in judicio vos gravari ſenſeritis, liceat vobis ad ſedem apoſtolicam appellare. Preterea omnes libertates & immunitates a predeceſſoribus noſtris Romanis pontificibus vobis conceſſas, nec non & libertates & exemptiones ſecularium exactionum a regibus & principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c.

Ego Innocentius catholice eccleſie epiſcopus.
Ego Petrus Albanenſis epiſcopus.
Ego fr. Johannes tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis.
Ego Octavianus S. Marie in Vialata diaconus cardinalis.
Ego Johannes S. Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis.
Ego Gullielmus S. Euſtachii diaconus cardinalis.

Datum Mediolani per manum magiſtri Marini S.R.E. vicecancellarii IX. *kalendas auguſti indictione nona incarnationis Dominice anno* M. CC. LI. *pontificatus vero domini Innocentii pp. IV. anno nono.*

Alterum ad favorem ejuſdem eremi.

Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri epiſcopo Peruſino ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dilecti filii prior & conventus heremi fontis-avellane ſua nobis querela monſtrarunt, quod dilecti filii poteſtas & commune Callenſis ipſi eremo & membris in enervationem eccleſiaſtice libertatis & animarum ſuarum diſpendium indebite collectas imponunt, & admittunt homines eorumdem in cives in grave ipſorum prejudicium & non modicam leſionem. Cum igitur tutum eis non ſit agere talia, per que divinam incurrunt offenſam, & contra ſeipſos ſedem apoſtolicam concitent, ipſis damus noſtris literis in mandatis, ut ab impoſitione collectarum hujuſmodi penitus deſiſtant, nec recipiant de cetero in cives homines eorum, ſed ipſos reſtituant eiſdem, quos taliter receperunt. Ceterum cum tantum ejuſdem heremi non poſſimus nec debeamus ſuſtinere gravamen, fraternitati tue per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi dicti poteſtas & Commune mandatum noſtrum neglexerint adimplere, tu eos ad hoc, monitione premiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione re-

mota cognita veritate compellas . Datum Mediolani II. *kalendas augusti pontificatus nostri anno nono*. Ex schedis D. Romualdi Mantuani.

Ad annum 1252. *pag.* 8. *lin.* 16. Diximus servari apud nos hædinas paginas Marci Realatii; id tamen clarius explicamus . Vidimus & legimus Saxoferrati has hædinas paginas , quas putabamus nobis dono dari , cum aliquas alias notitias hausimus in oppido Saxoferrati . Sed eas impetrare nequivimus ; quare unicum fragmentum exscripsimus spectans ad monasterium S. Crucis de Saxoferrato, quod superius attulimus. Recenter intelleximus defunctum anno 1754. Hiacynthum Carnicelli possessorem ejus manuscripti codicis postremum e familia sua , cujus hæreditas distributa fuit in quatuor familias; qua occasione creditur vel deperiisse codicem, vel subreptum.

Ad annum eumdem 1252. *pag.* 12. *lin.* 34. *addatur :* In historia ecclesiæ Pisanæ confecta ab amicissimo nostro P. Magistro Antonio Felice Matthæjo in Appendice monumentorum sub numero XXXVIII. sequens legitur edictum Philippi monachi S. Zenonis Pisarum : *Sapientibus & providis viris de Campilia & Plumbino plebanis Massanis in diocesi & eorum capitulis seu clericis Philippus monachus S. Zenonis humilis , abbatis venerabilis viri .... sancti Savini Pisane diecesis domini pape judicis delegati subdelegatus salutem cum caritate sincera . In causa, que vertitur inter venerabilem patrem archiepiscopum Pisanum ex una parte & abbatem S. Justiniani de Falesia Massane diocesis ex altera sententiam tulimus contra dictum abbatem de Falesia super quibusdam articulis , de quibus inter predictum archiepiscopum & abbatem questio vertebatur , mandavimus sindicum ejusdem archiepiscopi mittendum esse in possessionem per Guidonem clericum nostrum bonorum predicti monasterii de Falesia, qui de mandato nostro misit in possessionem eorum bonorum, & excommunicavit contradictores.* Verum quia abbas monachi & clerici de Falesia contradictores extiterunt , mandat idem Philippus dictis plebanis , ut eos excommunicatos denuntient. Monasterium de Falesia ædificatum fuit anno 1022. Videatur Muratorius T. III. Antiq. Med. Ævi col. 1075. ex archivo archiep. Pisarum num. 824.

Ad annum 1253. *pag.* 13. *lin.* 21. *Adde :* Mentio Sarabolorum sive braccarum fit in constitutionibus Francisci episcopi Eugubini ad annum 1303. apud Sartium in episcopis Eugubinis pag. 180. *Nullus professus regulam beati Benedicti* , ibi legitur, *utatur vestibus lineis vel duplellis, exceptis sarobolis sive braccis* . Sed ea vox vetustior est . Usurpant eam pro braccis Aquila & Theodotion apud S. Hieronymum in Danielem cap. 3. num. 21. *Sarabara crura tibiæ sive braccæ, quibus crura teguntur & tibiæ* ; Publius apud S. Isidorum cap. V. de Divinis officiis : *Ut quid ergo in ventre tuo ..... sarabara suspenderunt ?* Hesychius, & Hieronymus : *Lingua autem Chaldæorum saraballa crura hominum vocantur & tibiæ, & omonymos etiam braccæ eorum , quibus crura teguntur & tibiæ , quasi crurales & tibiales appellatæ sunt ;* Tertullianus cap. 58. de Resurrect. carnis & cap. 4. de Pallio, aliique scriptores.

Ad annum 1254. *pag.* 21. *lin.* 15. Addatur sequens monumentum.
In Dei nomine amen. Anno ejusdem M. CC. *quinquagesimo quarto tempore domni Innocentii pape quarti & die mensis madii intrantis indictione* XII. *Fede Surci de Doleo tam pro se, quam procuratorio nomine fratris*

sui

sui Petri tradidit in solutum domno Bartholo priori heremi S. Crucis Fontis-avellane & capitulo ipsius heremi campum unum qui positus est in comitatu Nocerie in districtu Saxiferrati in curia Dolei, & in loco qui dicitur Vallis-lupi, quod fecit dictus Fede, quia dictus domnus Bartholus & capitulum dedit affranchitatem ipsi Fede & fratri suo, & se & eorum heredes quietavit, liberavit & absolvit de servitiis, & in omnibus affrancavit. Ecclesiæ & monasteria temporibus illis non solum latifundiis ditatæ erant, sed multos etiam homines habebant servitio addictos; quæ res multarum litium causa fuit, eoque ventum est, ut Prælati ecclesiarum & monasteriorum e re sua magis existimaverint, si hujusmodi homines in libertatem assererent, æquo ab illis pretio repenso. Primus, qui hoc fecit ex Avellanæ prioribus fuit Bartholus.

Ad ipsum annum 1254. *pag.* 22. *lin.* 30. Fridericus Vicecomes archiepiscopus Pisanus in sermone ms. asservato Florentiæ in Bibliotheca S. Crucis, nunc Mediceo-Laurentiana, & habito ab ipso, de monachis Pulsanensibus habitantibus in ecclesia S. Michaelis de Orticaria, communiter dicta Discalceatorum adjuncta eorum monasterio, habet eam *ecclesiam visitandam esse ob varias rationes, maxime cum sint hic multi boni & sancti viri monachi.*

Ad annum 1256. *pag.* 25. *lin.* 35. Extat ipsa Alexandri papæ IV. bulla apud Sartium de Episc. Eugubinis pag. 149.

Ad annum 1258. *pag.* 45. *lin.* 19. Subdatur sequens instrumentum: *Martinus Dei gratia prior Camaldole die martis* XV. *octobris nomine suo & suorum successorum & nomine Camaldulensis heremi & heremitarum ecclesie Camaldulensis, habita licentia parabola & consensu heremitarum & monachorum dicte heremi & Fontis-boni, locavit & concessit Benvenuto de Ferrantis de Trivio sindico & yconomo conventus dominarum ecclesie S. Catherine de Perusio stipulanti nomine & vice conventus dictarum dominarum & successorum earum & ejusdem ecclesie Capituli universi in emphyteusim perpetuam omnes & singulas possessiones, que concesse fuerunt olim fratri Salimbeni monacho Camaldulensi pro se & suis successoribus recipienti per Commune Perusinum, sicut patet manu Simonis notarii scriptum, in pertinentiis Teuzi & in curia Montis-neri, videlicet Podium Mortani cum terreno ibi posito desuper via usque ad ripas Montis-Teuzi, & in totum terrenum, sicut trahit via, que venit de Megiana superiori versus Proculianum, & ab inde subtus usque ad aliam viam, que venit de Proculiano, & vadit versus Forcellam, & revertitur ad pedem montis, ad locum, qui dicitur Lavacchi, juxta dictam Megianam, & terras & silvas, arbores, pascua & aquam & totum id quod domnus Salimbene monachus Camaldulensis & sui successores habuerunt & tenuerunt, habent & tenent, vel aliquis pro eis in curia Montis neri, & consinibus memoratis, & in civitate Perusie, sicut apparet in suis instrumentis, salvo jure, quod habet ibi Commune Perusie; & deinceps dictus sindicus nomine dictarum dominarum sancte Catharine & conventus ipsius ecclesie S. Catharine possit habere & tenere, uti frui, & omnia & singula facere & exercere possit quocumque modo & jure & causa, salva proprietate dicti conventus Camaldulensis, & dictum yconomum tamquam in rem suam procuratorem constituit, ponens eum in locum suum, & si quid spirituale esset ibi, concessit ei gratis, ut possit in omnibus facere & exercere, sicut ipsimet facere & exercere possent, quia locationem & concessionem fecit ei stipulanti pro dictis*

ctis dominabus in perpetuam emphyteusim pro ducentis librabus Pisanorum minutorum, quas confitetur se recepisse, & habuisse, & dictos denarios in utilitatem Camaldulensis ecclesie dedisse & conversos fuisse, videlicet in debito, quo dicta ecclesia Camaldulensis tenebatur pro molendinis, olivis & aliis possessionibus, que dictus prior pro dicta ecclesia Camaldulensi emit &c. & insuper predictus yconomus nomine & vice dicti conventus dictarum dominarum sancte Catharine promisit dare dicto priori Camaldulensi & suis successoribus annualiter in festo sancti Romualdi unam libram cere, & etiam semper in capite viginti novem annorum centum solidos bonorum denariorum Pisanorum minutorum nomine innovationis &c. Ego Bonaventura de Fesulis imperiali authoritate judex ordinarius & notarius.

Ad annum 1259. *pag.* 46. *lin.* 12. Monasterium S. Severi in Classe inter ceteras ecclesias habebat ecclesiam S. Severi de Cunio & S. Cassiani in urbe Faventina ex bulla Alexandri pp. IV. anni 1254.

Ad annum 1264. *pag.* 68. *Ad calcem*. Circa annum 1264. tempore Urbani pp. IV. Fidantia coadjutor Jacobi episcopi Eugubini ex commissione dicti pontificis præcepit abbati sancti Vincentii de Petra-pertusa, ut ediceret Calliensibus, quod si non redirent ad sinum sanctæ matris ecclesiæ, episcopatus honore privarentur; cumque non paruissent, Eugubinorum armis domiti sunt, & episcopo privati, eaque diecesis episcopo Eugubino attributa. Verum haud multo post restituta fuit ecclesiæ Calliensi pristina dignitas & libertas, ac Fidantia anno 1266. rediit ad suam sedem Adversanam. Ex Sartio de episc. Eugub. pag. 155.

Ad annum 1265. *pag.* 69. *lin.* 42. Integra acta & decretum Uberti cardinalis subjungimus ex archivo Avellanensi. *In nomine Domini. Dudum religiosi viri D. Albertinus prior & conventus eremi S. Crucis Fontis-avellane Eugubine diocesis ex parte una, & Potestas & Commune civitatis Eugubii ex altera parte per sindicos seu procuratores suos coram R. P. D. Uberto S. Eustachii cardinale diacono super castris Montis-sicci Calliensis, Licie Nucerine, Insule, Campetri & Capitalis & ville Sortis Eugubine diecesis & super destructionibus, damnis, incendiis datis & illatis prefatis priori & conventui in dictis castris & villa in Romana curia litigantes, ac demum volentes vitare litigiorum anfractus, & suis parcere laboribus & expensis elegerunt potius per viam pacis & concordie hujusmodi questionem dirimi, quam eventum dubii judicii expectare. Et sic predicti prior & conventus domnum Ranaldum ipsius eremi monachum, & prefati potestas consilium & commune dominum Ferrum Carsedonii civem Eugubinum suos constituerunt procuratores & sindicos ad componendum paciscendum &c. Sane predicti D. Ranaldus & dominus Ferrus comparentes cum mandatis predictis coram predicto D. cardinale compromiserunt in predictum domnum cardinalem. Actum Perusii in camera predicti cardinalis, presentibus testibus ad hoc vocatis P. D. Odone archiepiscopo Mediolanense, D. Ranaldo de Scirola, D. Guilielmo archidiacono Iporiensi Carando camerario predicti domini cardinalis sub anno Domini* M. CC. LXV. *duodecima die intrantis madii indictione octava, pontificatus domini Clementis pape IV. anno primo.*

Hoc est exemplum cujusdam laudi seu arbitrii lati per venerabilem P. D. Ubertum S. Eustachii cardinalem scriptum per Parem de Spoleto & publicatum sigillatum sigillo appenso in quadam chordula de sirico de cera rubra,

bra, in quo quidem sigillo erant quedam figure sive imagines, scilicet unus cervus cum uno capite inter cornua, & quidam homo & equus & quedam alia imago hominis cum mitra & dalmatica. Litere autem dicti sigilli videbantur dicere: S. Uberti S. Eustachii diaconi cardinalis, cujus tenor inferius apparebit, & est talis.

In nomine Domini. Ad sopiendas odiosas contentiones causarum & dispendia querelantium litigio dirimenda. Sane inter religiosos viros priorem & conventum eremi S. Crucis Fontis-avellane ordinis S. Benedicti Eugubine diocesis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ex parte una, & potestatem consilium & commune civitatis Eugubii ex altera super castris Montis-sicci Calliensis, Licie Nucerine, Insule, Campetri & Capitalis & ville Sortis Eugubine diocesis super destructionibus damnis & incendiis datis & illatis prefatis priori conventui & dictis castris & ville a predictis potestate consilio & communi, nec non super hominibus, districtibus juribus & jurisdictionibus dictorum castrorum & ville questione suborta, felicis recordationis Urbanus papa IV. nos Ubertum miseratione Divina S. R. E. diaconum cardinalem concessit in causa hujusmodi predictis partibus auditorem. Comparentibus itaque Ventura Ranerii dictorum potestatis consilii & communis, & fratre Raynaldo dicte eremi monacho predictorum prioris & conventus sindicis seu procuratoribus cum mandatis sufficientibus ad agendum, defendendum & jurandum & alias plenis ad causam in judicio coram nobis dictus frater Raynaldus contra predictum Venturam nomine dictorum potestatis consilii & communis sub certis formis & modis libellos porrexit, per quos petebat nomine predictorum prioris & conventus & prenominate eremi prefatos potestatem consilium & commune ad refectionem dictorum castrorum & ville ad restitutionem hominum, districtuum, jurium jurisdictionum, & ad estimationem seu emendam predictorum damnorum, incendiorum & destructionum in predictis castris & villa, & ipsorum curtibus dicte eremi illatorum sibi sententialiter condemnari, & ad satisfactionem compelli cum expensis factis & etiam faciendis. Litibus igitur super libello hujusmodi legitime contestatis per Venturam sindicum supradictum, & ab utraque parte de calumnia & veritate dicenda prestitis juramentis, factisque petitionibus & subsecutis responsionibus ad easdem, datis etiam articulis & factis interrogatoriis super ipsis, ac examinatis quibusdam testibus, dicte partes elgererunt potius per viam pacis hujusmodi petitionem dirimere, quam eventum dubii judicii expectare. Sicque prenuntiati potestas consilium & commune discretum virum Ferrum Carsedonii eorum concivem, & prefati prior & conventus supradictum fratrem Raynaldum suos legitimos constituerunt procuratores, & tandem prenominatus frater Raynaldus & dictus Ferrus nomine &c. in nos tamquam arbitrum compromittere curaverunt. Porro nos Christi nomine invocato, tam arbitraria quam judiciaria jurisdictione dicimus pronuntiamus, quod dicti potestas ac dictus Ferrus faciant & procurent, procurare & facere teneantur, quod omnes & singuli homines de predictis castris Licie, Campetri & Insule & ville Sortis & curiarum ipsorum castrorum & ville undecumque nunc habitantes existant, dent reddant restituant & pacifice ac quiete dimittant priori & conventui supradictis omnia feuda omnesque superprehensas, que & quas in dictis castris & villa & in districtibus curtibus territoriis & finibus ipsorum castrorum & ville pro se vel aliis habent & tenent, habuerunt & tenuerunt a tempore, quo causa commissa nobis extitit supradicta, & medietatem omnium immobilium ubicumque & undecumque acquisitorum usque ad festum S. Lucie proxime venturum, & pro mobilibus, que habent dicti homi-

homines de castris predictis Licie, Campeti & Capitalis & ville Sortis, quilibet ipsorum aut quelibet familia ad idem festum octo libras Ravennates det & solvat priori & conventui supradictis. Et omnes homines predicti castri Insule communiter dent & solvant usque ad eumdem terminum ducentas libras ejusdem monete prefatis priori & conventui pro mobilibus supradictis. Dicimus preterea ordinamusque, quod si quis in predictis hominibus fuissent a dictis priore & conventu aut a priore & conventu ecclesie de Insula supradicta, vel a predecessoribus eorumdem aliquo tempore affrancati legitime, pro affrancatis & liberis habeantur. Salvo & reservato omni jure, quod prior & conventus predicti habent vel consueverunt habere in hujusmodi affrancatis. Si vero hi, qui se affrancatos asserunt, affrancationem ipsam non probaverint, ad supradicta omnia & singula teneantur. Item dicimus & ordinamus, quod suprascripti potestas consilium & commune faciant, quod omnes & singuli homines de predictis castris & villa dent, reddant & restituant libere & pacifice & quiete dimittant hinc ad festum Epiphanie Domini proxime venturum predictis priori & conventui & predicte eremo medietatem omnium illarum possessionum, quas emerant aut ad libellum habuerunt vel habent de bonis & possessionibus dicte eremi, aut membrorum ecclesiarum, vassallorum, hominum aut manentium ipsius eremi. De alia autem medietate dictarum possessionum sic emptarum seu habitarum sit in optione dicti prioris & conventus, utrum velint ipsam medietatem residuam, & restituant pretium illud, quod medietas ipsa consistit, aut percipiant & habeant illum annuum redditum censum seu fictum, quod vel que illa medietas remaneat predictis hominibus, teneantur dictam residuam medietatem ipsis hominibus confirmare. Item dicimus & ordinamus, quod omnes illi de predictis hominibus, qui dixerint se aliquas possessiones emisse vel ad libellum habere, hujusmodi emptionem vel libelli dationem probare in dicta curia Eugubina teneantur. Item dicimus & ordinamus, quod omnes venditiones facte de possessionibus & bonis immobilibus, que dicti homines habebant vel habent a tempore destructionis predicte citra, sint irrite, & quod predicti potestas consilium & commune teneantur de predictis venditionibus facere respondere. Item dicimus & ordinamus, quod prefati potestas &c. facere teneantur, quod homines de predicto castro Montis-sicci dent & quiete restituant dictis priori & conventui omnia feuda & superprehensas, que & quas habent & habuerunt inter fines dicti castri a tempore destructionis ipsius citra, & medietatem omnium mobilium acquisitorum, & pro mobilibus que habet quelibet familia, det & solvat decem libras Ravegnatum. Item dicimus & declaramus, quod illum hominem singulariter pro se ac familiam intelligimus, ut super predictis pro se respondeat prenominatis priori & conventui, qui vel que per se communi Eugubii ut civis deservit, & ipsius pro se functiones agnoscit. Item dicimus & statuimus, quod si aliquis hominum predictorum castrorum & ville aliquid de his que habent & tenent in districtibus dictorum castrorum & ville procuraverint sibi a die commisse nobis predicte cause citra vendi aut confirmari, nullius valoris existant. Item dicimus & ordinamus, quod prefati potestas &c. pro damnis & tortis, que dederunt prenominatis priori & conventui in destructione dicti castri Montis-sicci solvant prefato priori & conventui mille sexcentas libras Ravennates usque in festum S. Lucie. Item dicimus & ordinamus, quod situs & omnia loca dictorum castrorun & ville, videlicet in quibus dicta castra & villa fuerunt cum ipsorum juribus ad predictum priorem & conventum pertineant, & iidem prior & conventus in illis locis et sitibus domos et ha-

bitationes necessarias reedificare & construere possint & valeant, in quibus possint persone & familiares dicte eremi habitare. Nos autem auctoritate predicti domini pape affrancamus liberamus absolvimus manumittimus relaxamus omnes & singulos homines predictorum castrorum & ville & heredes ipsorum ac descendentes ab ipsis ab omni vinculo & onere servitutis homagii vassallagii manentie fidantie seu adscriptitie conditionis, quibus eremo priori & conventui tenebantur predictis, ita quod de cetero ipsi & eorum heredes & descendentes ab eis sint liberi & franchi & homines sui juris, & quod libere possint testari, & quoslibet alios actus legitimos exercere, prout homines liberi & cives Romani facere possunt, ita tamen quod dicte liberatio affrancatio eo tantum tempore & non antea valere incipiat, quo predictis priori & conventui satisfactum fuerit plenarie. Item dicimus & ordinamus, quod predicta nostra ordinatio minime se extendat ad Moricum Alebrandi, Severum Deutesalvi & fratres & filios Anselmi Dalmele, sed dictus prior & conventus jure suo possint uti in eis & contra eos, sicut unquam hactenus potuerunt. Item dicimus & ordinamus, quod predicti homines predictorum castrorum & ville de cetero sint & remaneant de districtu & jurisdictione predictorum potestatis consilii & communis civitatis Eugubii, sicut ceteri homines de districtu civitatis ipsius, ita tamen quod prenominati potestas consilium & commune nihil plus in angariis parangariis habeant aut imponant predictis hominibus quam habere dicta eremus consuevit; salvo omni jure Romane ecclesie. Item dicimus & ordinamus, quod si homines predictorum castrorum & ville super ipsis in aliquo molestare ipsam eremum priorem & conventum voluerint, predicti potestas &c. dictam eremum a dictis hominibus defendere & tueri teneantur, inflicta pena mille marcarum argenti, si huic judicio non steterint.

Lata & recitata fuit hec ordinatio seu definitio per nos Perusii in camera nostra, presentibus venerabili in Christo patre fratre Morando Senensi episcopo, Guilielmo archidiacono Iporiensi, Guidone preposito Canensi sub anno M. CC. LXV. *die* X. *intrantis novembris indictione* VIII. *pontificatus domini Clementis pape quarti anno I. Ego Paris de Spoleto notarius.* Ex archivo Armanno Eugubii.

Alia charta Avellanensis ad eumdem annum spectans.

In nomine Domini. Anno ejusdem M. CC. LXV. *tempore domini Clementis pp. IV. die* XII. *mensis novembris exeuntis indictione* VIII. *Domnus Henrigus prior claustralis eremi S. Crucis fontis-avellane habita licentia super his a domno Albertino priore majore dicte eremi auctoritate sibi concessa de consensu & voluntate suorum monachorum, videlicet domni Petri hospitalarii, domni Conradi ministerialis, D. Benvenuti, D. Petri, D. Johannis, D. Boni, D. Thomasii instituit domnum Johannem monachum in priorem & rectorem ecclesie S. Ilarii de Esculo. Actum in capitulo &c. coram fratre Clario Palagese, & Girardo familiari ipsius eremi. Ego Benvenutus auctoritate imperiali notarius.* Ex utroque monumento tempus dignoscitur, quo Albertinus auspicatus fuit regimen eremi Avellanensis.

Ad annum 1266. *pag.* 79. *lin.* 4. Addatur sequens monumentum: *In christi nomine amen. Anno ejusdem* M. CC. *sexagesimo sexto tempore domni Clementis pp. IV. die* XI. *mensis junii indictione nona. Dompnus Albertinus prior heremi S. Crucis Fontis-avellane Eugubine diecesis de consensu fratrum suorum monachorum, videlicet D. Jacobi prioris claustralis, D. Vite sacriste, D. Bartholi ministerialis, D. Philippi prepositi, D. Oderici infermerii constituit fratrem Clarium dicte heremi procuratorem &* nun-

puntium spetialem ad liberandum, absolvendum, quietandum, relaxandum & affrancandum omnes & singulos homines ad ipsam heremum spectantes, olim habitantes in castro Licie & in curte ipsius, & in castro Campetri & in curte ipsius, & in villa Sortis & in castro Capitalis, servando formam arbitrii vel sententie late a venerabili P. D. Uberto cardinale inter Commune Eugubii ex parte una & dictam heremum ex altera, & ad liberandum ipsos homines & singulos masculos & feminas & ipsarum filios & heredes natos & nascituros cum omnibus bonis suis ab omni hominio, dominio & segnoria, & ab omni prestatione servitiorum ad recipiendum partem possessionum omnium ab ipsis hominibus, prout in arbitrio continetur, ut liberi sint & exempti ab omni jugo & homineo servitutis tamquam Romani cives, & ut libere habere possint esse sui juris. Actum in Capitulo. Ego Benvenutus auctoritate imperiali notarius.

Ad annum 1268. pag. 95. ad calcem. Nescimus, cur sub hoc anno 1268. nomen Bartholomæi prioris Avellanensis legatur in sequenti pagina, nisi dicere velimus, quod Albertinus amore solitudinis regimen saltem ad tempus abdicaverit, quod postea coactus iterum assumpserit. Pagina est hujusmodi: *Comandutius Giliotti filius, & Berardus ejus frater, aliique primores ex parochianis S. Euphemie agri Urbinatis ad honorem Dei patris omnipotentis & beate Euphemie virginis, & domni Bartholomei prioris heremi S. Crucis Fontis-avellane & domni Bonaguidi archipresbyteri sancti Donati, & domni Johannis abbatis sancti Angeli de Gaifa, domnum Johannem presbyterum in rectorem & gubernatorem ecclesie sancte Euphemie elegerunt &c. Actum sub anno* M. CC. LXVIII. *indictione* XI. *tempore domini Clementis pape IV.*

Ad annum 1269. pag. 100. & 101. In indice ad Tomum IV. horum Annalium monasterium S. Jacobi de Orticaria & S. Jacobi de Podio in diœcesi Pisana unum & idem esse leguntnr, sed revera duo erant distincta monasteria, unum ad Orientem, alterum ad Boream, ut nos docet P. Antonius Felix Matthæjus in sua historia ecclesiæ Pisanæ.

Ad annum 1268. pag. 89. lin. 33. Possevinus Tomo II. pag. 73. scribit Jacobum de Certaldo, quem ob sanctitatem Beatum vocant, monachum Camaldulensem, qui floruit anno 1470. (erratum, forte dicere voluit anno 1270.) scripsisse de secundo Domini adventu & varia quædam, quæ Raphael Volaterranus recensuit.

Ad annum 1275. pag. 130. lin. 8. Sed hæc emendanda sunt ex superius allatis paginis, ex quibus constat Salvum hoc tempore minime fuisse priorem Avellanensem, sed pertinuisse ad seculum antecedens; nam his annis Albertinus regimen tenebat eremi Avellanensis jam ab anno 1265.

Ad annum 1276. pag. 132. lin. 3. Sententiam ipsam proferimus ex archivo Armanno Eugubii.

In nomine Domini amen. Nos Philippus sola miseratione Divina episcopus Nucerinus electus arbiter & arbitrator & communis amicus a D. Johanne priore de Insula Manfredi monacho & fratre eremi S. Crucis Fontis-avellane & sindico D. Albertini prioris dicte eremi & capituli ipsius ex una parte, & a D. Rustico camerario & monacho monasterii S. Marie de Sitria sindico domni Transmundi abbatis dicti monasterii & ipsius monasterii & capituli super questionibus controversiis &c. que vertebant &

verti

verti possunt inter predictos, occasione & nomine quarumdam possessionum tenimentorum & populorum & vassallorum & hominum & mansorum ipsorum, Christi nomine invocato laudamus, pronuntiamus, quod mons sive montanea Catrie sit & esse debeat jure pleni dominii & possessionis &c. Lectum & publicatum fuit dictum laudum & arbitrium per venerabilem P. D. Philippum episcopum Nucerinum judicem & arbitrum die x. julii Gualdi in domo episcopatus Nucerie, presentibus domno Albertino priore S. Crucis predicte, & Johanne priore de Insula sindico dicte eremi, & domno Transmundo abbate monasterii S. Marie de Sitria, & D. Rustico sindico, domno Guilelmo abbate S. Benedicti anno M. CC. LXXVI. indictione quarta.

Ad annum 1278. *pag.* 137. *ad calcem*. Sententia Albertini prioris Avellanensis circa castra Eugubina.

In nomine Christi amen. Pateat omnibus evidenter paginam presentem inspecturis, quod cum discordie & dissensiones & litigia essent & fuissent seu verti sperarentur imposterum inter Robulum Martini sindicum castri Serre sancti Abundi hominum & universitatis ipsius castri, ut de suo sindicatu constat manu Accursutii notarii ex parte una, & Pulcinum familiarem, sindicum eremi S. Crucis Fontis-avellane, ut de suo sindicatu constat manu mei Angeli Bontadosi ex parte altera, occasione finium, terminorum & semitarum castrorum Licie, Campetri, Capitalis & ville Sortis & aliarum occasionum, compromiserunt in domnum Albertinum priorem dicte eremi presentem dictas differentias cum facultate decidendi & terminandi. Actum in castro Campetri sub anno Domini M. CC. LXXVIII. *die* VIII. *junii. Angelus q. Bontadosi notarius.*

Nos Albertinus prior supradicte eremi ex plena licentia & auctoritate ac arbitrio nobis dato a supradictis sindicis tamquam arbitratori definitori arbitrandi, definiendi & terminandi curias castrorum Licie, Campetri, Capitalis, Spicchi & ville Sortis. Christi nomine invocato arbitramur, definimus & terminamus prelibatas curias et unamquamque earum in hunc modum, dicentes et arbitrantes. Fines sive semite curie castri Licie et pertinentiarum ipsius castri sunt, et sint ii: Ex primo flumen Sasani, quod venit de Calecle, a secundo Sipatum de petra, quod ascendit usque ad summitatem montis-Silii, descendendo ad domum Tornariorum, a tertio fossa, que vadit ante ecclesiam sancti Venantii, et a quarto via Morelli. Fines & semite curie Campetri & pertinentie ipsius sunt & sint ii: Aprimo fossa de Ravis & ascendit per montem ad cerquetum de Pra.. & exit ad vallem de Corniale, a secundo fossa de Sorti & curia Spicchi, & mergit in fossatum, quod vadit ad domum Prosperi Palmoli, & incipit a dicto fossato, & ascendit ad curiam montis-vecli, & pergit ad Gemballum de monte-veclo, & exit ad Pecoraggiam, & mergit in flumen Sasani, quod vadit prope subtus Pecoraggiam, & incipit a dicto flumine, & ascendit per ipsum flumen & vadit & reintrat in primum finem fosse de Rave. Fines sive semite ville Sortis sunt ii: A primo fossa Sortis, a secundo via, que vadit per traforatam de Sorti, a tertio curia castri Capitalis & mons Rome ipsius eremi. Fines sive semite curie castri Capitalis sunt & sint ii: A primo flumen Sasani, quod venit a.... anilis, sive ab ecclesia S. Bartholi & mergit in pedem dicti castri Capitalis, & vadit & mergit versus Toricellam, a secundo fossatum, quod vadit subtus domum Prosperi Palmoli, a tertio curia Spicchi & villa Sortis, a quarto mons Rome ipsius eremi.

Actum in capitulo eremi supradicte sub anno Domini M. CC. LXXVIII. *indictione* VI. *tempore D. Nicolai pape III. sexto exeunte junio, Angelus Bontadosi notarius.*

Ipsam sententiam exscripsimus ex libro Confinium Saxiferrati in archivo secretiore Eugubii. Uterque fluvius, qui ad Pergulam confluit, Sasani nomine olim est appellatus, quamquam illorum alter Ciniscus etiam aliquando fuerit dictus.

Ad annum 1282. *pag.* 155. *lin.* 26. *Adde* : In statutis Pisanis anni 1282. Libro I. Rubrica 82. quæ est de Capitaneo Peccioli, mandatur, ut Peccioli, Campugnani & Gelli & abbatiæ de Carigio unus Capitaneus & unus bonus notarius cum eo mittatur. Apud Targionium lib. II. pag. 202. suorum itinerum.

Ad annum 1284. *pag.* 165. *lin.* 19. Legimus in tabulario Fontis-boni sub hoc anno die nona augusti amplam donationem de bonis in castro Pregii diœcesis Perusinæ factam Benedicto priori S. Mariæ de Bolsemulo. Nominantur in ea donatione Porta Spongæ in castro Pregii, parœcia Canonicæ, plebs Cuminaliæ &c.

Ad annum 1286. *pag.* 173. *lin.* 6. Ex numero 729. paginarum tabularii abbatiæ Volaterranæ SS. Justi & Clementis anno M. CC. LXXXVI. duodecima julii, Concilii Senatus Volaterrani decreto, tempore præfecturæ nobilis & ingentis militis D. Puccii q. Dominici Bonaguidæ de Luca Volaterrarum potestatis cassa fuit Libra Sanguinei Buriani a publica taxatione extimi, eo quod præfatus homo esset oblatus tertiarius monasterii SS. Justi & Clementis, & ipsius libra haberetur tamquam mortua.

Ad annum eumdem 1286. *pag. eadem, lin.* 25. *Corrige:* Bernardus electus Calliensis anno 1285. ad Auximanam translatus ecclesiam a Martino IV. vel si hæc translatio contigit anno 1286. ab Honorio IV.

Ad annum 1288. *pag.* 177. *lin.* 19. Ex regestis ejusdem Nicolai pp. IV. habemus ipsum pontificem quinto Kalendas maji anno pontificatus sui primo commisisse priori Fontis-avellanæ reformationem monasterii S. Petri de Massa Montis-neronis Calliensis diœcesis. Ex tabulario autem Avellanensi elicitur nomen Rainaldi abbatis sanctæ Mariæ de Plana præpositi & sindici eremi S. Crucis Fontis-avellanæ, qui *die* XXI. *octobris indictione prima tempore domini Nicolai pp. apud Corinaltum juxta ecclesiam S. Marie de Faro* investituram quamdam facit.

Ad annum 1290. *pag.* 183. Ad calcem addanrur hæc duo monumenta ad historiam Avellanensem pertinentia ad annos 1290. 1291. *Anno* M. CC. XC. *die* VII. *mensis decembris indictione* III. *Fani in claustro ecclesie S. Salvatoris tempore domni Nicolai pp. presentibus D. Guidone priore & Jacobo capellano ejusdem ecclesie D. Philippus sindicus eremi & capituli S. Crucis Fontis-avellane sindicario nomine dicti loci, presente & consentiente in omnibus, que per ipsum sindicum fieri possent, & expresse mandante reverendo & religioso viro domno Albertino priore dicte eremi, dedit & concessit & renovavit emphyteotico jure de rebus ipsius loci Guidutio D. Zanis de Serra Longarina medietatem totius castri Bernardi positi in curia Senogallie, quod olim fuit possessum per D. Jacobum de Fano.*

In Christi nomine amen. Anno a nativitate ejusdem M. CC. LXXXXI. *indictione quarta die penultima mensis octubris tempore domni Nicolai pa-*

pe

pe IV. Compagnolus Johannis orator Martini de Curia Capitalis & de curia Frontoni & de Fauce Capitalis fecit finem quietationem & renuntiationem religioso viro D. Albertino priori heremi S. Crucis Fontis-avellane de omni jure & actione usu & usancia, quod & quam ipse & quilibet alius ipsorum haberent in locis infrascriptis, videlicet montaneis inter hos fines: a primo via que venit a civitate S. Angeli Papalis per Corgnaletum, & vadit ad serram S. Abundi, a secundo fovea Sortis, a tertio mons Catrie & mons acutus, a quarto fovea Paraventi sive Effascia bovis &c. Ego Mantia Venture notarius. Fasc. XXIV. num. XXIII.

Ad annum 1291. *pag.* 192. *lin.* 32. Ecclesia S. Blasii de Faventia *lege:* de Ravenna.

Ad annum 1292. *pag.* 200. *lin.* 42. *Adde*: Item anno pontificatus sui quarto, quinto idus februarii committit eidem priori S. Crucis Fontis-avellanæ informationem de castro S. Hippolyti, quod bonæ memoriæ G., Forosinfroniensis episcopus pleno jure concesserat Andreæ fratri suo in perpetuum, qui homines dicti castri a pluribus servitiis, quibus erga ecclesiam præfatam erant obnoxii, liberaverat.

Ad annum 1294. *pag.* 211. *lin.* 19. Addatur bulla Cœlestini papæ V. quæ legitur Tom. VI. pag. 21.

In turri antiqua prope abbatiam Alfioli legitur: ✠ *Anno Domini* M. CC. LXXXXV. *tempore domni Gerardi abbatis*. Vide ad annum 1452. Apud Sartium *de Episc. Eugub. pag.* 208.

Ad annum 1296. *pag.* 220. *in fine*. Anno secundo pontificatus Bonifacii pp. VIII. Hugo Ostiensis & Vellitrensis episcopus absolvit fratrem Franciscum religiosum monachum monasterii S. Crucis Fontis-avellanæ priorem ecclesiæ S. Donati prope Urbinum ab excommunicatione contracta pro non persoluta decima suæ ecclesiæ contingente pro negotio regni Siciliæ, & quibusdam necessitatibus ecclesiæ Romanæ secundo impositam pro ultimo anno dictæ decimæ.

Ad annum 1298. *pag.* 232. *lin.* 5. Ex regestis Bonifacii pp. VIII. pontificatus sui anno IV. tertio idus martii idem pontifex injungit priori S. Crucis Fontis-avellanæ, ut citet Franciscum Rigotii priorem ecclesiæ Eugubinæ propter vitam dissolutam, & iniquam administrationem seu dissipationem bonorum ecclesiæ suæ factam sine capituli consensu.

Ad annum 1301. *pag.* 247. *lin.* 13. *Adde*: Quare decimo Kalendas januarii anno VII. eximit eremum Avellanensem a jurisdictione episcopi Eugubini, statuto annuo censu trium librarum usualis monetæ persolvendo Cameræ Romanæ in die SS. Apostolorum Petri & Pauli; & XII. Kal. januarii &c.

Ad annum 1303. *pag.* 255. *lin.* 3. Subjungimus sequens monumentum, quod refert Sartius in historia Universitatis Bononiensis, & spectat ad Camaldulenses: „ Pium quoddam sodalitium ad quartum circiter a Bo„ nonia milliarium prope Genam fluviolum coaluit initio seculi XIII. „ cujus pii operis auctor Albertus presbyter, ejusque adjutor proculdu„ bio fuit Bonmartinus medicus. Is anno 1204. cum Rodaldino argen„ tario agrum emit pro nascente sodalitio ad eum locum, quem dixi„ mus. Biennio post Bonmartinus idem cum Huguccione episcopo Fer„ rariense celebri academiæ Bononiensis professore & aliis honestissimis „ viris interfuit donationi cuidam huic societati factæ. Deinceps per

„ annos

„ annos aliquot nihil fere huius societatis nomine actum transactumque
„ est, quin Bonmartinus interfuerit. Societas S. Catharinæ de Quarto
„ sive de Gena hæc primum dicta est, quod esset in Quarti parœcia,
„ & prope Genam fluviolum constituta. Sed brevi tempore ex tenuissi-
„ mis principiis prope ad formam religiosi ordinis excrevit, & suis le-
„ gibus regebatur, quas Albertus presbyter instituti auctor & modera-
„ tor primus præscripserat. Erant hac leges non magnopere dissimiles
„ aliis, quæ pro canonicis Mantuanis S. Marci conditæ fuerant, sed
„ aliquanto rigidiores. Anno M. CC. XLVII. fratres & sorores, quæ ad
„ S. Catharinæ de Quarto degebant, non pauciores erant quam centum
„ quinquaginta. Quamquam enim hæc religiosa societas ex feminis po-
„ tissimum coalesceret, una tamen aderant religiosi viri aliquot ejusdem
„ instituti sectatores, quorum qui toti societati præerat, Prior diceba-
„ tur. Manavit in alia loca pium hoc institutum, nam conventus S.
„ Jacobi de Mella prope Brixiam, & Ferrariensis S. Mariæ de Miseri-
„ cordia, & Cremonensis S. Mariæ Vallis-viridis huic Bononiensi se sub-
„ jecerant, & priori S. Catharinæ de Quarto parebant. Universa hæc
„ familia ordinem S. Augustini profitebatur, sed initio hujus seculi XIV.
„ moderatorem habuit Raynerium Camaldulensis ordinis monachum,
„ qui in tabulis horum temporum dicitur *prior & rector ordinis S. Ca-*
„ *tharinæ de Quarto, & S. Mariæ Magdalenæ de Bononia Stratæ S. Dona-*
„ *ti*. Venerant scilicet jam tum moniales istæ in urbem cum paucis,
„ qui supererant fratribus, & ad S. Mariæ Magdalenæ consederant in
„ via S. Donati. Post autem mutatis iterum sedibus, adoptatisque con-
„ stitutionibus Ordinis Prædicatorum ad S. Johannis-baptistæ constiterunt,
„ quod est admodum celebre Bononiæ monasterium, in cujus archivo ta-
„ bulæ & monumenta antiqui ejus ordinis ad Quartum instituti asservan-
„ tur, quas affert idem Sartius pagg. 442. & 443. in Bonmartino inter
„ Medicinæ Professores in Historia præfata Academiæ Bononiensis, una
„ cum aliis ex Memorialibus Communis Bononiensis, inter quæ hæ sunt
„ quæ afferuntur de Raynerio monacho Camaldulense: *Anno* M. CCC.
„ III. *die* XIII. *maji religiosus vir dn. dompnus Raynerius prior & rector*
„ *ordinis & conventus ecclesie S. Catheline de Quarto & S. Marie Mag-*
„ *dalene de Bononia Str. S. Donati; Domna soror Palmeria magistra di-*
„ *cti ordinis & conventus; Dompnus Hugolinus; Frater Sanctus; Soror*
„ *Brunora*. Sequuntur moniales numero viginti sex. *Anno* M. CCC. V.
„ *die* XXIX. *octobris. Religiosus vir frater Raynerius prior mon. sororum*
„ *SS. Caterine de Quarto & M. Magdalene de Bononia. fr. Ugolinus &*
„ *fr. Sanctus dicti monasterii, domna soror Bitina magistra & alie nu-*
„ *mero* XXVII. *que sunt ultra quam decem partes capituli*, facultatem pe-
„ tunt vendendi ab episcopo Bononiense. *Anno* M. CCC. VIII. *die* IX.
„ *februarii. Convocatis dominabus & sororibus monasterii S. M. Magdale-*
„ *ne & S. Catheline strate S. Donati .... mandato religiosi viri fr. Ray-*
„ *nerii ordinis Camaldulensis prioris dictarum dominarum & monasterii,*
„ *necnon religiose domine Sor. Agnexie magistre & sororis Agnexine vi-*
„ *carie*; Sequuntur sorores numero XXXV. fratres vero nulli. " Hæc
omnia ex Sartio.

Ad eumdem annum 1303. *pag.* 259. *lin.* 13. Bonifacius pp. VIII. com-
misit anno IX. sui pontificatus quinto nonas martii episcopo Auximano
& priori S. Crucis Fontis-avellanæ ut præficerent idoneum abbatem monaste-
rio S. Johannis extra muros Anconitanæ urbis vacanti per obitum Ser-
vi abbatis.

Ad

Ad annum 1319. *pag.* 311. *lin.* 16. Die XXIII. decembris Baldovinus q. Ranaldi Arengerii civis Arretinus, & exactor datii solidorum trium pro libra impositi super clericis exemptis pro expensis legatorum Apostolicæ sedis recepit a domno Basilio vicecomite Camaldulensi libras tres pro prioratu Camaldulensi. Similiter anno sequenti die XVI. novembris idem recepit ab eodem libras octuaginta-duas pro domno Bertramo cardinale S. Marcelli sedis apostolicæ legato; manu Astuldi Baldinuccii de Viciano notarii. Ex tabulario Fontis-boni §. *Finis*. 13. *A.* 4. 84.

Ad annum 1320. *pag.* 313. *lin.* 14. De Matthæo Sabbatino vide, quæ afferimus ad annum 1509. *Tomo VII. pag.* 398.

Ad annum 1323. *pag.* 324. *lin.* 47. Mense januario hujus anni Bernardus archipresbyter majoris ecclesiæ Aquilanæ sententiam fert contra Richardum abbatem S. Quirici Reatinæ diœcesis Præmonstratensis ordinis quod ecclesia S. Salvatoris Fani-Cornu pertinet ad monasterium S. Nicolai de Cornu ordinis Fontis-avellanæ, & non ad illud S. Quirici quare etiam condemnat ad expensas monasterium S. Quirici, ex tabulario S. Crucis Fontis-avellanæ.

Ad annum 1325. *pag.* 330. *lin.* 8. Anonymus monachus Avellanensis, qui seculo XVI. scripsit historiam ejus cœnobii, hæc habet, quæ tamen ex dictis emendatione egent. *Postea vero anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quinto Johannes papa XXII. pontificatus sui anno* IX. *eremum S. Crucis Fontis-avellanæ ad sacrosanctam ecclesiam nullo medio pertinentis per priorem solitam gubernari, erexit in abbatiam, & instituit abbatem Ubaldum ejusdem ordinis monachum professum, qui eamdem eo quo potuit modo usque ad annum* 1350. *gubernavit. Quam male omnes illi tunc viventes Patres nostri futura prospexere! Quam male sibi ipsis nobisque consuluere! qui relictis suorum antecessorum sanctis institutis a recto tramite ad indirectum diabolo suadente convolarunt. Hinc effluxit omne malum, hinc pro jejunio ebrietas, pro paupertate habendi cupiditas; pro castitate humana fragilitas, pro perpetua inclusione vagandi appetitus. Solum remansit silentium in parva tabella scriptum.* Hæc Anonymus. Verumtamen Ubaldus, alias Humbaldus, ex abbate S. Benedicti Eugubii monachorum atri coloris translatus fuit ad eremum Avellanensem cærulei coloris, deducto Morico priore eremi ad abbatiam S. Benedicti, mutato ab utroque vestium colore. Vixit Ubaldus in regimine usque ad annum 1350.

Ad annum 1329. *pag.* 339. *lin.* 43. *Adde:* Sed de cellis Faventinis aliqua non injucunda leguntur in eodem opere Sartii de episcopis Eugubinis, quæ legimus & nos in tabulario S. Mariæ foris portam Faventiæ, unde Sartius descripsit.

Ad annum 1332. *pag.* 347. *lin.* 39. *Addatur:* Die sexta novembris anni 1346. cum prior monasterii de Bonarchanto Arborensis diœcesis immediate subjecti monasterio S. Zenonis de Pisis, de licentia abbatis dicti monasterii S. Zenonis ab hoc anno 1332. contraxisset debitum excedens summam librarum 360., quas ratione servitii advocationis debebadomno Philippo Manili Decretorum doctori & canonico Arborensi, net haberet, unde persolveret, dictus Philippus priori proposuit, si vellec manumittere duos servos Curiæ S. Gregorii de Paulato, quæ erat memtbrum dicti monasterii de Bonarchanto, & ad ipsum monasterium cum ser-

vis

vis pertinebat, ipse remitteret omne debitum monasterio. Quare Michael prior de Bonarchanto, habita licentia abbatis & monachorum S. Zenonis in libertatem tradidit duos servos, quos ut patronus excepit in servos dominus Philippus, qui remisit debitum; manu Bartholomæi de Ligia olim Johannis notarii. Ex archivo Fontis-boni §. *Finis* 24. A. 4. 58.

Ad annum 1347. *pag.* 360. *lin.* 14. Die decima-quarta februarii Bonjacobus q. Petri de burgo portæ Imolensis Faventiæ, propter amorem Dei & beatæ Mariæ Virginis, & in remissionem peccatorum donavit inter vivos fratri Dominico priori loci S. Mariæ de la Palma de burgo Pontis de Faventia unam petiam terræ sitam in Cerro plebatu & territorio Faventiæ, & si contigerit in dicta ecclesia divinum officium non celebrari, tunc dictæ vineæ fructus perveniant ad ministros fratrum Pœnitentiæ in pauperes erogandi. Item donavit fratri Masio hospitalario dicti hospitalis aliam petiam vineæ; manu Johannis q. Bartholini de Faventia notarii. Additur testamentum magistri Francisci q. Ugolini de Bononia habitatoris Faventiæ ex anno 1324. quo jure legati eidem hospitali relinquit unam domum cum curte & terreno sitam in capella hospitalis S. Sepulcri; item medietatem unius areæ & horti pro receptatione, & substentatione pauperum & infirmorum, & fratrum & sororum ibidem commorantium, & ministrantium in dicto hospitali; manu Antonii Michaelis Benincasæ notarii Faventini; Ex tabulario Fontis-boni §. *Donatio* P. II. A. 4. 45., quæ addimus ad historiam loci S. Mariæ de Palma, de qua mentionem fecimus ad annum 1328.

Ad annum 1345. *pag.* 387. *lin.* 30 Obtinuerat Paula ab Angelo Acciajolio episcopo Florentino hoc ipso anno &c., *lege* ante triennium, ut ex memoria tabularii S. Mariæ Angelorum de Florentia innuimus anno 1342. hoc ipso Tomo pag. 389.

Ad annum 1347. *pag.* 394. *lin.* 19. Ex antiquo chronico conventus S. Mariæ de Saxo prope castrum Biblenæ O. FF. Prædicatorum habetur sequens memoria, quæ primitus scripta a quodam Johanne Montagna Biblenense, qui vixit, & fuit custos oratorii constructi post apparitionem Reginæ cœlorum, & fuit testis de visu; inde servata ab Operariis Biblenensibus, postremo exarata fuit a Laurentio Ciatto celebri scriptore suorum temporum, & dicata Confalonerio Reipublicæ Florentinæ Laurentio Mediceo anno 1488.; & cujus autographum in membranis conscriptum cum tabulis coopertis serico damasceno albo custoditur in dicto conventu. Ibi igitur ad paginam septimam hæc continentur: „ Miracula
„ B. Mariæ Saxi incipiunt feliciter. Abbas quidam Xanthus nomine
„ fuit Biblenensis adhuc vivens, qui in heremo Camaldulensi aliquantu-
„ lum versatus, Maximo Biblenensi monacho venerabilis Abbatiæ Flo-
„ rentinæ retulit, quod ibi erat quidam heremita, qui Martinus dice-
„ batur, decrepitus centum quinque & viginti annos natus, & prolixam
„ barbam habebat. Is ad locum, ubi nunc est Virginis templum Ma-
„ riæ, quod Saxi dicunt, sese contulit, quippe ibi visa est quædam co-
„ lumba candidissima & pulcherrima, quæ quidem super illo saxo ejus-
„ dem Virginis Mariæ sedebat. Hæc cunctis illius regionis admirationi
„ erat, immota manebat, nec discedebat, nonnullique Biblenenses juve-
„ nes eam ex saxo expellere conabantur, nulloque pacto poterant, Ve-
„ rum Martinus eremita idem facere sæpe numero aggressus est; at illa

„ super

„ super eodem saxo triginta diebus moram traxit . Deinde alter here-
„ mita Dei Virginisque nutu Mariæ ex Hispania profectus habitavit in
„ pratis secus Virginis Mariæ templum, ibique sacellum ædificavit, ubi
„ magnam pœnitentiam agebat . Matutino autem tempore e cella sua
„ egrediebatur, & orabat super eodem saxo , eamdem columbam respi-
„ ciebat, quæ erat pulcherrima, ut diximus, magnaque voluptate , ne-
„ que non parva admiratione afficiebatur. Post vero trigesimam diem hæc
„ columba ad heremitam matutino tempore advolavit , atque ad eum
„ prope accessit. Sed heremita motus est ut eam caperet, illa autem ul-
„ terius avolabat, quousque heremitam ad saxum illud perduceret. Tan-
„ dem avolavit, cœlos penetravit, eamque non amplius vidit. Tunc he-
„ remita animadvertit Deo placere , quod ibi habitaret , ibique cellam
„ suam ædificavit, & ad mortem usque pœnitentiam egit. Quid igitur
„ aliud significat hæc columba, nisi illam simplicitatem columbæ, ut ait
„ Hieronymus, *quæ fuit in Maria illæsa inviolataque*, *de qua Salomon*
„ *in Canticis : Veni columba &c.* " Hæc Ciattus . Sub lapide a cornu Evangelii capellæ sanctissimi Rosarii positæ in capella superiori, ubi traditio fert humatum fuisse alterutrum ex his eremitis, circa annum 1748. prior ejus conventus & Dominicus Poltri tunc præpositus Biblenensis , postea dignissimus episcopus Sanminiatensis, invenerunt calvariam & ossa componentia integrum cadaver , sed nullum signum nullamque veterem memoriam præterea reperierunt.

Ad annum 1350. *pag.* 404. *lin.* 6. De Paulo secundo abbate Avellanense hæc scribit anonymus ejusdem loci : *Ubaldo successit Paulus anno* 1350. *qui ita se gessit, ut se gubernante anno* 1373. *Gregorius papa XI. coactus fuerit ad hujusmodi abbatiam reformandam episcopum Castellanum ac Nucerinum a sede Apostolica reformatores mittere quorum reformationes & constitutiones in abbatia extant*. Sed de his constitutionibus scilicet illis Castellani episcopi, hæc idem author subjungit: *Quas quidem pessimas refutavimus* : factas vero ab Alexandro Nucerino episcopo anteriori tempore Innocentii VI. *saluberrimas judicavimus* . Neque tamen Paulus segnis fuit in restituenda disciplina monastica . Antiquæ membranæ fragmentum extat anni 1355., in quo legitur, eumdem *Paulum*, *adhibitis in consilium reliquis monasterii patribus* , *nonnulla decrevisse ad rem Avellanensem sartam tectamque conservandam*; *illud in primis*, *ne quis ejectus vel fugitivus ex alio ordine*, *vel major quadraginta- octo annorum assumeretur inter monachos Avellanenses &c.*

Ad annum eumdem 1350. *pag.* 405. *lin.* 47. Jehu œconomus episcopatus Senensis &c. *Dele* , *nam totidem verbis idem repetitur initio* Tomi VI. pag. 4.

Ad annum 1350. *pag.* 405. *lin.* 22. Cum Benvenutus Major eremi Camaldulensis acceptasset hæreditatem , legata & possessiones relicta dictæ eremo ab Angelo q. Rossi de Catenaciis cive Arretino , ex ultimo suo testamento rogato per Bartholomæum olim Balduccii de Arretio hoc ipso anno die XXXI. decembris, quo dictus Angelus legavit eremo præfatæ domos, palatium & ædificia , quæ habebat in cortinis Arretii in villa Vignalis curiæ S. Floræ, & unam clausuram juxta dicta ædificia , & generaliter omnia & singula bona immobilia, & annuos affictus, quos percipiebat in dicta curia S. Floræ , & totum id , quod possidebat in terris , vineis , pratis & silvis positis in villa Fontiani comitatus Arretii,

tii, ea lege, quod infra annum in dictis ædificiis per ipsam eremum ædificaretur eremitorium, in quo unus saltem sacerdos eremita cum tribus aliis eremitis dicti ordinis Camaldulensis sub certa regula permanerent; idcirco Johannes Camaldulensis eremi prior & totius ordinis Generalis, præhabita facultate a generali capitulo habito in monasterio S. Justi de Volaterris, de consensu supradicti Benvenuti Majoris, Severi sacristæ, Nicolæ & Guidonis eremitarum ratificavit dictam testamenti receptionem, atque approbavit, volensque voluntatem dicti testatoris executioni mandari, decrevit, quod in prædictis ædificiis de Vignale eremitorium seu monasterium fieri deberet, cujus vocabulum foret *eremitorium S. Romualdi de Vignale* ordinis Camaldulensis, & habitaretur per fratres ejusdem ordinis. Actum in Capitulo eremi prædictæ die nona julii; manu Johannis Jacobi notarii. Ex tabulario Fontis boni. §. *Ratificatio 6. A. 4. 26.*

ADDENDA ET EMENDANDA

IN TOMO VI.

AD ANNUM 1361. *pag. 62. lin. 6.* Sed vide, quæ superius in hac eadem Appendice melius innuimus ad annum 1031. & ad Tom. I. pag. 34.

Ad annum eumdem pag. 64. lin. 6. De victoria hac a Florentinis reportata adversus Pisanos, quæ in visione exhibita fuit B. Paulæ oranti, consulatur historica dissertatio de *Curribus, qui ducuntur ad templum S. Johannis Baptistæ die ipsius natalitio*, quam concinnavit amicissimus noster & doctissimus vir Dominicus-maria Mannius; qui eam descriptam in Tabula, quæ olim extabat vel in ecclesia S. Petri Scheraggii vel in altera S. Stephani, prope ubi modo est ærarium publicum, diligentissime observavit, & illustravit. Ait ergo capite XXXII. Tabulam hanc figuræ ovalis in vertice, altitudinis brachiorum quinque cum tertia parte, latitudinis brachiorum trium, sub imaginibus Salvatoris, qui Mariam Virginem corona redimit, repræsentare figuras Sanctorum Protectorum urbis Florentinæ, quorum primum locum obtinet S. Johannes-baptista, secundum S. Victorius in habitu pontificali cum palma in dextera, tertium vero beata Paula, quæ cum expressa coloribus fuerit, dum adhuc viveret, verisimillimum est naturalem suam speciem indolemque oris & vestium exhibere. Neque Mannio scrupulus iniicitur, quod conspiciatur beata Paula redimita diademate in capite, dum nondum ad æthereas sedes pervolaverat, quia cum in ore vulgi adhuc vivens Beata audiret & proclamaretur, potuit, qui imaginem confecit, eam diademate Beatorum consueto coronare. Vestis alba, qua induitur, clarissime demonstrat, eam fuisse Sanctimonialem vel Tertiariam, quam vocant, sed Camaldulensis ordinis, qui candidis vestibus indutos in monasterio S. Mariæ Angelorum de Florentia alumnos suos servabat; de qua re nullus Scriptor dubitat. In manu urbem Florentinam gestat juxta veterem usum pingendi urbium Protectores. Virgultum, quod exsurgit inter has imagines, indicare putat burgum Cascinæ, in quo pro Florentinis adversus Pisanos stetit victoria. In extrema parte Tabulæ insignia videntur eorum, qui eam elaborari mandarunt, & qua occasione coloribus fuit expressa.

Sunt

Sunt autem insignia Ecclesiæ, Andegavensium principum, Ungariæ regni, Lilii, partis Guelfæ, Artis mercatorum, Artis Cambii, Carroccii de Albertis, & Davanzati de Davanzatis dominorum Ærarii ejus anni, & postremo insignia ipsius Ærarii. Antonius Fabbrinius Ærarii director nuperrime sequentem inscriptionem apposuit: *Tabulam hanc Florentinæ gentis erga Deiparam Virginem, aliosque Urbis Patronos observantiam præseferentem anno* M. CCC. LXVI. *quo Bartholomæus filius Caroccii de Albertis, nec non Davanzatus Johannis Davanzati filius Duumvirum monetalium munere fungebantur, rara elegantia elaboratam, Regnante Petro Leopoldo archiduce Austriæ M. E. D. Pio Felici Augusto, curantibus regiorum vectigalium supremis in Etruria administris, cum monetæ cudenæ officina novis opportunisque commodis & ornamentis instauraretur, Antonius Fabbrini A. A. AER. F. F. præpositus vetustate ac situ squallentem expoliendam, decorandamque curavit anno R. S.* M. DCC. LXVI. *& memoriæ caussa titulum apposuit.*

Monumentum hoc gloriosum B. Paulæ nostræ, quæ adhuc vivens Patronis urbis Florentinæ annumerata est, præterire religio fuit. Ceterum hæc beatæ Paulæ visio non una fuit; sed cum semper pro patriæ liberatione preces ad Deum funderet, variis vicibus, tum post biennium, nempe anno 1363., tum sequentibus annis iis visionibus dignata fuit; ob quas locum conspicuum in Tabula obtinuit.

Ad annum 1368. *pag.* 98. *lin.* 10. Ad illustrationem dictorum subjungimus monumenta, quæ extant in libro M. tabularii S. Mariæ Angelorum de Florentia pag. 118. *Die* 2. *januarii. Memoria sia a noi e chi succederà dopo di noi, che adì* 6. *di Gennajo* 1368. *passò di questa vita la religiosa e spirituale serva di Cristo Suor Paola Monaca del Romitorio di santa Margherita, che solea esser dirimpetto a noi al nostro Monastero, la quale virtuosamente vivette anni* 52. *nel servigio di Dio, e sempre ebbe a questo nostro monastero singolare amore & affetto, e per pace e bene di noi proccurò e fece, che le Compagne sue, che prima erano sotto la giurisdizione del Vescovo di Firenze, fossero sotto la nostra obbedienza e reggimento. E poi il reverendo in Cristo padre messer Angelo degli Acciajoli vescovo di Firenze si ci donò liberamente per amor di Dio il detto romitorio, siccome appare in questo libro a carte* 73. *Onde noi dopo la morte di detta Suor Paola, che fù l'ultima, che rimanesse nel detto romitorio, avendo noi a sua vita udito il suo consiglio e volere sopra fatti di detto romitorio, come a lei pareva, che non lo sostenessimo, ma che lo levassimo al tutto via, per onestà e pace di noi, e simile i nostri antecessori havevano deliberato di fare, e anche molte altre religiose persone così ci consigliarono. Onde nel predetto anno nella morte della predetta Suor Paola si disfacemmo tre caselline, che vi erano, che erano quasi da niente, e due altre caselline che ci avanzarono, si le facemo alzare e murare, e farvi palchi e tetti, sicchè si potessero abitare. E poi si le appigionammo e concedemo a Bindo Benini e alla sua donna, siccome appare in questo libro a carte* 114. *Onde noi volendo riconoscere questo benefizio, si abbiamo ordinato e deliberato nel nostro Capitolo di celebrare sempre in questo nostro monastero il dì della Festa di Santa Margherita sollennemente, siccome facciamo quella di San Francesco e di Sant'Antonio, nella quale si faccia una piettanza a Frati, e debbasi spendere nella detta Festa e piettanza fiorini cinque d'oro. E ancora far sempre ogni anno l'anniversario solenne del dì della morte di detta suor Paola per l'anima sua e delle sue compagne morte nel predetto*

romitorio, nel quale si spenda in cera e fare alcuna ricreazione a frati in Refettorio fiorini tre d' oro. Et li detti Fiorini d' oro otto si debbano trarre dalla pigione si hà delle due case per noi rifatte. E di questo obblighiamo le nostre coscienze e de nostri Successori di sempre fare la detta festa e Anniversario, come detto è.

Memoria, che il reverendo in Cristo padre messer Angelo degli Acciajoli vescovo di Firenze essendo pregato dalle romite del romitorio di santa Margherita di Cafaggiolo, il quale è qui dirimpetto a noi, per bene e salute & onestà di noi e di loro di volere esser sotto di noi; onde il detto vescovo ci concedette e donò ogni giurisdizione dell' edificio del detto romitorio e delle dette romite, che noi ne potessimo fare come di nostra cosa propria, & elleno si confessarono di volere essere; e di ciò abbiamo carta fatta per mano di ser Bindo di ser Martino adì 16. Agosto 1342. Ex pagina 73, ejusdem Regesti.

Ad annum 1370. *pag.* 109. *lin.* 3. Sed de Andrea Camaldnlensi monacho electo abbate Montis-casini vide, quæ illustravimus T. VIII. pag. 183. ubi clarissime ostendimns ex prioratu S. Mathiæ Muriani ipsum transiisse ad regimen archicœnobii Casinensis.

Ad annum 1384. *pag.* 149. ad calcem anni addatur sequens memoria ex tabulario Avellanensi. *In Dei nomine. Anno Domini* M.CCC.LXXXIIII. *indictione* VII. *tempore sanctissimi patris & domini domini Urbani divina providentia pape VI. die* XXVIII. *mensis junii. Convocato & congregato generali capitulo & conventu monachorum & monasterii S. Crucis Fontis-avellane Eugubine diecesis in ecclesia S. Donati de Gualdo Nucerine diecesis ad sonum campanelle ut moris est. Et hoc est, quia ubi solet dictum capitulum congregari & coadunari, propter guerrarum discrimina, ut evidenter apparet, ad presens fieri & coadunari non potest, de mandato venerabilis & sapientis viri D. Nicolai abbatis monasterii S. Benedicti de Gualdo predicto commissarii & reformatoris monasterii S. Crucis predicte, & rerum, bonorum & jurium ejusdem tam in capite quam in membris, specialiter ordinatus a reverendissimo in Christo patre D.D. Luca tituli S. Sixti Dei gratia presbytero cardinali generali reformatore monasterii bonorum & membrorum S. Crucis prefate tam in capite quam in membris, per SS. in Christo patrem & D.D. Urbanum Divina providentia papam VI. specialiter deputato. In quo quidem capitulo interfuit D. Nicolaus reformator predictus, cui D. Paulus abbas S. Crucis licentiam, que ad reformationem monasterii & membrorum predictorum exigitur & debetur, plenarie commisit. Et interfuerunt infrascripti monachi; videlicet D. Nicola ser Luce de Eugubio prior claustralis dicti monasterii S. Crucis, qui quidem prior claustralis, ut apparet manu Frederici q. Petrutii Nicolai de Perusio publici notarii habet voces & infrascriptorum monachorum, in primis vocem D. Petri &c. in quo etiam capitulo interfuerunt D. Mattheus ser Nerii de Eugubio sacrista &c. qui habet vocem D. Francisci abbatis S. Angeli de Sortecchio, D. Simonis prioris S. Marie de Morimundo, & D. Venturelli camerarii monasterii S. Crucis predicte, D. Andreas ministerialis, & D. Petrus Cenne infirmarius &c. Johannes de Esculo &c. omnes monachi monasterii S. Crucis antedicte. Facto secreto scrutinio inter eos omnes concordes, duobus non obstantibus in contrarium, dictus domnus reformator institutionem vel commendam per dictos domnum abbatem S. Crucis, priorem claustralem ejusdem vel per quemcumque alium factam seu datam in ecclesia S. Ruffine de Monte-salajolo districtus Eugubii de persona cujuscumque monachi*

chi seu conversi dicti monasterii S. Crucis vel cujuscumque alterius revocavit, & ad ipsius ecclesie regimen religiosum virum fratrem Mariozum ser Cole de Eugubio monachum dicti monasterii S. Crucis ibidem presentem & acceptantem in abbatem & legitimum administratorem instituit, posuit & destinavit. Actum Gualdi. Angelus Raynaldi notarius publicus.

Ad annum 1385. *pag.* 155. *lin.* 3. Quoad donationem Francisci Bruni extat hujusmodi memoria in regesto M. monasterii S. Mariæ Angelorum de Florentia pag. 130. quam subdimus ipsa vernacula lingua, ex qua etiam aliqua non spernenda addiscimus de ipso Francisco Bruni. *Die decima julii: M. Francesco Bruni Segretario del Papa, il quale dimorava nel popolo di S. Procolo di Firenze, lasciò a noi per suo testamento fatto per mano di Ser Albizo di Messer Filippo da Barberino, il quale noi abbiamo compiuto appresso di noi, cioè la parte, che ci tocca degli infrascritti libri e dinari. Il detto Messer Francesco passò da questa vita adi* 10. *di Luglio* 1385. *In prima ci lasciò fiorini* 10. *d' oro ogn' anno in perpetuo per l' anima sua, e per simile modo ne lasciò in altri luoghi intorno a fiorini* 90., *con condizione, che se le sue rede non gli pagassono, overo ne mancassono alcuno, i Tiratoj suoi, che sono posti nella via della Pergola, pervenissено alla Compagnia di Orto san Michiele, ed eglino ci dovessono fare il detto pagamento della rendita di essi ogni anno, siccome pienamente si contiene nel suo testamento.*

Item si lasciò un libro cioè la Bibbia sua, e per cagione, che al tempo della sua morte non l' haveva, però ch' era venduta, ci lasciò in quel cambio tanti di altri suoi libri, che valessero la detta Bibbia, la quale fù stimata fiorini 40. *d' oro; per la quale havemmo:* Augustinus de civitate Dei.

Item ci lasciò un libro, che si chiamava Catholicon.

Item certi altri libri, i quali egli haveva in dubbio, che fossono suoi, ci lasciò con certe condizioni, come si contiene nel predetto suo testamento.

Lasciaci nel detto Testamento un libro chiamato Lattanzio, *in caso, ch' egli ne potesse disporre, imperochè disse, che l' ebbe da un Frate de Romitani di Sant' Agostino, ch' è morto, e dubitava quello ne facesse. Similmente ci lascia un' Isidoro* Etimologiarum, *il quale l' ebbe da un Frate Predicatore Maestro del Sagro Palazzo, che moritte in Vignone; e grava noi, che ci chiariamo, à cui si debbono restituire, e che secondo la chiara ragione si restituischino, ma dove s' appartenessono a lui, gli lascia a noi. E similmente ci lascia un libro di Morali di San Gregorio, e un libro della Esposizione di Sant' Agostino sopra il Salterio grande, che dice ebbe in Siena da un luogo de Frieri, e tennegli di volere del Priore di quel luogo. Abbisi consiglio di ciò; e se puole, gli lascia a noi.*

Abbiamo una Scritta fatta di primo dicembre, anzi Settembre 1385. *di mano di Messer Giambruno figliolo del detto Messer Francesco, e soscritta per Urbano suo Fratello, como ebbono da Noi, cioè gli confessarono haver havuti questi libri; cioè Ugo Papiense;* Liber Senecæ; *Tragedia di Seneca; Due rettoriche nuove; Libri* S. Thomæ de Aquino contra Gentiles; Ethica Aristotelis; Metaphysica Aristotelis; *Servio sopra Virgilio; Rabano* de novo & veteri testamento; Solinus, Palladius, Isidorus &c.

E benchè non ci gravi di Anniversario, pure considerando la gran devozione, che c' ebbe, deliberossi a Capitolo tutto in concordia di farlo ogn' anno in perpetuo, gravandoci di ciò le coscienze nostre e de nostri successori.

Ad annum 1387. *pag.* 160. *lin.* 32. Redacta fuit taxa monasterii S. Crucis Fontis-avellanæ ad florenos 200. ut legitur in libro *Obligationum Cameralium*, & proinde D. Ursus abbas die xv. octobris obtulit florenos 200. & deinceps D. Marrotius die xxiv. maji anni 1405.; D. Lucidus cardinalis de Comite pro commenda anno 1419. die xv. novembris. D. Petrus Blasii abbas xxvii. septembris anni 1424. & die xxii. aprilis anni 1456. Bessarion cardinalis episcopus Tusculanus pro commenda obtulerunt florenos 200. cum antea offerrent florenos 1000. Sic die xviii. februarii anni 1299. frater Jacobus prior S. Crucis Fontis-avellanæ obtulit florenos 1000. Sic D. Moricus prior die x. decembris anni 1320. Sic Ubaldus abbas Fontis-Avellanæ, olim prioratus, anno 1325. ad diem xxii. junii. Sic demum Paulus abbas die xviii. maji anni 1351.

Ae annum 1391. *pag.* 169. *lin.* 4. Ipsam delegationem subjicimus; *Herculanus Dei & apostolice sedis gratia abbas monasterii S. Savini Firmane diocesis, conservator monasterii S. Crucis Fontis-avellane, Eugubine diocesis, membrorum & jurium ipsius a sede apostolica specialiter deputatus venerabilibus viris dominis monasterii S. Petri de Eugubio, S. Bartholi Eugubine diecesis, S. Marie de Apennino diocesis Nucerine, S. Romualdi de Valle-castro Camerinensis diocesis Dei gratia abbatibus, & venerabili viro D. Archidiacono Anconitano & vicario domini episcopi Anconitani salutem in Domino. Noveritis nos jam pro parte domini nostri Pape literas recepisse tenoris & continentie infrascripte:* Johannes episcopus servus servorum Dei. Militanti ecclesie *&c.* (est solita bulla Conservatoria) *Cumque fuerimus pro parte domni Nicolai ser Luce monachi monasterii S. Crucis Fontis-avellane diocesis Eugubine, ac etiam reverendi in Christo patris D.... abbatis S. Donati de Gualdo Nucerine diocesis membri dicti monasterii S. Crucis requisiti super nonnullis causis questionibus & controversiis movendis, & contra nonnullos tam clericos quam seculares detentores, occupatores bonorum jurium dicti monasterii S. Crucis & membrorum & rerum ipsius, ut assistere & procedere deberemus, Nos vero, quia pluribus variis negotiis apostolice camere impediti non valentes in predictis assistere, remedio opportuno discretionibus vestris tenore presentium committimus, quatenus contra quoscumque tam religiosos quam seculares possitis & debeatis procedere, cognoscere & determinare. Actum Perusii in domo habitationis prelibati D. Herculani abbatis site juxta ecclesiam S. Johannis de medio platee sub anno* M. CCC. LXXXXI. *indictione* XIV. *die* XV. *mensis martii pontificatus SS. D. N. Bonifacii Divina providentia pape IX.*

Ad annum 1393. *pag.* 180. *lin.* 44. Sed revera Bartholomæum cardinalem fuisse primum commendatarium abbatem S. Crucis Fontis-avellanæ evincitur ex testimonio anonymi Avellanensis, & ex sequenti monumento: Anonymus itaque hæc scribit. *Bartholomæus Mezzavacca Bononiensis S. R. E. cardinalis primus abbas commendatarius monasterii S. Crucis Fontis-avellanæ. Ejus vicarius Antonius abbas S. Mariæ de Strata Bononiensis diocesis.* Monumentum est sequens: *In nomine Domini amen. Anno a nativitate ejusdem* M. CCC. LXXXXIII. *Cum hoc sit, quod religiosus & honestus vir D. Mariozus ser Nichole de Eugubio monachus S. Crucis Fontis-avellane Eugubine diocesis fuerit & sit institutus & electus per capitulum dicti monasterii prior & rector ecclesie S. Blasii de Monte-buturlo Perusine diocesis, & per D. Petrum Angeluccii de Costaciaro monachum dicti monasterii occupentur & retineantur illicite & indebite, ut dicitur, que-*

dam

dam bona pertinentia ad dictam ecclesiam, idcirco congregato conventuali capitulo dicte S. Crucis in sala infrascripta de mandato venerabilis patris & D.D. Antonii abbatis monasterii S. Marie de Strata Bononiensis diocesis, vicarii sindici & procuratoris reverendissimi in Christo patris & D.D. Bartholomei divina miseratione tituli S. Martini in Montibus cardinalis presbyteri commendatarii & administratoris monasterii S. Crucis antedicte &c. supradictus abbas vicarius una cum supradictis monachis omnem locationem cessionem & dationem factam eidem D. Petro de dictis rebus revocaverunt, & annullaverunt, volentes &c. Actum Pergule in sala domorum ecclesie S. Andree de Pergula. Ego Nicolaus ser Diotajude Salvoli de Pergula notarius publicus. Iterum anonymus Avellanensis: *Defuncto itaque Paulo anno 1392. reverendissimus D. Bartholomæus S. Martini in Montibus cardinalis tempore Bonifacii IX. abbatiam S. Crucis Fontis-avellanæ sibi commendari obtinuit, & sic primus venerabilis hujus monasterii extitit commendatarius. Annuo censu contentus vicario suo rem administrandam reliquit.*

Ad annum 1400. pag. 200. lin. 46. Post verba: *Hæc Fortunius*; Addimus his loci totam seriem facti ex Regesto primo ejusdem monasterii, nunc asservato in tabulario S. Mariæ Angelorum de Florentia, ubi etiam adduntur ædificia hoc & sequentibus annis facta.

„ Ad perpetuam religiosi operis hujus monasterii memoriam, & ut
„ successoribus ac posteris nostris, qui in hoc monasterio Deo sub regu-
„ lari observantia & institutione regulæ beati Benedicti servituri sunt, no-
„ tum sit de origine hujus monasterii, sciantque, qui voluerint, quo tem-
„ pore, & a quibus personis, ac de cujus substantia hic locus initium
„ sumpserit, in principio hujus libri, qui Registrum nuncupatur, cla-
„ rius, ut potuimus, præfata omnia patefacere curavimus.

„ Fuit vir quidam civis Florentinus honestæ vitæ, rei familiaris mo-
„ deramine vivens, negotiator ferrarius, & secundum mediocritatem sta-
„ tus sui officii regiminis Reipublicæ honoratus, Jacobus Ricci vocatus.
„ Hic cum ad sexagesimum ætatis suæ annum pervenisset, ex hac luce
„ migravit anno Dominicæ incarnationis M.CCC.LXXXXV. die XIV. men-
„ sis Junii, relictis ex sua legitima conjuge tribus filiis, duobus scilicet
„ masculis, femina una matrimonio juncta. Unus vero ex illis filiis ma-
„ sculis ætate major, qui dicitur Riccius, ante obitum sui patris fere
„ viginti annos, effectus Monachus in monasterio sanctæ Mariæ de An-
„ gelis de Florentia, & vocatus est Frater Alexander: alter vero minor
„ ætate dictus est Franciscus, qui adhuc vivente patre accepta legitima
„ conjuge genuit filios & filias. Huic ergo, quia solus relictus est, hæ-
„ reditario jure devenit omnis substantia prædicti patris sui, quam idem
„ licitis acquisierat lucris. Post obitum vero prædicti Jacobi, quinque
„ annis evolutis, scilicet 1400. Dominicæ Incarnationis anno sæva pe-
„ stilentia Florentiæ exorta est, in cujus initio idem Franciscus, consi-
„ lio dicti fratris Alexandri germani sui, ne ab intestato decederet,
„ suum condidit Testamentum. In quo cum de sua substantia plurima
„ disposuisset, finaliter sic conclusit ultimam voluntatem: scilicet quod
„ si ipse vel etiam filii ejus in ætate pupillari decederent sine filiis legi-
„ timis & naturalibus, prædicta sua substantia hæreditario jure deveniret
„ universitati Cambii civitatis Florentiæ, hac cum conditione, quod uni-
„ versitas artis præfatæ de dicta sua substantia eidem universitati delega-
„ ta, disponeret uniformiter secundum suam voluntatem, quam præfato

„ fratri

„ fratri Alexandro ſub gravamine conſcientiæ ejus ſacrate indicaverat, ſicut „ de his omnibus patet per teſtamentum præfatum, de quo in hoc Re„ giſtro ſuo loco ordinate narrabitur. Accidit autem, ut præfata peſti„ lentia civitatem Florentiæ ſæve vaſtante, dictus Franciſcus ſecunda die „ Auguſti prædicti anni ex hac vita ejuſdem peſtilentiæ morbo migra„ vit, paucis diebus præmiſſis filiis cum uxore defunctis, parvula puel„ la relicta, quæ poſt menſem obitus patris ſui & ipſa defuncta eſt. „ Igitur omnis familia illa ſic ex hac luce ſubtracta, ultima illa condi„ tio præfati Teſtamenti contigit, qua univerſitas artis Cambii præfatæ „ hæreditati ſuccederet modo & forma ac conditione jam dicta. Videns „ itaque domnus Alexander, quod ſecundum formam illius ſecreti per „ Franciſcum fratrem ſuum ſibi commiſſi, Deo ſic diſponente, bona hæ„ reditatis prædictæ Divino cultui mancipanda erant, volens, ut religio„ ſa intentio, laudabiliſque voluntas fratris ſui in omnibus adimpleretur, „ ſuæque conſcientiæ ſatisfacere, diſpoſuit invocato Spiritus Sancti auxi„ lio hominibus prædictæ artis ad hæc deputatis ſecretum ſibi commiſ„ ſum ſimpliciter, mereque, ut propria conſcientia dictabat, manifeſtum „ facere.

„ Cum itaque perſonaliter cum Conſulibus dictæ artis de prædicto ſe„ creto commode non poſſet conferre, quia erat Monachus dicti mona„ ſterii recluſus, ut alii dicti monaſterii monachi, & maxime quia in „ eo tempore erant in monaſterio illo quidam de ipſo ſecreto plurimum „ ſuſpicantes, timenteſque, quod ſi de dictæ ſubſtantia hæreditatis locus „ religioſus conſtrueretur, monaſterium illud detrimentum non pateretur, „ deliberavit per ſcripturas conſulibus prædictis ſecretum illud pubblica„ re, quod in hunc modum prædictis conſulibus per ſuas literas inti„ mavit.

„ Venerabilibus civis Conſulibus univerſitatis artis Cambii notificatur „ per me fratrem Alexandrum filium quondam Jacobi Ricci monachum „ monaſterii ſanctæ Mariæ de Angelis de Florentia omnem ſubſtantiam „ Franciſci quondam filii prædicti Jacobi & fratris mei, jure hæredita„ tis univerſitati artis veſtræ deveniſſe, ſicut patet per teſtamentum ejuſ„ dem Franciſci ſumptum de Protocollis vel imbreviaturis ſer Pauli Ri„ coldi, de quo idem rogatus fuit, ſed morte præventus per ſer Gherar„ dum filium ejuſdem ſer Pauli publicatum fuit. Inſuper notum vobis ſit, „ ſicut manifeſte apparet in teſtamento præfato, quod Franciſcus prædi„ ctas impoſuit mihi ſub onere conſcientiæ meæ quoddam ſecretum in„ tentionis ſuæ vobis per me manifeſtandum, cui voluit, rogavitque „ univerſitatem veſtram plenam adhibere fidem, ſecundum tenorem cu„ jus ſecreti rogavit homines ejuſdem univerſitatis diſponere atque diſ„ penſare de dicta ſua ſubſtantia, ſi ſecundum formam ſui Teſtamenti „ univerſitas artis veſtræ ſuccederet bonis hæreditatis ſuæ. Poſtquam ve„ ro Divinæ diſpoſitioni placuit ex deceſſione teſtatoris prædicti omnium„ que ſuorum univerſitati veſtræ prædictæ hæreditatis bona devolvi, ego „ domnus Alexander volens cum omni effectu providere ſaluti animæ „ fratris mei, necnon pro pace conſcientiæ meæ fideliter exequi, quod ſo„ li mihi fideliter commiſit ipſe, fidens de me pluſquam de aliquo alio, „ qui tunc viveret ſuper terram, invocans omnipotens Dei nomen, cui „ nuda omnia & manifeſta ſunt, beatæque Dei Genitricis Mariæ, nec„ non & omnium totius ſupercæleſtis curiæ Sanctorum in teſtimonium „ conſcientiæ meæ, manifeſto, pando, clareque pronuncio vobis venera„ bilibus civibus artis Cambii Conſulibus, & quibuſcumque perſonis

„ conti-

„ contigerit præsentem scripturam inspicere, cum omni fideli, sincera ac
„ simplici veritate, ac si modo ex hac luce migraturus essem, insuper obli-
„ gando me ipsum de his, de quibus dicitur, secundum omne sacramen-
„ tum vel juramentum facere meæ professioni licitum atque honestum,
„ quod secretum mihi impositum per præfatum fratrem meum in hac for-
„ ma fuit, & hæc continet substantialiter.

„ Ego Franciscus Jacobi tibi fratri Alexandro germano meo impono sub
„ gravamine conscientiæ tuæ, ac injungo cum omni confidentia, fidens de
„ tua dilectione circa me, quod fideliter & cum omni diligentia exequeris
„ ea, quæ tibi committo; videlicet, quod si post discessum meum casus
„ illius conditionis, quæ in meo Testamento, prout tu scis, devenerit
„ atque contigerit, per quam universitas artis Campsorum succedat hæres
„ omnium bonorum meorum, & dicta ars, prout vera hæres bona eadem
„ acceptaverit atque acquisierit, quod tu notifices Consulibus dictæ artis,
„ qui illo tempore erunt, quæ ego volo, dispono atque præcipio, ut de
„ eadem mea substantia vel bonis meis, ad honorem Dei, & pro reme-
„ dio animæ meæ & antecessorum meorum ædificetur sive construatur in
„ civitate Florentiæ sive extra unum monasterium monachorum secun-
„ dum Ordinem Camaldulensem, in quo observetur eremitica vita sub
„ Regulæ sancti Benedicti observantia, prout hodie vel potius antiqui-
„ tus observatum fuit in monasterio sanctæ Mariæ de Angelis de Flo-
„ rentia, & sub eadem forma disponatur. Si vero substantia bonorum
„ meorum non sufficeret ad perficiendum prædictum monasterium, inci-
„ piatur opus, atque de bonis meis construatur, quantum potest de ipsa
„ substantia ædificari, quod de Divina bonitate confido, quod auxilio ejus
„ perficietur opus. Insuper injungo tibi, ut dictos Consules roges, ut
„ Divino intuitu placeat eis hanc meam ultimam voluntatem executioni
„ mandare cum omni diligentia & sollicitudine, & quam citius potuerint,
„ habeantque respectum ad meam circa eorum universitatem confiden-
„ tiam atque devotionem, quod magis de ipsorum universitate, quam
„ de alia aliqua confisus sum, executionem atque effectum meæ ultimæ
„ voluntatis per ipsorum industriam perfici posse, atque adimpleri. Qua-
„ re ego Frater Alexander supplico reverentiæ vestræ, ut omnipotentis
„ Dei amore, & vestræ universitatis honore velitis ista, quæ vobis meo
„ scripto declaravi, simpliciter omni fide credere, quod voluntas dicti
„ Francisci fratris mei ita se veraciter habet; insuper diligenter omnia exe-
„ cutioni mandare, sicut de jamdudum vestræ universitati commissis opti-
„ me laudabiliterque, ut patet, egistis.

„ Transactis vero paucis mensibus, postquam domnus Alexander per
„ supradictam scripturam præfatum secretum manifestavit dictis Consuli-
„ bus; ipsique Consules prout occupati majoribus negotiis artis, atque de
„ executione dicti Testamenti, vel de capiendo dictam hæreditatem, vel
„ de aliis causa prædicta agendis modicum attendentes, res longius,
„ quam oportebat, prolongabatur. Quod considerans domnus Alexander,
„ nec valens, ut monachus reclusus antedicti monasterii, procurare, ut
„ voluntas atque intentio fratris sui adimpleretur, timens, ne per negli-
„ gentiam aut causam aliquam opus ad desideratum finem perduceretur,
„ deliberavit egredi de monasterio, ut commodius posset cum Consuli-
„ bus conferre, eosque sollicitos reddere ad prædictorum executionem.
„ Et primo post egressum suum, ut licite & salva conscientia & sine
„ obstaculo vel impedimento cujuscumque posset prædictum opus prose-
„ qui, & maxime quia quidam de jamdicto monasterio propter superius

„ dictam caufam fe eidem opponebant , ne intentio teftatoris implere-
„ tur, impetravit ab Apoftolica Sede , tempore Bonifacii papæ IX. fo-
„ lemnem Bullam, de qua in hoc Regiftro fuo loco narrabitur, omnia
„ ex confilio providi viri domini Stephani de Bonaccurfiis decretorum
„ doctoris agens. Cepit proinde domnus Alexander perfonaliter fuper præ-
„ dictis multa cum Confulibus conferre, multos, variofque tractatus cum
„ eis habere, & fuper his labores graves multofque perferre, quia mul-
„ ti divifis intentionibus opponebant fe, ne religiofus locus ædificaretur;
„ fed perfecutiones omnes ex inftinctu antiqui hoftis bonorum omnium
„ invidi procedebant. Ex quibus difficultatibus atque adverfitatibus do-
„ mnus Alexander fæpius tædio affectus, quafi a dicto opere retraheba-
„ tur; nifi quod quibufdam fervis Dei atque religiofis conferens confu-
„ lebatur, atque ab eifdem confolabatur, eorumque monitis annuebatur,
„ ne ab inceptis defifteret, eo quia vere hoc erat opus Dei , fperaret-
„ que Divinum auxilium fibi affuturum . Cumque domnus Alexander
„ videret fe quafi omni humano auxilio derelictum, nec fuis viribus tam
„ arduum opus profequi poffet, fpem fuam omnino Deo committens ,
„ nec tamen quidquid poffibile negligenter omittens inftabat quotidie
„ magna cum follicitudine, ut Confules prædictis intenderent , & quod
„ univerfitas Artis hæreditatem adiret, & fic ad alia , quæ erant agen-
„ da, procederet . Confules vero juftam domni Alexandri petitionem
„ confiderantes, fecundum fuæ artis inftitura procedere volentes , difpo-
„ fuerunt cum confilio hominum dictæ artis, ut eorum moris eft , de
„ prædictis tractare, fed priufquam ad hoc accederent, iterum voluerunt
„ a domno Alexandro prædictorum omnium certiorem informationem .
„ Et quadam die de mane in præfentia fui fecerunt adeffe ipfum , vi-
„ delicet in loco audientiæ dictæ artis, & habita ab eo plena informa-
„ tione veritatis de omnibus requifitis ab eis , tunc convocaverunt ho-
„ mines de confilio artis, quibus in publica domo artis congregatis pro-
„ pofitum fuit de dicta hæreditate, & de modo difpenfandi eam fecun-
„ dum formam teftamenti teftatoris fæpedicti . Cæperunt itaque fuper præ-
„ dictis homines artis diverfa tractare, multaque confilia hinc inde uni-
„ verfitas artis habuit , & multoties ob hanc caufam in eorum domo
„ publica convenere , conferentes ad invicem atque tractantes plura ,
„ pluraque . Demum poft plurima deliberaverunt adire , five capere ut
„ veri hæredes prædictam hæreditatem; ficque habita fecum deliberatio-
„ ne anno Dominicæ Incarnationis M. CCCC. die 30. decembris adierunt
„ dictam hæreditatem , obfervatis debitis folitifque folemnitatibus circa
„ prædicta. Continuo igitur fumpta hæreditate deputati fuerunt procura-
„ tores dictæ artis duo findici dictæ univerfitatis, fcilicet Manettus Lui-
„ gi de Davanzatis, & Nicolaus Jacobi de Guafconibus, qui poftea ef-
„ fectus miles, vocatus eft Dominus Nicolaus, ambo homines & hono-
„ rabiles cives, quibus a prædicta univerfitate collata fuit omnis plena
„ auctoritas atque balia circa difpofitionem & executionem omnium præ-
„ dictorum, ficut de ipfa commiffione & auctoritate patet per fcripturas
„ fer Stephani fer Naldi notarii dictæ artis. Igitur volentes dicti findi-
„ ci, utpote fapientes & honorabiles cives, fecundum auctoritatem fibi
„ traditam commiffionem prædictorum exequi, voluntatemque dicti te-
„ ftatoris plenarie adimplere, multoties cum domno Alexandro conve-
„ nerunt , colloquentes ac tractantes particulariter de fubftantia hæredi-
„ tatis, & de loco ædificando & de quampluribus circa prædicta; & ha-
„ bita de omnibus circumfpecta deliberatione difpofuerunt inter fe quæ-

„ rere

" rere locum aptum ad ædificandum monasterium ea forma, qua superius dictum fuit. Demum invenerunt locum, ubi nunc monasterium positum est, ubi tunc erant duo palatia cum pulcherrimo horto per totum ejus circuitum muris munito, spatii jugerum circa triginta ad mensuram cordarum. Quæ possessio erat tunc domini Christophori de Spinis militis, & Angeli Neri de Spinis & Nicolai Cocchi pro indiviso, dudum vero fuerat hæredum domini Joannis de Rinuccinis militis. Provenerat autem prædictis civibus jure cujusdam crediti, cujus prædicti hæredes fuerant debitores. Considerantes vero prædicti sindici locum esse aptum ad monasterium construendum, deliberaverunt convenire cum præfato domino Christophoro de ipsius loci emptione. Et sic tractantes cum eo de pretio possessionis, pacti sunt dare eidem mille viginti Florenos auri nomine pretii, prout constat per instrumentum inde confectum manu ser Stephani supradicti; de quo in hoc Registro suo loco positum est. Sed, ut quid actum fuerat in ea emptione loci, idem dominus Christophorus magis ratum teneret, ne suggestione cujuspiam vel proprio motu se a dicta emptione removeret, visum fuit fratri Alexandro eidem domino Christophoro ultra supradictam quantitatem Florenos centum addere, & sic possessio constitit mille centum xx. Florenos. Prædictum instrumentum confectum fuit in palatio dominorum Procuratorum in camera Armorum anno Dominicæ Incarnationis M.CCCC.I. die xx. aprilis. Ipsa die quidam civis nomine Clemens Stephani ex suo beneplacito, & ex magno affectu, quem habebat, ut locus ædificaretur, de ipsa quantitate liberam, plenamque promissionem fecit prædicto domino Christophoro & sociis supradictis: quo etiam die frater Alexander de consensu & voluntate dictorum Sindicorum adivit possessionem, capiens de ipsa, ut moris est, tenutam. Post plures vero dies volens Alexander dare in nomine Dei principium monasterio ædificando, iterum de consensu & beneplacito dictorum sindicorum, dominico die, videlicet XXIV. dicti mensis ejusdem anni, venit ad locum cum quodam monacho, nomine domno Benedicto Philippi de Carmignano dudum de conventu sanctæ Mariæ de Angelis, & de auctoritate summi Pontificis, ut patet in quadam Bulla, & de consensu commissarii ejusdem bullæ, & de consilio domini Stephani superius nominati erexerunt unum altare, tunc in quadam logia, ubi nunc est capella S. Lucæ. Et ipsa die advenientes ad locum quidam dominus Michael Plebanus commissarius prædictus, una cum dicto domino Stephano, & cum ser Benedicto notario, & cum quibusdam aliis, facto prius quodam canonico actu ex consilio dicti doctoris, frater Alexander in nomine sanctissimæ Trinitatis celebravit primam in hoc loco Missam in præsentia prædictorum & aliorum quorumdam, qui tunc aderant. Celebrata itaque Missa ex consilio dicti doctoris celebraverunt quosdam canonicos seu juridicos actus opportunos fundationi loci, de quibus omnibus extant publicæ scripturæ, manu ser Benedicti notarii prædicti, prout de his rogatus fuit. Igitur tunc laudabilis & religiosi operis in nomine omnipotentis Dei sumpto exordio, quidam monachi atque conversi de monasterio heremitarum de Angelis antedicto, quorum nomina infraponentur, audientes de situ hujus loci, quam aptus esset religioni, maxime formæ heremiticæ vitæ, & statui præfati monasterii, ad cujus exemplar secundum formam testamenti, ut supradictum est, monasterium ædificatum erat; & considerantes, quod si huic ope-

„ ri essent, qui laborem non impedirent, non solum circa necessaria ædifi-
„ cia, sed potius ad dandam formam heremiticæ regularisque vitæ, &
„ omnino antiquæ observantiæ modum, copiosissimus sequeretur anima-
„ rum fructus, essetque hic Domus Dei, Portusque salutis multis de
„ procellis maris hujus seculi evadere volentibus, deliberaverunt huic
„ tam religioso labori humeros subdere, manusque charitatis Dei tem-
„ plo auxilium ferre, sicque petita habitaque licentia a Reverendissimo
„ in Christo Patre domno Andrea de Faventia, tunc priore Generali
„ totius Camaldulensis ordinis, necnon a domno Matthæo tunc priore
„ monasterii de Angelis, die quinta mensis Maji anno Dominicæ incar-
„ nationis prædicto, egressi de dicto monasterio, præmissa prius spiritua-
„ li collatione cum prædicto domino Generali, qui tunc erat in dicto
„ monasterio, necnon cum antiquis illius monasterii fratribus, & cum
„ aliquibus prælatis ordinis, dantes sibi invicem osculum pacis magno
„ cum fervore ac spirituali lætitia ad locum istum Christo duce devene-
„ re; simulque adunati sunt hic undecim fratres primi hujus monasterii
„ fundatores, quorum septem fuerunt Monachi & sacerdotes, Conversi
„ tres, & unus Commissus, nomina quorum sunt hæc: Primus, domnus
„ Romualdus Vannis tunc ætatis annorum 57. qui in monasterio de
„ Angelis conversatus fuerat 37. annis; II. sæpedictus domnus Alexan-
„ der annorum 47. qui steterat in monasterio 25. annis; III. domnus
„ Raphael domini Guidonis de Boncianis annorum 40. conversatus in
„ eodem monasterio 23. annis; IV. domnus Bernardus Gueciozis de Ric.
„ cis annorum 38. conversatus in eodem monasterio annis 20. V. do-
„ mnus Bartholomæus quondam Lanfredi annorum 33. conversatus in
„ eodem monasterio annis 16. VI. domnus Benedictus Philippi conver-
„ satus in eodem monasterio annis 14. VII. domnus Nicolaus Sandri
„ annorum .... conversatus in dicto monasterio annis .... Nomina Con-
„ versorum sunt ista: Frater Ægidius, F. Martinus, F. Christophorus,
„ Bartholomæus Commissus. Postquam prædicti fratres in loco isto, ut
„ dictum est, adunati sunt, statim ceperunt ædificare capellam, quæ
„ hodie vocatur capella sancti Lucæ evangelistæ, ut, quam citius pos-
„ sent, celebrarent ibi die noctuque Divinum officium & Missas. Erant
„ vero fratres dicti tunc hic hospites, quia quamvis cum licentia domi-
„ ni Generalis, ut supra dictum est, ad locum venissent, tamen locus
„ nondum fuerat incorporatus ordini, & sic perstiterunt hospites usque
„ ad 18. Junii ejusdem anni. In quo die per eumdem Rev. P. D. An-
„ dream Generalem receptus & incorporatus fuit locus iste Camaldulensi
„ Ordini, ut vere membrum dicti Ordinis, sicut de his omnibus patet
„ per scripturam registratam in registro sacræ Camaldulensis eremi, &
„ per alia instrumenta inde confecta, de quibus in hoc registro suo lo.
„ co ponetur. Post incorporationem vero prædictam statim prædictus do-
„ minus Generalis recepit prædictos fratres in Conventuales istius mo-
„ nasterii numero decem, post quorum receptionem Conventuales præ-
„ dicti continuo, celebrata Spiritus Sancti Missa, fecerunt electionem Prio-
„ ris per quinque annos duraturi, & ad vocem concorditer per Sancti
„ inspirationem Spiritus elegerunt domnum Romualdum Vannis prædi-
„ ctum in suum priorem. In cujus confirmatione quædam pacta inita
„ sunt inter dominum Generalem recipientem pro capitulo sacræ here-
„ mi & monasterium istud; de quibus in isto registro suo loco mentio
„ fiet. Tunc mutatum fuit vocabulum hujus loci, qui prius per illud
„ tempus, quo dicti fratres, qui fuerant hic hospites, dicebatur mona-
„ sterium sancti Matthæi, & hac die & deinceps vocatum est mona-

„ ste

„ sterium sancti Benedicti, ad honorem Sanctissimi Patris nostri Benedi-
„ cti, & sic statuerunt monasterium illud perpetuo nominandum, ut
„ beatissimi Benedicti meritis omnipotens Deus ipsum augere atque
„ multiplicare in spiritualibus & temporalibus dignaretur. Post quinque
„ vero menses postquam locus sumpsit exordium, quia substantia hære-
„ ditatis prædictæ in maxima parte distributa fuerat, partim in pretium
„ emptionis, ut prædicitur, partim in muramentis, quæ quotidie fie-
„ bant in aptando locum statui & conditioni nostræ Religionis, ac
„ etiam in suppellectilibus necessariis, necnon in libris & aliis Divino
„ cultui necessariis, & multis aliis, quædam vero pars reservatur pro
„ ecclesia ædificanda. Existentes igitur fratres in magna paupertate, &
„ penuria rerum deliberaverunt mittere fratres Conversos publice per
„ civitatem mendicare panem cum sportis & alias eleemosynas, impo-
„ nentes ipsis conversis, ut cum voce per vias, burgos atque plateas
„ clamantes peterent eleemosynas in nomine heremitarum sancti Bene-
„ dicti. Ceperunt ergo Conversi discurrere pro prædictis eleemosynis,
„ & quotidie locus divulgabatur per civitatem, veniebatque religio ista
„ in notitiam civium, ex quo de die in diem eleemosynæ augebantur,
„ itaut de solis eleemosynis fratres viverent. Fuit in hoc tempore qui-
„ dam civis, vocatus Lucas Gerii amicus atque devotissimus hujus lo-
„ ci, de quo plenius suo loco in hoc registro dicetur, qui in principio
„ hujus loci, videns locum istum atque familiam aptissimam religioni,
„ ac sperans certissime congregationem Servorum Dei processu temporis
„ hic creandam, cepit consilio pariter & auxilio substantiæ suæ adjuva-
„ re monasterium. Et primo devotione ductus petiit, ut supradicta lo-
„ gia sibi concederetur, ut ibi ædificaret Capellam, quam ob honorem
„ sancti Lucæ evangelistæ voluit nominari, de qua paulo superius men-
„ tio facta est: cui petitioni fratres libenter præbuerunt consensum.
„ Ædificata itaque dicta capella pactis & conventionibus, quæ suo
„ loco ponentur, fratres in ea per plures annos die noctuque Divinum
„ celebrabant officium. Post decem vero menses, eodem videlicet an-
„ no, quo hic fratres convenerant, considerantes, quod præter dictam
„ capellam nullum signum monasterii aut religiosi loci hic apparebat,
„ cogitaverunt ædificare corpus ecclesiæ, & super hoc requisierunt con-
„ silium amicorum, a quibus consultum fuit, ut quam citius incipe-
„ rent ædificationem illam, ut locus formam monasterii habere videre-
„ tur. Igitur Fratres habita secum deliberatione statuerunt pro tunc
„ ædificare solum corpus ecclesiæ usque ad Crucem, simul cum capella
„ sancti Antonii. Et facto sollemni officio fundationi ecclesiarum con-
„ gruo jecerunt fundamentum ædificationis prædictæ, quæ per duos an-
„ nos, quibusdam tantum intervallis plurium mensium, consumata fuit,
„ solummodo parietes cum voltis; pavimentum vero post duos annos
„ vel circa post, dictum ædificium completum fuit."

Ex regesto A. pag. 9. monasterii S. Benedicti de Florentia.

„ Anno ab incarnatione Domini & Salvatoris nostri J. C. 1401. quo
„ anno, ut in prima parte hujus libri narratum fuit, monasterium istud
„ principium habuit. Cum in hoc loco esset quædam logia, & quidam
„ civis Florentinus Lucas Geri vocatus, devotione hujus familiæ quo-
„ tidie in hoc loco conversaretur, placeretque sibi religiosa vita hujus
„ congregationis, volens subsidium aliquod huic loco impendere, simul-
„ que animæ suæ saluti providere, petiit sibi prædictam logiam concedi,
„ ut posset ibi suam ædificare capellam. Super cujus pia petitione fra-

„ tres

„ tres habita secum colloquutione, deliberaverunt prædictum concedere
„ locum sive logiam, ut suo beneplacito suam capellam ibi ædificare
„ posset. Igitur dictus Lucas talem concessionem recipiens, cum fratri-
„ bus cepit de forma & pactis sive conventionibus tractare, & habita
„ ad invicem collatione finaliter inter se concorditer firmaverunt tales
„ conventiones seu pacta, videlicet.

„ Primo quod dictus Lucas de sustantia sua dictam Logiam commu-
„ taret in formam capellæ, & omnia opportuna ædificationi ejus suis
„ expensis procurentur. Item quod decentia ornamenta altaris provide-
„ ret, simulque luminaria ceræ ac lampadis & alia necessaria, ut per-
„ petuo possit ibi missa celebrari. Item quod dicta Capella perpetuo di-
„ catur, & sit ipsius Lucæ, & cujus Sancti vocabulum voluerit, possit
„ eam nominare. Et quod nulli unquam ipso vivente vel post mor-
„ tem possit concedi, vel in aliquam aliam personam vel familiam trans-
„ ferri. Item si dicti fratres vel eorum successores pro opportunitate &
„ utilitate hujus monasterii mutarent dictam Capellam in aliud ædifi-
„ cium, ita quod non esset amplius capella, vel non posset ibi cele-
„ brari Missa, quod dicti fratres teneantur de substantia monasterii pro-
„ videre in hoc monasterio sibi aliam capellam vel construere, & ta-
„ liter, quod si dictus casus evenerit, capella, quæ suo nomine ædifi-
„ canda erit, melioris conditionis existat.

„ Postquam inter fratres & Lucam dicta pacta firmata sunt, cepit
„ dictum opus, & primo cepit ædificare murum ex parte curiis cum
„ fenestris vitreis, fecit ostia, fecit oculum vitreum cum figura
„ Majestatis. Erexit altare quod fulcivit decentibus paramentis ferali-
„ bus, fecit unum pallium & frigium pro festivitatibus cum palla au-
„ ro & serico ornata, tabulam altaris pictam cum cortina & etiam pi-
„ cturam in muro juxta Altare, Missale quoque signatum C. fecit cum una
„ planeta feriali. Calicem vero dum vixit non fecit. Ultimo fecit cho-
„ rum in dicta capella. Voluit insuper, quod in honorem S. Lucæ
„ evangelistæ vocaretur capella S. Lucæ, & quolibet anno celebraretur
„ in ea solemniter festum S. Lucæ. De calice & dote dum viveret,
„ nihil fecit, sed post mortem reliquit substantiam suam jure heredi-
„ tatis huic Monasterio, sicut in hoc registro suo loco plenius positum
„ est. Et ideo juste atque discrete convenienter tenetur providere præ-
„ dicta, & omnia, quæ dictæ capellæ pro tempore necessaria erunt. Et
„ hæc est prima capella, quæ in hoc monasterio ædificata fuit. Post mor-
„ tem vero dicti Luce, cum tabula majoris altaris completa esset, si-
„ mulque altare ibi esset positum, volentes fratres in majori ecclesia die
„ noctuque officium celebrare, disposuerunt dictum chorum de capella
„ S. Lucæ in ecclesiam transferre, ut id commodius agere possent, do-
„ nec major chorus efficietur. Tunc in dicta capella fecerunt sedilia,
„ ut ibi Capitulum consuetum quotidie facerent; cum hac scilicet in-
„ tentione, ut si quando aliqua Capella nomine Lucæ prædicti ædifica-
„ retur, & majoris ecclesiæ chorus esset completus, predictus chorus in
„ capella sic construenda nomine ipsius Lucæ transferri debeat. "

Anno 1404. *Ex regesto A. pag. 9 monasterii S. Benedicti de Florentia.*

„ Anno ab Incarnatione Domini & Salvatoris N. J. C. 1404. Cum
„ jam ædificata esset ecclesia nostra simul cum Capella, quæ est secus
„ eam, discretus vir Dominicus Francisci Corsi Setajolus Civis Floren-
„ tinus devotione hujus Congregationis ductus petiit, ut dicta Capella
„ sibi concederetur cum infrascriptis conditionibus, ut sua suorumque
„ descendentium perpetuo esset. Cujus religiosam & piam petitionem

„ fra-

„ fratres attendentes, habita super hoc secum deliberatione statuerunt
„ in Capitulo solito more dictæ petitioni suum præbere consensum cum
„ hujusmodi conditionibus videlicet. Quod dicti fratres libere & expe-
„ dite concesserunt & dederunt prædicto Domino locum, ubi nunc est
„ Capella, edificatum atque constructum dictorum fratrum sumptibus
„ & expensis cum pavimento infra gradus altaris, & etiam cum plano
„ continenti, ubi altare positum est. Et quod dictus Dominicus tenea-
„ tur & debeat in dicto loco ædificare altare de sua substantia, & suis
„ omnibus expensis, & dictam Capellam ornare fulcire atque dotare
„ secundum suam discretionem, & eo modo, & quando sibi placuerit,
„ & ibi Missa perpetuo celebrari possit, committentes predicta omnia
„ judicio conscientiæ suæ. Et hanc puram liberam & simplicem conces-
„ sionem fecerunt fratres, certissime sperantes atque confidentes, quod
„ dictus Dominicus sua largiflua devotione ornet decenter ac fulciat &
„ insuper dotet dictam Capellam, sicut decet bonum & fidelem virum,
„ ut ibi possint perpetuo divina celebrari. Et quod deinceps capella ipsa
„ in perpetuum dicatur & sit & esse debeat libere dicti Dominici &
„ successorum suorum, sive descendentium, cum hac tamen conditione
„ & exceptione, quod dictus Dominicus vel aliquis suorum descenden-
„ tium ullo unquam tempore nullum signum armorum suorum debeat
„ vel possit ponere in muris vel portis dictæ Capellæ intus vel foris
„ nec etiam in fenestris; sed liceat ei atque possit ponere dicta signa
„ in paramentis & ornamentis, quæ facit, vel processu temporis faciet
„ in dicta Capella. Item quod ipsa Capella nunquam possit vel debeat
„ concedi alicui vel transferri ad aliquam aliam personam vel familiam
„ aliqua causa conditione vel pacto, neque ex parte fratrum, neque ex
„ parte Dominici vel suorum descendentium. Si autem nullus descenden-
„ dentium ex linea masculina de ipso Dominico remaneret, tunc & eo
„ casu dicta Capella sit eorum, qui per lineam masculinam descendunt
„ ex Lapo germano ipsius Dominici, quousque ipsa progenies perduraverit.
„ Item quod in dicta Capella quotidie celebretur Missa ad honorem Dei,
„ atque totiusCuriæ Paradisi & pro remedio animæ suæ & suorum præde-
„ cessorum & descendentium. Quam concessionem forma & modo, ut su-
„ pra dicitur factam & expressam fratres & Dominicus concorditer ratam
„ & firmam ad invicem habuerunt, & sub ipsa acceptavit dictum lo-
„ cum vel Capellam, & voluit atque elegit, ut deinceps vocetur Ca-
„ pella sancti Antonii, ipsius Sancti devotione ductus. Et voluit, quod
„ omni anno in perpetuum festum S. Antonii ibi solemniter celebretur,
„ ac etiam eo modo festum S. Laurentii martyris. Igitur ad majorem sui
„ claritatem ac firmitatem dictus Dominicus petiit sibi dari quamdam
„ scriptam continentem sustantialiter omnia supradicta, quam Raphael
„ monachus hujus loci, de voluntate domni Romualdi tunc Prioris hu
„ jus monasterii ac de totius Capituli consensu propria manu scripsit,
„ ipsamque dicto Dominico tradidit, ut eam apud se conservaret. Vo-
„ lens itaque Dominicus supradictus executionem dare, & quæ ad eum
„ pertinebant, agere circa fulcimenta atque ornamenta capellæ, ut ibi
„ possit Missa celebrari, suis sumptibus fecit infrascripta fieri, prout in-
„ ferius ordinate ponuntur.

„ In primis fecit ædificari altare fulciens illud cum tobaleis, frigio
„ & pallio feriali ex corio atque scabello infra altare, cum torchio in
„ Astis, candelabris ferreis in tabula fixis, & uno candelabro, quod
„ ponitur super altare, bacino & ampullis. Item fecit tabulam altaris

„ cum

„ cum picturis cum cortina, fecit in colore azzurri murum juxta altare ;
„ fecit fieri Missale signatum B. cum fibiatoriis argenteis cum signo ar-
„ morum suorum, fecit unum calicem, unam planetam de Camucca
„ albam, unum Pluviale vellutum rosatum, & unum camisium bru-
„ stratum cum uno amictu. Fecit postea unum pallium sive Dossale
„ Altaris vellatum rosatum cum frigio ricamato cum figuris Sanctorum.
„ Dedit etiam nobis aulæa pulcherrima, pallas ornatas sive elaboratas
„ cum auro & serico, & unum velum pro patena, una quarum palla-
„ rum voluit deputari majori altari, altera capellæ suæ. Fecit chorum
„ continentem totum spatium laterum dictæ Capellæ, quem voluit in di-
„ cta Capella perpetuo esse, nec inde unquam aliqua causa voluit remo-
„ veri. "

Ex regesto Monasterii S. Benedicti pag. 12.

„ Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1443. de mense
„ decembris cepimus ædificare Tribunam sive capellam majors ecclesiæ
„ cum capitulo conjuncto dictæ Tribunæ sive capellæ. Quapropter causa
„ constructionis horum ædificiorum congruum est in loco isto ut enarre-
„ tur, videlicet in ista forma.

„ Vir quidam circumspectus ac prudens Antonius nomine, Domini
„ Francisci de Salutatis negotiator homo bonæ famæ atque Divini cultus
„ valde devotus. Hic cum haberet apud nos maximam devotionem &
„ religiosam familiaritatem, ita ut quandocumque illi contingeret longius
„ ire, ut moris est mercatorum, sæpe sua bona de suis melioribus bonis
„ tradebat nobis custodienda. Unde factum est una dierum traderet no-
„ bis servandos vel sibi custodiendos duo millia ducatorum. Post vero
„ non multum temporis Domino inspirante ascendit in corde suo, ut ter-
„ ram sanctam adiret, sanctumque sepulcrum D. N. J. C. visitaret. Quod
„ priusquam facere cepisset, veluti sapiens vir disposuit per testamentum
„ confectum anno Domini 1443. die tertia mensis augusti, manu Ser
„ Nicolai magistri Petri de Pescia, de rebus suis, in quo testamento de-
„ claravit depositum prædictæ pecuniæ ad nos pertinere, ac ipsam pecu-
„ niam debere nos expendere in piis operibus, secundum quod ab ipso
„ testatore injunctum fuerit & ordinatum. Composuerat etiam libellum
„ & scripserat manu propria, declarans illa ædificia, quæ fieri debebant
„ in nostro monasterio ex ipsa pecunia; ipsum vero libellum cum ipsa pe.
„ cunia incluserat in capsulæ, quam tenebat apud nos, vel quam nos ser-
„ vabamus illi; clavem autem dictæ capsulæ tradidit germano suo idest
„ domno Leonardo; Deinde arripiens iter sanctæ peregrinationis profe-
„ ctus est, qui dum pervenisset ad civitatem Venetorum, contigit ibidem
„ infirmari, & bene mori in ipso bono proposito & sancta peregrinatio-
„ ne. Tunc prædictus D. Leonardus ejus germanus & vir bonus & fide-
„ lis audito ejus obitu venit ad monasterium nostrum, & aperta dicta ca-
„ psula tradidit nobis totam prædictam pecuniam, rogans, ut illa ædificia,
„ quæ fieri ex ipsa pecunia mandaverat ipse testator, perficerentur a nobis,
„ quod ita fecimus. Nam sequenti anno videlicet 1444. perfecta atque
„ expleta sunt ipsa ædificia, Tribuna vel capella cum prædicto capitulo.

„ Ad clariorem notitiam prædictorum verum est, ut retulit nobis su-
„ pradictus D. Leonardus, quod in libello, in quo supradictus Antonius
„ declaraverat ædificia, quæ fienda erant vel expienda aut perficienda de
„ ipsa sua pecunia prædicta, sic scriptum erat, nominatim ecclesia, sacri-
„ stia, capitulum secundum discretionem meam, videlicet fratris Simo-

„ nis

„ nis, qui tunc eram prior, secundum nostram discretionem hæc ædificia
„ fienda erant. Quapropter considerans ædificium Tribunæ atque capitu-
„ li jam fere perfectum, justis de causis cæpimus perficere ædificium sa-
„ cristiæ. Prius habito consilio seniorum fratrum disposui, ut de residuo
„ pecuniæ, quæ supererat, emeretur quædam possessio, quæ est ante ja-
„ nuam nostri monasterii, & ad hoc faciendum multis movebar causis,
„ prima quia possessores vendere illam quærebant, timebam vero futu-
„ ram nobis incongruam vicinitatem, quam sine scandalo declinare non
„ valeremus neque nos, neque successores nostri. Insuper propter pro-
„ pinquitatem loci valde nobis congrua erat; sic emimus prædictam pos-
„ sessionem, sed prius vocavi seniores, gravans ipsorum conscientias, ut
„ dum facultas aderit, quantitatem prædictæ pecuniæ restaurent, & ex-
„ pendant illam in perfectionem prædictorum ædificiorum, sicut dispo-
„ suit supradictus testator, ne forte mea conscientia esset onerata, si ali-
„ ter fieret."

Ad annum 1406. pag. 236. lin. 37. Hæc addantur: Obiit Hugo cardinalis abbas commendatarius, cujus mors notatur in necrologio Avellanensi. Subdit autem anonymus Avellanensis. *Postquam prædictus commendatarius ab hac luce migravit, statim Mariottus hujus monasterii monachus Apostolicæ sedis gratia abbas institutus fuit, qui anno Domini 1420. diem suum clausit extremum.* Sed in Necrologio ejus obitus signatur sub die tertia octobris anni 1419. Ipsi Mariotto Gregorius papa XII. commisit munus colligendarum decimarum in Provincia Piceni, sed cum Oddo Columna episcopus Urbinas & clerici ejus urbis ad diem non solvissent, Mariottus eos sacris interdixit. Verum pro episcopo oblatus fuit sequens libellus: *Coram vobis in Christo reverendo patre & D.D. Mariotto Dei & apostolice sedis gratia abbate monasterii S. Crucis de Fonte-avellana Ordinis S. Benedicti, necnon, ut dicitur, nuntio apostolico & generali collectore & exactore fructuum papalium decimarum & redditumm & proventuum ad cameram apostolicam quomodolibet pertinentium in Provincia Marchie Anconitane, Ego Johannes Aldrovandi de Urbino alias de Gaifa sindicus & procurator & sindicario & procuratorio nomine reverendi in Christo patris & D.D. Oddonis de Columna Dei & Apostolice sedis gratia episcopi Urbini & totius cleri civitatis & comitatus Urbini dico & propono, quod ad dicti episcopi & dicti cleri, & mei procuratoris & sindici &c. nuper & de novo pervenit notitia, quod vos domnus abbas & collector excommunicastis, & excommunicatos asseruistis & declarastis, & publice excommunicatos denuntiari mandastis dictum domnum episcopum & totum dictum suum clerum Urbini, eoquod infra certos terminos debitos jam elapsos non solverint tam primum debitum terminatum in festo S. Marie de mense martii, quam secundum debitum in festo S. Marie de mense augusti preterite decime triennalis primi anni in dicta provincia imposite secundum ratam & tangentem &c. Quas excommunicationes, & quidquid secutum est in eis, dico fuisse & esse nullas, & latas esse & emanasse contra formam juris, juribus dictorum episcopi & cleri non visis non admissis. Sentiens dominum episcopum & ejus clerum & me dictis nominibus gravatos ad Sanctissimum in Christo patrem & D.D. Gregorium divina providentia papam XII. & judicem competentem & ejus curiam in his scriptis appello & provoco &c.*

Ad annum 1413. pag. 265. ad calcem Adde: Vivebat ad hæc tempo-

 ra

ra Sicco sive Xicco Polentonus cancellarius Patavinus & sindicus, qui plura scripsit spectantia ad patriam suam, inter quæ ipse fatetur scripsisse vitam B. Antonii Peregrini monachi sive Oblati Porciliensis, de quo nos gesta & miracula retulimus Seculo XIII., nam in epistola ad Incertum typis edita cum alia sua epistola post opusculum Sexti Rufi super Romanorum gesta, seculo XV. in 8. ait se Lazaro filio suo nuncupasse vitas B. Antonii Peregrini & B. Elenæ Enselminæ illustrium urbis Patavinæ germinum; quæ vitæ teste Tomasino in Bibliothecis Patavinis pag. 128. reperiebantur Patavii apud Johannem-baptistam Ficchettum; ut legere est apud Cl. Equit. Thomam-josephum Farsettum patritium Venetum in sua MSS. Bibliotheca ad Codicem LXXIV.

Ad annum 1416. *pag.* 271. *lin.* 3. Ad calcem cujusdam Summæ Pœnitentiæ Italice scriptæ, quam inter Codices vulgares in 4. num. IV. servat idem Cl. V. Thomas-Josephus Farsetti Patritius Venetus, legitur: *Finisce la Somma de penitentia tracta in vulgare per me frate Jacomo monacho dell' Ordine de' Camaldoli in lo castello dell' Isola Pianese in lo contado de Urbino adì 4. settembre 1416.*

Ad annum 1419. *pag.* 276. *lin.* 47. In Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter MSS. quæ ex arce archiducali Ambrosiana juxta Oenipontem in Vindobonensem translata fuere anno 1665. Codice XXXVI. enumerantur *Antonii Parmensis Camaldulensis sermones*; Apud Montfauconium T. I. Biblioth. Bibliothec. pag. 563.

Ad eumdem annum 1419. *pag.* 279. *lin.* 30. De Raynaldo Brancaccio cardinale ordinis protectore sequens extat memoria in archivo S. Mariæ Angelorum de Florentia.

1419. adì 13. di Luglio In Regesto M. pag. 150. Monasterii S. Mariæ Angelorum Florentiæ.

Avvemmo adì 13. *Luglio da Messer Rinaldo Cardinale de Brancacci Protettore del nostro Ordine Fiorini cento di Camera, pregandoci, che noi dovessimo dire ogni dì in perpetuo una Messa per l' anima sua, e di tutti coloro, che havevano fatto bene a Beneficj, ch' egli possedeva, e che i detti denari mettessimo in qualche Possessione, acciocchè in perpetuo stesse per memoria della detta Messa, e così promettemmo di fare; e graviamo le coscienze de nostri successori, che ciò debbano divotamente fare, considerata la devozione, che hà il detto Cardinale al nostro Monastero e a tutto l' Ordine.*

Ad annum 1420. *pag.* 283. *lin.* 14. Hæc de Lucido cardinale abbate commendatario monasterii S. Crucis Fontis-avellanæ habet Anonymus Avellanensis, nec non de Petro de Serra abbate Cardinalis successore. *Eodem anno scilicet* 1420. (dic 1419.) *tempore Martini V. papæ Florentiæ commorantis, reverendissimus D. Lucidus S. R. E. cardinalis de Comitibus abbatiam S. Crucis sibi commendari obtinuit, & duravit ejus commenda usque ad annum* 1423. *Deinde D. Petrus de Serra monachus prædictæ abbatiæ pro tercentis florenis aureis de camera pro annua pensione solvendis cum eodem commendatario, qui prædictam abbatiam cum omnibus pertinentiis suis in ejus favorem resignavit, qui postea fuit venerabilis abbas usque ad annum* 1456. *Et ibi ab hac vita discessit ultimus abbas, & ne ob diutinam vacationem abbatia S. Crucis Fontis-avellanæ detrimentum aliquod pateretur &c.* narrat nempe commendationem ipsius

factam

factam cardinali Bessarioni. De Petro de Serra S. Abundii, sive de familia Benia Eugubina hæc memorantur: *Locatus fuit a monachis in sede Avellanitica die quarta octobris anni* 1424. *Die trigesima prima decembris obtinuit a Martino V. ut palam populis benedicere possent, eo modo quo possunt episcopi. Die secunda januarii anni* 1425. *generale capitulum ordinis indixit. Usus est Mariotto Blasio scriba. Egregius Decretorum Doctor D. Franciscus Jacobi prior majoris ecclesiæ Eugubinæ fuit vicarius. Obiit ad diem* 12. *aprilis anni* 1456., *ex necrologio, in quo legitur: Obiit D. Petrus de Serra venerabilis abbas & reparator hujus monasterii; nam multa ædificia reparavit abbatiæ.*

Ad eumdem annum 1420. *pag.* 284. *lin.* 4. *Adde*: Die XII. decembris frater Gualterius de Verona conversus eremi Camaldulensis hospitalarius S. Frigdiani Pisarum contra D. Marcum Antonii filium q. Gualterii de Lorino, qui falso se asserebat hospitalarium dicti hospitalis, appellationem interposuit coram D. Simone abbate S. Felicis in Platea Florentiæ dicti ordinis Camaldulensis tamquam coram publica persona, qua quidem pendente appellatione ad D. papam Martinum, asseruit & protestatus fuit impetrationem dicti hospitalis obtentam a sede apostolica per præfatum Marcum nullam fuisse, & laborare vitio subreptionis, cum valor reddituum ipsius hospitalis non sit, prout revera est expressus, id est non sit octuaginta, sed triginta annuorum florenorum. Item, quia in dictis literis apostolicis non fit mentio possessionis legitimæ ipsius Gualterii, neque privilegiorum ordinis Camaldulensis. Appellavit proinde ad Sanctissimum, manu Baptistæ q. Johannis Bocciantis notarii Pisani. Actum Pisis. *Ex tabulario Fontis-boni.* §. *Appellatio* 11. *A.* 5. 7.

Ad annum 1420. *pag.* 287. *lin.* 4. Die V. martii Martinus pp. V. prioris & conventus eremi Camaldulensis precibus, paci & quieti favorabiliter annuens, Decretum in capitulo generali dicti Ordinis confectum, videlicet quod imposterum nullus ex eremitis & monachis in antedicta eremo possit invitus extrahi & aliqualiter moveri, cum ad locum arctioris vitæ minime transire possit, nisi præcedente speciali consensu & consilio Capituli dictæ eremi, apostolica auctoritate confirmat. Datum Romæ anno pontificatus quinto. *Ex archivo Fontis-boni* §. *Privilegia* 8. *A.* 5. 17.

Ad annum 1425. *pag.* 311. *lin.* 48. Liber censuum & collectarum debitarum monasterio sanctæ Crucis Fontis-avellanæ ab ecclesiis sibi subiectis sub anno 1425. die XXI. julii sub Petro abbate Avellanense profecturo tunc ad studium Bononiense. Ibi enumerantur *67*. ecclesiæ, quæ debebant solvere censum annuatim ad rationem librarum duarum cum dimidio pro quolibet ducato.

In Bibliotheca Marciana pag. *106*. secundæ partis extat Angeli de Perusio JC. celeberrimi Lectura super Authenticis scripta per Jacobum Pergulitanum reverendo patri & domino D. P. Sanctæ Crucis F....avellanæ abbati benemerito. In civitate Fani anno domini M.CCCC.XLIIII. die sabbati 7. mensis decembris; quod opus certe scriptum fuit a Jacobo Pergulitano pro Petro de Serra abbate S. Crucis Fontis-avellanæ.

Ad annum 1426. *pag.* 313. *lin.* 2. Addatur sequens epistola Ambrosii ad Aurispam, quam reperimus in conventu S. Hieronymi F.F. Minorum de Observantia extra urbem Faventinam, quæque desideratur in

in amplissima collectione Laurentii Mehus. *Ambrosius monachus Johanni Aurispæ V.C. & humanissimo plurimam salutem Noli expectare, dum tibi gratias agam multis verbis, quod Diogenem clarissimi viri Leonardi nostri ita sollicite & accurate ad me dimiseris, minimamque commodorum tuorum rationem habueris, dum voluntati nostræ quamprimum fieret satis. Jampridem ista gratulatio ex nostra amicitia, quam ad summum evasisse & ipse sentis, & ut omnes intelligant omni studio contendis, sublata est. Egisti sane amice, quod apertius significasti, quidnam fieri velles, id vero est, ut propediem tibi restituendum justis de causis curarem. Neque sane deero officio meo, enitarque, ut nullo meo incommodo ad te revolet opinione celerius. Conferam, quod in præsentiarum est satis, cum exemplaribus nostris, eaque ad istum emendabo, ne traductionis hujus nostræ editio, quam intelligo fore morosiorem, quam præpropera amicorum studia fortasse velint, huic desiderio tuo ex officio meo impedimento sit. Ac nisi abs te admonitus fuissem, tenuissem volumen ipsum fortasse diutius minime necessario. Grata proinde mihi admodum fuit ista fiducia tua, neque minus sane, quam fuit ipse Laertius. Verum ista pluribus agenda non sunt apud te, qui & mea in te voluntate certus arbiter testisque locupletissimus es. Rem tuam, imo civitatis nostræ ita egimus, ut diligentiæ nihil omiserimus, fient omnia, ut tute velle atque cupere præ te fers. Adolescentes enim illi nobiles abs te ornandi parentis te loco excepturi sunt, atque ita, ut tuus sit quid velis imperare labor, his jussa capessere fas sit. Verum ista Nicolaus noster ad te suis literis, ut reor, prosequutus est, & de numero ac titulis Isocratearum orationum. Plura tecum agere vellem, sed abs te vel invitus ad alia abducor. Cl. virum & egregium versificatorem Antonium Siculum Panormitam ex me salvere jubebis. Tu vale & salve. A Hieronymo & Jacobo fratribus seneque Demetrio salvere juberis. Florentiæ ex nostro monasterio quam raptim. XVIII. Kalendas augusti.*

Ad ipsum annum 1426. *pag.* 315. *lin.* 35. Versionis operis S. Bernardi in Canticum Canticorum seu sermonum ipsius, Italica lingua donatorum a Johanne Samminiatensi monacho S. Mariæ Angelorum de Florentia specimen hic subjungimus ex clarissimis illustratoribus Bibliothecæ Regiæ Taurinensis, quandoquidem hujus interpretationis nullam apud quempiam, inquiunt, invenimus mentionem, ne in indice quidem locupletissimo Græcorum & Latinorum Scriptorum, quotquot uspiam in Italum sermonem translati fuerunt, edito inter Literatorum opuscula annis 1745. & 1746. Præmittitur tabula rubrica descripta, in qua cujuscumque sermonis tituli exhibentur: Tum: *In nomine Domini nostri Jesu-christi, & in nomine gloriose virginis Matris ejus Marie. Incomincia il divoto libro di Sermoni di Miser sancto Bernardo sopra la Cantica Canticorum di Salomone recato in vulgare per frate Giovanni di San Miniato frate di Romiti degli Angioli a consolazione di quelli, che non sano gramatica. Sermone primo della excellentia del titulo del libro. Et come soli quelli, che per la lettione di primi libri del detto Salomone, cioè* Eclixiastes & Proverbii *anno la vita & i costumi emendati, degnamente possono venire a questo terzo.*

Fratelli miei altre cose si conviene dire a voi, & altrimenti che alli Secolari. Et colui, che vuole tenere la forma dell' Apostolo Paulo nello insegnare, debba dare a quelli Secolari lacte a bere, non solido cibo. Imperocchè l' apostolo predecto insegna col suo exemplo doversi porgere più solido

lido cibo : Noi parliamo non con parole composte per la sapientia humana, ma con la doctrina dello Spirito, facendo comparatione dalle spirituali cose agli spirituali. Ancora dice: non parliamo la sapientia tra perfecti, quali mi confido siate voi. Se forse non vi siete indarno già tanto tempo occupati negli celestiali studii, o indarno exercitati coi vostri sentimenti, o indarno havete meditato nella legge di Dio il dì & la notte. Et pertanto apparecchiate il palato non allacte, ma a pane. Imperocchè Salomone a appresso di se uno pane, el quale è molto bello & saporoso &c.

Ad annum 1427. *pag.* 318. *lin.* 21. Thoma Rizo; *lege* Jacobo Thomæ Rizo. Ita in Appendice col. 657. lin. 24. & 658. lin. 37.

Ad eumdem annum 1427. *pag.* 318. *lin.* 36. Subjungimus ex codice nostro num. D. CCC. III. sequentem Martini V. bullam datam Johanni abbati S. Georgii majoris Venetiarum & Paulo Venerio abbati S. Michaelis de Muriano pro subventione fidelium in captivitate detentorum a Barbaris.

Martinus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Injunctum tunc nobis divinitus apostolice servitutis officium nunc digne peragere non ambigimus, cum ad ea solite benignitatis affectum extendimus, per que miserabilium & captivorum Christifidelium personarum a barbarica sevitia detentarum redemptionis presidium procuratur, ac alios fideles ad impendendum talibus opportunum auxilium exhortamur, & ut ad id & fortius animentur, quo magis animarum comodum consequi esperaverint, & salutem nonnunquam pro hujusmodi bonis temporalibus spiritualia munera elargimur. Sane nobis nuper pro parte dilectorum filiorum universorum habitatorum & incolarum Christifidelium partium Orientalium exhibita petitio continebat, quod nonnulle & in numero copioso etiam notabiles utriusque sexus persone tam ipsarum, quam aliarium partium de Religione Christiana a Teucris, Saracenis, & barbaris aliis Christiani nominis inimicis captivi detinentur, & adeo inhumaniter tractantur, ac suppliciis continue affliguntur, quod ad desperationem & metu vite corporalis Fidem Catholicam obscurare compelluntur. Quare pro parte eorumdem habitatorum & incolarum nobis fuit humiliter supplicatum, ut captivis predictis pro eorum liberatione paterna pietate succurrere curemus. Nos igitur in premissis salubriter providere cupientes, & ne detenti penarum stimulis hujusmodi Fideles Christi orthodoxam Fidem abjurare cogantur, omnes & singulos Christi nomine insignitos tenore presentium requirimus & charitative exhortamur, quatinus pro redemptione captivorum hujusmodi juxta facultates & bona sibi a Deo collata pia suffragia velint impendere, & gratas eleemosynas erogare eisdem omnibus & singulis utriusque sexus, qui infra biennium a data presentium computandum pro liberatione & redemptione miserabilium predictorum juxta conditiones suas & arbitrium pias eleemosynas & grata subsidia porrexerint, & dilectis filiis Johanni sancti Georgii-majoris de Venetiis, ac Paulo sancti Michaelis de Murano ordinis sancti Benedicti Castellane & Torcellane diocesis monasteriorum abbatibus, aut aliis per ipsos ad hoc deputatis seu eorum alteri liberaliter exhibuerint, auctoritate apostolica concedentes, quod aliquem idoneum & discretum presbyterum in suum possint eligere confessorem, qui quoties eis fuerit opportunum, confessionibus suis diligenter auditis, pro commissis debitam sibi absolutionem impendat, & injungat

jungat

Jungat penitentiam salutarem, nisi forsan talia forent, propter que Sedes apostolica sit merito consulenda : quodque ut confessor hujusmodi omnium peccatorum ipsorum contribuentium, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, semel in mortis articulo tantum plenam remissionem eis in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie, ac obedientia & devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus eadem auctoritate indulgere valeat. Sic tamen quod ipse confessor de iis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam ipsis, si supervixerint, vel per heredes suos, si tunc forte transierint, faciendam injungat, quam ipsi vel illi facere teneantur, ut prefertur. Et ne, quod absit, propter hujusmodi gratiam reddantur procliviores ad illicita imposterum committenda, volumus, quod si ex confidentia remissionis hujusmodi aliqua forte committerent, quoad illa predicta remissio sibi nullatenus suffragetur. Et insuper quod per unum annum a tempore quo presens concessio eisdem innotuerit, atque fiet computandum singulis sextis feriis legitimo cessante impedimento jejunent; quod si predictis feriis ex precepto ecclesie regulari observantia injuncta penitentia voto vel alias jejunare teneantur, una alia die singularum septimanarum ejusdem anni, qua ad jejunandum, ut premittitur, non sint astricti, jeju.... Et si in dicto anno, vel aliqua ejus parte essent legitime impediti, anno sequonti, vel quam primum potuerint modis .... implere hujusmodi teneantur. Porro si forsan alias prefatum jejunium in alia pietatis opera, prout animarum suarum ..... dire viderit, commutare valeat, quod pari modo debeant adimplere. Alioquin indultum hujusmodi quoad premissa non observantes nullius sit roboris vel momenti. Volumus etiam quod omnes & singulas pecuniarum quantitates, quas iidem abbates seu deputandi ab eis receperint a quibusvis personis ista de causa, dilectis filiis procuratoribus venerabilis fratris nostri Francisci episcopi Sabinensis in Nigropotensi insula commorantibus ad hoc per eum constitutis fideliter destinare procurent. Nulli ergo &c. liceat hanc paginam nostræ concessionis & voluntatis infringere &c. Si quis &c.

Datum Rome apud sanctos Apostolos idus Januarii pontificatus nostri anno decimo.

Ad ipsum annum 1427. *pag.* 319. *lin.* 4. Sanctorum Gottardi & Hieronymi; *lege*: Gerardi & Hieronymi.

Ad annum 1429. *pag.* 327. *lin.* 49. Nicolaus scribit Ambrosio; *lege*: Ambrosius scribit Nicolao.

ADDEN-

ADDENDA ET EMENDANDA
IN TOMO VII.

AD ANNUM 1439. *pag.* 192. *lin.* 5. Ambrosii abbatis generalis vitæ & operibus sequentia monumenta addantur.

In Valli-cellana Bibliotheca, teste Montfauconio T. I. pag. 170. Bibl. Bibl. in Tomis Vitarum Sanctorum F. 3. extat *Ambrosii Camaldulensis vita*.

In Ottoboniana, eodem teste pag. 189. reperitur : *Diogenis Laertii versio facta per fratrem Ambrosium literatissimum ac pudicissimum scripta anno* 1447. *diebus februariis, quo tempore Eugenius pp. obiit diem Romæ anno pontificatus sui* XV. *alleluja*. Extat hæc versio & in Laurentiano-Medicea Pluteo LXV.

In hac postrema Pluteo XVII. pag. 279. Montfauc. *Dionysius Areopagita in Latinum versus ab Ambrosio Camaldulensi*.

Inter Codices Bibliothecæ Ducis Urbini, referente Possevino T. III. pag. 44. extabat *Ambrosius Camaldulensis de Sacerdotio Christi*.

Apud Tomasinum in Bibliotheca Veneta, ad illam S. Antonii de Castello recensetur : *Chrysostomus contra Anomæos interprete Ambrosio*; & ad illam S. Georgii in Alga Venetiarum : *Translatio fratris Ambrosii de Processione Spiritus-sancti*; demum ad illam SS. Johannis & Pauli O. Prædicat. *Hegesippus*.

In Fesulana S. Bartholomæi Canonicorum Lateranensium : *Versio operum S. Athanasii*. In illa S. Marci Florentiæ : *Opus Athanasii contra Gentiles, & de Incarnatione*; & insuper *Hegesippus*. Ap. Montfauc. pagg. 418. 420. 423. & 479.

Quoad Hegesippum in Bibliotheca S. Marci Venetiarum, juxta recensionem Codicum factam a Cl. V. Antonio Zannettio Codice CCCXC. legitur manu Bessarionis cardinalis: *Translatum est hoc opus de græco in latinum per B. Ambrosium, ut in quodam antiquissimo codice inventum est*; putavit siquidem doctissimus cardinalis B. Ambrosium antistitem Mediolanensem auctorem fuisse hujus versionis. Etiam in Tomo VII. Inventarii Bibliothecæ Vaticanæ apud ipsum Montfauc. pag. 124. in Codice 1998. legitur: *Hegesippus a B. Ambrosio versus*.

In Bibliotheca Theophili Spizelii edita Augustæ Vindelicorum anno 1668. pag. 218. *Ægyptus Alexandrinus* (sic) *Latine versus a S. Viro Ambrosio monacho Florentino*; extat, ait ipse, inter codices Patavinæ Cathedralis ecclesiæ. In Regia Taurinensi Bibliotheca Cod. XXXI. fol. 34. pag. 6. *Ægyptum Alexandrinum* (sic) *e Græco in Latinum sermonem conversum a fratre Ambrosio Florentino, qui floruit anno* 1143. Ad quæ verba adnotant clarissimi editores : *Hanc interpretationem omisit in sua Bibliotheca Dupinius recensens opera Ambrosii monachi Camaldulensis Tomo XII. Consulendi Oudinus, & Julius Negri, qui de libris editis ab Ambrosio multa scribunt*. Animadvertere tamen debebant iidem editores Ambrosium Camaldulensem floruisse seculo quinto-decimo, non duodecimo. Facile Ægyptus Alexandrina continet *Vitas Patrum* seu *Pratum spirituale* ab Ambrosio latinitate donatum.

In eadem Regia Taurinensi Bibliotheca habetur Codex CCII. membranaceus ad paginam 56. Tomi II. foliorum 330. multa scriptus elegantia seculo XV. Initio, sex literarum ductus aureis laminis constant, pictus-

pictusque conspicitur Camaldulensis monachus deserto in loco arboribus undique consito in cellula residens, codicemque ante se positum exscribens, & parvam instructam habens bibliothecam. Opera contenta in hocce codice sunt *S. Johannis-chrysostomi*; folio vero 139. extant *libri tres de Providentia Chrysostomi ad Stagirium* in Latinum conversi ab Ambrosio Camaldulensi. Quare totus codex videtur vel translatus, vel nitide exaratus ab Ambrosio.

Ambrosium quemdam Camaldulensem abbatem a Traversario diversum, qui anno 1340. vixerit, a Cangio nominatum, nullum fuisse ex Arnoldo Wion deducit Fabritius T. I. Bibl. pag. 84. & profecto nullam de ipso notitiam habemus in archivis nostris.

Ad eumdem annum 1439. *& ad ipsam paginam* 192. *lin.* 36. adde: Ad vocem *Gometius* hæc subjungit Mansius ad Fabritii Bibliothecam: Inter claros Gometios Lusitanos prætereundum non duco Gometium Lusitanum Ulyssiponensem, qui cum monachum Benedictinum induisset Patavii anno 1413. dein transivit Florentiam, ejusdem Abbatiæ regimen, tradente Nicolao Guascono ejusdem abbate Commendatario, suscepit, tenuitque annis duobus supra viginti: Post obitum Ambrosii Camaldulensis generalis prior eorumdem Camaldulensium eremitarum ab Eugenio IV. renuntiatus est, eademque dein administratione dimissa rediit ad Florentinam Abbatiam. Concilio Florentino interfuit, cui una cum ceteris subscripsit. In tabulario Abbatiæ Florentinæ plures ejus literæ extant, tum protestatio contra Bartholomæum Dominici; denique Gometii abbatis capitula pro reformatione monasterii S. Domnini. Latinam ejus vitam auctore Thoma Salvetto Florentino jurisperito servari tradunt in MS. codice membranaceo Abbatiæ Florentinæ; aliamque ejusdem Italicam edidit D. Placidus Puccinellius, vulgavitque Mediolani anno 1645. „ Hæc omnia, inquit Mansius, Armellinus Bibliothecæ Benedictino-Casinensis pag. 180. Vide ad annum 1439. & 1441. quæ de Gometio diximus in Annalibus. Quoad Thomam Salvettum, Pistoriensem potius quam Florentinum civem, ut scribit MichaeLangelus Salvi in historiis Pistoriensibus Tomo II. pag. 249. is cum esset celebris jurisconsultus, vocatus fuit a Florentinis, ut esset eorum Consiliarius Status, quod officium strenue implevit. Dicitur reliquisse librum *Decisionum*, aliumque *Consiliorum*. Admiratus vero in historiis Florentinis P. II. lib. 22. pag. 48. addit Cosmum Mediceum seniorem Confalonerium Justitiæ operam dedisse, ut Reformationes urbis Florentinæ ordinarentur, & in meliorem formam redigerentur; ad quod opus inter octo Cives, quos elegit, Pistoriensem Salvettum inclusit. Thomas-joseph Farsettus Venetus Patritius in sua Bibliotheca MSS. ad Codicem LXIX. laudat Thomæ Salvecti, seu Salvetti Pistoriensis *Commentaria super Statuta Florentina*. Incipiunt: *Sint & esse intelligantur &c.*

Ad annum 1440. *pag.* 199. *lin.* 18. Operibus Hieronymi Pragensis eremitæ Camaldulensis adjiciatur: *Hieronymus Pragensis scripsit etiam adversus errores Bohemorum opusculum, quod direxit Alberto priori majoris Carthusiæ Basileensis;* Hoc opusculum servari ms. in Codice Aquicinctino legit Mansius in Itinerario secundo Martene & Durand ad paginam 79.

Ad annum 1442. *pag.* 208. *lin.* 15. Eugenius papa IV. x. Kal. septembris pontificatus sui anno XII. mandat Johanni abbati Vallis-castri, & præposito SS. Cosmæ & Damiani de S. Anatolia, ut uniant monasterium S. Mariæ de Apennino, quod tunc regebatur ab abbate Angelo,

lo, & incolebatur a duobus monachis extra claustra degentibus in ruralibus sacerdotiis, cum collegio Canonicorum, quod ad divi Venantii erat Fabriani. Monasterium de Apennino situm erat in ipsis Apennini jugis in Nucerinorum finibus. Extat etiamnum ecclesia satis antiqua, extant & perexiguæ monasterii reliquiæ. Hadrianus pp. IV. anno 1156. monasterium istud pontificia auctoritate tuendum susceperat, & Rodulphum loci abbatem, ex diplomate servato in eadem canonicali S. Venantii ecclesia. De eo cœnobio aliqua intersperſa leguntur in nostris Annalibus.

Ad annum 1443. *pag.* 211. *lin.* 14. Comes Guidantonius Feltrius cum habitu religioso humatus fuit in ecclesia parœciali antiqua S. Donati de Urbino subjecta olim eremo Avellanensi, & postea unita conventui & ecclesiæ S. Bernardini milliario distanti ab Urbino. En ipsius epitaphium:

Ploret in Hesperia tellus, plorate Latini,
Guido comes moriens hac requiescit humo.
Non fuit e cœlo princeps clementior alter,
Prævalidus urbes rexit & ipse potens.
Non fuit in terris unquam qui sanctior heros,
Cappam Francisci posset habere sacri.
Quem dedit æternum probitas venerabilis ævo
Mors animam cœlo reddidit alma suo.
Vos igitur superi socio gaudete superno,
Et divum servet curia sacra ducem.
Mille quadringentis Domini currentibus annis
Quadraginta tribus Februi vigesima prima

Extat lapis marmoreus sepulcralis in pavimento ad latus epistolæ, ad latus autem evangelii conspiciuntur insignia Feltriorum principum.

Ad annum 1452. *pag.* 235. *lin.* 31. Superest ergo: *Dele & lege:* Superest ergo, ut Hieronymus non sub Nicolao V. sed sub Eugenio IV. tenuerit regimen monasterii Gregoriani, tempore Sagacis episcopi Cavensis &c.

Ad eumdem annum 1452. *pag.* 236. *lin.* 8, Extat in tabulario Avellanensi consilium Benedicti de Benedictis Perusini JC., an jure stante privilegio monasterii Avellanensis, quod ejus capellæ & membra impetrari ab aliquo non possint sine expressa privilegii derogatione, sustineri debeat bulla Nicolai pp. V. qua hospitale Gandulfini Cæsenatis diœcesis uniri mandatur hospitali Cæsenæ. *Cæsenæ* XV. *kal. martii anni* 1452.

Ad annum 1454. *pag.* 241. *lin.* 19. Ad annum 1456. refert anonymus Avellanensis electionem cardinalis Bessarionis ad commendationem ejus monasterii his verbis. *Reverendissimus D. Bessarion natione Græcus episcopus Tusculanus cardinalis Nicænus tempore Calixti III. Apostolicæ sedis gratia ejusdem* (monasterii) *extitit commendatarius, qui habuit de thesauro pretiosarum rerum hujus almæ domus unum giojellum perlis exornatissimum, unum tabernaculum argenteum cum imaginibus & pretiosis lapidibus, & unam coltelleriam de argento, quæ omnia accepit a quodam Jacobo Blasii mercatore Eugubino, cui D. Petrus de Serra pro cautione centum florenorum consignaverat. Obiit anno* 1472. *tempore Sixti papæ IV.*

Ad annum 1458. *pag.* 261. *lin.* 34. Subjungimus ducales literas Pa-

ſchalis Maripetri ducis Venetiarum ad favorem monaſterii S. Mariæ de Carceribus ſcriptas hoc anno ; ex codice perantiquo D. Fulgentii ab Atheſte abbatis Camaldulenſis : *Paſchalis Maripetro dux Venetiarum &c. Nobilibus & ſapientibus viris de ſuo mandato Poteſtati & Capitaneo Padue preſentibus & futuris ceteriſque rectoribus terrarum, caſtrorum & locorum noſtrorum totius territorii Paduani aliiſque omnibus preſentes noſtras literas inſpecturis ſalutem & dilectionis affectum. Denotamus vobis quod ad honeſtam ſupplicationem venerabilis & religioſi viri domini Abbatis monaſterii Sancte Marie de Carceribus diſtrictus & diocesis Paduane ac fratrum & monachorum ipſius monaſterii eiſdem conceſſimus, ac preſentium tenore concedimus, quod tam per viam emptionis, quam legatorum & alio quocumque modo ſeu honeſto titulo acquirere poſſint pro dicto monaſterio poſſeſſiones & bona mobilia & immobilia tam fratrum & monachorum ipſius monaſterii, quam aliorum, pro honore Dei & ad augmentum ipſius monaſterii & religionis, & Divini cultus, non obſtante aliquo ordine in contrarium diſponente, ſicut plurimis aliis monaſteriis & perſonis eccleſiaſticis per tempora retroacta conceſſimus, hac tamen conditione, quod poſſeſſiones & bona, que per ipſum Domnum Abbatem & fratres ac monachos acquirentur, ſi erunt in eſtimo communitatis noſtre Padue aut aliquorum ex terris & locis territorii Paduani, remanere & eſſe debeant obligata ad factiones & onera occurrentia cum illa communitate & loco, ubi deſcripta erunt pro eſtimo ſuo, ſicut erant antequam per dictum monaſterium acquirerentur, ut propter hoc eſtima jam dicta non minuantur. Mandamus itaque vobis omnibus & veſtrum cuilibet, ad quos pertinet, & in futurum poterit pertinere, quatenus preſentem conceſſionem noſtram obſervetis ac permittatis inviolabiliter obſervari.*

Datum in noſtro Ducali Palatio die 30. menſis octobris indictione VII. 1458.

Ad annum 1462. *pag.* 269. *lin.* 2. Anno 1471. *lege* 1470.

Ad eumdem annum & paginam lin. 21. Addimus Pii II. Romani pontificis literas pro monaſterio S. Crucis Fontis-avellanæ, & pro Beſſarione cardinale ejus loci abbate commendatario; ex archivo Avellanenſi. *Pius epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum pontificem jus ſuum unicuique illeſum conſervare, & ne aliqui preſertim monachi indebite moleſtentur, ſeu per potentiores, quibus reſiſtere non poſſunt, opprimantur, ſalubriter providere. Cum itaque monaſterium S. Crucis Fontis-avellane ordinis S. Benedicti Eugubine diocesis, quod venerabilis frater noſter Beſſarion epiſcopus Nicenus cardinalis Tuſculanus in commendam obtinet, variis privilegiis jam diu decoratum fuerit, ac nonnulla & varia per marchiam noſtram Anconitanam & alibi beneficia eccleſiaſtica, etiam parochiales eccleſie, abbatie ac prioratus ab eadem Abbatia principali S. Crucis dependentia conſtituta ſint, que per monachos dicti monaſterii, qui in abbates, priores ſeu rectores dictarum eccleſiarum per abbatem ſeu commendatarium pro tempore principalis abbatie S. Crucis promoventur, ad nutum ejus, cum ei libuerit, revocandos, regi & gubernari conſueverunt, quibus cura imminet animarum. Et ſicut fide dignorum relatione percepimus, nonnulli locorum Ordinarii prefatos monachos ſepe numero moleſtare, ac ſuper beneficiis ipſis inquietare, ac ne ipſi monachi abbates priores & rectores beneficia & parochiales eccleſias obtinentes ſacramenta eccleſiaſtica ſecundum eorum privilegia & antiquam conſuetudinem miniſtrent, inhibere non verentur, contra juſtitiam pariter & equitatem, ac in ipſius monaſterii & mona-*

monachorum hujusmodi scandala pariter & detrimentum. Nos omnia & singula privilegia prefati monasterii illesa conservare, ac indemnitati dicti monasterii & monachorum ipsorum, abbatum, priorum & rectorum predictorum justitie & equitati favere volentes, omnibus & singulis episcopis & locorum predictorum ordinariis ac aliis quibuscumque cujuscumque status gradus ordinis vel conditionis existant, auctoritate apostolica tenore presentium inhibemus, ne contra monachos & officiales dicti monasterii nobis & apostolice sedi immediate subjecti, aut eorum ecclesias seu abbatias, prioratus & beneficia quecumque, quocumque nomine nuncupentur, ad ipsum monasterium spectantia], aliquid contra eadem privilegia attemptare presumant, quinimmo tam in animarum curam gerendo & baptizando, quam alia ecclesiastica sacramenta ministrando prefatos monachos seu beneficiatos ecclesiarum ipsi monasterio subjectarum rectores eorum privilegiis ac laudabili consuetudine pacifice gaudere permittant, nec aliquid contra justitiam ac ipsorum privilegia & antiquam ac laudabilem consuetudinem innovare audeant. Et insuper tam ipsis monachis ipsarum ecclesiarum seu beneficiorum hujusmodi rectoribus predictis sacramenta predicta ministrandi, quam quibuslibet fidelibus sub eisdem beneficiis, abbatiis, prioratibus & parochialibus ecclesiis predictis comprehensis secundum antiquam & laudabilem consuetudinem prefatam baptisma & alia sacramenta hujusmodi recipiendi plenam & liberam harum serie licentiam elargimur. Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Florentino, & Nucerino ac Feretrensi episcopis per apostolica scripta committimus & mandamus, quatinus ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, etiamsi sint extra loca, in quibus deputati sunt conservatores & judices, monachis prefatis efficacis defensionis presidio assistentes non permittant eosdem super his & quibuslibet aliis juribus .... abbates priores & monachos predictos spectantibus ab eisdem vel quibusvis aliis indebite molestari, vel eis gravamina seu damna vel injurias irrogari, quinimmo faciant jura & privilegia monasterii & monachorum predictorum, & antiquam & laudabilem consuetudinem inviolabiliter observari, contradictores quoslibet & rebelles cujuscumque dignitatis status gradus ordinis vel conditionis quandocumque & quotiescumque expedierit, auctoritate nostra per censuras ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus literis fel. rec. Bonifacii pp. VIII. &c. (ut in consimilibus) *Non obstantibus etiam constitutionibus apostolicis, nec non quorumcumque ordinariorum inhitionibus contra privilegia & consuetudinem hujusmodi emanatis seu emanandis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice* M.CCCC.LXII. *quarto kalendas maji pontificatus nostri anno* IV. *G. de Piccolomin. card.*

Aliæ extant Pii II. litteræ, *Datæ Senis anno* 1464. *kal. aprilis pontificatus anno* VI. quibus mandat episcopis Nucerino & Eugubino, ut quæstionem instituant in episcopum Foro-sempronienſem Baptistam Tolentinatem ejusque hæredes, aliosve sive clericos sive laicos Foro-semprонienses, Callienses, Senogallienses & Nucerinos, qui bona Avellanensium possessionesque multas injuria occupasse dicebantur.

Aliæ quoque sunt Pauli II. *Datæ Romæ die* XIX. *februarii anno* 1471. *pontificatus anno* VII. quibus supradictis episcopis edicitur, ut judicium præfatum acriter prosequantur, & episcopo Foro-semproniensi, comiti Aloysio de Monte-vetulo aliisque rerum Avellanensium invasoribus diem dicant, suoque judicio stare compellant, non modo censuris ecclesiasticis

inflictis, sed invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio. Is autem ejus quæstionis exitus fuit, ut Commune Fractulæ, quod Senogalliensis agri castrum est (nunc Tumbam vocant) a quo plurimum agri Avellanensis occupatum fuerat, eo excedere jussum sit, Johannis Marcolini Nucerini episcopi decreto, qui semel atque iterum eam causam cognovit propter adversariorum contumaciam, ut constat ex prolixis ejus judicii actis in secretiore Cingulanæ urbis archivo adservatis.

Ad annum 1469. *pag.* 283. *lin.* 40. Obeunte Johanne abbate S. Mariæ foris portam. *Melius forte diceretur*: Dimittente.

Ad annum eumdem 1459. *pag.* 285. *lin.* 11. Archiepiscopus Ravennas castrum Aurioli vendidit Carolo de Manfredis Faventiæ domino, interventu abbatis S. Hippolyti de Faventia, cui pro venditione demandata fuerat apostolica delegatio. Rubeus Lib. 7. pag. 639.

Ad annum 1472. *pag.* 288. *lin.* 22. Ob mortem scilicet Pavanelli. *Lege*: an per mortem Pavanelli?

Ad calcem ejusdem anni 1472. *addatur*: De Bentivolo Sentinate commendatario abbate S. Crucis Fontis-avellanæ hæc Anonymus: *Eamdem abbatiam post Bessarionis obitum commendari sibi obtinuit Johannes-franciscus de Bentivolis de Saxoferrato, protonotarius apostolicus, virtutibus undique circumseptus, cui sæva nimis Parca paucis pepercit annis*. Ex epistola tamen Sixti IV. relata ad annum 1474. videtur ipsum consequutum non fuisse abbatiæ hujus commendationem. Obitus ejus dies ad nonum octobris inter Commissos legitur in Necrologio Avellanensi.

Ad annum 1474. *pag.* 292. *lin.* 40. Anonymus autem Avellanensis hæc de Juliano de Ruvere cardinale profert: *Eo defuncto scilicet Bessarione, piæ recordationis reverendissimus Julianus episcopus Ostiensis S. Petri ad Vincula cardinalis, qui fuit tantæ magnanimitatis & excellentiæ, ut benefaciendo nunquam sibi ipsi satisfaceret, tempore Sixti papæ IV. hujus almæ domus extitit commendatarius. Prædictam abbatiam instauravit, pulcrum dormitorium, & campanile ecclesiæ congruum construxit, pretiosa paramenta auro & argento contexta sacristiæ donavit, monachos omnes mira quadam charitate semper prosequutus fuit, & eisdem multa contulit beneficia, qui tandem anno* 1503. *ad summi apostolatus apicem divina providentia vocatus fuit*.

In turri ecclesiæ legitur: M. CCCC. LXXXXIII. *tempore Reverendissimi D.D. Juliani card. S. Petri ad Vincula Commendatarii Hoc opus fecit fieri domnus Ludovicus Johannis de Eugubio cum aliis monachis*. Ludovicus Johannis ex Accorambona familia olim apud Eugubinos clarissima fuit, qui sub Bessarione & sub Juliano commendatariis proabbatem egit, & monachorum præfecturam, prioratum scilicet claustralem, summa cum laude multis annis gessit. Obiit autem die v. septembris anni 1489. ex Necrologio Avellanensi.

Ad annum 1478. *pag.* 299. *lin.* 32. Liber erat ad usum D. Gregorii eremitæ vocatus: *Diadema monachorum*.

Ad annum 1481. *pag.* 315. *lin.* 46. In choro hyemali canonicorum cathedralis Faventinæ inter duas fenestras visitur clypeus seu discus marmoreus, in cujus medio picta conspicitur imago Mariæ Virginis dicta

de

de Misericordia cum manibus apertis & erectis, & circa imaginem sculpta legitur sequens inscriptio : *Hoc opus fecit fieri societas sancte Marie Misericordie & beati Nevoloni.*

Ad annum 1487. *pag.* 329. *lin.* 15. Epistolam scriptam ab Augustino Barbadico duce Venetiarum Antonio Laurentano oratori in Urbe pro obtinenda liberatione a superiori impositione subjungimus.

Augustinus Barbadico Dei gratia Dux Venetiarum.

Antoni. Nunc comparuerunt ad presentiam nostram venerabiles religiosi monasterii sancti Michaelis de Muriano ordinis Camaldulensis, qui modeste, ut est eorum moris, condoluerunt, quod ad preces & instantiam magnifici Laurentii de Medicis, qui habet quemdam ejus consanguineum sive affinem, Priorem monasterii Angelorum Florentie suprascripti ordinis, Summus Pontifex scripsit unum Breve apostolicum, cujus exemplum pro tua informatione erit hisce inclusum, per quod imponitur, sicut per illud videbis, quod pro solvendis quibusdam debitis, que conflavit ipsum monasterium, & pro recuperatione bonorum ejusdem monasterii, que a prefato priore vel ministris videntur fuisse distracta, omnia & quecumque alia monasteria ubilibet constituta universi ordinis predicti Camaldulensis ex redditibus illorum satisfacere debeant prefato monasterio Angelorum summam florenorum trium millium auri. Que res profecto, si effectum sortiretur, sicuti religiosis tam prenominati monasterii sancti Michaelis de Muriano, quam reliquorum monasteriorum sitorum in ditione nostra, que sunt ejus observantie, vite & sanctimonie, quam tu probe nosti, esset nimium gravis, onerosa & intolerabilis, ita loquendo cum ea reverentia, que decet nostram devotionem, aliena videretur ab equo & honesto, ac plurimum enormis, quod defectu mali administratoris unius loci & pro commoditate unius monasterii reliqua omnia monasteria patiantur, & absque ulla eorum culpa sustineant incommodum & damnum, & eo quidem minus esset honestum gravare predicta monasteria sita sub statu nostro, quo adderetur novo gravamini hee recens impensa injusta & minime conveniens suis redditibus, ex quibus opus est, ut victus percipiatur. Nam prout non latet summum pontificem, iidem religiosi nuperrime fuerunt coacti solvere decimam Beatitudini sue pro illius indigentiis, & in presenti erogant nobis mutuo pecunias duarum aliarum decimarum: Quamobrem volumus, ut cures adire conspectum ejusdem Sanctitatis, cui omni reverentia & modestia exponas, quantum prediximus, & devote supplices, quod pro sua clementia & pietate dignetur compati prefatis religiosis monasteriorum, que sub universa ditione nostra sunt sita, & illos absolvere ab hujusmodi nova & inhonesta gravedine. Super qua re omnem convenientem instantiam facies, ut justa hec nostra petitio locum habeat, sicut late confidimus ob rei honestatem, & prefate Beatitudinis summam bonitatem & equitatem.

Datum in nostro Ducali Palatio die 17. *februarii Indictione quinta* M.CCCC.LXXXVI. (more Veneto).

Altera epistola ad favorem prædictorum monachorum S. Michaelis.

Die V. *januarii* 1487. *in Rogatis.*

Oratoribus in Curia, videlicet *D. Sebastiano Baduario & D. Bernardo Bembo.*

Cupiunt insuper iidem venerabiles Religiosi reformari & in meliorem formam redigi quoddam privilegium concernens laudem Dei & honorem dicte Religionis. In hoc etiam elaborabitis, & operam adhibebitis vestram,

ut

ut hujusmodi voti compotes evadant, prout particularius ab eis informabimini &c.

Ad annum 1488. *pag.* 334. *lin.* 4. Vincentius prior S. Mariæ de Ruta ordinis Camaldulensis constitutus die XIX. maji coram Benedicto Trevisano locumtenente retulit se tenutam corporalem monasterii S. Gottardi de Urino tradidisse Hieremiæ Veneto monacho instituto priori a Petro Delphino priore generali per ejusdem bullam scriptam a Mauro q. Silvestri Granza notario. Ex archivo Fontis-boni §. *Tenuta* 34. A. 5. 15.

Ad annum 1496. *pag.* 357. *lin.* 43. Bernardinum Gadolum Brixianum abbatem Camaldulensem circa annum 1446. laudat Fabritius Biblioth. Mediæ & infimæ Latinitatis Lib. II. pag. 216. Sed nunquam Gadolus abbatiali dignitate fuit decoratus, neque eo tempore floruit; verum desinente seculo XV. ut ex Annalibus nostris liquet utrumque. Memorat idem Fabritius opus Annotationum Bernardini in Sacram Scripturam, librum de fugiendo seculo, & religione amplectenda, alium contra superbiam & ambitionem, epistolas item & sermones, ac testimonio Possevini ait eum cogitasse de Operibus S. Hieronymi in ordinem colligendis. Hæc fusius a nobis illustrantur sub anno 1496.

Ad annum 1500. *pag.* 373. *ad calcem.* Aliæ Augustini Barbadici Venetiarum ducis literæ ad favorem congregationis Camaldulensis S. Michaelis de Muriano.

Augustinus Barbadico Dei gratia Dux Venetiarum.

Nobili & Sapienti viro Marino Georgio Doctori Oratori nostro in Curia Dilecto Fideli salutem & dilectionis affectum. Decreto Senatus nostri anno 1487. *supplicavimus sedi apostolice, ut unire dignaretur monasteria sancti Michaelis & sancti Mathie Muriani, & monasterium Classense Ravenne ordinis Camaldulensis; annuens autem precibus nostris univit dicta monasteria, & constituit, ut eadem unio nuncuparetur congregatio sancti Michaelis de Muriano, indulsitque privilegium de hac, & de forma regiminis prefate congregationis. Nunc autem intelleximus Generalem Camaldulensem & quosdam paucos ditionis Florentine conari, ut dictum privilegium mutetur seu abrogetur; quod cum esset contra bonum dictorum monasteriorum, & contra voluntatem nostram, quippe qui plurimum afficimur prefate congregationi, que frugem vere religionis firmiter profert, duximus has ad vos dare, volentes ut Beatitudini Pontificis reverenter & efficaciter supplicetis, ut dignetur predictam congregationem sub umbra alarum suarum protegere, fovere, augereque, & non permittere, ut privilegiis ad supplicationes & preces nostras ab Apostolica sede eidem congregationi concessis in aliqua parte seu puncto derogetur. Adibitis & reverendissimum domnum Cardinalem Senensem ejusdem ordinis Protectorem, ejusque reverendissimam dominationem verbis nostris rogabitis, ut prefate congregationi, cujus plantationi ipsemet pias manus adhibuit, omnem favorem impendere velit, ejusque privilegia ita tueri, ut ne in puncto quidem eisdem derogetur. Hoc idem faciatis cum aliis, prout expediens & conducibile eidem congregationi fore visum vobis fuerit. Et si quid contra prefatam congregationem seu ejus privilegia impetratum fuerit, omni arte nitimini, ut revocetur, & pro infecto habeatur, favebitisque eidem congregationi in omnibus, & illam commendatam habebitis, nihil pretermittendo ex iis, que ad ejus conservationem & auctum conducere visa fuerint.*

Datum

Datum in nostro Ducali Palatio 22. Septembris indictione quarta 1500.

Ad annum 1503. *pag.* 384. *lin.* 6. Addantur, quæ habet anonymus Avellanensis de Romelino abbate commendatario S. Crucis Fontis-avellanæ: *Juliano ad Petri sedem evecto Reverendissimus Franciscus natione Hispanus episcopus Surrentinus cardinalis Romelinus abbatiam S. Crucis Fontis-avellanæ sibi obtinuit commendari, qui domos, quas habet hoc monasterium in terra Pergulæ collapsas a fundamentis erexit, ac fontem ipsum S. Crucis Avellanæ restauravit. In reliquis modestissime se gessit, monachos omnes ab bene beateque vivendum fraterno amore sæpius cohortabatur, eosdemque beneficiis amplectebatur. Duravit ejus commenda usque ad annum* 1517. *& ibi sua functus est vita.* Ipsius abbatis extat hocce monumentum in dormitorio inferiori Avellanensi, lapidi insculptum: *Franciscus cardinalis Surrentinus commendatarius instauravit.*

Ad annum 1504. *pag.* 384. *lin.* 13. Julius II. electus Summus Pontifex, VI. Kalendas decembris pontificatus sui anno primo sequentes dedit Petro Delphino abbati generali & priori Camaldulensi literas, quas ex veteri apographo archivi S. Michaelis de Muriano subnectimus.

A tergo: *Dilecto filio priori Generali Camaldulensium.*
Julios servus servorum Dei &c.

Julius episcopus servus servorum Dei dilecto filio priori generali Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Salvator noster Jesus Christus, ut ab æterna morte liberaret humanum genus, mortalitatem nostræ carnis assumpsit, sacrosanctamque universalem ecclesiam passione fundatam in terris usque ad consumationem seculi perpetuari voluit, & gregis sui oves pascendas per variam successionem pastorum, qui eas verbo & opere ad æternam gloriam invitantes disposuit. Sane quum felicis recordationis Pius papp III, prædecessor noster quinto-decimo kalendas Novembris, sicut Domino placuit ex hac mortali vita ad immortalitatem migrasset, post funeris ipsius & sollemnium exequiarum, ut moris est, celebrationem, venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales, de quorum numero tunc eramus, Romæ in palatio apostolico apud basilicam beati Petri principis Apostolorum, in quo idem prædecessor noster, dum viveret, habitabat, & cursum præsentis vitæ finierat, in Conclavi pro electione futuri Pontificis celebranda, modo & tempore congruis, in virtute Altissimi convenerunt: ubi variis consiliis & maturis deliberationibus præhabitis, facta deliberatione, celebrata Missa in honorem Spiritus sancti, post diligentem tractatum, prout tantæ rei, qua nulla major in terris agitur, gravitas exigebat, tandem prædicti fratres ejus, qui invocatus fuit, gratia cordibus eorum infusa, licet in alios majoribus meritis insignes convenire potuissent, certo Dei judițio, cujus consilia inscrutabilia sunt, Nos tunc episcopum Ostiensem S. R. E. cardinalem, in sponsum, pastoremque suæ ecclesiæ sanctæ kalendis Novembris unanimi voluntate & concordia elegerunt. Quoniam vero, sicut Domino placuit, ita factum fuit, quamvis nos habere humeros imbecilles ad perferendum tantum onus, quantum est universalis ecclesiæ sarcina, sentiremus, tamen ne reluctari videremur Divinæ voluntati, collum subjecimus jugo Apostolicæ servitutis, sperantes in eo, qui infirma eligit Mundi, ut confundat fortia, cum Romanus Pontifex, licet per ministerium hominum eligatur, ex cælesti tamen inspiratione procedat, (quod fragilitati nostræ suæ

gratiæ

gratiæ robur inspirabit, & vires contra hostes fidei suggeret, ut perfidi Turci non solum a suis cursibus retrahantur, sed ope divini auxilii, & præsidio nostro ac Catholicorum regum & principum penitus conculcentur. Erit igitur officii tui hæc publicari & prædicari facere per magistros & alios Fidei prædicatores Ordinis tui, mandando eis, ut juxta debitum Christianæ professionis moneant & exhortentur populum ad obedientiam nostram, & ad effundendum preces Altissimo, ut nobis sua gratia assistat, & nostræ humilitati gratiam tribuat, ut Ecclesiam suam sanctam ad gloriam & honorem ejus, exaltationem Fidei, extirpationem hæresum, ac pacem & quietem populi Christiani fideliter in Domino gubernare valeamus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tertio VI. *kalendas Decembris pontificatus nostri anno primo.*

T. Volaterranus.

Ad annum 1507. *pag.* 393. *lin.* 27. Epistolas hinc inde scriptas in causa monasterii S. Mariæ ad Carceres subjungimus ex tabulario S. Michaelis de Muriano.

Leonardus Lauredanus Dei gratia Dux Venetiarum. Nobili & Sapienti viro Antonio Justiniano doctori Oratori nostro in urbe fideli Dilecto salutem & dilectionis affectum. Cupimus admodum, ut juxta deliberationem alias factam in Senatu nostro, & literas scriptas oratoribus nostris isthic predecessoribus vestris, ac privilegia & indulta Apostolica monasterium sancti Michaelis de Muriano & abbatia Carcerum cum ceteris aliis monasteriis ordinis Camaldulensis in commendam non vadant, & propterea cum isthic in curiam se conferant in presentiarum nuntii dicte congregationis, a quibus totum rei successum particulariter intelligetis, & ideo distincte & minutim informabimini, Volumus & imperamus, ut omnem vestram sedulo & accuratissime operam impendatis & exhibeatis pro votiva executione predicti nostri desiderii, & precipue pro abbatia Carcerum a dicta congregatione diligentissime reformata ad vitam regularem, in quo obtinendo pro viribus elaborabitis. Et si quod impedimentum occurreret, vobis vestris literis consignandis per vos antedictis nuntiis rei successum & impedimentum declarabitis seriose, ut juxta exigentiam providere valeamus, quo hujusmodi voti nostri compotes evadere valeamus, & hanc nostram constantem opinionem declarabitis reverendissimo domino cardinali Grimano, ut juxta illam conformare se possit.

Datum in nostro Ducali Palatio die 12. *maji indictione sexta* 1503.

Leonardus Lauredanus Dei gratia Dux Venetiarum Oratori nostro in Urbe. Facti certiores a reverendo vicario generali totius congregationis sancti Michaelis de Muriano ordinis Camaldulensis, & hoc itidem affirmante viro nobili Hieronymo Grimani agente pro reverendissimo Domino cardinale Grimani fratre & nuntio suo, extare compositionem hic Venetiis celebratam inter suam reverendissimam dominationem ex una, & prefatum domnum Vicarium dicte congregationis sancti Michaelis partibus ex altera, de & super causa abbatie Carcerum diu agitata, per quam imponitur finis tam longe diuturneque contentioni. Reputavimus omnia ad maximam animi nostri satisfactionem, quandoquidem magnopere cupimus & desideramus videre pacem & quietem inter diffidentes, precipue ubi partibus fit satis. Ea de causa volumus & efficaciori modo, quo possumus, vobis imperamus, ut esse debeatis cum sua reverendissima dominatione, & ei-

& eidem aperire, quantum nobis cordi fuerit intellexisse modum jam adhibitum litium resecandarum, hortarique eumdem & persuadere, ut in complacentiam nostram velit efficere, quod compositio hujusmodi suum omnino sortiatur effectum, penitusque desistat ab ulteriori processu & litigio in causa ipsa isthic in Curia, quemadmodum probe novit nos per antea pluries terminasse. In qua re offerimus nos adhibiturum omnem efficacissimum modum, ut votis sue reverendissime dominationis conducat, & omnibus satisfiat, quam rem habituri sumus prejucundissimam, ultra quod erit acceptissima Deo optimo, quem exoramus, ut hic rei opem attribuat. Agetis itaque, & nobis quantum operabimini, per vestras literas latori presentium exhibendas significate.

Leonardus Lauredanus Dei gratia Dux Venetiarum Nobili & sapienti viro domino Dominico Pisani equiti Oratori nostro in Urbe fideli Dilecto salutem & dilectionis affectum.

Cum compertum nobis sit reverendissimum dominum Cardinalem Grimanum fedus seu concordium quoddam iniisse cum venerabili congregatione fratrum sancti Michaelis de Muriano pro fructibus & proventibus abbatie Carcerum, quod scilicet fructus superabundantes ultra necessaria monachorum XXV. ac ipsius monasterii fabricam, sint reverendissimi domini Cardinalis prefati, quoad vitam duxerit. Quod quidem concordium, sicuti accepimus, in illo sacro Consistorio fuit approbatum. Nos autem cupientes, quod litibus inter ambas partes secutis tandem finis imponatur, cognoscentesque illum reverendissimum dominum cardinalem virtute ac integritate preditum hoc idem peroptare, has nostras ad vos dandas duximus, mandantes, quod opem & brachium vestrum, ubi opus esse cognoveritis, impendere debeatis, quo mediante dictum concordium debitum sortiatur effectum, sicuti nuntii dicte congregationis omnia plenius vobis declarabunt, & hoc idem, si vobis visum fuerit, explicabitis reverendissime dominationi sue illis accommodatis verbis, que rei exigentiam requirere cognoveritis.

Datum in nostro Ducali Palatio die X. februarii indictione nona 1505.

Dominico Pisani Equiti Oratori nostro in Curia.

Reperitur isthic, sicuti intelleximus, Domnus B. abbas sancti Michaelis de Muriano jam pluribus mensibus nomine congregationis sue, pro lite & controversia vertente inter reverendissimum dominum cardinalem Grimanum & ipsam congregationem, causa abbatie Carcerum, cum maximo detrimento & incommodo religionis sue, & optat summopere expediri ab ipsa differentia, ut sue religioni inservire possit, prout tenetur. Nos autem, qui commodum & quietem religionis predicte maxime cupimus, & quod differentie prefate finis imponatur, intelligentesque per reverendissimum dominum Cardinalem Alexandrinum de mandato summi Pontificis & sacri collegii reverendissimorum Dominorum Cardinalium correcta fuisse prima capitula facta in hac causa, & adhuc nihil fieri pro expeditione ejusdem controversie, non possumus nisi summopere mirari, & presertim cum correctio ipsa sit justa, & sancta, & que penitus observari deberet. Quapropter cupientes nos, quod predicta religio tandem ab hac vexatione & perturbatione liberetur pro justitia, & quod ipse reverendus domnus Abbas terendo tempus Rome amplius non moretur, quod est cum incredibili jactura religionis sue, has ad vos dare statuimus, volentes & efficacissime mandantes, ut tam apud Beatitudinem pontificiam, quam apud reverendissimum dominum cardinalem Grimanum & alios quoscumque, ubi opus esse cognoveri-

tis, prestetis ipsi reverendo domno abbati, sive ejus nuntiis efficaces opportunos & honestos favores vestros, qui vobis possibiles erunt, itaut illa veneranda religio omni possibili celeritate liberetur, & expediatur a tali controversia & lite, & amplius non vexetur, sed quieta permaneat, ut conveniens & justum est, quo id celerius fiat, eo nobis gratius erit, & de executione nos vestris literis certiores reddetis.

Datum in nostro Ducali Palatio die 16. Aprilis 1506.

Marcus Bollani
Petrus Mauroceno
Antonius Tronus
Angelus Trivisanus
) *Consiliarii.*

Johannes Bernardo notarius Ducalis.

Oratori nostro in Urbe.

Vi abbiamo scritto dupplicate nostre circa la controversia vertente tra il reverendissimo cardinal Grimani e la congregation de venerandi Frati di S. Michiel di Murano per causa dell' Abatia delle Carceri; habbiamo etiam in responsion inteso, quanto ne havete significato havervi detto quel reverendissimo cardinale. Hora sono comparsi alla presentia della Signoria nostra alcuni venerandi Padri di detta congregation, & ne hanno presentato una lettera scritta per el reverendissimo cardinale predetto, la copia della quale ve mandemo a queste inserta per mazor dichiarazion nostra. Quali hanno affermato esser contentissimo stare alli capitoli corretti per il reverendissimo cardinale Alessandrino. Noi veramente essendo desiderosi, che a detta controversia sia posto fine, volemo e ordinemo e comandemo, che prestita occasione esser dobbiate con il reverendissimo cardinale Grimani prenominato, & con ogni studio & opera procurar, che i Capitoli ut supra corretti habbino esecuzione, & questa materia sia ultimata. Preterea, *perchè nelle lettere del reverendissimo Cardinale se contien una particela, qual' è, che sua Signoria reverendissima non potrà far altramente, che prociedere* contra injuste detentores, *ve comandemo, che dir dobbiate a sua Signoria reverendissima, con la solita dexterità e circospettione vostra, non voglia* interea contra aliquem procedi facere ad censuras & interdicta, *perchè l' haveressimo molesto. Deportandovi in questa materia giusta il solito instituto vostro, si che hormai la prendi fine.*

Datum die 4. junii 1506.

Consiliarii.

Bartolomeus Minio
Antonius Trono
Angelus Trivisano
Philippus Sacredo Cap. loc. Cons.

Bernardinus de Ponte Curie majoris notarius.

Serenissimo Principi & Domino excellentissimo D. Leonardo Lauredano Venetiarum Duci inclito. Serenissime Princeps & domine excellentissime &c. *Per altre nostre promettessimo a Vostra Sublimità immediate gionta che fosse la Santità del Pontefice a Perugia, far ogni debita diligen-*

gentia per metter l' ultimo fin in la materia della Badia nostra delle Carceri . Hora li facemo intendere per le presenti noi esser stati con sua Santità, & haver fatto l' ufizio per nome di vostra Serenità & nostra a supplicare & instare con sua Beatitudine, che sia contenta in questa materia mettere la mano, & poner fine & levare le censure contra la congregazione di San Michiele di Murano per la Rota fatte . Perchè oltra che la Serenità Vostra l' havrà gratissimo , noi etiam , de cujus intereſſe agitur, *l' haveremo in singolare piacere, non tanto per rispetto nostro, quanto per rispetto vostro della Sublimità Vostra . E così sua Santità per il paterno amor, che porta à quel Eccellentissimo Senato , ha condisceso alle supplicationi nostre, & hà voluto veder l' ultimo accordo fatto fra la detta Congregazione e noi, di consiglio e consenso del reverendissimo cardinalo di Volterra suo Protettore, de suoi Avocati e Procuratori, fatto e stipulato in presentia del magnifico vostro Orator & alcuni altri Prelati , & ratificato dalla detta Congregatione nel suo Capitolo & dal suo Generale, come tutto appare per instrumenti publici* , cum hac tamen conditione, *ch'el fosse confirmato dalla sedia apostolica . Dopoi la qual confirmation ambidue le parti sono obligate ad observare sotto gravissime pene, come in detto accordo appar; & così la Santità sua* omnibus bene conſideratis & diſcuſſis, aliquibus demptis *in pregiuditio nostro, ha confirmato detto accordo, e posta l' ultima conclusione e fine a questa causa , e levate le censure, come per Breve sua Santità notifica alla Celsitudine vostra; havemo acquietato, a quanto ha fatto sua Beatitudine. supplicatola* etiam cum intereſſe & manifeſto damno noſtro *per far cosa grata a quel Serenissimo Dominio, e per mettersi una volta in quiete dapoi dodeci anni di tempo, e molte spese fatte in questa benedetta lite. Non altro, salvo raccomandemo noi & le cose nostre alla Sublimità Vostra, la quale semo certi ne abbraccierà con ogni amor e charità, come la è consueta, & secondo si conviene alla fede & servitù nostra verso quel Serenissimo Dominio, il quale Dio conservi & prosperi secondo la desidera.*

Datum Augubii die 22. septembris 1506.

Eccellentissime Serenitatis vestre.

Servitor Dominicus Grimanus Cardinalis manu propria.

Ad annum 1508. *pag.* 397. *lin.* 30. *Adde :* Johannis Pierii Valeriani Luſuum *libro primo pag.* 19.

De Paulo Canali.

Jupiter ad Musas: Dilectum ostendite natum
Quem merito superum gratus honore colam.
Confestim in medium prodit Musa Attica: Paulum
Canalem ostendit delicium Aonidum.
Hic meus est: Ethrusca refert; Romana repugnat
Esse suum affirmans: lis gravis orta Deis.
Consulitur Phœbus: placitum est audire canentem
Is cecinit, Græcus, Lydus & Ausonius.
Tum Phœbus: Non est, cujus sit cernere, verum
Ominor hunc fratrem, Jupiter esse mihi.
Jupiter huic: Verum; nam te suprema colente
Qui coleret terras, Phœbum alium genui.

Idem in Pauli Canalis obitum. Pag. 25.

Ingentem Italiæ cladem fortuna parabat
Horrida, tormentis, igne, cruore furens;
Sed primi postquam frustra cessere tumultus
Canduit, & majus pectore movit opus.
Torva itaque Euganeas deflexit lumina ad undas
Plurima qua Adriacis insula surgit aquis.
Hic videt Aonia Canalem cuspide Paulum
Barbara sollicita vertere castra manu.
Nec mora, quin totum Veneto subjecerit orbem
Doctrinæ, aurato bella tridente gerens
Tum secum: Veneti populis dant jura subactis
Jura quoque ingeniis eloquioque dabunt?
Hoc saltem prohibebo decus, simul improba Paulum
Excipit hæc, vicit, cedite jam Veneti,
Euganeam indepti totam, amisistis in uno
Atticum, Indumeum Romuleumque solum.

Hieronymi Bononii Epitaphium Pauli Canalis,

Promisc. lib. XI.

Vixisset æqua sorte, si, par ut fuit,
Linguæ Latinæ quale laturus decus
Erat Canalis, quale Paulus Atticæ,
Vita brevi quæ præstiti, sat edocent.

Ad annum 1510. *pag.* 1503. *ad calcem adde* : Bartholomæus q. Blasii de Puppio prior eremi-novæ Ord. Camaldulensis Vallis-Galeatæ, necnon ejus adnexi seu cellæ S. Mariæ sitæ infra limites parœciæ S. Sixti de Pondis & S. Paterniani de Radio, præmissis literis Ludovici tituli S. Marcelli cardinalis dedit in emphyteusim prædium seu domum pretio florenorum septem auri, & cum promissione, quod emphyteota reparet ecclesiam S. Mariæ de Cella, & emat planetam & calicem. Actum in villa de Chadisanti; ex tabulario Fontis-boni §. *Emphyteusis* A. 6. 2.

Ad calcem anni 1513. *pag.* 425. Hoc anno Nicolaus Rodulphius Florentinus S. R. E. Cardinalis post cardinalem Romelinum abbas effectus est commendatarius S. Crucis Fontis-avellanæ. *Eodem anno*, inquit anonymus, *tempore Leonis X. reverendissimus Nicolaus, tunc SS. Viti & Modesti in Macello martyrum diaconus cardinalis Rodulphus, apostolicæ sedis gratia de hujusmodi venerabilis monasterii commenda extitit provisus, qui non minus virtutibus & literarum scientia ornatus, quam moribus & sanctitate circumseptus, monachos hujus venerabilis monasterii continuis literis, haud immemor curæ sibi commissæ, ad divinum cultum & ad beati P. N. Benedicti regulam observandam fraterno amore & charitatis dilectione commonuit, multis in locis restauranda restauravit, in conservandis rebus sui monasterii studiosissimus semper extitit. Hoc namque non est silentio prætereundum, nam sub anno* 1523. *Hadrianus pp. VI. diabolica instigatione & pessimorum hominum audacia persuasus, thesaurum pretio-*

ſarum rerum cum omnibus reliquiis monaſterii S. Crucis Fontis-avellanæ, qui erat in civitate Eugubina in monaſterio S. Spiritus, Romam transferri fecit; Quod cum reverendiſſimus cardinalis Rodulphus audiſſet, non potuit id æquo ferre animo, ſed illico tanta coram ſummo papa Hadriano pro iis recuperandis rebus uſus fuit diligentia, ut quidquid ablatum fuerat, ab Urbe Romana ad monaſterium remitti obtineret, & quidquid erat, remiſit illaſum. Hieronymus-maria Venetus ex O. Prædicatorum in chronico ejuſdem monaſterii Eugubini S. Spiritus, Hadriani factum memorat uberius, cauſamque addit, quæ Hadrianum ad illud conſilium capiendum impulerit; ait enim „ nebulones quoſdam pontifici inſuſſuraſſe, Eugubii „ apud moniales S. Spiritus ſacram ſuppellectilem multam ſervari, quæ „ ad eccleſiam Romanam pertineret; quod cum pontifici perſuaſum eſ„ ſet, Petrum de Urbeque Eugubium fuiſſe miſſum, ut eam ſuppelle„ ctilem Romam aſportaret, in quo non magnopere ei laborandum fuit; „ neque enim expectandum erat, ut religioſæ feminæ contra hominem „ minis & terroribus armatum & plenis buccis pontificiam indignatio„ nem & eccleſiaſticas cenſuras intentantem depoſitum tutarentur. " Jam a multis annis Avellanitæ monachi latronum incurſationes & deprædationes pertimeſcentes pretioſum theſaurum e monaſterio Eugubium deferri curaverant, & deponi fecerant apud PP. Dominicanos ejus urbis, inde transferri, tamquam in tutiorem locum, penes ſanctimoniales S. Spiritus.

Ad annum 1514. *pag.* 436. *lin.* 43. Ne quid laudis depereat Quirino noſtro' publici juris facimus ex Codice Bibliothecæ noſtræ autographo num. 874. carmen Hieronymi Bononii, quod ad ipſum dedit, dum adhuc in ſeculo degeret, & ad Cæſarem orator pro Veneta Republica proficiſceretur.

Ad magnificum atque clariſſimum D. Vincentium Quirinum. Epodon.

Inclytus Iliades Romanæ conditor urbis
Poſt acta ſumma digna rege plurima.
Aurea defunctus curis mortalibus aſtra
Novo Quirinus appetivit nomine.
Fluxit ab hoc generis proles generoſa Quirina
Dicti Quirites unde ſunt & nobiles.
Cœpiſſet tandem quum res Romana labare
Robur Latinum Barbaris quaſſantibus.
Monſtravit tutos pietas Divina receſſus
Et fluctuoſis aream cinctam fretis.
Hic Veneti ſtatuere ſuam per longa quietem
Rerum potiti maximarum ſecula.
Tranſtulit huc ſeſe præclara Quirina propago
Allecta ſanctum facile in ordine patrum.
Quæ quos egregios tulerit bellique domique
Longis alumnos proditum eſt annalibus.
Ad te unum me Muſa vocat, quem plurima virtus
Dignum Quirini prole clarat ſtemmatis.
Nec minus ingenium per cuncta negotia promptum
Moreſque facto cuiquam perquam commodi.
Munus grande comes doctrina quod ornat & auget
Et liberalium artium ſcientia.

Curaſti

Curasti rerum secretas discere causas
Ac eleganter eloqui, ut magnos decet.
Carmina Cirrhæis tanquam nutritus in antris
Sacris suetus digna Musis edere.
Candida Ledeos fratres imitata venustas
Quorum serenus emicat fulgor polo.
Congruit excelsis animi virtutibus illa
Honesta digni corporis proceritas.
Præsenti charitas quæcumque negotia tractas
Auctoritate & gratia statim juvant.
Ergo longinquas orator missus ad oras
Facis jubente verba dum pro patria,
Excepit festo Burgundia martia plausu
Oratione facta lætior tua.
Talia flexanimo tibi gratia surgit ab ore
Quicquam petenti nullus ut desit favor,
Qualiter Amphion Dirceam condidit arcem
Vates ut caram Thrax redemit conjugem.
Nunc quoque Cæsareas feliciter ibis ad aures
Visurus oram nobilem Germanicam.
Arripe iter faustis avibus, quem numina cordi
Habent, favore plurimo juvantia.
Adsint, consensu & solito tua vota secundent,
Dumque is, redisque, dum moraris, sospitent.
Ne ut morer multis jam jam ad majora vocatum
Qua fine noster sermo sese claudat, cape.
Si qua profecturum possent nostra juvare
Ulla facultas parte, præsto jam foret.
Vincenti nihil est tibi quod præstamus amici,
Sapiens opis nullius externæ indiget.

Ad annum 1514. *pag.* 438. *lin.* 5. Honorificum Breve Leonis papæ X. pro Philippo Martinellio abbate monasterii SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia; ex autographo in archivo ejusdem loci.

Leo Papa X. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Cum tu, qui ut asseris, monasterium sancti Hippolyti Faventini Camaldulensis ordinis inter alia obtines; & cui nuper Nos, & quamdiu dicto monasterio præesses, Mitra, anulo & aliis pontificalibus insigniis libere uti, & in dicto monasterio, ac illi etiam cum pleno jure subjectis ecclesiis benedictionem solemnem post Missarum, Vesperorum & Matutinorum solemnia, dummodo inibi aliquis antistes vel sedis apostolicæ Legatus præsens non foret, elargiri, necnon quascumque Moniales dicti ordinis benedicere libere & licite valeres per alias nostras in forma Brevis literas concessimus & indulsimus, prout in illis plenius continetur, a dilecto filio Petro Delphino dicti ordinis generale vicarius generalis deputatus fueris, & propterea monasteria & loca dicti ordinis visitare habeas. Nos volentes te amplioribus favoribus & gratiis prosequi, ut in omnibus monasteriis & locis ejusdem ordinis & ecclesiis etiam secularibus illis subjectis, ad quæ te accedere contigerit, Mitra, Anulo, Baculo pastorali, chirothecis & aliis insigniis uti, & benedictionem solemnem post Missarum, Vesperorum, Matutinorum & aliarum horarum solemnia convenienti populo in dictis monasteriis, parochialibus & ecclesiis hujusmodi, dummodo aliquis antistes seu apostolicæ sedis Legatus præsens non fuerit,

fuerit, elargiri, ac vasa & alia ornamenta ecclesiastica Divino cultui necessaria pro monasteriis & ecclesiis prædictis, de consensu tamen illorum, qui monasteriis hujusmodi præfuerint, & ecclesias ipsas obtinuerint, benedicere, & a quocumque catholico antistite gratiam & communionem sedis apostolicæ habente, munus benedictionis aliquibus diebus festivis, etiam extra tempora a jure statuta suscipere, eidemque episcopo, ut illud tibi impendere & tu illud suscipere libere & licite valeatis, licentiam & facultatem auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, & fe. re. Alexandri papæ IV. quæ incipit : Abbates; *cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die* XXIV. *junii pontificatus nostri anno secundo.*

P. Bembus.

ADDENDA ET EMENDANDA

IN TOMO VIII.

AD ANNUM 1519. *pag.* 13. *lin.* 44. Ad Paulum Orlandinium hæc adde: In Bibliotheca Laurentiana Pluteo LXXXII. Cod. IX. pag. 400. apud Montfauc. extat epistola Marsilii Ficini una cum operibus atque commentariis suis in Platonem directa Paulo Orlandinio in Angelorum æde monacho comphilosopho suo. In Riccardiana : *Rime di Paolo eremita :* pag. 311. In Appendice vero ejusdem Bibliothecæ pag. 389. declarat Lamius auctorem Etruscorum horum carminum esse Paulum Orlandinium. Quoad expugnationem Miletanam, quam idem Orlandinius scripsit contra Franciscum de Mileto, Johanne-Mabillonius in Itinere Italico pag. 170. eam se vidisse testatur in cœnobio S. Mariæ angelorum Florentiæ, & ait auctorem ipsius in eo refutando, Theologorum Parisiensium more decem ejus argumenta proferre, ac postea totidem regulas, quibus Mileti argumenta refutantur. Contra Miletum disputavit etiam Paulus Justinianus noster. Vide, quæ in Annalibus diximus ad annum 1528. emortualem Justiniani.

Ad annum 1523. *pag.* 37. *lin.* 40. *Addatur* : Quanto autem favore Senatus Venetus prosequutus fuerit monachos congregationis Camaldulensis contra Marinum Grimanum patriarcham Aquilejensem & S. R. E. cardinalem, indicant sequentes literæ, quæ licet spectent ad annos posteriores, tamen dantur hoc loco ad notitiam hujus controversiæ.

Oratori nostro in Curia.

Con non poca nostra admirazione & displicentia insieme havemmo inteso quello che ne hanno esposto li reverendi Padri della religion di san Michiele di Murano dell' ordine Camaldolese, ch' el reverendissimo cardinale Grimano habbi tentado e procurado appresso la santità del Pontefice de ottenere alcune innovazion circa l' Abbatia di Santa Maria delle Carceri, de diretto contrarie a tanti decreti della Sede Apostolica, contro il concordio alias seguido frà il quondam reverendissimo Cardinal Grimano & essi reverendi Padri,

dri, contra le parti prese nel senato nostro, e demum contra quello è stato continuamente servato da tanto tempo in quà, & havendo noi in ogni tempo havuta la cura e protezion di essa religion, vi commettemmo cum universo collegio, che attrovar vi dobbiate con esso reverendissimo Grimano, persuadendo sua reverendissima signoria in nome nostro a desistere da questa impresa, e contentarsi, che siano servati li decreti di quella santa Sede, li concordj fatti, le parti prese, e tante altre decision sin° hora seguite in questa materia, come porta ogni dover e giustizia. Et se già sin ora l'avesse ottenuto & impetrato cosa alcuna, la faccia immediate revocar, facendoli resolutamente intender, che non siamo in modo alcuno per tollerar innovazion alcuna; e se vedeste sua Signoria reverendissima persistere nel fermo proposito suo, volemo, che attrovativi con la santità del Pontefice, debbiate in nome nostro farli intendere, quanto ne sieno moleste queste innovazion, essendo, come è detto, contrarie alli decreti di quella santa Sede, al concordio seguito frà il quondam reverendissimo cardinal Grimano di buona memoria e la Congregation predetta, contro le parti prese nel Consiglio nostro di Pregadi, e così lunga e continua osservanza, supplicandola però a non permettere sia fatto pregiudizio a così antichissime ragion e giusti titoli di essa religion, ma facendo si continui nel modo e forma, che s'è continuato sin al presente; e se già sua Santità havesse concesso cosa alcuna, sia contenta per giustizia farla rivocar, come non dubitamo, che lei piena di bontà e giustizia sia per fare, e dell'esecuzione ne avvisarete.

Datum die 2. junii 1535.

Jo: Franciscus Marinus Ducalis Notarius exemplavit.

Post biduum alias dedit Senatus Venetus rectoribus Patavinæ urbis, quæ sunt hujusmodi.

Rectoribus Padue.

Essendosi doluti alla presenza della Signoria nostra li reverendi Padri della Religion di San Michiel de Muran dell' ordine Camaldulense, ch' el reverendissimo cardinal Grimano pretendeva ottener dalla Santità del Pontefice alcune innovazion circa l'Abbazia di santa Maria delle Carceri, i frutti della quale se godeno parte per esso reverendissimo cardinale, & parte per essi reverendi Padri, havendo noi sempre havuto la cura di essa religion, & sapendo i decreti della sede apostolica già fatti in questa materia, le parti prese nel senato nostro, l'accordo fatto fra il quondam reverendissimo Grimano, & essi reverendi Padri, non volendo tollerar, che contra la forma e tenor di quelli sia innovato cosa alcuna, l'altro giorno havemo cum universo collegio scritto all' orator nostro in corte, che in nome nostro debba exortar esso reverendissimo cardinal a desistere da queste impetrazioni, & voglia esser contento, e continui, come si è fatto sin al presente, come speriamo sua signoria reverendissima sia per dover fare; prima che siano gionte le lettere nostre intendemo, che da quella è stato impetrata una commission generale contra tutti quelli, che usurpano, molestano & inquietano esso reverendissimo cardinal per l'intrade, che sua signoria reverendissima hà a scuoder; la quale è stata presentada al reverendo donno Angelo Lippomano arciprete di quella chiesa cattedral, qual in executione di essa commission ad instantia del procurator di esso reverendissimo cardinal hà fatto citar l'abbate e reverendi padri predetti, per risponder alla dimanda

di

di esso procurator, che è per far la division de tutti i beni stabili e mobili de detta Abbazia, come in essa citazione. Il che essendo contrario alli decreti apostolici, alle parte e concordio predetti, non intendemo per modo alcuno di supportare. Però vi commettemmo, che fatto venir a voi esso Domno Angelo, li dobbiate in nome nostro far intender, che per quanto hà cara la grazia della Signoria nostra, non debbi in questa materia in modo alcuno impedirse, ne procedere ad atto alcuno, havendo noi massime, come vi dicemo, scritto all' Orator nostro in corte in buona forma, dal quale ne aspettemo presta risposta, e dell' esecuzione ne avisarete.

Datum die 4. junii 1535.

D. Aloysius Mo.. Eques.	*Consiliarii.*
D. Jo:. franciscus Mauroceno.	
D. Hieronymus Zane.	
D. Marcus-antonius Trivisanus.	

Johannes Franciscus Marinus Ducalis notarius exemplavit.

Rursus alias Oratori in Urbe die xxv. julii ejusdem anni.

Oratori nostro in Curia.

Dalle lettere vostre e dalla relazione dell' Agente della Congregation Camaldolense havemo inteso, quanto è stà negotiato de lì con il reverendissimo cardinal Grimano, il principal objetto del quale è di poter trasferir li frutti over parte di essi in un' altra persona, che piacesse a sua Signoria reverendissima, per la parte, che gli tocca dell' intrade dell' Abbadia di S. Maria delle Carceri; onde venuto alla presentia della Signoria nostra il reverendo padre Don Paris da Treviso abbate di san Michiel di Murano, don Mansueto prior di santa Maria delle Carceri & agente prefato, e molti delli altri reverendi Padri, che governano detta religion, se hanno largamente fatto intendere non voler consentir per modo alcuno a questa intenzion del detto reverendissimo cardinal, ne ponto partirse dalle concessioni e decreti apostolici, ne dal concordio e dichiarationi fatte in questa materia; però ne hà parso replicarvi le presenti, e commettervi, che attrovatovi con il prefato reverendissimo cardinal dobbiate persuader sua signoria reverendissima a desister da ogni impresa di ottener in questa materia alcuna innovazion; & quando fin' hora havesse impetrato cosa alcuna, debba immediatamente renonziarla, e contentarsi, che sia servato quello è stà servato in fin hora, giusta li Decreti di quella santa Sede, delli Concordj fatti, delle parti prese nel Senato nostro, e tante alsre decision seguite; perchè noi a modo alcuno non siamo per tollerar alcuna innovazione, ne permetter sia data alcuna vessatione a questa religione, havendo noi già tanto tempo havuta la cura e protetion di essa. E quando vedeste sua Signoria reverendissima star ferma nel suo proposito, vi commettemo dobbiate attrovarve con la Santità del Pontefice, & in nome nostro eseguir, quanto per le nostre di 2. del passato vi ingiognessimo, operando al tutto, che in niuna parte sia fatto pregiuditio a così antichissime ragioni e giusti titoli di essa religione, ma che si continui, come fin hora si è fatto. E se sua Beatitudine havesse già concesso cosa alcuna a esso reverendissimo cardinale, sia contento per giusti-

tia revocarla, come non dubbitamo, inteso, che havrà la gran ragion di essa religion, sia per fare, e dell' esecuzione ne darete notitia.

Datum die 25. julii 1535.

D. Sebastianus Justinianus)
D. Jo: Franciscus Mauroceno.) *Consiliarii.*
D. Hieronymus Zane.)
D. Marcus-antonius Trivisanus.)

Marcus-antonius Sagitta Ducalis notarius.

Sed cum cardinalis a vexationibus non desisteret, Senatus post biennium tum ipsi Grimano, tum Oratori in Urbe serias magis dedit, quatenus congregatio monachorum S. Michaelis & monasterium Carcerum in pacificam possessionem restituerentur, nec amplius vi & potentia cardinalis premerentur.

Reverendissimo Cardinali Grimano.

Non potemo dir altramente, salvo che con molta admiratione e displicentia insieme havemo inteso, che dalli Agenti di V. S. reverendissima siano stà citadi li reverendi Padri della religion di San Michiel di Murano a comparire in Ferrara davanti el reverendo suffraganeo e vicario di quel reverendo episcopo, al quale essi agenti hanno appresentato una conservatoria in forma Brevis di V. S. Reverendissima, e pretendono di venir alla divisione delle possessioni dell' Abbatia delle Carceri. Il che per essere non solamente contra la forma delli Decreti della Sede Apostolica, della Bolla del Concordio fatto sino dal 1506. & delle parti prese nel Senato nostro, & contra si longa & antichissima observantia, & demum contra la mente & intention del stato nostro, non volemo fin hora persuaderci, che questa cosa proceda principalmente dalla buona intention e voler di V. S. Reverendissima, la qual cognossemo non manco piena di giustitia che di bontà, ma per esser, come intendemo, essa conservatoria generale, nella quale non è fatta alcuna mention ne delli Reverendi Padri predetti, ne di essa Abbatia, si persuademo, che questi tentativi & molestie sieno suscitati dalli agenti di quella. Et però havemo voluto cum universo collegio farli le presenti, & pregarla, che quando queste molestie vengono date a essi reverendi Padri contro la mente & intention di V. S. Reverendissima, come volemo credere, la sia contenta far, che non sieno più molestati, ma che se habbi a continuar nel modo & forma, che fin hora da tanto tempo in quà si è servato, e che non possiamo più intender queste innovationi, qual ad udirle certamente ne sono molestissime. Quando veramente fosse questa cosa stà promossa con scienza di V. S. Reverendissima, la si contenta commoversi da quello, che è contrario a tante ragion, che di sopra havemo espresso, le qual volemo creder le siano molto ben note, & sapendo etiam che noi in ogni tempo havemo havuto la cura e protettione di essa religione, & che per debito nostro & astretti dalla giustitia & da tante giudicature emanate da quella santa Sede, noi non potressimo tollerar, che fusse fatta una simil division, ne pur una minima innovazion. Cognossemo V. S. reverendissima di tanta giustitia, bontà & integrità, & così prontissima alle giuste richieste del Dominio nostro, che da lei aspettamo non solamente

mente rispoſta, ma effetti conformi alla giuſtitia & all' intention & mente noſtra.

Datum die 30. *maji* 1537.

Oratori noſtro in Curia.

Con non poca noſtra admiratione e certamente con non manco diſplicentia havemo inteſo, che, ch' el reverendiſſimo cardinal Grimano hà impetrato dalla Santità del Pontefice una conſervatoria generale in forma Brevis, la quale prima hà fatto preſentare al reverendo ſuffraganeo e vicario del reverendiſſimo epiſcopo di Ferrara, per vigor della quale, licet la non faci alcuna mentione delli reverendi Padri della religion di ſan Michiel di Muran, ne della Abbatia delle Carceri, che è di diretto contra tanti decreti della Sede Apoſtolica, contra il concordio alias ſeguido fino dell' anno 1506. *fra il q. Reverendiſſimo cardinal Grimano & eſſi reverendi Padri, contra le parti preſe nel ſenato noſtro, & demum contra quello, che è ſtà continuamente ſervato da tanto tempo in quà, come dalla copia delle Scritture, che quì incluſa vi mandemo, vederete, & havendo noi in ogni tempo havuta la cura e protettione della Religione, non volendo per modo alcuno tollerar, che ſi divenghi a diviſion delli beni predetti, ne che ſia fatta alcuna innovation, contro la forma delli Concordj, delli Decreti di quella ſanta Sede, delle parti del Senato noſtro, & di quello, che per tanto tempo così ſolennemente è ſtato ſervato, havemo voluto farvi le preſenti, & cum univerſo collegio vi commettemo, che vi dobbiate attrovar con la Santità del Pontefice, & ben narrato & eſplicato il tutto a quella, procurarete in nome noſtro ottener da quella, che ſia derogato alla conſervatoria o altra coſa, che foſſe ſta impetrata, per quanto aſpetta à eſſi reverendi padri circa tal diviſione & innovatione, & non voglj permettere, che ſia fatto così grande pregiuditio a così antichiſſime ragioni e giuſti titoli di eſſa religione, ma far, che vi continui nel modo & forma, che ſi è continuato fino al preſente, come ſiamo certiſſimi, che ſua Beatitudine piena di giuſtitia & di bontà non negarà, & in queſto uſerete ogni ſtudio & diligenza voſtra, dandone poi dell' eſſecutione aviſo.*

Datum &c. die 30. *maji* 1537.

Ad annum 1528. *pag.* 52. *lin.* 21. Ne ulla omittamus, quæ de Paulo Juſtiniano hinc inde excerpſimus, ſubjungimus ſequentem epiſtolam, qua ipſi inſcripſit Pierius Valerianus librum XIX. ſuorum Hieroglyphicorum Pag. 188.

Pierius Valerianus ad Clariſſimum Abbatem D. Paulum Juſtinianum. De iis, quæ per Aquilam ſignificantur ex Sacris Ægyptiorum Literis liber Decimus-nonus.

Summum ingenii tui acumen, ſuaviſſimi mores, incomparabilis benignitas & eximia in amicos omnes liberalitas effecerunt Paule Juſtiniane vir rariſſime, ut Aquilam tibi ex Aviario meo Ægyptiaco dedicare cogitaverim: quippe quod tu alitis hujus pleraſque, ut ita dicam, virtutes, aut excellentis naturæ dotes præteferre mihi compertus es. Sed potior nimirum cauſa fuit, quod Juſtinianæ familiæ geſtamen eſt Aquila aurea, quia ſcilicet progeniem hanc ex Juſtiniani imperatoris ſanguine deduci, omnibus eſt exploratiſſimum, celeberrimi illius inquam imperatoris, qui Bizantii præcipue claruit, & univerſo præfuit Orienti. Illi ſiquidem Aquilam in

signis auream præferebant, qui Orienti præerant, qui vero Occidenti, quod in hanc usque diem continuatur, fuscam, bicipitem autem utramque, sed uno tantum corpore conspicuam, quod hieroglyphicum erat administrationem atque potentiam in duos divisas, unius tamen esse consilii atque voluntatis. Ex ea vos progenie progressi, in Venetamque nobilitatem cooptati, regias virtutes inesse vobis per ætates singulas testatissimum effecistis, Fabiorumque Romanorum exemplo, in bello Hierosolymitano pro Christiana pietate contra Barbaros fortiter dimicantes, in acie ad unum cæsi, mox uno tantum, qui Venetiis supererat, vitamque cœlibem Deo voverat, rogatione Senatus ad maritalem copulam compulso, reparata familia, ex qua brevi post tempore tot illustrium Senatorum effulsere lumina: Marcus Justinianus summæ vir probitatis: Beatus ille Laurentius sacra literatura scriptisque nobilis sanctitate vitæ insignis, & primus Venetiarum patriarcha: Leonardus divi Marci Procurator Græcis Latinisque literis ornatus; Adde Bernardos, Ursatos, procuratores ipsos quoque, & honestissimis legationibus functos; ultimum hunc insuper vigilantissimum classis Venetæ imperatorem: ætate vero nostra Sebastianum & Antonium literis & disciplinis eximios, qui legationibus ipsi etiam ad summos quosque principes felicissime administratis patriæ clarissimi gentis hujus splendorem obfuscari minime permiserunt. Tuam autem hæreditariam illam a majoribus tuis acceptam probitatem, & a te studiosissime cultam appellarem, quam Venetiæ prædicant, admirata est Patavium, Gallia novit universa, & ubicubi literarum studia florent, omnes gestiunt celebrare, sed de re omnibus manifesta ne actum agam, neve modestiam offendam tuam, qui mavis probus esse quam videri, longior non ero. De te vero quid sentiam, quid reliqui summis laudibus efferant, non tibi, sed seculis spero me aliquando in propatulum positurum. Nunc ad Aquilam aggrediamur.

Pierius Justinianum abbatem appellat, eoquod esset prior & major eremitarum Camaldulensium novæ a se institutæ Congregationis, licet tam Camaldulenses, quam Coronenses eremitæ, & si privilegium Pontificalium obtinuerint, refugiant tamen abbatis nomen & titulum.

Extant præterea ipsius Justiniani Carmina Italica; Epistolæ complures ad Gasparem Contarenum, ad Nicolaum Theupulum, ad Baptistam Egnatium, sed præsertim ad Vincentium Quirinum, quem postea habuit in eremo Camaldulensi socium.

Ad annum 1529. *pag.* 55. *lin.* 24. Circa indulgentiam concessam a Clemente VII. Pont. Max. Camaldulensibus pro recitatione Psalmi *Exaudiat*, hæc legimus apud D. Eusebium Amort Canonicum Regularem in Historia Indulgentiarum *pag.* 133.

Capuccinus in Annot. Casarub. V. *Indulg.* sic habet. „ Est notandum, quod Clemens VII. anno 1529. concessit vivæ vocis oraculo „ omnibus fratribus Camaldulensibus oblatis, & Novitiis, qui visitaverint „ Ecclesiam seu Oratorium sui Eremitorij, vel alterius loci fratribus „ subjecti, recitando semel psalmum: *Exaudiat te Dominus*, vel ter *Pater noster* & ter *Ave Maria* pro felicitate status suæ Sanctitatis, & „ post mortem pro suæ animæ salute, omnes Indulgentias, quæ a Sede Apostolica in generali aut particulari, aut quovis alio modo concessæ aut concedendæ sunt, tam Ecclesiis intra Urbem Romam consistentibus, quam extra, & in omnibus Mundi partibus fabricatis. Si „ quis eorum impeditus prædictas Ecclesias visitare non possit, tunc

„ suffi-

„ sufficit, ut dicat Psalmum *Exaudiat*, vel ter *Pater* & *Ave*, ubi se in-
„ venerit; & si quis ea omnino dicere non posset, sufficiat illud dice-
„ re sola mente vel intentione. Insuper concessit, ut consequantur om-
„ nes indulgentias, quas consequerentur, si recitassent *Rosarium* pro con-
„ sequendis indulgentiis eidem concessis. Cujus vivæ vocis oraculi con-
„ cessionis authenticum testimonium datur a Laurentio Episcopo Præ-
„ nestinense ac S.R.E. Cardinale, & ipsorum Camaldulensium tunc pro-
„ tectore.

„ Et ego eam vidi Romæ in nostro Monasterio Capuccinorum vulga-
„ ri sermone impressam.“

Ad annum 1531. *pag.* 62. *lin.* 7. Eusebius Priolus factus fuit episcopus Veglensis ex abbate S. Michaelis de Muriano vel anno 1528. vel 1529. die nona octobris. Obiit ante diem XXIV. aprilis anni 1531., qua successorem habuit Johannem Rosa a Jadera factum episcopum Veglensem, & translatum a Scardonense ecclesia per obitum Eusebii. Marinus Becichemus Scodrensis publicus Patavinæ Academiæ Rhetor dicavit Eusebio, eo tempore, quo erat abbas S. Michaelis, tres suas orationes, illam nimirum, quam habuit ad serenissimum Venetorum principem Antonium Grimanum die decima augusti anni 1521. alteram ad pientissimum Cardinalem Cornelium dictam Patavii die XX. ejusdem anni & mensis, tertiam in publico Patavini gymnasii conventu habitam ad Andream Priolum (fratrem Eusebii) philosophum eloquentissimum die XVII. decembris anni 1520. dum doctoratus laurea fuit insignitus. Vide Tomum II. Dissertationum Vossianarum Apostoli Zenii pag. 418.

Ad annum 1335. *pag.* 65. *lin.* 27. De Frederico Fregosio abbate commendatario S. Crucis Fontis-avellanæ hæc in medium profert anonymus Avellanensis. *Postea adveniente anno Domini* 1533. *tempore D. Clementis papæ VII. supradictus cardinalis Rodulphus & Reverendissimus Fredericus Fregosus episcopus Eugubinus & ecclesiæ Salernitanæ archiepiscopus simul convenerunt, & dictam abbatiam cum archiepiscopatu apostolica auctoritate commutarunt, qui nunc sub anno Domini* 1536. *sicut prædictæ abbatiæ commendatarius existit, ita omnipotens Deus tantum antistitem nobis diu feliciter conservet. Est enim in terris religionis speculum, pater omnium pauperum, omnium miserabilium personarum unicum refugium, qui (pace omnium dictum sit) plus erogat pauperibus, quam omnes episcopi totius Italiæ. Ceteras præclarissimas tanti viri virtutes silentio prætermittendas duxi.* Ita anonymus commentariolum suum absolvit. Fridericus impetravit a Clemente VII. literas excommunicationis in detentores bonorum Avellanensium datas ad episcopum VVigorniensem die prima junii anni 1533. Instituit autem in proabbatem abbatiæ Antonium Pinum Bergomatem Decretorum doctorem monachum Avellanensem, qui & obtinuit abbatiam S. Angeli de Sorticulo, & prioratum claustralem aliquandiu gessit.

Ad annum 1540. *pag.* 78. *lin.* 38. *Adde:* Idem Cosmus Medices Florentiæ dux confirmat eadem die XXVII. septembris priori generali eremi Camaldulensis & eremitis pacta facta cum republica Florentina anno 1382. sub die XXI. novembris, eosque ut confæderatos & recommendatos, non ut subditos habet. Exemplo Cosmi subscripsit bulla sua gratiosa iisdem conventionibus Franciscus Medices dux anno 1574. XXIX. octobris; anno 1587. duodecima martii Ferdinandus Magnus dux; Cos-

mus II. anno *1609*. Ferdinandus II. una cum Maria Magdalena Austriaca matre & tutrice anno *1621*. & demum Cosmus III. anno *1671*. xv. novembris. Eadem ratione Conservatores Archivi Florentini anno 1571. permittunt eremitis Camaldulensibus tenere protocolla, & liberatos eos pronuntiant a mittendis contractibus in archivum publicum sub die xx. octobris. Quæ omnia privilegia extant in tabulario Fontis-boni sub §. *Privilegia*.

Ad annum 1541. *pag.* 81. *lin.* 4. Nicolaus Rodulphus cardinalis iterum, obeunte Fregoso, abbatiam Avellanensem obtinuit anno 1541. monachosque majoribus quam antea beneficiis cumulavit. Anno 1548. ultima januarii cum Ludovicus Gabriellius patritius Eugubinus sacerdotiis S. Nicolai de Cornu & S. Augustini de Basciano se abdicasset, ea cardinalis monachorum familiæ, cui erant tenues assignati redditus, attribuit. *Attendentes*, inquit cardinalis, *quod conventus seu congregatio monachorum hujusmodi nullos aut ita tenues & exiles redditus habent, ut illi ad eorum substentationem & onerum eis incumbentium supportationem decenter & commode non sufficiant, & propterea ut illi in suis necessitatibus aliquod subventionis auxilium suscipiant, providere volentes, ecclesias predictas, ut premittitur, seu alias quommodolibet vacantes cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus & pertinentiis suis omnibus melioribus via modo & jure, quibus possumus & debemus, tam auctoritate nostra ordinaria, quam indulti apostolici nobis concessi vigore, eidem congregationi monachorum sive conventui tenore presentium perpetuo unimus annectimus & incorporamus; ita quod liceat eidem congregationi seu conventui per se vel alium vel alios corporalem possessionem ecclesiarum predictarum apprehendere, illarumque fructus in suos & congregationis & ecclesiarum predictarum usus & utilitatem convertere. Datum Rome extra portam Pincianam Sabinensis diocesis anno dominice incarnationis* M. D. XLVIII.

Eodem anno obtinuit a Paulo III. Romano pontifice literas directas episcopo Feretrano, & vicario episcopi Eugubini, ut si quis injussus in finibus Avellanensium, atque in iis maxime silvis, quæ his locis erant densissimæ, cædisset, asportasset, aut quidquam ex pecunia & donariis oblatis die solemni S. Albertini occuluisset, vel ullam rem Avellanensis juris occupasset aut detinuisset, Christianis sacris interdiceretur.

Ad annum 1544. *pag.* 88. *lin.* 10. Non injucundum erit ad rem propotam afferre sequentem Onuphrii Panvinii epistolam.

Othoni Trukses Valburgis episcopo Albanensi S. R. E. Cardinali Augustano.

Onuphrius Panvinius Veronensis frater Eremita Augustinianus S. D.

Marcellus Cervinus, quem postea probitas & virtus incredibili bonorum omnium lætitia ad Pontificatum extulit, Cardinalis cum esset, omnes restituendæ antiquitatis partes, præsertim gravi & sapiente viro dignas animo complexus, bibliothecam lectissimorum librorum, haud sane mediocri sumptu, aliquot annorum studio comparavit. In ea cura cum versaretur, egregium reperit librum, quem nunc emittimus, majusculis prope litteris conscriptum, in monasterio S. Crucis Fontis-avellanæ diœcesis Eugubinæ, cujus civitatis episcopus erat. Vidit illico, planeque cognovit, ut excellebat ingenio, quam utilis esset illa doctrina, quam recondita, quam studiosis catholicæ veritatis expetenda. Itaque mihi, ut describendum curaret, roganti, non modo perlibenter exemplum dedit, verum etiam ut corrigerem, si quæ librariorum

vitio

vitio mendosa viderentur, & quantum ingenio præstare possem; illustrarem, vehementer est adhortatus. Pollicitus sum, nec postea voluntas defuit, sed obstitit consilio varietas temporum, & ille cum ex hac vita decessit, cursum studiorum cogitationumque mearum valde retardavit. Aliquando tandem revocavi me ad veterem industriam, id est ad fidem, quam Marcello debebam, bonis omnibus persolvendam. Emendavi librum alterius pervetusti libri ope, qui est in Vaticana bibliotheca, non sane cum Eugubino vetustate conferendi; verumtamen ita descripti, ut multa ejus ope restituerim; atque sic ex eo, quæ offendere aut morari lectorem poterant, omnino, præter pauca quædam obscuriora, sustulerim. Neque in hoc tamen industriæ meæ finem feci, sed epistolas aliquot argumento non dissimili, dignas, quæ sæpe legantur, memoriæque mandentur, adjunxi. Feci etiam, in quo non arbitror, meam operam esse male collocatam, ut hæc omnia glossematibus, argumentis, indice præterea locupletarem. Speravi enim fore, ut quemadmodum has ego epistolas plurimi facio, sic non mediocrem piis hominibus earum lectio fructum afferret. Sunt enim plura & incorrupta, eademque exquisita doctrina referta. Documenta continent saluberrima: traditiones Apostolicas non paucas & ecclesiasticas actiones ostendunt. Addit doctrinæ auctoritatem Scriptorum dignitas & splendor, qui, cum eos honorum gradus, quos Christiana Religio summos habet, virtute & innocentia obtinuerint, sicut licuit eis ea præcipue, quæ labentes interdum Christianorum hominem mentes fulcire, aut a recto sensu discedentes ad veram pietatem revocare possent. Jam cum ab ortu nostræ religionis non admodum longe ætas eorum distaret, ut facile multa audire ac nosse possent, quæ Apostoli, præter ea, quæ monumentis litterarum consignata reliquerunt, pro communi salute docuerant, vitaque testimonio comprobaverant; non modo certior eorum doctrina, quod ad ordinem & administrationem Ecclesiasticam pertinet, esse debet, verum etiam verior & purior sacrarum litterarum explanatio, nondum nefariis hæreticorum commentis infecta veritate. Accedit, quod ita vixerunt, ut eorum doctrina nihil illustrius, eorum vita nihil sanctius esse possit, & cum illa viam salutis ostendat, hæc exemplo proposito vehementer incitet. Non tulit igitur animus meus in communi bono ab ineunte ætate defixus, ut hæ diutius epistolæ tanta publica jactura laterent. Itaque eas ad Te, Otho Cardinalis optime, mittendas putavi; primum ut legendo fructum voluptatemque capias, nihil enim divinarum Literarum scientia tibi pluris est, deinde eas edendas cures, ut iis maxime consulatur, quod tibi semper antiquissimum fuit, qui scire imprimis optant, quid antiqui illi Patres dixerint & fecerint, cum hæreticorum perversa malitia clarissimis rebus nondum tenebras effudisset, præsertim in primatu Sedis Apostolicæ, cujus auctorem fuisse post obitum sancti Gregorii Pontificis, Phocam Imperatorem confirmant. Quos sane refellit hic liber, in quo præter unam aut alteram non extat epistola, quæ non ante Imperium Phocæ saltem annis quinquaginta scripta sit: & ex quo satis constat, quanto temporalibus illis Romana Ecclesia ceteris omnibus auctoritate præstiterit: cui tamen evertendæ machinas omnes per summum scelus adhibent hæretici, non ullo religionis adducti studio, sed, ut res ipsa declarat, impulsi licentiæ cupiditate, ut soluti legibus ad omne facinus omnemque libidinem ferarum more irruant. Hæc igitur a me collecta & emendata cum per se grata tibi erunt, quod observantiam singularem in Te meam indicabunt, quam tua virtus & humanitas peperit; tum eo gratiora, quod ex iis quantum dignitatis & emolumenti ad fidelem omnem populum emanare possit, egregie intelliges, in qua maxime re

cogi-

cogitationes curæque tuæ perpetuo sitæ fuerunt . Vale. Romæ kal. maji ann. Sal. M. D. LXVII.

Extat hæc Panvinii Collectio autographa in Codice Vaticano *6206.* cum suprascripta epistola nuncupatoria , & operis ipsius titulus est ejusmodi : XV. Romanor. Pontificum ; VI. Imperatorum ; aliquot præclari nominis Sacerdotum , Virorum & feminarum clariss. epistolæ CCXL. Synodales, decretales & familiares recondita doctrina refertæ , ante annos mille scriptæ , in Conciliorum tomis omissæ , Honuphrii Panvinii Veronensis fratris Eremitæ Augustiniani argumentis illustratæ & ejus opera in lucem editæ , Dilingæ excudebat NN. anno Salutis M. D. LXVII. mense julii.

Ad annum 1545. *pag.* 88. *lin.* 44. Nicolaus cardinalis Rodulphius abbas commendatarius S. Crucis Fontis-avellanæ, cum esset gravatus annis, impetravit a Paulo III. anno 1545. ut se vivo liceret sibi instituere Philippum nepotem suum vix septennem in abbatem commendatarium . Omnia tamen acta Nicolao superstite ejusdem nomine signantur usque ad annum 1550. ultimum vitæ suæ sub die 31. januarii ; ex Necrologio Avellanensi. Vix Philippus abbatiam habuit, grave dissidium ortum est ipsum inter & monachos ; expostulabant siquidem hi ex Pauli III. præscripto universorum redditúum tertiam partem sibi attribui debere. Id renuit Philippus, cui amplissimi redditus relicti a Nicolao patruo; quinimmo durissime se gessit erga monachos, & multos in carcerem conjecit ; quare silere monachi coacti fuere , quemadmodum juraverunt post aliquot annos tres ex Avellanitis monachi in judicio.

Breve Pauli III. quo confert Philippo abbatiam, est hujusmodi: *Paulus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Philippo de Rodulphis clerico seu seculari seu Florentino salutem. Cum itaque monasterium S. Crucis Fontis-avellane Eugubine diocesis, quod dilectus filius noster Nicolaus S. Marie in Via lata diaconus cardinalis de Rodulphis nuncupatus ex concessione & dispensatione apostolica in commendam nuper obtinebat, commenda hujusmodi ex eo, quod dictus Nicolaus cardinalis illi hodie in manibus nostris sponte & libere cessit , nosque cessionem hujusmodi duximus admittendam , vacet. Nos ad presens eidem monasterio de gubernatore utili & idoneo, per quem circumspecte regi & salubriter dirigi valeas , providere volentes, tibi, qui, ut asseris, ipsius Nicolai cardinalis ex fratre germano nepos es, & in septimo tue etatis anno constitutus existis, & ex cujus laudabilis infantilis etatis indiciis, prout fide dignorum testimoniis accipimus , verosimiliter conjicitur, quod succedentibus tibi annis te in virum debeas producere virtuosum, ut commodius substentari valeas, monasterium predictum, cujus fructus , redditus & proventus ad mille florenos auri in libris Camere apostolice taxati reperiuntur , tibi regendum, tenendum & gubernandum committimus . Ita tamen quod liceat tibi, debitis & consuetis ipsius monasterii ac dilectorum filiorum illius conventus supportatis oneribus , ac quarta, si abbatialis separata est & seorsim a conventuali, si vero communis inibi mensa fuerit, tertia parte omnium fructuum in restauratione illius fabrice seu in ornamentorum emptione vel fulcimento , aut pauperum alimonia annis singulis impartita, &c. Datum Rome anno* 1545. *pontificatus domni Pauli pape III. anno* XII.

Ad annum 1549. *pag.* 93. *lin.* 21. Eremitæ Camaldulenses , qui ab anno 1543. deducti fuerant ad habitandam insulam Martanam sub Gregorio

gorio Bergomate, & subinde sub aliis prioribus, in quo etiam loco anno 1546. celebratum fuerat generalissimum Camaldulensium capitulum; vel defectu rerum necessariarum, vel etiam pravitate aeris, coacti fuerunt locum deserere hoc anno, eo quia fere omnes, qui ibidem destinabantur, vel mortem oppetebant, vel gravissimis infirmitatibus subjacebant, ut testis est in suis Memorabilibus præfatus Gregorius Bergomensis.

Ad annum 1549. *pag.* 93. *lin.* 21. Etiam Jacobillius Bassum appellat, Fontaninius vero Russum; quos errores emendat Zenus T. II. pag. 475. suarum Adnotationum ad Bibliothecam Fontaninii.

Ad annum 1564. *pag.* 122. *lin.* 34. Pii IV. Romani pontificis bulla de prioratu S. Donnini.

Sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum monasterii S. Crucis Fontis-avellane dicti ordinis Eugubine diocesis petitio continebat &c. Quare pro parte ipsorum asserentium fructus redditus & proventus dicti prioratus centum ducatorum auri de Camera secundum communem estimationem valorem annuum non excedere, & S. Nicolai de Cornu & S. Augustini de Basciano ejusdem ordinis Pennensis diocesis locorum prioratus prefato monasterio dicta auctoritate perpetuo unitos existere. Nobis fuit humiliter supplicatum, ut prioratum S. Donnini predictum eidem monasterio & ejus mense hujusmodi perpetuo unire, annectere & incorporare, atque in premissis opportune providere de benignitate apostolsca dignaremur. Nos igitur &c. prioratum S. Donnini prefatum, qui conventu caret, & ab ipso monasterio dependet, perpetuo unimus, eidemque prioratui S. Donnini per ipsius monasterii monachos & conventus eorumdem, & nunc pro tempore existentium libero nutu ponendos & amovendos in Divinis servire, ac eorumdem parochianorum curam animarum hujusmodi exercere, nec non ecclesie sacramenta, diocesani loci, vel alicujus alterius licentia minime requisita &c.

Datum Rome anno M. D. LXIIII. XV. *decembris anno pontificatus nostri* V.

Ex archivo Avellanensi.

Ad annum 1565. *pag.* 126. *lin.* 5. Philippus Rodulphius commutationem facit abbatiæ S. Crucis Fontis-avellanæ sibi commendatæ cum Julio Feltrio Francisci-mariæ Urbini ducis filio, S. R. E. cardinale & archiepiscopo Ravennate, aliud opulentum beneficium sibi offerente, & Romano pontifice annuente; Qui Julius postea dedit Camaldulensibus monachis sub Pio V. anno 1569. eamdem abbatiam Avellanensem.

Ad annum 1567. *pag.* 128. *lin.* 28. Eleemosynæ & grati animi causa scuta centum annua assignata fuere hoc anno Antonio filio Horatii Bellarminii a Montepolitiano ad ejus vitam, eo quod Hieronymus Bellarminius canonicus ejusdem urbis & patruus prædicti Antonii libere renuntiasset eremo Camaldulensi abbatiam Deciani in valle Caprese diœcesis Burgensis, quam ad vitam obtinebat; manu Mariani a Pupio notarii. Ipso anno electus fuit in procuratorem eremi Hieronymus Johannis-augustini Barbi a Novaria quoad jura, quæ eremus existimabat se habere super castrum Sanfronii in marchionatu Saluthiensi in Pedemontio. Rogatus fuit Laurentius Mutius a Biblena. Demum facta fuit copia camerario eremi locandi bona SS. Johannis & Ægidii Cortonæ Comiti Montis-Dolii capitaneo & castellano dictæ urbis.

Ad annum 1568. *pag.* 130. *lin.* 40. Hoc anno adhibita fuit ab eremitis opera Bartholomæi a Balneocaballo abbatis SS. IV. Coronatorum Urbis, & Herculis Lamiæ Faventini procuratoris eremi in curia Romana, ut ad terminos juris recuperarent abbatiam S. Mariæ de Insula nullius dioecesis prope Galeatam a præsule Salviato nepote cardinalis Salviati abbate commendatario.

Ad annum 1569. *pag.* 136. *lin.* 8. Obiere hoc anno Silvanus doctissimus & pientissimus eremita Camaldulensis, jam ab anno 1542. Major ejusdem eremi, quam dignitatem sexdecim annorum curriculo sapientissime implevit, & Maurus a Paulis Bergomas, qui fuit Superior ipsius loci, & post exactissime ductam vitam in solitudine Camaldulensi, secessit ad cellam S. Alberici, ubi animam efflavit summa in Deum pietate. Professus fuerat eam vitam die VI. januarii anni 1534. De iis mentionem honorificam facit Donatus Maltadini medicus Prato-veterensis in libro MS., cui titulus. *Fundatio monasterii Prato-veterensis S. Mariæ a Nive*, quandoquidem multam operam impenderunt hi duo egregii eremitæ pro constructione ejus asceterii, dono dantes paroecialem ecclesiam ejus loci, quæ ad eremum spectabat, ut in ipsa pro sacris Virginibus ædificaretur ecclesia & adjunctum monasterium.

Ambrosii Moncadæ elogio alterum subjungimus Vincentii Galassi, qui licet vitam solitariam in eremo Camaldulensi non duxerit, multis tamen nominibus optime meritus fuit de familia Camaldulensi. Natus est Vincentius anno 1520. in Noto Siciliæ prope Syracusas ex nobilissima stirpe comitum Galassiorum a Germania oriunda; matrem vero habuit ex altera celeberrima Moncada familia progenitam. Sacerdotio initiatus Vincentius ab episcopo Syracusano anno 1545. Romam se contulit, & inter Prælatos Curiæ adscitus a Paulo III. gratissimus fuit pontifici & cardinalibus, præsertim Alexandrino, Sanctæ Severinæ & Caraffæ, cum quibus epistolicum commercium, quoad vixit, retinuit, honores tamen & officia sibi oblata constantissime respuit. Mortuo pontifice Paulo III. anno 1549. Urbem deseruit, & eremiticam togam induit apud Montebellum, ubi anno 1375. congregationis suæ semina jecerat beatus Petrus Gambacurta Pisanus civis. Anno 1558. e solitudine egrediens post novennium Vincentius, retento tamen eremitæ habitu, sacris prædicationibus se totum consacravit, & ad S. Mariæ Cassiæ in dioecesi Spoletana prius, inde Assisium, ubi etiam capellani Curati cathedralis S. Rufini officium integro anno implevit, Trebium postea & Perusium se contulit, zelo animarum percitus, & instruendis populis unice sollicitus. Perusii corrector fuit celebris Societatis Justitiæ; Cappuccinarum etiam & Conversarum, vulgo *Convertite* monasteria fundavit. Anno 1564. in Thusciam se recepit, ubi collata ei fuit ab eremitis Camaldulensibus cura vacantis ecclesiæ Frassinetæ in Clusentina Provincia, & anno 1566. altera in oppido Prati-veteris, cujus ecclesiæ capellani eligebantur a Majore Camaldulensi, & residebant ad abbatiam S. Mariæ de Poplena. In ipso Prati-veteris oppido Vincentius jussu Angeli Cattani a Diacetto episcopi Fesulani, & Francisci ejus nepotis ac successoris in episcopatu construxit asceterium pro Virginibus, appellatum S. Mariæ a Nive, in ecclesia scilicet paroeciali loci, quæ juris erat eremitarum Camaldulensium, ecclesiam cedentibus Silvano Majore, & Mauro Superiore eremi, ac insuper societatem

eccle.

ecclesiamque alteram fundavit sub invocatione sanctissimi Nominis Jesu. Interim ubique expetitus erat pientissimus sacerdos, & Sarsinæ, & Nuceriæ & Faventiæ, sed potissimum Florentiæ, ubi ad aliquod tempus director fuit societatis S. Benedicti Albi, & a confessionibus fuit Magnæ Ducissæ Ethruriæ post annum 1570. Spiritualem eo temporis amicitiam iniit cum Catharina de Ricciis moniali sancti Vincentii Prati, nunc in Sanctarum numerum relata, quam invisere, & cum ipsa sacra colloquia miscere in optatis habuit, & cum qua postea per epistolas suæ & aliarum animarum plura negotia contulit. Rediit tandem indefessus Dei minister ad dilectam suam Prati-veteris commorationem, & postquam precibus Achillis Grassii episcopi Faventini, annuentibus Gregorio XIII. & Francisco episcopo Fesulano, extraxit duas sanctimoniales parthenonis S. Mariæ a Nive, & cum ipsis condidit, legesque dedit alteri asceterio Sanctissimæ Annuntiatæ de Marradio, totum se addixit perficiendo monasterio a se fundato, quod sanctissimis institutis & exemplis communivit usque ad diem obitus sui, posthabitis requisitionibus episcoporum Lucensis, Monte-politianensis, Faventini, Arretini, Sarsinatis, Assisiatis, & Forosemproniensis, qui ejus operam exoptabant in diœcesibus suis. In pace defunctus est III. maji anni 1583. humatus in sacrario interiori sanctimonialium suarum. Ipsius vitam descripsit Donatus Maltadini ejus loci medicus in libro De Fundatione supraIlati monasterii, & novissime alteram exaravit Adrianus-maria Maccioni, sacerdos similiter Pratoveterensis, & monialium earumdem confessarius. Supersunt adhuc plures devoti libelli, quos composuit Vincentius in sua solitudine Frassinetæ, & impulsu sanctimonialium Clariti, Monticelli, & S. Johannini Florentiæ anno 1572. conscripsit; idest Iter Hierosolymitanum; traductio Hymnorum ecclesiasticorum in carmina Italica; Laudes spirituales canendæ ante sanctissimum Sacramentum, cum aliis exercitiis pietatis, & epistolis, quæ omnia mss. asservantur in archivo ejusdem asceterii S. Mariæ de Nive. Anno 1756. XVI. februarii apertus fuit loculus ejus sepulcri, & collectis ejus ossibus, repositum fuit corpus in capsa lignea sub crate, ubi sacram Eucharistiam percipiunt sanctimoniales.

Ad annum 1570. pag. 138. lin. 11. Dominicus Guerreus typographus Venetus dicavit hoc anno Theophylo Biozzio Balneensi eximia religione doctrinaque prædito, D. Johannis e regione Judaicæ Priori dignissimo ordinis Camaldulensis: *Pusillanimum consolationem ex antiquorum Patrum scriptis collectam auctore Ludovico Blosio.* De Theophylo hæc habet in epistola nuncupatoria idem Dominicus: *Cum in hoc opere divulgando quærendus mihi esset aliquis, qui librum auctoritate sua tueretur foveretque, cum animoque meo consulerem, cuinam possem inscribere, opportune se mibi obtulit singulari vir ingenio, præstantique doctrina præditus, quique, ut studiosis fructum pariat, dies noctesque assidue vigilat, prætereaque juris utriusque cognitione insignis, Augustinus Ferentillus, cumque inter nos incidisset sermo de præsentibus viris, a quorum probitate, doctrinaque summum religioni incrementum accedere possit, præcipuum ipse te nominavit, tuam admirans probitatem, tuos mores prædicans, ingenium vero, humanitatemque ita extollens, superiorem ut tibi neminem, pares admodum paucos reperiri posse judicet. Merito igitur te plurimi faciunt boni viri, merito tibi summam Religionis tuæ administrationem demandatam olim fuisse omnes prædicant, cum a tua prima juventute ita te in omnibus muneribus gesseris, ut summam tui admirationem potius quam imita-*

imitationem ceteri assequi se posse sperent. Ejus ego auctoritate permotus, committendum non putavi, ut diutius hærerem, statimque faciundum mihi censui, ut ad te librum mitterem, tibi dicarem, tibi denique, quidquid id muneris est, libenter deferrem &c. Venetiis kalendis januarii M. D. LXX.

Ad annum 1570. *pag.* 138. *lin.* 15. In Bibliotheca Regia Taurinensi Codice M. XXXVIII. pag. 306. Mugnotius, qui ibidem dicitur Magnozius Andreæ Hispanus, eremi Camaldulensis in Etruria descriptionem dicavit Florentiæ Duci Cosmo primo.

Ad annum 1582. *pag.* 163. *lin.* 30. Instantia Magni ducis Etruriæ eremitæ Camaldulenses facultatem fecerunt fratri Matthæo Granatensi eremitæ se transferendi in Hispaniam, ut ibidem eremum fundaret ad normam Camaldulensis, dummodo tamen accederet beneplacitum apostolicum. Circa hæc tempora a pluribus Principibus requirebantur constitutiones Camaldulenses, ut iis ad trutinam revocatis nova domicilia Camaldulensi eremiticæ familiæ in suis ditionibus pararent. Sic anno 1574. exhibitæ fuere cardinali S. Severinæ, sic eas postulavit anno 1588. Dux & elector Bavariæ, & Dionysius Vellasco orator Philippi regis Hispaniarum.

Ad annum 1595. *pag.* 186. *lin.* 35. Extat in archivo Eremi Camaldulensis epistola cardinalis Friderici Borromæi scripta Majori eremi, qua se commendat patribus ejusdem loci & eorum precibus, & promittit se relaturum summo Pontifici Clementi VIII. visitationem a se factam ipsius eremi, ut Sanctitas sua gaudium percipiat ob sanctitatem ejus loci, & propitius fiat eorum votis. Scripta est ex Mediolano die octava novembris anni 1595.

Ad annum 1596. *pag.* 189. *lin.* 14. In capitulo eremitarum Camaldulensium sub die nona septembris decretum fuit, ut attenta caritate hujus anni, & tenui messe terræ, ob quam pauperes Christi, nisi eleemosynis & largitionibus confoveantur, famis incommodum gravissimum erunt passuri, volentes ipsi eremitæ pauperum indigentiis subvenire, serventur in horreis omnia genera frumenti & bladi, nec possit camerarius vel alius minister ea vendere; immo eidem camerario præceperunt, ut ad censum, vel ad mutuum acciperet mille scuta ad emendum triticum, & plus etiam, si necessitas cogeret. Immo ut commodius provideretur pauperibus decreverunt, ut præsenti anno nulla expensa fieret in pannis ad vestitum, hortantes patres omnes, ut etiam in ceteris expensis, quantum fas foret, moderationem omnem adhiberent.

Ad annum 1597. *pag.* 192. *lin.* 33. Observat Cl. V. Franciscus Raphaellius patritius Cingulanus & de patria historia optime meritus, Monasterium S. Sperandeæ, illustre in ea urbe regulam S. Benedicti semper observasse, & ad aliquod tempus retinuisse etiam constitutiones Camaldulenses; nam extat publicum monumentum in Annalibus Cingulanis cardinalem Antonium-mariam Gallum episcopum Auximanum die XXI. septembris anni præsentis 1597. *justis de causis animum suum moventibus, in visita monasterii monialium sanctæ Sperandiæ, servatis servandis, depositis albis, manibus propriis nigris velaminibus moniales prædictas solemniter cooperuisse, nec non ab usu officii Camaldulensis ad ritum*

tum ordinarium sanctæ matris ecclesiæ reduxisse. Porro ex qualitate vestium albarum, & ex recitatione officii Camaldulensis ad id usque temporis deducit Raphaellius eas moniales sequutas fuisse ceteras quoque pias consuetudines & constitutiones sanctimonialium Camaldulensium. Accedit paulo antiquius monumentum a doctissimo præsule Auximano Pompejo Compagnono eidem Raphaellio communicatum, pertinens ad annum 1573. quo *Salvator Pacinus episcopus Clusinus visitator Apostolicus* legitur *accessisse ad ecclesiam & monasterium monialium beatæ Sperandeæ positum extra & prope mœnia Cinguli ordinis S. Benedicti, regulæ Camaldulensis, & ingressum ecclesiam Missam audivisse &c.* Quas quidem Raphaellii observationes eo gratiore animo suscipimus, quo institutum Camaldulense in eo monasterio floruisse jam ab ipsa ejus origine, ipsamque pariter fundatricem sanctam Sperandeam facile eremitarum Camaldulensium vestem assumpsisse, ritusque excepisse haud inverisimile putat, tum etiam confirmat, in medium adductis conjecturis amicissimorum suorum Sartii & Turchii, quos per literas consuluit, præsertim occasione habitus, quo induta conspicitur beata Sperandea in Cruce stationali, quæ in ecclesia ejus nomini dicata asservatur. Avellanenses profecto monachi degentes apud S. Exsuperantium Cinguli, quique adoptaverant consuetudines Camaldulenses, videntur suggessisse Sperandeæ pœnitenti habitum & mores illius ordinis; ipsi quoque monachi & eremitæ Camaldulenses, qui plura in Piceno obtinebant monasteria, facile ansam dederunt religiosæ virgini amplectendi ipsorum institutum. Sed hæc plenius tractantur ab eodem clarissimo Raphaellio in vita ejusdem Sanctæ Virginis, quam nuperrime edidit, & in ms. dissertatione ejusdem argumenti, quibus nos donatos voluit una cum illustrationibus ad vitam S. Exsuperantii Cingulanæ urbis patroni.

Ad annum 1603. pag. 205. lin. 49. Clementis VIII. bullam de Quindenniis Camaldulensium monasteriorum, alteramque pro solvendo ære alieno, quo obligata erat Congregatio, subjicimus ex regesto A. archivi SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia.

Clemens papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Cum, sicut accepimus, alias dilecti filii tunc existens abbas Generalis, ac alii prælati, & superiores & vocales congregationis Camaldulensis ex longa plurium annorum experientia attendentes, quod pro solvendis quindecim annis Quindenniis, quæ pro monasteriis & aliis beneficiis ejusdem congregationis Cancellariæ Apostolicæ officialibus solvi debent, depositio in capsis Provinciarum pridem fieri solita sæpe ipsis monasteriis damnum & incommodum non modicum afferebat, quia prælati ad curam dictarum capsarum deputati interdum pecunias ibi depositatas in alios usus, quam in solutione Quindenniorum convertebant, de anno 1598. in quadam Dieta generali ejusdem congregationis Romæ habita quamdam Constitutionem ediderint, quæ postea in capitulo generali ejusdem congregationis in civitate Ravennaten. anno 1600. renovata fuit, per quam statuitur, quod pecuniæ prædictæ non amplius in capsis Provinciarum deponerentur, sed singulis annis singuli prælati ad capitulum deferre seu ad Dietam trasmittere ratam Quindenniorum, quæ ad quodlibet eorum monasterium respective juxta novam taxam in supradicta dieta factam pertinerent, tenerentur, quæ pecuniæ omnes in manibus Procuratoris Generalis ejusdem congregationis consignari deberent; ipseque Pro-

curator

curator Generalis illas statim in emptionem tot Locorum Montium non vacabilium Urbis investire teneretur: Quæ loca Montium nullo tempore vendi possent, nisi ad effectum solvendi supradicta Quindennia, quandocumque tempus illa solvendi deveniret, ac idem Procurator Generalis singulis annis fidem authenticam investimenti hujusmodi per eum facti ad Capitulum seu Dietam deferre teneretur; Cumque etiam ex eo quia ex alio ejusdem congregationis antiquo usu seu Decreto singulis annis quilibet prælatus, qui gubernium alicujus ejusdem congregationis monasterii habet, ad capitulum seu Dietam unum pro centenario reddituum sui monasterii pro subveniendis publicis pro tempore occurrentibus congregationis necessitatibus deferre teneretur, quod etiam in capsis provinciarum depositabatur, sed sæpe in alios usus, quam pro publicis congregationis necessitatibus convertebatur, primo in Dieta anni 1598. & in Capitulo generali anni 1600. pariter ordinatum fuerit, ut suprascriptæ pecuniæ unius pro centenario reddituum monasteriorum non amplius in capsis Provinciarum deponerentur, sed singulis annis consignarentur, præter pecunias Quindenniorum, supradicto Procuratori Generali ejusdem Congregationis, qui statim in emptione Locorum Montium similium, quæ nullo tempore, nisi ad subveniendum publicis ejusdem Congregationis necessitatibus, vendi possint, investire teneatur. Cum autem, sicut pro parte dilectorum filiorum moderni Abbatis Generalis, & Visitatorum, ac Procuratoris Generalis ejusdem congregationis nobis expositum fuit, quia cura recipiendi dictas pecunias ac illas investiendi, necnon de illis rationem reddendi soli Procuratori generali congregationis tradita fuit, non videtur sufficienter provisum securitati dictarum pecuniarum, & exinde prima inconvenientia oriri possent; propterea ut securitati dictarum pecuniarum magis prospiciatur, pro parte dictorum Abbatis Generalis, Visitatorum & Procuratoris nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis, ut infra, opportune de benignitate Apostolica providere dignaremur. Nos igitur eosdem Abbatem Generalem, Visitatores ac Procuratorem a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis &c. absolventes &c. hujusmodi supplicationibus inclinati volumus, & auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo statuimus & ordinamus, ut de cetero cura recipiendi singulis annis sive in Capitulo, sive in Dieta pecunias tam Quindenniorum, quam unius pro centenario ad Abbatem Generalem, Visitatores & Procuratorem generalem ejusdem congregationis pro tempore existentes conjunctim pertineat, quodque ipsi omnes insimul sub pœna privationis dignitatum & officiorum, quæ obtinent, ac vocis activæ & passivæ eo ipso absque alia declaratione incurrenda teneantur ipsas pecunias investire, aut investiri facere statim in emptionem tot Locorum Montium non vacabilium Urbis, quæ Loca Montium nunquam vendi possint, nisi ad effectum solvendi Quindennia successive, prout tempus solutionis evenerit, aut juvandi eidem congregationi in aliqua ejus publica emergenti necessitate respective; ipsique Abbas Generalis, Visitatares, & Procurator singulis etiam annis pariter in Capitulo aut Dieta hujusmodi investimenti facti rationem reddere, & fidem authenticam ostendere sub eadem pœna teneantur; quodque quilibet prælatus alicujus monasterii ejusdem congregationis, qui singulis annis ratam Quindenniorum ad suum monasterium spectantem juxta taxam novissime in Dieta dictæ Congregationis Romæ habita factam, necnon unum pro centenario reddituum sui monasterii ad Capitulum seu Dietam hujusmodi non detulerit aut transmiserit, eamdem privationis dignitatis

tatis & officii, quod quisque eorum obtinet, ac vocis activæ & passivæ pœnam eo ipso similiter incurrat. Decernentes præmissa perpetuo inviolabiliter observari debere, sicque & non aliter per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die VII. *Januarii* M.DC.III. *pontificatus nostri anno undecimo.*

M. Vestrius Barbianus.

Clemens papa VIII. dilectis filiis Abbati Generali & Visitatoribus, ac aliis Abbatibus universis & singulis congregationis Camaldulensis Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum, sicut accepimus, vestra congregatio ingenti ære alieno pro diversis ejusdem congregationis necessitatibus multis ab hinc annis contracto gravata reperiatur; cumque ad ipsam congregationem ab hujusmodi ære alieno quam citius liberandam inter alia valde opportunum fore existimetur, ut expensæ fabricarum monasteriorum ipsius congregationis minus necessariæ intermittantur, & pecuniæ, quæ in hujusmodi fabricas exponerentur, in dissolutionem æris alieni convertantur: Nos utilitati ejusdem congregationis, quantum cum Domino possumus, opportune prospicere cupientes, vobis & cuilibet vestrum sub pœna privationis vocis activæ & passivæ, ac dignitatum & officiorum, quæ obtinetis, & inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, eo ipso absque alia declaratione incurrenda, ne ex quacumque occasione, præter quam necessariæ reparationes earum partium, quæ ruinam minarentur, quæque dilationem non paterentur, fabricas quascumque in vestris quibusque monasteriis, atque extra illa a quibuscumque locis, etiam ad monasteria ipsa spectantibus sive de novo incipere, sive jam inceptas prosequi & continuare, donec & quousque æs alienum eorumdem monasteriorum penitus dissolutum non fuerit, possitis vel audeatis, auctoritate Apostolica tenore præsentium interdicimus & prohibemus. Vobisque & cuilibet vestrum sub eadem pœna præcipimus & mandamus, ut quisque vestrum quidquid (facta prius provisione rerum necessariarum sui monasterii) ex illius redditibus annuatim superfuerit, in extinctionem hujusmodi æris alieni converti omnino curetis & faciatis. Non obstantibus &c.

Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXII. *Januarii* M.DC.III. *pontificatus nostri anno undecimo.*

M. Vestrius Barbianus.

Ad annum 1607. *pag.* 215. *lin.* 33. Scriptum fuit, ea de re, a Senatu Veneto ad oratorem suum Franciscum Contarenum.

Ad annum 1611. *pag.* 232. *lin.* 28. Hoc opus Dominici Cavalca de *Disciplina Spiritualium* Silvanus Ractius cum reperisset una cum Francisco a Monte-sancti-Sabini, qui certe est Franciscus Pisserius monachus Camaldulensis, antiquam editionem ipsius factam anno 1487. eam puriore stilo digessit, & Francisco commisit novam editionem, curandam typis Sermatellianis Florentiæ anno 1569. ut testatur idem Franciscus in epistola nuncupatoria ad Johannem-baptistam Novariensem ordinis generalem; quod addiscimus ex Apostolo Zeno T. II. pag. 460. Adnotationum ad Bibliothecam Fontaninii.

Ad

Ad annum 1617. *pag.* 250. *lin.* 21. De eremo Fivizani Sarsanensis dioecesis sequens extat memoria.

PAULUS PP. V.

Ad futuram rei memoriam. Decet Romanum Pontificem ex munere sibi injuncto, qui spretis vanitatibus, jugum Religionis, ut altissimo liberius inserviant, suscipere intendunt, præcipua pastorali benignitate complecti, & paterna prosequi charitate.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes-Maria Caldanus Presbyter Veronensis, quod ipse perpetuum Altissimo exhibere famulatum desiderans, quamdam eremum in territorio, seu districtu loci Fivizani Lunensis Sarsanensis Diœcesis cum ecclesia, Campanili, Campanis, Sacristia, Choro, Refectorio, Cellis, aliisque Membris, & officinis necessariis, & opportunis, illamque tam sacra, quam profana suppellectili ex Piorum eleemosynis instruxit, & sibi nonnullos socios, & in Sacris, & Presbyteratus ordinibus constitutos, qui una cum ipso in præfata Eremo in communi vivant, adscivit. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædictus Joannes-Maria una cum dictis sociis in præfata eremo sub Regula Eremitarum Congregationis Montis Coronæ Ordinis Camaldulensis de cetero vivere, posse summopere desideret: Nos pium, & laudabile dicti Joannis-Mariæ desiderium plurimum in Domino comendantes, & eum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti pœnis absolventes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, eidem Joanni-Mariæ, ut assumpta prius per eum, & ejus socios prædictos dictorum Eremitarum Regula, ac si, & postquam eorum Congregationi uniti, & de eorum consensu in omnibus, & per omnia incorporati erunt, in præfata eremo una cum sociis prædictis sub obedientia Superiorum dictæ Congregationis, nec non regularibus ejusdem Congregationis institutis, apostolica auctoritate confirmatis, sicut alii Eremitæ prædicti vivere libere, & licite possint, & valeant, tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus; cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 8. *Julii* 1617. *Pontificatus Nostri anno decimo tertio.*

S. Card. S. Susannæ.

Ad annum 1618. *pag.* 252. *lin.* 3. Literæ Constantiæ reginæ Poloniæ ad priorem Montis-argentini.

Con-

Constantia Dei gratia Regina Poloniæ , & Sueciæ , Magna Dux Lithuaniæ , Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæq. &c.&c. Nata Archidux Austriæ.

Venerabilis. Devotus Nobis dilectus Andreas Laschovvski apud Serenissimos Filios nostros pro ostiario fuit. Is ex peregrinatione, quam ad limina Apostolorum interea obiit, reversus, Religionem Eremitarum Camaldulensium ingredi statuit . Quod illius propositum nos pio animo , uti debemus, accipimus, cupimusque , ut illum devotio Tua ab isto cœlestis Aulæ vestibulo non arceat , ad eamque Paradisi Januam (ita enim divi Romualdi Eremum a nobis merito appellari censemus) admittat : ut isthic porro salutem suam operetur, ac pro nobis , & eisdem Serenissimis Filiis nostris Deum (quod præstiturum non ambigimus) jugiter exoret . Confidimus commendatione nostra compotem desiderii apud devotionem Tuam fore; idque erit nobis cum primis gratum . De cetero Nos devotioni Tuæ, & fratrum tuorum orationibus sedulo commendamus , benevolentiamque nostram devotionibus vestris juxta deferimus.

Datum Varsaviæ die 31. *Mensis Decemb. anno Domini* 1618.

Constantia Regina.

Foris ⁐ *Venerabili Patri Priori Eremitarum Camaldulensium Montis-Argentini ad Cracoviam devoto nobis dilecto.*

Ad annum 1619. *pag.* 253. *lin.* 41. Addantur binæ literæ Senatus Veneti ad oratorem suum in Curia Romana , pro manutenendis privilegiis Congregationis Camaldulensis S. Michaelis de Muriano.

1619. 29. *Giugno in Pregadi all' Ambasciator a Roma.*

Sarà quì inclusa copia di una supplicatione presentata dalli Intervenienti della Congregation Camaldolense di San Michiel di Muran, nella quale pretendendo essi di ricever diversi aggravj nelle loro prerogative e privileggj ; vi commettemmo col senato di raccomandare e favorire presso sua Santità e presso li Signori Cardinali Borghese e Campori il loro desiderio per la conservation delle prerogative e privileggj , che hanno ; e questo fate una e più volte, secondo che ricercherà il bisogno, e l' occasione, non promovendo voi il negotio in nostro nome, ma lasciando, che essi promovino il fatto suo, e risolvano le difficoltà, che s' incontrassero, tanto che noi non s' interessiamo in altro, che in prestarli la protettione & il favore, come siamo certi, che saprete benissimo esseguire per vostra prudenza.

Per li Uffizj fatti da noi passare per servitio della Congregatione Camaldolense , che si trova nel stato nostro, mentre si trattava di privarla de doi Noviziati con grandissimo suo pregiuditio , si lasciò intendere il Protettore di essere inclinatissimo di rimettere il negotio al suo futuro capitolo. Ma perchè pare dimostrare diverso pensiero, con metter in compromesso quello, ch' è antico & approbato dal Pontefice, e dubitano questi Padri, che si voglia fare nello stato ecclesiastico , per ridurli a far a loro modo, come più particolarmente sarete informato dalla quì aggionta copia del loro memoriale, vi commettemo perciò col medesimo Senato , che dobbiate con li vostri uffizj continuare l' interesse della detta Congregatione , così per quello spetta al negotio de' loro Noviziati , come anco per la riduzione del suo capitolo, acciò l' anno presente sia tenuto nel stato nostro,

conforme al privilegio già loro concesso; & riuscirà di nostra soddisfatione tutto quello venirà operato da voi nella presente materia.

Giam-Dominico Baratello notaro Ducale.

Ad annum 1620. *pag.* 255. *lin.* 11. Inscriptio beati Peregrini inclusi eremitæ Camaldulensis in aliquibus est emendanda; quare de novo eam proferimus ex libro Actuum Capitularium ejusdem eremi Camaldulensis: *Frater Peregrinus Hispanus Barchinonensis eremita, qui cum Deo summa pietate & religione* LII. *annos in hac sacra eremo serviviſſet, & per* XXXXII. *e cubiculo nunquam egrediens cœlestium bonorum contemplationi vacaſſet,* VI. *nonas decembris anno Domini* M.DC.XX. *ætatis suæ* LXXXII. *e communi anachoritarum sarcophago effoſſum & integrum repertum, justorum animas in inferno non derelinqui, & sancta non corrumpi testatum est. Anno Domini* M.DC.XXIII.

Ad annum 1621. *pag.* 263. *lin.* 34. De vocabulario Ecclesiastico alia editio extat sub anno 1598. Venetiis apud Prodoctos, cujus operis titulus est hujusmodi: *Vocabularium ecclesiasticum rev. Patris fratris Jo: Bernardi Savonensis ordinis eremitarum sancti Augustini cum additionibus D. Benedicti Puccii Camaldulensis, ac Bernardini Morelli medici Romani additamentis uberrimis, una cum expositione sensuum sacræ Scripturæ, ac demum de Gemmarum naturæ explanatione.*

Ad annum 1622. *pag.* 269. *lin.* 46. Sexta junii ab Angelo a S. Angelo in Vado Majore lecta fuit in Capitulo eremitarum Camaldulensium postulatio eremitarum beatæ Mariæ Portæ Angelicæ Urbis, qua expetebant recipi ad unionem cum eremitis Etruriæ, tum maxime, quod originem suam habuerant ab oblato sacræ eremi. Decretum fuit, ut ad unionem reciperentur. Renovata fuit eadem instantia die undecima decembris, & idem Angelus Major proposuit suis eremitis ecclesiam positam in Urbe in foro boario appellatam S. Mariam Draconis, magnifice exstructam a Cardinale Lante, & ab ipso oblatam ipsi Majori, ut ad eam se reciperent prædicti eremitæ; quæ oblatio recepta fuit unanimi patrum consensu.

Ad annum 1622. *pag.* 270. *lin.* 24. Christinæ Ducissæ Sabaudiensis ad Generalem Camaldulensem epistola.

Mon Pere. Le long temps, qu'il y a que le Pere Paul hermite Camaldole observe sa regla avec toute sorte d'austerité bonne & exemplaire vie, dans l'hermitage de l'erme pres de ceste ville, ou il est vielli chargè de beaucoup dannees, & par consequand fort debille pour pouvoir daventage patir & supporter l'austerité du lieu, me fait vous prier par cellecy de luy vouloir donner en ma consideration son obediance en quelque autre Convent de Religieux dudit ordre de Camaldole soit a Faenza, ou allieurs, affin qu'il puiſſe plus commodement & avec mongs de peyne achever le reste de se jours en servant Dieu. Vous asseurent que vous me ferez en cela fort grand plaisir, & que Je min souvendray pour vous tesmoigner pur toutes occasions, que je suis

Mon Pere *Vostre bonne amye* CHRESTIENNE.

De Thurin ce XV. *Septemb.* 1622.

A tergo. *Au Pere General de Camaldole.*

Ad annum 1627. *pag.* 283. *lin.* 42. In Codice Vaticano inter mss. Reginæ Seeciæ num. 2055. apud Montfauconium pag. 59. habetur relatio eremi Camaldulensis, quam construxit Ferdinandus II. imperator anno 1629.

Ad annum 1645. *pag.* 340. *lin.* 20. Epistola Nicolai Ludovisii Principis Venusini Generali Camaldulensi.

REVERENDISSIMO PADRE.

Così di buon animo condescendo (hora che sen' è sopita ogni difficoltà) ad incontrar li comandamenti , che già me ne fece il Sig. Cardinale Capponi , e l' instanze di V. P. Reverendissima ricevute per mezzo delle sue lettere , e della viva voce del P. D. Angelo d' Arezzo , perchè habbia effetto la pia opera , stabilitasi dalla Università della Terra mia di Rio , mediante codesta esemplar Religione , ad augumento del Divino culto luogo & beneficio di quell' anime , come in tutte altre occorrenze sarò per darle sempre non inferiori segni della volontà mia , che per hora in tal particolare & in generale dovrà attestarsegli dal detto P. D. Angelo per le dichiarazioni da me fattegli , mentre io a lui riportomene ; & all' orationi di V. P. Reverendissima e di cotesti suoi Padri raccomandomi , con baciar a lei le mani. Ges.do 27. Giugno 1645.

Di V. P. Reverendissima *S.e*
P. Abate Generale Camaldolense. *Nicolo Ludovisio.*

Di fuori di questa lettera originale fu notato di carattere di quella età. Il Principe di Venosa.

Ad annum 1648. *pag.* 345. *lin.* 48. Liber Giupponii, cui titulus: *Nuovo modo di orare e di meditare* singularis est, nam preces continet, orationes, petitiones, gratiarum actiones, meditationes de Deo & de creaturis, & devotas exhortationes factas animæ fideli; in quibus, dum anima mysteria vitæ & passionis Jesu-christi , & vitæ B. Mariæ Virginis contemplatur, excitat se ad Dei, Jesu-christi, & ejus Matris amorem & imitationem . Auctor librum dicatum voluit Johanni Delphino meritissimo S. R. E. cardinali.

Ad annum 1663. *pag.* 396. *lin.* 18. Floruit hoc tempore Camaldulensis eremita Polonus Stanislaus Scygielski, qui hoc anno edidit Aquilam Polonico-benedictinam Cracoviæ . Scriptor Camaldulensem se manifestat fol. 51. ubi pridie idus maji habet: „ Illustris memoria ven. viri fratris „ Hieronymi natione Bohemi , eruditionis laude & sanctitatis opinione „ celeberrimi . Hic sanctissimæ congregationi nostræ Camaldulensi no„ men dedit, simulque decus æternum addidit . Interfuit Concilio Basi„ leensi, Senis primum instituto , ubi pro concione bis cum stupore & „ admiratione omnium dixit , & magnam sibi auctoritatem & gratiam „ conciliavit. Missus a Patribus Concilii &c. " prosequitur ejus vitam, res gestas, & scripta.

Ad annum 1673. *pag.* 429. *lin.* 44. Ad calcem hujus anni addatur sequens epistola, quam abbati generali Camaldulensium Johanni Marinetto scripsit Christophorus Pac Magni ducatus Lithuaniæ Cancellarius

pro obtinendis lipsanis S. Romualdi post obitum Michaelis regis Poloniæ cui fuerant promissa;

Reverendissime in Christo Pater: Pater & amice observandissime.

Ipsa necessitas, tum præconium virtutis optimæ efficacisque animorum conciliatricis, vitæ innocentia cum sanctimonia conjuncta, quæ Reverendissimam Paternitatem Vestram plurimum præstare a multis intellexi, suasit, ut ad Reverendissimam P. V. præsentes darem, eique a supremo bonorum largitore omnia fausta precarer. Innotuit, opinor, Reverendissimæ P.V. me, ad majorem omnipotentis Dei gloriam, Matris & Virginis Augustissimæ Mariæ honorem, sub titulo Sanctissimi Patriarchæ Eremitarum Camaldulensium Romualdi cum suo eremitorio ecclesiam (magnificis structuris haud facile cessuram) ad septentrionis plagam in Magno Ducatu Lituaniæ nullis parcendo sumptibus erigendi in animo statuisse. Quod cum ita sit, novit probe Paternitas Sua Reverendissima, quemadmodum Regna & Dynastiæ conditorum suorum glorientur cineribus, quomodo & Sancta Mater Ecclesia a sui primæva institutione Divorum tutelarium veneretur lipsana. Hoc unicum & ego, cum in votis habeam, sacras Divi Romualdi in ecclesia, quam nomini Altissimi ædificavi, cernuus venerari Reliquias, majorem proinde in modum a Reverendissima P.V. peto velit piis meis annuere petitis, hancque Sancti sacram Reliquiam, quam Serenissimo olim Regi meo demortuo ad eremum Varsaviensem destinarat (siquidem illa fabrica obitu Regiæ Majestatis abrumpitur) eremo Pacis adscribat, gloriabitur a munifica liberalitate Reverendissimæ P. V. gens amica Litava, e sanguine Latio olim oriunda, nunc Septemtrionem accolens, mediisque cincta hostibus hac tessera symboloque Pacis, non sine religiosa admiratione novam asceticam coloniam in suis oris suspiciens atque imitans: possidebit inclyta familia sui Patriarchæ ad se spectans sacrum munimen. Mihi denique hunc singularem Reverendissimæ P. V. favorem pretiosissimi thesauri loco fore gratissimum. Quem voti compos adnitar dari aliquando optatam occasionem, qua non solum Paternitati V. Reverendissimæ gratias agere liceat, verum etiam observantiæ & studii mei magnitudinem erga Reverendissimam P. V. inclytumque cœtum Romualdinum insigni aliquo declarem testimonio. Quod superest officia mea promptissima quam diligentissime Reverendissimæ Paternitati Vestræ defero; eamdemque diutissime gloriæ Divinæ, ornamento Religionis bene valere cupio.

Varsaviæ die 29. mensis Novembris 1673.

Reverendissimæ Paternitatis Vestræ
Amicus benevolus & servitor
Christophorus Pac Supremus Magni Ducatus
Lithuaniæ Cancellarius.

A tergo *Reverendissimo in Christo Patri, Patri Generali ordinis Monachorum Camaldulensium Patri & amico Observandissimo.*

Sigillo magno obsignata.

Ad annum 1693. pag. 504. lin. 5. Adde: Sed de incendio Camaldulensis ecclesiæ audiatur Eduardus Barroncinius in suo chronico pag. 160. qui præsens erat, immo qui præcipuus inter fumum & flammas imperterritus incedens sacram pixidem proxime igne vastandam ex altari eduxit,

xit, & in tutum locum reposuit: Sic itaque ille: „ Accidit hoc ipso
„ anno *1693.* in ecclesia sacræ eremi maximum incendium; contigit au-
„ tem sic. In die Natalis Domini completorio persoluto, cum ad cel-
„ lam eremitæ recedunt, sacrista nimia negligentia oblitus, lebetulum
„ testaceum cum quibusdam torridis suffictibus pone unam ex quatuor sta-
„ tuis inauratis, quibus ad cereos utuntur, ad cornu evangelii aræ prin-
„ cipis reliquit, prunis admodum instructum, eoque calore in subjectum
„ pavimentum abiegnum transmisso, paulatim adussit, mox contiguas sta-
„ tuas, suppedaneum cathedræ atque altaris, latus, columnas, ceteraque
„ altaris ornamenta velut escam pervasit. Sed (proh infandum!) insi-
„ gnem illam tabulam, opus ultimum Georgii Vasarii ex anno 1572.
„ scutorum pretio ducentorum penitus consumpsit; ea siquidem igni non
„ modicum nutrimentum ad horam noctis octavam præbuere. Tunc enim
„ vigilias nocturnas pulsaturus minister ostium Templi aperuit, sed intus
„ progredi præ fumi densitate impenetrabili ac fervore nimio haud po-
„ tuit. Foras protinus erumpens sacristam excitat, ut campanam ex al-
„ to percutiat. Omnes conveniunt eremitæ, sed nemini templum introi-
„ re licitum fuit; erat enim fumo undique repletum, ac tantillum flam-
„ mæ lumen discernebatur, cum æstus & casus lignorum altaris, quæ
„ pro lateribus fornicis reputabantur, omnibus ingressum præpediebant,
„ timoremque incutiebant; interea quidam ad fenestras ecclesiæ conten-
„ dunt, quas propter nivium altitudinem pertingere longum fuit, aliqui
„ evulsis sacrarii chalthris ferreis vasa & sacras vestes efferunt. Ventum
„ tandem ad fenestras templi, hisque perfractis, utpote vitreis, fumus
„ cessit introeuntibus, laternas quidem accendunt, nivem alii in prunas
„ & suppedaneum ingerunt. Quid plura? Liquata conspiciuntur tria ma-
„ gna candelabra argentea, totidemque minora, tria quoque vasa ad flo-
„ res argentea, & quæque altaris dexteræ cohærebant. Mirum sane!
„ intacto tabernaculo, velum desuper pendulum medium tantummodo
„ exustum; cruce quoque argentea prorsus consumpta. Pyxis, quæ intus
„ Sanctissimum Sacramentum illæsum continebat, vix tangi præ nimio
„ calore potuit, alioque transferri; corpus generalis Mariotti, quod se-
„ cus altare servabatur, intactum; ossa & partes corporum antiquorum
„ Patrum, præsertim beati Peregrini reclusi, quæ retro majoris tabulæ
„ adhærebant, salva fere omnia, licet exusta. At multa procul dubio
„ sunt detrimenta. Historiæ in tela depictæ, quæ Templi parietes orna-
„ bant, atque distantes imagines & altarium, & capituli & ædicula-
„ rum ornamenta fumo & calore deturpatæ, tum incrustati parietes &
„ plastice elaborati auro quidem splendescentes, ita fumo conspurcati,
„ ut Templi similitudinem in æris atque fornacis exustæ versam dice-
„ res. Monachos vidisses aspectu mœstos, suspiria passim trahentes, non
„ ad speciosam domum Dei, sed ad Vulcani antrum accedere, flere ma-
„ gis quam laudes Deo canere reputasses. Quanti vero ejusmodi incen-
„ dii detrimentum faciendum sit, ut reparetur, vel ex sola pecunia,
„ scutorum nempe duorum millium centum sexaginta septem, operariis
„ numerata, præter victus, aliorumque sumptus, pensabitur. “

Ad annum 1701. *pag.* 521. *lin.* 11. Nomen & familiam hujus piissimi viri edidicimus ex Memoriis Recinetensibus Calcagni, qui asserit fuisse Camillum Massuccium patricium Recinetensem.

Ad

Ad annum 1707. *pag.* 553. *lin.* 24. Pie obiit in monasterio sacræ eremi Montis-coronæ apud Perusiam die 20. februarii hujus anni P. D. Tiburtius ex nobilissima Bononiensi Carratorum familia, qui in ea urbe natus die 19. martii anni 1659. Camaldulensem eremiticam togam induit die decima tertia aprilis anni 1683. in eadem Coronensi eremo. Vitæ ipsius compendium habemus in epistola, quam die 17. novembris anni 1719. ad ejus nepotem dedit D. Philippus prior Coronensis, quam publici juris fecit P. D. Cœlestinus Petracchius in ipsius Tiburtii vita edita Mutinæ anno 1758. Hæc porro continet epistola. *Per servir V. S. Illustrissima in quello mi comanda, circa il darle informazione del di lei Zio paterno, che fu nostro Religioso, per quello, che io ne sò, posso dirle: Che detto Padre chiamato alla Religione P. D. Tiburzio, e al secolo il Signor Giuseppe-maria-alessandro Carrati fece la sua solenne professione in questa nostra congregazione il dì 13. aprile dell' anno 1684. e secondo le nostre Regole fu ordinato sacerdote l' anno 1689. E perchè fu conosciuto d' un ingegno molto elevato e ornato di molte abilità per poter servir la Religione, nell' istesso anno, che disse Messa, fu fatto Censuario di questa nostra Badia di Monte-corona, ch' è un' uffizio solito darsi a Religiosi molto sperimentati e idonei a difendere le molte cause, che abbiamo sopra li beni livellarj, che detta Badia possiede in quantità considerabile. Due anni continui esercitò detta carica con molta lode, e dal Capitolo generale susseguente fu deputato a fare la Celleraria in altri eremi, come fece per molti anni. L' uffizio del Cellerario è l' attendere all' economia e al provvedimento de Religiosi, avendo egli in sua mano tutta l' azienda, e la sostanza della casa. Dopo molte Cellerarie fu di nuovo eletto Censuario della Badia, e fu dell' anno 1695. nel qual' uffizio fu confermato sino all' anno 1700. nel qual tempo passò a Roma per compagno del padre Procurator generale, dove si fermò due anni, conforme è solito, non potendo confermarvisi più lungo tempo i soggetti, perchè vi è l' alternativa ogni biennio. Dell' anno 1702. fu mandato a Todi per attendere alla fondazione di un nuovo eremo, che in quel territorio si andava facendo, e dell' anno 1704. fu la terza volta eletto Censuario della Badia; ma perchè in quel tempo cominciò a sentirsi indisposto, fu necessitato l' anno seguente 1705. a rinunziare l' uffizio. Essendosi poi alquanto riavuto, fu eletto Maestro di Novizzi di questo sagro eremo, nella qual carica pochi mesi potè continuare, essendo di nuovo molestato da una indisposizione, che non fu mai conosciuta da Medici, e da essa a poco a poco consumato, li 26. febbrajo dell' anno 1707. se ne passò a miglior vita, con opinione e concetto di esser sempre stato un' ottimo Religioso. Furono fatte molte diligenze, per conservarle la vita, e comecchè il suo male non era grave in apparenza, fu mandato con le necessarie commodità a Perugia per farsi curare da quel Collegio di Signori Medici. Vi si trattenne qualche tempo, e parendo alquanto migliorato, ritornò a questa Badia, di dove fu anche mandato ad un nostro luogo quì vicino di aria salubre molto, e vi dimorò con tutta soddisfazione, mantenendosi sempre allegro; anzi in tutta la sua infirmità conservò sempre una somma allegrezza cantando, e di quando in quando voleva se li dasse il violino, che suonava molto volontieri, e con questa disposizione durò fino all' ultimo di sua vita, quale finì sempre in buoni sentimenti, e morì parlando, col render l' anima sua benedetta al nostro Creatore in questa stessa Badia. Se non fosse morto nella sua gioventù avrebbe avute cariche anche primarie*

della

della religione, perchè era dotato di talenti per tutte &c. Ch' è quanto posso dirle nel particolare, che si compiace d' imporm, e facendole divotissima riverenza mi dichiaro. D. Filippo priore di Monte-corona.

Ceterum vita ipsius Tiburtii descripta a P. Petracchio, tota texitur ex epistolis, quas dedit Tiburtius patri suo, & pater dedit filio, antequam eremiticum institutum arriperet, faterurque collector ejus vitæ peculiares actiones, & singulares virtutes Tiburtii recensitas non fuisse, nihilque certi sciri de ipsius humilitate, pœnitentiis ceterisque ejus gestis. Ipsius epistolæ, quas dedit sororibus suis & unico fratri, repletæ sunt sanctissimis documentis, & stimulis ad derelinquendum seculum, & ad amplectendam vitam religiosam, ad amorem virtutum & ad pietatem. Haud dissimiles dedit matri suæ, eam hortatus ad patientiam, & ad Dei cultum curandum.

Ipse Petracchius collector vitæ Tiburtii adjunxit eodem anno vitam ipsius sororis Mariæ-angelicæ sanctimonialis in venerabili monasterio O. S. Augustini dicto Sanctissimæ Conceptionis urbis Bononiæ, quæ sancte decessit die 7. decembris anni 1719. Nec his collectis vitis contentus, anno 1761. Mutinæ edidit appendicem sive continuationem aliarum vitarum ceterorum Dei famulorum, & religiosorum tam virornm, quam feminarum ejusdem familiæ Carratæ, inter quas locum præcipuum habent vitæ Angelicæ-Peregrinæ bis abbatissæ S. Christinæ de Bononia Ordinis Camaldulensis, quæ ad cœlum evolavit die sexta maji anni 1688. Mariæ Juniperæ Columbæ abbatissæ ejusdem parthenonis, quæ pie decessit anno 1702. die undecima martii; Octaviæ Mariæ Isabellæ Costantiæ sororis Mariæ Juniperæ, & sanctimonialis in eodem asceterio, cujus mors contigit anno 1704. die sexta ianuarii; Mariæ Carolæ Adeodatæ alterius sacræ virginis, ejusdem monasterii, quæ ad Deum abiit die vigesima prima februarii anni 1757. Addidit etiam vitam Flaminiæ-catharinæ, quæ Camaldulensem habitum induit anno 1658. sed brevi pontificio Alexandri VII. transiit ad alterum ordinem S. Dominici in monasterio S. Petri-martyris Bononiæ, ac in hoc defuncta undecima augusti anni 1701. cœlum petiit. Præterimus Annam-mariam .josepham monialem S. Augustini, Angelam-mariam Ursinam professam in parthenone S. Guilielmi, Flaminiam-catharinam in illo S. Petri-martyris, Lauram-felicem in altero Corporis Domini, Mariam-margaritam in illo Cappuccinarum, Mariam-theresiam aloysiam in illo S. Leonardi, quæ ad ordinem nostrum non pertinent, sicut etiam nil ad nos spectant Camillus-antonius canonicus Lateranensis, Carolus sacerdos secularis, Hieronymus canonicus S Petronii, frater Hieronymus ex Minoribus Conventualibus, Julius Cæsar sacerdos secularis, Landus Societatis Jesu, Marcus-antonius sacerdos secularis, Petrus itidem sacerdos secularis; omnes ex eadem piissima familia Carrata, qui floruerunt seculo præterito & præsenti, quorum virtutes & actiones describit, additis monumentis, epistolis & elogiis, quæ prædictorum vitam resque gestas illustrant.

Ad annum 1727. *pag.* 625. *lin. penult.* Addimus & sequens indultum ejusdem sanctissimi pontificis.

Sanctissimus Dominus Noster BENEDICTUS PP. XIII. ad humillimas preces Procuratoris Generalis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ benigne indulsit, ut Missæ, quas in vim suorum Statutorum Monachi totius suæ Congregationis offerre tenentur pro Religiosis dictæ Congregationis ab hac vita migrantibus, in quocunque Altari Ecclesia-

rum

rum suarum celebratæ fuerint, perinde suffragentur, ac si ad Altare privilegiatum celebratæ essent.

Datum die 28. Novembris 1727.

L. Card. Picus Præfectus.

Loco ✠ sigilli. Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

Ad annum 1728. *pag.* 626. *lin. ultima*. Breve Benedicti XIII. P. M. declarationis circa facultatem Generalis Camaldulensis concedendi licentias pro benedictione Coronarum, comuniter dictarum B. Michaelis, qui eas instituit, vel proprie Coronarum Domini. *Benedictus Papa XIII. ad perpetuam rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius modernus Abbas Generalis Monachorum Congregationis Camaldulensis Ordinis Sancti Benedicti, quod cum nonnullis ab hinc annis Coronæ Domini Nostri Jesu Christi in Hispaniarum Europeis, Americanis, aliisque Regnis devotio valde propagata sit, ut ab eo aliquot Ordinum Regularium Superiores, aliæque Ecclesiasticæ Personæ in illis partibus existentes facultatem etiam ipsi benedicendi dictas Coronas, & erigendi seu fundandi Confraternitates sub eadem denominatione enixe petierint, & adhuc de præsenti petant, quemadmodum in pluribus Italiæ locis erectas fuisse memoratur, ipse Abbas Generalis ad tollendam hac in re quamcumque dubitationem, an facultas hujusmodi extra suam Congregationem sibi competat, quo facilius pio eorumdem Superiorum id requirentium desiderio satisfacere valeat, opportune sibi in præmissis a Nobis provideri, &, ut infra, indulgeri summopere desiderat. Nos ipsius Abbatis Generalis votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris & Pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem, & pro tempore existenti Abbati Generali Congregationis Camaldulensis facultatem deputandi in præfatis Regnis & Locis, ubi Monachi, sive Eremitæ dictæ Congregationis Camaldulensis minime adsunt, immediatos eorumdem Ordinum Superiores, qui Coronas supradictas benedicere, & Confraternitates ejusmodi erigere possint & valeant, itaut de ejus licentia Coronæ sic benedictæ, & Confraternitates ita erectæ omnibus & singulis Indulgentiis & gratiis Spiritualibus frui & gaudere debeant, quibus Coronæ benedictæ ac Confraternitates a Monachis Camaldulensibus erectæ potiuntur & gaudent, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & impertimur. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore sppectabit in omnibus & per omnia plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus &c.*

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. *julii* M. DCC. XXVIII. *Pontificatus nostri anno quinto.*

V. Card. Oliverius.

Ad annum 1730. *pag.* 635. *lin.* 30. Ceteris Canneti operibus adjungatur: *Dissertatione Apologetica intorno al Poema di Federigo Frezzi*

zi Vescovo di Foligno 1725. Ovidius Montalbanus & Justus Fontaninius Poema hoc tribuerunt Nicolao Malpighio Bononiensi, quod Cannetus demonstrat auctorem habere Fridericum Frezzi O. FF. Prædicatorum episcopum Fulginatem. Observat Cl. V. Bottarius Quadriregnum melius quam Quadriregium appellandum esse Poema.

Ad annum 1733. *pag.* 644. *lin.* 37. Prætereundus non est inter pios eremitas Montis-coronæ P. D. Stephanus, qui placide in Domino obdormivit hoc anno. In seculo vocabatur Joseph-aloysius Adami nobilis eques Firmanus; cum aliquando gravi infirmitate detineretur, visitatus fuit a quodam venerabili viro, qui ipsi indicavit Deum aliquid magnum exigere ab ipso, ac proinde quando convaluisset, debere ipsum Divinam Majestatem exorare, ut quid sibi placeret, dignaretur ostendere. Præmissis igitur precibus internam vocem audivit, qua ei suadebatur ingressus in illam religionem, cujus habitus viri sibi primum occurrissent. Paulo post reperiit duos eremitas Camaldulenses Montis-coronæ, licet perraro soliti ii forent eam urbem adire. Voci Dei obediens institutum eremiticum amplexus est anno 1690. in quo talem brevi tempore spiritus & perfectionis progressum fecit, ut passiones in ipso extinctæ viderentur; exactissimus minutarum constitutionum observator, cibi somnique parcissimus, extremæ paupertatis amator semper vixit. Alienus a dignitatibus & ab officiis, compulsus tamen fuit ceteros regere, ac munera obivit Magistri novitiorum, visitatoris & prioris, adactus ex obedientia cujusdam sancti viri P. Francisci eremitæ S. Sebastiani de Perusio, qui sanctitate celebris florebat in ea urbe; immo Tiburtius Bavarus alter insignis eremita dicere non dubitavit, electores peccatum non declinaturos, si eligere omisissent ad obeunda officia P. D. Stephanum. Ejus conscientiæ moderatores palam testati fuere, se nunquam in eo reperiisse vel minimam imperfectionem, nedum culpam. Cum anno 1716. qui fuit magnæ caritatis annus, prior esset Montis-coronæ, ad molendinum farinam pro quatuor mensibus sufficientem misit; hæc ad octo menses perduravit, neque unquam defuit quinquaginta vel sexaginta religiosis, famulis, advenis & pauperibus, qui ad millenarium numerum quotidie eleemosynam unius panis recipiebant. Anno ante obitum se abdicavit ab omni munere, & recipiens se in locum dictum Abbatiam Montis-coronæ, se ad mortem paravit. Superveniente itaque postrema infirmitate ab Oblato sibi inserviente petiit, quota hora esset. Tunc nil amplius morandum dicens, vocato Superiore eremi, extremam unctionem sibi dari exoravit; qua ei data, & commendatione facta animæ, licet indicia non forent proximæ mortis, placidissime spiritum efflavit anno 1733.

Ad annum 1741. *pag.* 663. *lin.* 40. *Adde*: Ipsius vitam novissime, anno nimirum 1771. descripsit amicissimus noster, & studiorum nostrorum assiduus adjutor alter eremita domnus Parisius, eamque dicavit Antonio Ricasolio ex dynastis Trapolæ patritio Florentino, vicario generali episcopi Fesulani, & canonico metropolitanæ ecclesiæ Florentinæ; ex qua hæc supplemus: Natus fuit Eduardus anno 1655. in Avenionensi urbe ex Vincentio Baroncinio patritio Florentino, & ex Aloysia de Tevillis illustri familia Avenionensis urbis, appellatusque fuit in seculo Franciscus. Revertente genitore in patriam Franciscus studiis operam dedit in Academia Pisana, inde electus canonicus majoris ecclesiæ Florentinæ; sed solitudinis amore captus seculum seculique pompas dereliquit, & ad

eremum Camaldulensem se contulit, ubi professionem emisit anno 1690. Bibliothecæ præfectus triplicem indicem editorum librorum, nimirum tractatuum, nominum & cognominum texuit, & insuper manu fere sua omnes compegit. Idipsum præstitit quoad Codices MSS. tercentos tredecim numero. Demum manum posuit uberrimo Camaldulensi tabulario, quod per tempora digessit, & utillimis repertoriis ornavit; Sed ipsum Baroncinium audiamus, rationem reddentem primorum laborum suorum eremitis Camaldulensibus confratribus suis. „ Quo ceperim, inquit, ab- „ hinc fere triennio studiosius Codices vestros manuscriptos perquirere, „ eo nunc segnius de ipsis vobiscum agere videor, agebar tunc temporis „ indignatione, & quodam stimulo Majorum nostrorum opera pro viribus „ restituendi restaurandique, sed modo referre pudet, quibus e forulis ac „ tenebris eruerim, blattis ac sordibus subtraxerim, quorum, ut ait „ Juvenalis

Et divina avidi rodebant carmina mures.

„ Quare tanta usquequaque viluerint incuria apud Patres nostros, ne- „ dum certa subit pensitandi ratio, ni quodammodo aptari queat illa „ Diogenis Cynici responsio percontanti, cur cœcis libentius quam phi- „ losophis stipem homines impenderent; *quod*, inquit, *credunt facilius* „ *se cæcos fieri vel fore, quam philosophos*. Ita forsan curasse libentius Pa- „ tres nostros codices impressos emere & undique comparare, quam ma- „ nuscriptis incumbere aut refricare, quasi fuissent authoris Heracliti, „ ut ajunt, Scotinii, in quibus opus esset Delio quodam natatore, fa- „ ciliusque cœcutire in ipsis, quam philosophari reputarunt. Neque apud „ illos tanto in pretio fuit veneranda scriptorum antiquitas, quam re- „ centium literarum & librorum elegantia; respuit siquidem animus ar- „ dua, aut potius nova placent & expeditiora. Verum tametsi mali & „ inutiles codices vestri censerentur, nihilo secius servandos tradidit Pli- „ nius, cum boni aliquid semper in his delibari posit ab iis, qui ve- „ lut apes a mortiferis etiam floribus mella conficere norunt. Horum „ ego in gratiam trecentos & amplius codices duxi in catalogum refer- „ ri, quos partim me hortante ligavit D. Cœlestinus e Mantua commo- „ nachus noster pietate ac religiositate conspicuus, tum benignus, ma- „ xime industrius, & conversionis ac propositi mei sedulus instructor „ (fuerat enim Baroncinii in tyrocinio magister) partim ipse meis ma- „ nibus operculis munivi & restitui; nonnullos a conducto librario re- „ parandos curavi; sunt ex his aliquot, quos archetypos vocant, sunt „ linguis exoticis perrari, complures notis antiquissimis & græcis potis- „ simum characteribus insignes; at in græcis ego quoque cœcutiebam, „ nisi adstitisset literis & precibus nostris accitus dominus Antonius-ma- „ ria Salvinius græcarum linguarum Florentiæ Professor, vir multigena „ literatura clarissimus, quo eram jamdudum in seculo familiariter usus, „ quibus fretus auxiliis non recusavi imperatum codices registrandi la- „ borem, earumque materias confertim, sed ordine alphabetico dispo- „ nendi, ut lectori cuipiam vel leviter erudito citius pateat quid insit bo- „ ni, quid falsi, quid excerpendum, respuendumque; hinc jam licebit „ omnibus adire Corynthum, regiones quascumque perlustrare, tot na- „ tionum dialectos prænoscere, si hoc nostro quasi indice vel interprete „ uti non dedignemini. Valete in Domino feliciter. Ex sacra eremo III. „ Idus Quintilis 1693. " Libellus, quem composuit, cum magister esset Novitiorum, titulum habet: *Giorno eremitico, overo direzione del*

Novi-

Novizio di Camaldoli nelle sue azioni ed esercizj quotidiani, distinto in due parti, una per l' inverno, e l' altra per l' estate. Demum subjungimus elogium, quod in ipsius perennem memoriam appositum fuit ad januam interiorem archivi Camaldulensis, cujus author fuit P. D. Johannes-chrysostomus Guzzielmi a Prato eremita itidem Camaldulensis: *Quisquis es, qui Tabularium hoc ceteroquin insigne intueris, non tam membranas vetustate præinsignes, quam cetera Camaldulensis cœnobii monumenta demirare, laboremque hujus olim Custodis suspice. Scire cupis quis fuerit? accipe: Eduardus, inquam, Avenione ortus, Florentiæ educatus ex Patricia Baroncinorum domo, Antiquitatis amator solertissimus. Hic Codices omnes obscurasque membranas intellectu perdifficiles evolvit, summatim transcripsit, & in Indicem redegit. Camaldulensis Ordinis Chronicon composuit, Bibliotheeam quoque sacræ eremi ordinavit, magnoque auxit elencho. At mirum? his studiis aliisque operibus assidue vacans, nihil penitus de nostri rigore instituti remittens, in summa vitæ austeritate diu vixit. In sacra demum Eremo, unde raro discessit, in pace obiit die* XXIII. *Sextilis anno salutis* M.DCC.XLI. *cunctis, qui virum noverant, mœrentibus.*

Ad annum 1753. *pag.* 692. *lin.* 37. Addendi sunt Ubaldus a Perticano diœcesis Eugubinæ, qui licet pastor esset ovium, a beata Virgine Maria, quæ ei apparuit comitata ab aliis duabus SS. Virginibus, jussus est, ut se ad eremum Montis-coronæ conferret, ibique profiteretur, & sacerdotium susciperet. Licet reluctarentur PP. eremitæ eum suscipere, tamen voluntatem Dei perspicientes ad habitum, & transacto anno ad professionem admiserunt anno *1696.* in lingua Latina eum instruentes. Eremita factus exemplar clarissimum evasit humilitatis, simplicitatis, observantiæ regularis & fervoris. Cum aliquando post Matutinam synaxim oraret in ecclesia, bis vocem audivit dicentem: *Così si trattano l' ossa de miei santi!* qua audita circuiens eremum una cum priore invenit duos juvenes laicos, qui ad construendum tumulum die commemorationis omnium Defunctorum extraxerant e sepulcris ossa defunctorum eremitarum. Tempore ipso, quo adhuc pastor oves ducebat, occurrit ipsi alius pastor, qui falce sibi ferierat manum, & ita sauciatus ad eremum montis Cucchi se conferebat, ubi balsamo mederi posset vulnus. Ubaldus ipsi compatiens signum crucis super manum læsam indidit, & statim sine balsamo aliave medicina sanata fuit ejus manus. Meritis plenus in osculo Crucifixi, cujus imaginem secum semper deferebat, decessit in eremo Montis-Coronæ. In qua etiam ad Deum transiit anno 1753. Cerbonius Giovanetti a Bononia, de quo narratur, quod tempore Divini sacrificii & inter orandum ita conquatiebantur omnia membra, ut in deliquium sæpe sæpius decideret. Promovit ædificationem ecclesiæ eremi Bononiensis, multasque eleemosynas, & pia legata a fidelibus populis obtinuit.

Ad annum eumdem pag. 693. *lin.* 48. Beatissimo Padre. *Il moderno Procurator Generale degli Eremiti Camaldolesi della Congregazione di Monte Corona Oratore della S. V. l' espone, come di già tutte le Chiese della sua Congregazione godono l' indulto dell' Altare cotidiano perpetuo. Di questa grazia però i Sacerdoti convalescenti, vecchj, o abitualmente impotenti, ed infermi dell' istessa Congregagione, attesochè non possono andar in Chiesa a celebrar la S. Messa, ne restano privi, ed alcune volte non possono per tal motivo adempier agli obblighi addetti agli Altari Pri-*

vilegiati delle loro Chiese. Per tanto con ogni ossequio supplica la S. V. a conceder l' indulto, che li detti Sacerdoti così impediti, ed il Sacerdote, che celebra per comodo di essi, godano il Privilegio, e soddisfino anche agli accennati obblighi di Messe, celebrando nelle Capelle delle loro infermerie, o altre a ciò destinate, come se celebrassero ne' riferiti Altari Privilegiati. Che ec.

Ex audientia Sanctissimi die 28. Aprilis.

Sanctissimus, attentis expositis, benigne annuit pro Gratia pro Religiosis infirmis, convalescentibus, alioque legitimo impedimento detentis; nec non pro Sacerdotibus eisdem Religiosis infirmis ministrantibus. Et hoc simplex rescriptum in perpetuum suffragari voluit, perinde ac si super eodem Litteræ Apostolicæ in forma Brevis solitis munitæ clausulis expeditæ fuissent.

L. ✠ S. J. Livizzani Secretarius.

Ad annum 1762. pag. 711. lin. ultima. Secunda die januarii hujus anni in monasterio Classensi obiit frater Joseph-antonius Soratini a Leonato Brixiani agri oppido ætatis anno octuagesimo-primo. De eo, qui excellens fuit architectus, aliqua diximus ad annum 1748. occasione restaurationis ecclesiæ S. Severi de Perusio. Præter hanc a fundamentis erexit ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis in burgo Faventiæ, alteram S. Blasii de Fabriano a terræmotu conquassatam restauravit. Faventiæ ecclesiam PP. Servorum Mariæ Virginis, alteram Foro-livii, & Leonati in patria ecclesiam primariam, quæ omnes ob inventionem, simplicitatem, partium harmoniam, & ob varia commoda, nec non magnificentiam, plausus virorum peritorum reportant. Etiam in cathedrali ecclesia Brixiensi operam suam impendit. Scripturas & typos plures reliquit ad Architectonicam artem spectantes, quæ servantur in bibliotheca Classis. Ante decennium mortem oppetiit in eodem Classensi monasterio alter conversus frater Faustus Pelliccioni Lucensis in gravi ætate octuaginta duorum annorum, celebris cœlator, & sculptor, cujus opus est dicta Classensis bibliotheca, & instructor plurium artificum in urbe Ravenna, qui gloriantur talem se habuisse magistrum.

Reponenda ad calcem ejusdem Tom. VIII.

Anno 1766. Post editos octo Annalium Camaldulensium Tomos, quos anno 1764. Deo adjuvante conclusimus, anno sequenti 1765. contigit, ut me, scilicet Johannem-benedictum Mittarelli Decemviri nostri, ex quibus coalescit generale Capitulum, quod fuit eo anno celebratum, ad supremum Congregationis Camaldulensis clavum assumpserint, immerentem licet, ac a quiete solitudinis avulserint; quare coactus ex obedientiæ jugo humeros meos supponere, Faventiam, quæ sedes est Abbatis generalis, me transtuli, ubi aliis Religionis negotiis implicitus studia mea prosequi prohibitus sum; edere siquidem meditabar nonum eorumdem Annalium Tomum, Appendicem scilicet ad octavum, qui demum prodit hoc anno. Adjuncti fuere mihi in regiminis socios, quos Visitatores vocant, ex provincia Etruriæ P. D. Natalis Guidi, & ex Provincia Marchiæ D. Aurelius Boni, electo ab iisdem Decemviris in Procuratorem generalem in Romana Curia D. Mauro Sartio.

Hic tamen postremus die xxv. augusti in eadem Urbe bonorum omnium, & doctorum virorum dolore immature decessit anno sequenti.

Ante

Ante aliquot menses gravissima apoplexi correptus, ex qua tamen spes aliqua effulgebat, ut pristinæ saluti posset restitui, novo ictu pressus mortali infirmitati cessit. Præter ea, quæ de ipso diximus pluribus in locis eorumdem Annalium, sed præsertim Tomo VIII. pagg. *696. 697.* adjicimus ipsum tum doctrina, tum pietate plurium eruditorum & illustrium virorum æstimationem sibi comparasse, & potissimum S. M. Benedicti XIV. & Clementis XIII. qui Sartium magnifaciebant, quorum postremus ipsum honorifico officio Consultoris Sacrorum Rituum insignivit anno 1764. Bibliothecam S. Gregorii ad clivum Scauri, cujus monasterii fuerat abbas, optimis & undique conquisitis libris auxit, cui insigne adjecit museum veterum inscriptionum & rariorum numismatum. Prodierunt eæ Inscriptiones anno 1765. in eo opere P. Oderici S. J. cui titulus: *Gasparis Oderici Aloysii S. J. Dissertationes & adnotationes in aliquot ineditas veterum Inscriptiones & Numismata. Accedunt Inscriptiones & Monumenta, quæ extant in Bibliotheca monachorum Camaldulensium S. Gregorii in Monte-Cælio Explicationibus illustrata*; quæ illustrationes factæ fuere ab alumnis monachis nostris Collegii Gregoriani. Inter singularia numismata laudari merentur illud Pescennii Nigri secundæ magnitudinis, & aliud Ciceronis, quod illustrabitur a nostro Sanclementio; quæ modo extant in alio illustriori Museo monasterii Classensis. Historiam Archygymnasii Bononiæ, celebriumque ejus Professorum a Sartio inchoatam, prosequitur nunc ex honorifica commissione Clementis XIII. D. Maurus Fattorinius Bononiensis abbas S. Johannis-baptistæ de Balneocaballo nostri Ordinis. Decessit Sartius quinquagesimo-septimo ætatis suæ anno. Videatur elogium confectum ab Isidoro Blanchio, & ad Lamium transmissum anno 1766. coll. 805. & 822. Notitiarum Literariarum ejusdem Lamii. Appositum fuit sequens epitaphium ad ejus sepulcrum in ecclesia S. Romualdi de Urbe: *Mauro Sartio Bononiensi Abbati, Curatori generali Camaldulensium, Sacrorum Rituum Congregationis Consultori, Viro Pietate, Eruditione, Doctrina & editis libris Clarissimo, dum Benedicti XIV. & Clementis XIII. Summorum Pontificum jussu patrii archigymnasii Historiam scriberet, e vivis sublato* X. *kal. septembris anno Chr.* M. DCC. LXVI. *ætatis anno* LVII. Suffectus ei fuit in procuratorem generalem D. Petrus Mazzini.

Anno 1767. die duodecima septembris mortem oppetiit alter ex Visitatoribus D. Aurelius Boni Lucensis, vir doctus, & in agendis negotiis expertissimus. Locus ejus impletus est a P. D. Johanne-benedicto Fieschi Cremonense ex Provincia Marchiæ. Pariter die XXIX. septembris ejusdem anni Congregatio nostra & Respublica literaria jacturam multam passa est ex obitu D. Angeli Calogerà Abbatis, qui occubuit in monasterio S. Michaelis de Muriano. De eo consulantur, quæ protulimus eodem tomo octavo. Die autem VIII. novembris fato functus est in eremo S. Joseph de Callembergh supra Viennam Austriæ D. Basilius Duvergis Austriacus Viennæ natus die prima marrii 1693. qui votorum professionem emiserat in eadem eremo die III. junii anni 1720. diesque suos produxit ad annos septuaginta-quatuor. Pluribus in locis de ipso mentionem fecimus in nostris Annalibus, quandoquidem communia nobiscum voluit ea omnia, quæ penes se ad rem Camaldulensem pertinentia habebat, præsertim circa eremos Hungariæ. Non pepercit laboribus, vigiliis, omnique diligentiæ, ut nobis faceret satis. Adjicimus hoc loco encyclicas literas religiosissimi P. D. Hermanni Josephi prioris Eremi

mi de Callembergh sub die *9.* novembris ejusdem anni scriptas P. Priori S. Clementis Venetiarum, quibus ipsi significat ejus obitum. „ Admo„ dum reverende ac religiosissime in Christo Pater Prior observandissi„ me, colendissime, honorandissime. Spero notitiam de defuncto nostro fra„ tre Benigno Converso in Polonia in eremo Montis-pacis pervenisse. „ Recenter recommendo in sacra suffragia R. P. D. Basilium, qui heri, „ quæ dies fuit octava novembris, apud nos paulo ante Completorium, „ provisis per prius omnibus ecclesiæ Sacramentis & durante perpessisque „ per multos annos inexplicabilibus & quasi intolerabilibus doloribus pla„ cide expiravit. Fuit vir magnæ scientiæ & doctrinæ ac pietatis, qui „ ad omnes dies anni vitas Sanctorum nostrorum, ac etiam aliorum „ conscripsit & in lucem edidit. Item vitam S. Josephi Sponsi B. M. V. „ ex idiomate Italico in Germanicum vertit, vitam sanctissimi patris „ nostri Romualdi cupreis imaginibus & Latinis versibus exornavit, præ„ terea regulas & constitutiones nostras pro conversis fratribus nostris ex „ Latino in Germanicum vertit, tacendo plura alia. Fungebatur officio „ assistentis & directoris clericorum, persæpe etiam magistri novitiorum. „ Reclusus per plures annos fuit, uno verbo dicendo vir erat religiosissi„ mus & observantissimus. Me ceteroquin gratiæ & favori, necnon et„ iam sacris ad aram precibus humillime commendo, & debita cum vene„ neratione persisto. Paternitatis suæ admodum reverendæ observandissi„ mæ. In eremo S. Josephi supra Viennam Austriæ die nona novem„ bris 1767. Fratrum in Christo indignissimus D. Hermannnus Josephy „ E. C. M. C. manu propria. “

Anno 1768. Congregatio Pedemontana eremitarum Camaldulensium orbata fuit hoc anno tribus illustribus alumnis suis. Primus, qui decessit, fuit domnus Apollinaris Chiomba, sæpe cum laude memoratus in nostris Annalibus, qui natus anno *1698.* apud S. Stephanum in Belbo, apoplexi correptus ad Deum transiit die XXVII. januarii, septuagesimo-secundo ætatis suæ anno, eremiticæ conversationis quadragesimo-nono. A primis conversionis suæ annis, sanctioris instituti & eremiticarum consuetudinum sedulus cultor, meruit toto fere vitæ suæ tempore præcipuas congregationis dignitates obtinere, prioris scilicet, visitatoris & majoris, quibus per ordinem expletis ad officium obeundum Magistri novitiorum eligebatur, & ex eo rursus assumebatur ad potiora officia. Mansuetudine & suavitate omnium corda sibi devinciebat, zelo tamen æstuans regularem observantiam in se & in aliis promovebat. Præcipuus director spirituum, alium lenitate, & caritate, alium majori animi robore ducebat. Primus ad nocturnam diurnamque synaxim, quandoque horas præveniebat, imo obtinuerat clavem ecclesiæ, ut quocumque tempore eam ingredi valeret. Delicias suas computabat in adoratione Augustissimi Sacramenti, incruentum autem Missæ sacrificium ea majestate & reverentia perficiebat, ut Angelus potius quam homo videretur. Sacri cordis Jesu devotissimus, a SS. Rituum Congregatione impetravit extensionem officii in sua Congregatione. Assiduus in piis meditationibus, & in negotiis muneris sui, non omisit utilis esse etiam posteris; quare tribus Voluminibus digessit monumenta omnia, & historiam Congregationis suæ, neque laboribus pepercit, ut ipsam illustriorem redderet, licet continuo capitis dolore gravaretur. Ipsius memoria in benedictione est apud filios suos superstites.

D. Maximus Soria e Piozzio alter fuit, qui obiit die XXIV. maji, sexaginta-sex annos natus, quorum quadraginta-quatuor vixerat in Congrega-

gregatione. Ivvenis vacavit ſtudio Medicinæ, ut rem gratam faceret parentibus, ſed a Deo vocatus ad ſolitariam vitam, medendis animi ſui paſſionibus toto vitæ tempore incubuit; nam cum indolemfacile ad iram pronam ſortitus fuiſſet, taliter ſe exercuit in ea domanda, ut manſuetiſſimus evaderet & in exemplum mitiſſimi hominis ceteris foret; quare tum ob eam dotem, tum ob raram prudentiam, qua prædītus erat, vel in ipſa florentiori triginta quinque annorum ætate electus fuit eremi prior, ſeptemque vicibus poſt neceſſaria intervalla ad eremorum regimina fuit aſſumptus, & ad Viſitatoratus officia. Orationi deditus, cuſtos regularum, erga omnes benignus, indefeſſus Divinæ Pſalmodiæ, lectioni ſacrorum librorum addictiſſimus conſenuit in domo Dei, & poſt moleſtiſſimam infirmitatem, quam patientiſſime toleravit, ad Deum tranſiit inter lacrymas & ſuſpiria ſuorum confratrum. Vide de eo, quæ diximus T. VIII. pag. 687. Tertius demum, qui ſancto fine quievit die duodecima julii, fuit D. Baſilius Nicolis. Taurini natus primo hujus ſeculi anno, patrem habuit equitem Johannem baptiſtam Nicolis de Robilant Regis Sardiniæ gentium tribunum & locumtenentem regiorum baliſtariorum, matrem vero Paulam Buſchettam. Ob rarum ipſius ingenium, & fœcundam memoriam, nec non aſſiduum ſtudium, & morum pietatem, omnium benevolentiam & admirationem ſibi conciliavit, vel in ipſis puerilibus annis, potiſſimum venerabilis P. Valfrè Congregationis Oratorii presbyteri. Juris civilis ſtudio operam dedit, laureamque promeruit, ſed vana reputans, quæcumque ſeculum ſibi offerebat, valedicens omnibus, anno 1722. in eremo Taurinenſi nomen dedit, in qua officia omnia geſſit, & ſeptem annis majoris dignitatem aſſequutus eſt. Sanctitate, prudentia & doctrina excelluit. Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & Aſceticæ vitæ magiſtrorum lectioni tempus fere omne vitæ ſuæ impendit, & licet poſt ſe reliquerit pauca admodum ſcripta, ſcribere renuit, quia quod ſcribendum erat, quotidiana operationis pagina demonſtravit, ut de S. Helladio teſtatum reliquit S. Ildephonſus; & inſuper ſpiritu humilitatis ductus igni tradidit quæcumque ad ſui ædificationem collegerat. Specimen tamen ejus ſacræ Poeſis habemus in vita S. Romualdi ab ipſo carmine concinnata, quæ ignis voracitatem evaſit, quia caute ab alio eremita detenta fuit. Caritate in Deum effuſus, aliam hujus admirabilis virtutis partem erga proximos ſtrenue adimplevit; nam cum regimen teneret eremi Cheraſci, tempore, quo circumjacens regio maxima premebatur egeſtate, & penuria rerum, præcepit, ut propter conſuetas eleemoſynas adderentur ſubſidia validiora, & inter pauperes diſtribuerentur, quæ collecta erant in horreis pro ſubſtentatione religioſæ familiæ, & paratus etiam erat ad venditionem ſacrorum vaſorum, niſi caritas ceſſaret. Nihilo tamen ſecius Deus pietatem famuli ſui abunde muneratus eſt, nam nihil defuit eremitis uſque ad novam meſſem, ſtupentibus omnibus. Alia vice, premente eadem egeſtate, cum eſſet Prior eremi Roreæ in valle Lanzi poſt plures eleemoſynas erogatas in pauperes epiſtolam ſcripſit regnanti Carolo Emmanueli, ſubſidium petens pro populo ad extremam calamitatem redacto, quam tam validis rationibus, & humillimis precibus communivit, ut ſtatim rex generoſum ſubſidium contulerit, ac epiſtolam religioſi viri ante oculos ſuos pluribus diebus ſervaverit, oſtendens eam familiaribus ſuis atque dicens: Profecto nil melius ea ſcribi poterat; Quare Baſilius ab omnibus pauperibus ejus regionis ſuſpiciebatur ut pater, eorumque liberator. Tandem fractus multis laboribus, vigiliis atque auſteritatibus, necnon

ſuper-

supervenientibus plurimis infirmitatibus podagræ, colicæ & ulceris in pede, humiliter institit, ut ad infirmariam deduceretur, ex qua asseruit se pedem amplius non retracturum, nisi aliena opera. Post annum acutissima febri correptus, devotissime sumptis ecclesiæ sacramentis placide in domino obdormivit, confratribus collacrymantibus. Videsis, quæ de Basilio perstrinximus Tomo VIII. pag. 687.

Anno 1769. Hoc anno in Siciliam commigravit P. D. Isidorus Blanchius Cremonensis ex monasterio Classis, ubi Theologiam tradebat, ut cathedram Philosophiæ moralis impleret in Academia Monte-regalensi; ubi statim dissertationem *de Immortalitate animorum* edidit, aliamque apologeticam Scientiarum & Bonarum Artium. Ejus fœtus fuit etiam Dissertatio super lapidem erutum in urbe Pompeja, quæ extat T. XV. novæ collectionis Opusculorum Calogerianorum. Similiter epistolam apologeticam in lucem protulit Bergomi anno 1766. quam retulit in suis Notitiis Literariis Lamius anno 1767. col. 14. qui etiam ab anno 1763. ad 1769. literas, vel erudita & historica monumenta ejusdem auctoris edidit. Inter hæc referendum elogium comitis Francisci Ginanni anno 1766. col. 245. alterum præsulis Camaldulensis Mauri Sarti 1766. col. 805. & 822. Petri-mariæ Domaneschi O. P. 1768. col. 473. cardinalis Æneæ Sylvii Piccolhominei 1768. col. 789. Contexuit etiam laudes canonici Octavii Turchii anno 1771. col. 54 In novo Diario sive Minerva Veneta mense martii sub num. XXV. pag. 60. edita est ipsius epistola super antiqua inscriptione. Aliæ prostant Blanchii memoriæ in notitiis literariis anni 1771. sub data Cataniæ, & modo præest directioni Diarii ecclesiastici, quod edunt Panormi socii Literati Ecclesiastici ordinis.

Prodiere hoc anno Faventiæ vitæ D. Mariannæ Gervasoni, & D. Mariæ Scholasticæ Cataneo Mediolanensium, & sanctimonialium Camaldulensium in asceterio S. Sebastiani de Fabriano, de quibus retulimus nonnulla ad annos 1744. & 1749. In præfatione legitur, quod brevi lucem aspicient aliæ Vitæ D. Mariæ Cœlestis Grandi Venetæ, quæ in pace defuncta est anno 1753. & D. Mariæ Christinæ de Petris Mediolanensis, & non Laudensis, ut irrepsit error; verum quia decesserunt ii, ex quibus tutæ & veræ notitiæ hauriri poterant, ideo necesse fuit abstinere ab iis edendis, in quibus res gestæ & virtutes earumdem Christi famularum recensebantur.

Anno 1770. Defunctus est hoc anno in eremo Camaldulensi Etruriæ D. Mannus Castellini Januensis octuaginta & sex cum dimidio annos natus, quorum quadraginta vixit in eremitica conversatione. Constantissime rigorem regulæ loci tenuit usque ad obitum. Simplicissimæ indolis nihil cupiebat, de nullo conquerebatur, omnia patientissime tolerabat, unicam suam consolationem in Deo reponens, in meditationibus Passionis Jesu-christi, & in cultu sanctissimæ Virginis, cujus erat devotissimus. Nunquam pedem traxit ex reclusione eremorum, solitudinis amantissimus. Chorum noctu dieque semper frequentavit, cui nunquam defuit, licet in decrepita ætate esset constitutus, & ob ingravescentem debilitatem quandoque in nivem prolaberetur; immo horas regulares Matutinæ synaxis præveniebat, & post matutinas preces nunquam quieti indulgebat, sed reliquum temporis in exercitiis piis & devotis impendebat. Benedictione dexteræ suæ non raro dolorem capitis levabat iis, qui eo afflictabantur. Dœmones etiam externe ipsum vexabant, quibus alacri animo resistebat. Parvo tempore ante mortem vocatus ad

majorem

majorem Etruriæ Camalduli eremum, diſtinɛte prædixit horam ſui exitus, quem lætus ſubiit die XIX. januarii hujus anni.

Anno 1771. *Decretum Ordinis Camaldulenſis. Relatis per me infraſcriptum ſecretarium humillimis precibus P. Procuratoris generalis Ordinis Eremitarum Camaldulenſium SS. D. N. Clementi PP. XIV. quibus ſupplicabat, quatenus indulgere dignaretur; ut omnes ſacerdotes tam ſeculares quam regulares ad eccleſias præfati ordinis Camaldulenſium in feſto S. Romualdi abbatis confluentes Miſſam propriam præfati Sancti eiſdem conceſſam poſſent celebrare. Et Sanctitas Sua ex ſpeciali privilegio, gratiam petitam Oratori benigne conceſſit; quibuſcumque Decretis in contrarium diſponentibus minime obſtantibus. Die 2. martii* 1771.

Fl. Cardinalis Chiſius Præf.

L. ✠ *S.* *M. Gallo S. R. C. Secretarius.*

Anno 1772. Sanctiſsimi Domini Noſtri Clementis Divina Providentia Papæ XIV. Breve quo Concordia inita inter Communitatem Ravennæ & quatuor Abbatias ejuſdem Civitatis probatur & confirmatur.

Clemens Papa XIV. Ad perpetuam rei memoriam. Juſtitiæ, ac pacis ſimul cultores ſupra univerſum Dominicum Agrum a Cœleſti Patre-Familias nullo meritorum noſtrorum ſuffragio Divinitus conſtituti, quæſtiones, & controverſiæ, inter præſertim Eccleſiaſticas perſonas, ac Noſtros, & Apoſtolicæ Sedis, etiam quoad temporalia Subditos exortæ, ut matura diſquiſitione jus ſuum unicuique tribuendo, definiantur, & abſolvantur, paterna ſollicitudine indeſinenter curare adnitimur. Quod ſi eas Divina inſpirante gratia, ac Partium communi optatæ pacis, & concordiæ ſtudio penitus dirimere feliciter contingat, omnia hac de re inter Partes ipſas provide diſpoſita, atque conventa Apoſtolicæ auctoritatis noſtræ patrocinio, dum id a Nobis petitur, libenti animo communimus, ſicuti ad Eccleſiaſticarum Perſonarum hujuſmodi perennem tranquillitatem, & ad eorumdem Subditorum perpetuam quietem in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Cum itaque, ſicut jam pridem accepimus, a dilectis filiis Communitate, & Hominibus Civitatis noſtræ Ravennaten. propter inundationes, ac ſuperiorum annorum penurias, & caritates, aliaque infortunia noviſſimis hiſce temporibus paſſa, quæ omnia difficiliorem reddiderunt publicorum onerum ſolutionem, complures promotæ fuerint quæſtiones, & controverſiæ adverſus dilectos quoque filios modernos Abbates quatuor Abbatiarum, Portus nempe, S. Vitalis, Claſſis, & S. Joannis Evangeliſtæ reſpective nuncupatar. ejuſdem Civitatis, tam ſuper eorumdem onerum quantitate, qualitate, & diſtributione, atque præterito tempore decurſorum exactione, quam ſuper Pinetis, arborumque ibidem exiſtentium inciſione, aliiſque damnis, quæ eis illata aſſerebantur; Nos prædicta omnia, quemadmodum rei gravitas poſtulabat, diſquirenda, & ſerio examinanda commiſimus particulari Congregationi ex dilecto filio noſtro Andrea S. R. E. Cardinali Nigrono nuncupat. ac nonnullis Romanæ Curiæ Prælatis conſtitutæ. Deductis itaque ex parte prædictæ Communitatis iis omnibus juribus, quæ in re hac ſibi competere autumabat, in Congregatione habita die IX. Septembris ſuperioris anni M.DCCLXXI. ſuſpenſa tunc cauſæ reſolutione, reſcriptum fuit, ut citatis omnibus intereſſe habentibus, intra ſex menſes denuo cauſa hujuſmodi proponenda eſſet. Verum ſpectata, atque eximia dilecti itidem filii noſtri Vitaliani S.R.E. Cardinalis Borromæi nuncupati in Provincia Romandiolæ, & Exarchatu Ravennæ Noſtri, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legati pietas, zelus, atque in rebus agendis peritia, & integri-

tas interim effecit, ut remotis animorum dissidiis, sublatoque ulteriori magno Partium dispendio, lis, quæ gravissima erat, felici pacis, & concordiæ exitu penitus cessaret. Propositis namque ab eodem Vitaliano Cardinali & Legato iis rationibus, quibus res hujusmodi amicabiliter componi possent, tanta in iisdem Abbatibus quatuor Abbatiarum prædictarum adinventa fuit ad tuendam, fovendamque pacem voluntas, & ad ineundam concordiam facilitas, tantus in Civitatem ipsam ab oneribus sublevendam compertus eorum animus, ut pari facilitate, ac Deputatorum ejusdem Communitatis assensu inita desuper transactio fuerit, cujus quidem vi Abbates prædicti, posthabita suorum jurium, ac privilegiorum tutela, necnon deposita omni cura defensionis, qua pro certo habebant se vindicare facile posse ab omnibus sibi oppositis criminationibus, & demonstrare coram prædicta Congregatione, nihil in Pinetis prædictis contra formam literarum alias favore Abbatiarum prædictarum a fel. rec. Sixto PP. V. Prædecessore nostro diebus XVI. Aprilis, ac XVI. Maji M.DXC. in simili forma Brevis expeditarum a se actum, seu gestum fuisse, damnaque Pinetis illata partim propter glacies, & inundationes obvenisse, partim ex magna vi procellarum ac ventorum processisse, ea, qua Viros Ecclesiasticos decet moderatione, ac tuendæ pacis desiderio non levem onerum partem sibi imponere potius voluerunt, eamdem transactionem ineundo, cujus tenor est, qui sequitur videlicet: „ Essendo „ che per le Inondazioni, e Carestie, e mortalità ed altre molte dis„ grazie degli ultimi anni, che aveano maggiormente difficoltato a Ra„ vegnani la soddisfazione de' pubblici gravissimi pesi, si fosse ridotto il „ Pubblico di Ravenna a riassumere molte pretensioni, ed altre eccitar„ ne di nuovo contro le quattro Abbazie coll' intraprendere lite forma„ le, che ora pende in Roma avanti una Sagra Congregazione partico„ lare da Nostro Signore deputata: Essendo gravissime, e di molto ri„ lievo queste pretensioni, giacchè fra le altre cose richiedeva il Pub„ blico di Ravenna un sussidio Ecclesiastico dalle quattro Abbazie, ri„ chiedeva un notabile aumento d' imposizioni sopra i loro beni per il „ sussidio triennale, e quarto aggiunto, a norma d' una pretesa antica „ concordia, altro aumento per i pesi camerali, e per le scuopriture „ camerali, che il Pubblico pretendeva provenire da mancanza d'entra„ ta della Foglietta, Archivio, e danno dato; e finalmente per i pesi „ camerali, e privilegiati imposti su' dazj, che il Pubblico pretendea „ esigere sulle Terre, oltre una considerabile quantità d' arretratti, e di „ altre pretensioni; Ed al contrario le quattro Abbazie opponevano una „ pretesa osservanza, che non si giustificassero sufficientemente i titoli „ della Comunità; i privilegj delle XI. Congregazioni, ed anche esse „ pretendevano di essere state pregiudicate in diverse imposizioni, spe„ cialmente per la differenza della moneta vecchia nella corrente, e „ perciò pretendevano de' rimborsi, e bonifici, oltre a varie altre preten„ sioni: Che perciò l'Eminentissimo, e Reverendissimo Signor Cardina„ le Borromeo Legato di Ravenna, volendo accrescere altre beneficen„ ze alle molte già compartite alla suddetta Città col procurare un „ amichevole accomodamento, e una perpetua, e stabile concordia fra „ il Pubblico di Ravenna, e le suddette quattro Abbazie, si è preso „ tutto il pensiero di persuadere le due Parti a venire a questa tanto ne„ cessaria concordia, facendo lor vedere il dubbio evento delle Liti, la „ gravezza delle spese, e molti altri gravissimi pregiudizj; ed avendo ri„ trovato ne' Deputati della Città, e ne' Superiori delle quattro Abba-

„ zie

„ zie tutta la facilità, e disposizione, dopo molti congressi, e riflessioni
„ gli è riuscito d' effettuare questa concordia co' seguenti patti, e condi-
„ zioni, la quale per maggior cautela sarà approvata dalli rispettivi De-
„ putati, dal Generale Consiglio, dalli Capitoli de' sopradetti Monaste-
„ rj, e convalidata espressamente colle facoltà di Sua Eminenza Lega-
„ to, e con quelle più particolari, che a questo oggetto otterrà da
„ Nostro Signore. "

C A P I T O L I

Di accordo tra l' Illustrissimo Pubblico di questa Città di Ravenna, e le quattro Reverendissime Abbazie di essa Città.

I. „ CHe sieno le quattro Reverendissime Abbazie gravate in due
„ Terzi d' Estimo Dominicale della loro possidenza, come tut-
„ ti i Laici della stessa Città, di modo che tra gli uni, e le altre per
„ questi due Terzi non corra la minima differenza per le infrascritte con-
„ tribuzioni, che si esigono sotto i seguenti titoli delle Terre, cioè tre
„ bajocchi, dieci denari, e due quinti per staro d' estimo sotto titolo di
„ Sussidio Triennale, un bajocco, cinque denari, e due quinti sotto il
„ titolo di Quarto aggiunto, un bajocco, undici denari, e un quinto sot-
„ to titolo di pesi Camerali, un denaro per la Paglia, e due bajocchi, e
„ nove denari sotto titolo di supplemento allo smanco d' entrata Came-
„ rale.

II. „ E perchè non nasca difficoltà sopra il Quarto aggiunto di sopra no-
„ minato, che da' Laici si paga per la loro tangente sopra la macina,
„ e dagli Ecclesiastici, e Forastieri sopra il Terratico, si conviene, che
„ le quattro Abbazie per seguitare la proporzione co' Laici paghino in
„ avvenire quella imposizione, che corre sotto nome di Quarto aggiunto
„ per la somma d' un bajocco, cinque denari, e due quinti sopra ciasche-
„ duno staro d' estimo di due terzi del loro estimo Dominicale.

III. „ In correspettività poi di tale stabilimento sopra i pesi imposti
„ sulle Terre, l' Illustrissimo Publico usando di quel riguardo, che ha
„ sempre dimostrato alli Beni Ecclesiastici, non dissente d' accordare a
„ dette quattro Reverendissime Abbazie per l' altro terzo di estimo di
„ possidenza Dominicale ogni e qualunque esenzione da tutti, e singoli
„ pesi imposti, e da imporsi, fuori che nel caso di speciale determinazio-
„ ne Pontificia, e fuorchè dal privilegiatissimo di Fuste, e Contagio; al
„ qual peso dovranno concorrere le quattro Abbazie per l' avvenire sopra
„ tutto l' intiero estimo Dominicale, come gli altri possidenti Laici, ed
„ Ecclesiastici. Per l' aggravio del Bollo estinto di cinque denari per sta-
„ ro d' estimo, sebbene anch' esso privilegiatissimo, nè controverso, e sem-
„ pre pagato delle quattro Abbazie, si conviene a contemplazione di
„ questa Concordia, che in avvenire debbano pagarlo sopra i due soli
„ terzi del loro estimo Dominicale, vale a dire, debbano godere anche
„ di questo l' esenzione del terzo, come sopra tutti gli altri pesi impo-
„ sti, e da imporsi colla riserva come sopra.

IV. „ Per la Colletta Liti, si conviene, che per le spese, che si do-
„ vranno fare in avvenire per le Liti, debbansi queste levare dalle ris-
„ pettive casse, che ne sentono comodo, o incomodo, riservandosi però
„ di continuare il metodo presente per le spese, e funzioni fin ad ora
„ seguite per le diverse liti di questo Pubblico, a condizione però, che

„ nel ripartimento che si farà nel modo, e maniera che si è praticato
„ sino al presente, cioè sopra la lira d'estimo in generale, le quattro
„ Reverendissime Abbazie debbano godere l'esenzione del terzo, come
„ sopra degli altri pesi.

V. „ Per l'imposizione della Tassa per le spese del riattamento, e
„ mantenimento delle Strade Consolari, e pubbliche, e de'Ponti si con-
„ viene, che le quattro Abbazie debbano in avvenire essere grava-
„ te solamente per due terzi di tutto il loro generale estimo Domini-
„ cale.

VI. „ Quanto poi a tutti li Dazj applicati al Camerale, diversione
„ de'Fiumi, nuove imposizioni, o sia Marabottina, Canale Naviglio
„ concorreranno le quattro Abbazie, come tutti gli altri Laici, ed Ec-
„ clesiastici, quali Dazj applicati alle suddette cause, secondo la Tabel-
„ la dell'anno 1770. sono le seguenti, cioè tutti li Dazj ec.; riguardo
„ poi agli altri Dazj comunitativi risultanti dalla Tabella dell'anno 1770.
„ e che in avvenire si potessero imporre, che sono li seguenti, Festa,
„ Vetri ec. questi si dovrannno interamente godere dalle quattro Re-
„ verendissime Abbazie, come hanno sempre goduto, e che de jure de-
„ vono godere.

VII. „ Si accorda alle quattro Reverendissime Abbazie Monastiche l'
„ esenzione d'una parte del Dazio del Pesce intitolato: *Tre Dazj del-
„ la Pescaria, e due quattrini a libbra di Pesce che si estrae*, cioè de'
„ soli due quattrini a libbra per l'estrazione del loro Pesce, giacchè per
„ il rimanente di questo Dazio, e per gli altri due Dazj del Pesce do-
„ vranno interamente pagarli, come gli altri Ecclesiastici, e Secolari.

VIII. „ Si dichiara, e si conviene che per i pesi imposti sopra gli af-
„ fitti di Case, e Magazeni debbano pagare le quattro Abbazie due
„ terzi solamente di questa imposizione, a riserva dell'altra imposizione
„ imposta sopra gli Affitti di Case, e Magazeni per Fuste, e Contagio che
„ debbano pagarla interamente.

IX. „ Per il Dazio del legname si conviene, che quantunque fino al
„ giorno d'oggi si sia goduto dalle quattro Abbazie, ciò non ostante
„ colla presente s'accorda anche per patto alle medeme la generale esen-
„ zione di tutti i loro legnami che estrarranno, o da per loro, o per
„ mezzo del primo Compratore, quando anche detti legnami fossero la-
„ vorati, oppure ridotti in carbone, purchè però sempre l'estrazione si
„ faccia dal primo Compratore, e purchè sia riservato il solito Dazio del
„ Canale, e che detti legnami sieno levati dai proprj beni di dette Abbazie.

X. „ Caso che per la diversione de'Fiumi occorressero gravi spese, e
„ fosse necessario imporre una Tassa sopra le Terre di tutto il Territorio,
„ debbano le quattro Abbazie in tal caso pagare la detta Tassa sopra tut-
„ te le sue stara d'estimo come gli altri Possidenti.

XI. „ Che l'estimo Rusticale delle quattro Abbazie debba essere gra-
„ vato di tutte le Tasse, ed Imposizioni, come quello degli altri Ec-
„ clesiastici e Laici.

XII. „ Si dichiara, che tanto per li due Terzi da gravarsi, quanto
„ per l'altro Terzo da rimanere esente, debbasi continuare lo stesso siste-
„ ma in caso di qualunque accrescimento, o diminuzione degli Estimi, ri-
„ sultante però unicamente, o per nuovi bonifici, o per compre di nuo-
„ vi Fondi, o per partite che fossero di presente mancanti in Catastro:
„ per quel di più che venisse aumentato, dovrassi sempre regolare colla
„ proporzione de'due Terzi da aggravarsi, ed un Terzo da esentarsi, e nel

„ caso

„ caſo contrario d' alienazione, o deterioramento d' Eſtimo per cagione
„ di rotte, o d' altro, ſi dovranno ſgravare affatto.

XIII. „ Si riſerva l' Illuſtriſsimo Pubblico di poter fare deſcrivere a
„ Cataſtro e gravare come ſopra, ſe vi ſono, partite di Terra delle
„ quattro Abbazie, che non ſieno deſcritte nel Cataſtro corrente, e non
„ compreſe nella Nota, o ſia aſſegna data dalle Abbazie in queſta Can-
„ cellaria Arciveſcovile di Ravenna l' anno 1721. ſopra il frutto de' quali
„ Terreni ha già fatto il ſuo Laudo l'Eminentiſsimo Fantuzzi, ſopra del-
„ le quali non abbia a promoverſene dall' Illuſtriſsima Comunità più alcu-
„ na controverſia, e trovandoſi partite da accataſtrarſi, queſte dovranno
„ aggravarſi nel modo, e forma, come ſi è detto di ſopra, obbligandoſi
„ però l' Illuſtriſsimo Pubblico di fare l' iſteſſe diligenze ſopra i Beni poſ-
„ ſeduti da i Laici per ritrovare, e rinvenire ſe hanno Beni; che non
„ ſiano accataſtrati, e caſo che ne veniſſero ritrovati Beni poſſeduti da'
„ Laici della natura di quelli, che ſi pretendono accataſtrarſi dagli Ec-
„ cleſiaſtici, farli deſcrivere nel Cataſtro, ed aggravarli, come reſtano
„ aggravati tutti i Beni degli altri Laici.

XIV. „ Che ſi debba al più preſto che ſarà poſsibile, venire alla con-
„ fezzione tanto neceſſaria del nuovo Cataſtro, e che per le ſpeſe, che
„ potranno occorrere per il medemo, debbano le quattro Abbazie con-
„ correre per tutta la loro poſſidenza come gli altri Eccleſiaſtici, e Lai-
„ ci, a riſerva però delle Pignete, Staggi, Valli, ed altro compreſi nel
„ Laudo del detto Eminentiſſimo Fantuzzi, per i quali non intendono
„ concorrere.

XV. „ Che nel preſente accordo non s' intendano compreſi i Beni del-
„ la Reverendiſſima Abbazia di S. Vitale, che poſſiede nella bonifica-
„ zione Gregoriana, ſopra i quali cadono altre iſpezioni.

XVI. „ Che eſpreſſamente s' intendano accettati dalle quattro Abba-
„ zie i due Laudi dell' Eminentiſſimo Fantuzzi, e che le ſuddette Ab-
„ bazie debbano entro il termine di tre anni, ogni anno una rata, co-
„ minciando dal preſente anno 1772. aver pagato in mano del Depo-
„ ſitario il loro debito, a cui nell' ultimo Laudo ſono condannate, per-
„ chè dalla Comunità ſe ne poſſa e debba eſtinguere tanti debiti.

XVII. „ E perchè ſia tolta qualunque difficoltà nell' eſigenza del Da-
„ zio della Carne, ed anche per dare qualche ſollievo agli aggravati
„ Poveri, e che anch' eſſi poſſano ſentir ſubito il vantaggio di queſto
„ accomodamento, ſi conviene, che il Pubblico levi, ed eſtingua il Da-
„ zio ſopra la carne d' annua rendita di Scudi 349. applicati al ſagro
„ Numero, e che a queſta ſpeſa, finito il preſente Appalto, debba con-
„ tribuire l' Illuſtriſſimo Pubblico con effetti della Caſſa Comunitativa.

XVIII. „ Che s' intenda dalle Parti rinunziato a qualunque pretenſio-
„ ne d' arretratti per qualunque titolo poteſſero eſſerſi formati, e qua-
„ lunque altra pretenſione, e pendenza di Lite fin' ora moſſa in corriſ-
„ pettività del preſente accordo, e nuovo ſiſtema da incominciare in
„ queſto corrente anno 1772. intendendoſi che qualunque ſia l' eſito del-
„ la cauſa delle XI. Congregazioni colle Comunità dello Stato Eccle-
„ ſiaſtico, non ſi debba punto mutare il preſente ſiſtema, o ſia conven-
„ zione.

XIX. „ Riſpetto alle Pignette, ſi debba ſtare in tutto, e per tutto
„ alle diſpoſizioni della Bolla Siſtina, e ſue dichiarazioni fatte fino al
„ principio della pendente controverſia ultima, laſciando ciaſcheduna Ab-
„ bazia in quel poſſeſſo, che ſi trova riſpetto al jus paſcendi, & lignan-

„ di,

„ di, e che le Abbazie diano mano sempre più al ristauramento delle
„ suddette Pignette, e a tenerne lontani tutti i pregiudizj.

XX. „ Volendo le suddette quattro Reverendissime Abbazie con il „ Clero di questa Città dividere le Casse, cioè la loro da quella de' „ Laici, si accorda di poterlo fare, colle necessarie però ispezioni, e cau„ tele, che in tal caso dovranno farsi. Si conviene parimenti, che re„ sti confermata, e nel suo vigore la Visita Farsetti in tutto ciò, che „ non osta alla presente Capitolazione.

XXI. „ Intendono però le quattro Reverendissime Abbazie, che que„ sta convenzione sia a contemplazione del totale del presente accordo, „ non intendendo di far pregiudizio a' diritti e privilegj delle XI. Con„ gregazioni contro chiunque, i quali, fuori della presente convenzione „ coll' Illustrissima Comunità di Ravenna, e della corrispettività di quan„ to hinc inde si accorda, rimangano nel totale loro vigore.

„ *D. Marco Castelli Abbate di Porto affermo, e m' obbligo quanto sopra* „ *mano propria.*

„ *D. Gio: Benedetto Bianchi Abbate del Monastero di S. Vitale affermo,* „ *e m' obbligo quanto sopra mano propria.*

„ *D. Giovanni Antonio Siboni Abbate di Classe affermo, e m' obbligo a* „ *quanto sopra mano propria.*

„ *D. Gio: Battista Guaccimanni Abbate di S. Gio: Evangelista affermo, e* „ *m' obbligo a quanto sopra mano propria.*

„ *Marco Conte Fantuzzi Deputato dall' Illustrissimo Magistrato affermo,* „ *e mi obbligo quanto sopra mano propria.*

„ *Demofonte Lovatelli Deputato affermo, e m' obbligo quanto sopra ma-* „ *no propria.*

„ *Lodovico Preti Pompilj Deputato affermo, e m' obbligo a quanto so-* „ *pra mano propria.*

Nuper autem exponi Nobis fecerunt tam Communitas, & Homines dictæ Civitatis, quam moderni Abbates earumdem Abbatiarum, quod ipsi, ut Concordia, seu Transactio hujusmodi firmius, ac in perpetuum subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Vitaliani Cardinalis & Legati zelum, dexteritatem, pietatem, ac in pace inter Partes hujusmodi procuranda solertiam maxime in Domino commendantes, eorumdemque Abbatum quatuor Abbatiarum prædictarum, aliis etiam ex causis de Civitate prædicta jam benemeritarum, æquitatem, docilitatem, & facilitatem, & in ea sublevanda studium, simulque eorumdem Deputatorum, aliorumque Consiliariorum dictæ Communitatis æquale pacis, & concordiæ, ac publicæ utilitatis desiderium plurimum collaudantes, ipsorum Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares Personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; præinsertam Transactionem, seu Concordiam cum omnibus, & singulis

gulis in ea contentis, & expressis auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque perpetuæ, inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, & sanamus. Per præsentes tamen, cum omnibus, & singulis in dicta Transactione, seu Concordia statutis, & expressis, nullum jus auctum, aut imminutum, nec ullum præjudicium quomodolibet illatum esse intelligimus, & declaramus omnibus aliis Communitatibus Status Nostri Ecclesiastici, ac respective omnibus aliis Monasteriis, & Abbatiis XI. Congregationum nuncupatarum tam in causis usque adhuc, sive coram Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Bono Regimini Communitatum, & Civitatum Status Nostri Ecclesiastici Præpositoram, sive coram aliis Judicibus quibuscumque promotis, & pendentibus, quam imposterum quandocumque promovendis, sed eorum respective jura prædicta salva, & illæsa permanere debere statuimus, atque præscribimus. Decernentes ipsas præsentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit dictarum Abbatiarum, earumque Ordinum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo, ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XI. Aprilis M.DCC.LXXII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

A. Card. Nigronus.

Anno 1772. Sacra Rituum Congregatione Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinale Boschio Ponente. Romana Adprobationis Orationum & Lectionum propriarum II. & III. Nocturni S. Silviæ Viduæ, & SS. Tharsillæ & Æmilianæ Virginum, nec non extensionis & adprobationis Lectionum propriarum sancti Felicis III. papæ & confessoris.

Memoriale cum Lectionibus.

„ Eminentissimi Signori. Nel Monasterio di S. Gregorio in Monte-
„ celio, casa una volta e abitazione della Nobilissima famiglia del Gran-
„ de Pontefice, e Dottore S. Gregorio, fuori della Festa di S. Grego-
„ rio stesso, e l' altra di S. Silvia Madre del medesimo non si fa al-
„ cuna commemorazione, o celebrità degli altri Santi di quella illustre
„ famiglia: anzi di Santa Silvia si recita bensì l' offizio di rito doppio
„ semplice, ma tutto del comune delle SS. nè Vergini, nè Martiri.

„ Ri-

„ Riflettendo l' Abate Claustrale di detto Monastero essere cosa ben
„ convenevole, che li Santi siano venerati principalmente ne'luoghi lo-
„ ro proprj, e dove hanno tenuta l' abitazione, come fu antico costu-
„ me della Santa Chiesa, e che le loro gesta siano proposte alla imi-
„ tazione, e devozione di quei singolarmente, che abitano ne' medesi-
„ mi santi luoghi, supplica con la maggior riverenza l' EE. VV. a vo-
„ ler' innalzare al rito doppio maggiore la festa di S. Silvia, approvando-
„ ne benignamente la Orazione propria, e le lezioni, che quì si uni-
„ scono, cavate dalle Opere dello stesso S. Gregorio, e da Paolo, e
„ Gio: Diaconi, e da altri sicuri monumenti, indicati nelle note sot-
„ toposte alle suddette lezioni. In secondo luogo a voler permettere
„ al Monastero medesimo di S. Gregorio di celebrare almeno sotto ri-
„ to doppio semplice la Festa di S. Felice III. Sommo Pontefice, e
„ Atavo di S. Gregorio, estendendo al detto Monastero le lezioni pro-
„ prie di detto Santo Pontefice già approvate per le Basiliche, la di cui
„ memoria dall' universal Chiesa si celebra il dì 25. Febbrajo, o 26.
„ correndo l' anno bisestile; lasciando però la sesta lezione, che servirà
„ in parte per le lezioni delle SS. Tarsilla, ed Emiliana, e in quella
„ vece recitando parte di un discorso di San Gregorio nel lib. 20. de'
„ suoi Morali. In terzo luogo di concedere al detto Monastero di ve-
„ nerare sotto il rito doppio la memoria delle due Zie del S. Pontefi-
„ ce, cioè Tarsilla, ed Emiliana, approvandone similmente la Orazio-
„ ne, e le lezioni proprie cavate esse pure dalle Opere del Santo Pon-
„ tefice. E perchè il giorno della morte di S. Tarsilla cade secondo il
„ Martirologio, e secondo che lasciò scritto il grande Nipote li 24. di
„ Decembre, quello di S. Emiliana li 5. Gennajo, supplicansi in oltre
„ l' EE. VV. a compiacersi di assegnare per ambedue le Sante il dì 20.
„ di Marzo giorno non impedito in tale Monastero da festa di rito
„ maggiore. "

Che della Grazia ec.

Pietro Lazzarini.

Lectiones pro secundo Nocturno. In Festo S. Silviæ.
Die 5. Novembris.

Lectio V.

Silvia (*a*) nobilis Romana Gordiani inter Senatores Urbis clarissimi Uxor ea fuit morum sanctitate, quam gloriosa Filiorum merita mi-
rifice

(a) Paulus Diaconus in vita S. Gregorii Papæ Cap. I.
Gregorius hac Urbe Romana patre Gordiano, matre vero Silvia editus non solum de spectabili Senatorum prosapia, verum etiam religiosa originem duxit.

Johannes Diaconus in vita S. Gregorii Papæ L. I. Cap. I.
Gregorius genere Romanus, arte Philosophus, Gordiani viri clarissimi, & beatæ Silviæ filius præfuit Romanæ Sedi annos tredecim .... Iste Senatoria stirpe progenitus tam nobilissimam, quam etiam religiosissimam genealogiam duxit.

Maurini Patres vitam S. Gregorii, quam ipsi adornarunt, tomo IV. operum S. Gregorii exordiuntur.

Gre-

rifice commendarunt. Duos enim (*b*), quos ex conjugio suscepit filios, ita verbo & exemplo ad virtutem & religionem instituit, ut eorum alter Palatino Patriciatu functus, Urbisque Præfectura, pietatis quoque suæ monumenta reliquerit, celebri Sancti Hermæ Monasterio constructo: alter vero Summus Pontifex, ac Doctor Ecclesiæ præstantissimus Gregorius eam sibi doctrinæ ac Sanctitatis laudem comparaverit, quam nulla umquam ætas conticescet, Magni cognomento ab universa Ecclesia merito insignitus.

Lectio VI.

QUo tempore Gregorius in Monasterio Sancti Andreæ ad Clivum Scauri morabatur, Silvia (*c*) mundo valedicens secessum sibi de-

---

Gregorius cognomento Magnus Romæ in lucem editus est parentibus non minus splendore generis, quam morum integritate ac sanctitate illustribus.

Baronius ad annum Christi 581. num. 4. ait.

Acturi de Gregorii Papæ primordiis, de genere prius aliqua veluti præludia præmittenda putamus ... Fuisse illi patrem nomine Gordianum, matrem vero Silviam appellatam, eosdemque pietatis cultores, omnes æque consentiunt: sed excelluisse Silviam sanctitate, meruisseque inter Sanctos adnumerari Ecclesiasticæ tabulæ fidem faciunt.

Baronius citato loco.

Institutum vero (Gregorium) *fuisse optimis moribus, & in domo sancta inter Sanctos sanctitudine æque imbutum fuisse par est credere.*

(b) S. Gregorius lib. 1. epist. 44. Petro Subdiacono scribit in hæc verba:

Agimus autem gratias sollicitudini tuæ, quia de causa fratris mei præcepi tibi, ut argentum illius transmisisse debuisses.

Item lib. 9. ep. 98. ad Theodorum Ravennæ Curatorem.

Sed si tantum est, gloriosum fratrem nostrum, vel de Episcopis unum aut certe Archidiaconum subscribere faciemus.

Item lib. 10. ep. 51. ad Leontium Ex-consulem.

Quæ (cautio videlicet, qua Libertinus ad Præfecturæ dignitatem accesserat) *a glorioso fratre meo Palatino Patricio ... mihi subtiliter insinuata est.*

Item lib. 14. ep. 2. ad Vitalem Defensorem Sardiniæ.

Causa præterea de Monasterio Sancti Hermæ, quod a fratre nostro constructum est.

Gregorius Turonensis lib. 10. histor. rerum Francicarum ad annum xv. Regis Childeberti ordinationem describens S. Gregorii in Romanum Pontificem cap. 1. ait.

Sed Præfectus Urbis Romæ germanus ejus (Gregorii) *anticipavit nuntium.*

(c) Joannes Diaconus ubi supra cap. 9.

In hujus Sacri Monasterii (S. Andreæ ad Clivum Scauri) *penetralibus idem vir omnipotentis Dei Gregorium a Matre Silvia tunc temporis juxta portam beati Pauli Apostoli loco, qui dicitur Cella-nova, quo hactenus oratorium nomini ejus dedicatum est, & famosum S. Sabæ Confessoris Christi Monasterium ..... degente, crudis leguminibus pascebatur.*

Maurini Patres ubi supra lib. 1. cap. 1. num. 2.

Silvia

legit juxta Portam S. Pauli in Cella-nova nuncupato, ubi abdicatis (*d*), quibus affluebat bonis, severioris vitæ genus amplexa est, tota carnis macerationi, & rerum cælestium contemplationi intenta. Erat ei abstinentia ciborum assidua; nec nisi cruda legumina (*e*) lautiorem parabant mensam. Tanta vero sedulitate orandi tenebatur, ut jam perpetuo in cælis versari videretur: digna propterea, quæ Sanctæ Tharsillæ Fratriæ suæ adesse meruerit, quum (*f*) festivo Christi occursu in hora sui exitus donata est.

Lectio VII.

VItam in seros (*g*) usque annos traduxit Silvia, & meritis cumulavit ingentibus: quorum ne interiret memoria, & piissimæ Matris suæ exemplo ad christianam perfectionem traherentur fideles, illius imagi-

---

Silvia Mater Gregorii mundo valedicens ... juxta portam S. Pauli Apostoli secessum sibi delegit loco &c.

(d) De Donationibus factis a S. Silvia bonorum suorum sic loquitur Mabillonius Annal. Benedict. lib. 8. numer. 44. ad annum Christi 592. *Honorato Sublacensi Abbati munificum se præbuit Gregorius, quippe qui cum Matre sua Silvia Castrum Appollonium eidem loco, & multa alia bona contulisse traditur Honorato Abbate.*

Chronicon Sublacense editum a Muratorio tom. 24.

Scriptorum rerum Italic. col. 929. sic loquitur.

Temporibus prædictis gloriosissimus Pontifex Gregorius cum beata Silvia Matre sua, Castrum, quod Apollonium dicitur, prænominato transtulit loco, ac alia multa bona, ut habetur in Privilegio dicti beati Gregorii.

Privilegium autem extat in eodem Chronico apud eumdem Muratorium coll. 945., & 946., ubi hæc leguntur.

Gregorius ... præterea de mea hæreditate consentiente Matre mea nomine Silvia, dono, & concedo ... pro Cœnobii sustentatione tibi supradicto Honorato .... idest Massam Apollonii &c.

Donationis hujus habetur confirmatio in diplomate Nicolai Summi Pontificis circa annum 864. apud eumdem Muratorium tom. 5. Antiquit. medii ævi differt. 65. coll. 469. 470., & 471.

Concedimus etiam, & confirmamus, sicut a beata Silvia concessum est, Castellum integrum, quod dicitur Apollonii, cum Ecclesiis &c.

Annales Camaldulen. tom. 1. pag. 68. sic loquuntur.

Affertur in serie Abbatum (Monasterii S. Andreæ in Clivo Scauri) *& Maximus, cui donatam Massam Claudianam, & Decimanam cum Castello, & pertinentiis suis a Silvia Gregorii Matre die 29. Maji anno 603. tradunt, & auctoritate nituntur exempli anno 1297. die 10. Augusti. Qualis est, legitur interpolata, non commentitia, ut nos putamus, postremo loco ad calcem nostræ Appendicis Silviana donatio ..... superaddimus Anastasium Abbatem S. Gregorii anno 1115. producto instrumento donationis S. Silviæ evicisse causam adversus Scholam Piscatorum Stagni coram Paschale Papa II., ut patet ex eodem Gregoriano Codice pag. 71.*

(e) Vide verba Johannis Diaconi supra lit. c.

(f) Rem narrat S. Gregorius hom. 38. in Evangelia, cujus verba habentur in Lectionibus SS. Tharsillæ, & Æmilianæ, quæ hic subsequuntur.

(g) Vide subsequentem descriptionem imaginis S. Silviæ lit. h.

imaginem (*h*) in atrio Monasterii sui beatus Gregorius depingi curavit, hoc apposito themate: Gregorius Silviæ Matri fecit. Refert autem Johannes Diaconus, Psalmorum librum in ejusdem imaginis manu collocatum fuisse cum illis verbis: Vivet anima mea, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me: quo nempe significaretur Silviam totam in Dei laudibus vitam transegisse, atque a terrenis omnibus abstractam solum Deum posuisse adjutorem suum.

Lectio VIII.

EOdem studio, ac devotione permoti fideles (*i*) locum Cellæ-novæ, ubi habitaverat Silva, in Ecclesiam sub ejus nomine erexerunt, ac religioso cultu sunt prosecuti, magna quoque ipsius Reliquiis (*k*) vene-

(h) Johannes Diaconus in vita S. Gregorii lib. 4. cap. 83.

In cujus venerabilis Monasterii (S. Andreæ supra memorati) *atrio jussu Gregorii juxta nymphium duæ iconiæ veterrime artificialiter depictæ usque hactenus visuntur ..... in altera Mater Gregorii sedens depicta est Silvia candido velamine a dextro humero taliter contra sinistram revoluto contecta, ut sub eo manus tamquam de planeta subducat: & circa pectus sub gula inferior tunica pseudolactini coloris appareat, quæ magno sinuanime super pedes defluat duabus zonis ad similitudinem dalmaticarum, sed latioribus omnino distincta: statura plena, facies rotunda quidem, & candida, sed senio jam rugosa, quam ipsa quoque senectus pulcherrimam fuisse significat: oculis glaucis, & grandibus, superciliibus modicis, labellis venustis, vultu hilari, ferens in capite matronalem mitram candentis brandei raritate niblatam: duobus dexteræ digitis signaculo crucis se munire velle prætendens; in sinistra vero patens psalterium retinens, in quo hoc scriptum est:* Vivet anima mea, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me. *A dextro vero cubito usque ad sinistrum circa scapulas versus ascendens reflectitur, qui ita se habet:* Gregorius Silviæ Matris fecit.

(i) Vide verba Johannis Diac. supra lit. c. & infra inscriptionem Baronii.

(K) Inscriptio marmorea, quam Annalium Ecclesiasticorum Parens Card. Baronius ad Capellam S. Silviæ in Clivo Scauri dedicatam, incidendam curavit, quæque adhuc extat integerrima.

Sacræ memoriæ Sanctæ Silviæ restitutæ.

Silvia S. Gregorii Magni Rom. Pont. Mater egregia claruit Sanctitate. Nam adhuc viventem ob ejus insignia vitæ merita beatam Angelus prædicavit. Post obitum vero idem S. Gregorius perpetuæ ejus memoriæ sacram imaginem dedicavit, cujus & nomen semper sanctitatis titulo insignitum publicis monumentis est ad posteros propagatum, & sacræ reliquiæ cultæ. Ejus quoque nomine Ecclesia apud S. Sabam in loco Cella-nova dicto in Urbe antiquitus structa cultu Sanctis debito frequentata est, quam injuria temporum dirutam, & oblivione sepultam ita jacere indignum pietate christiana ratus Cæsar Baronius tit. SS. Nerei, & Achillei Presbyter S. R. E. Cardinalis hic opportunius in sacris Filii ædibus restituendam curavit, ubi & ejus statuam antiquo decoram schemate collocavit, & Altare reliquiis ipsius in eo conditis consecravit die v. *Novembris, qua & ejus memoria anniversaria solemnitate celebratur, plenaria concessa ea die locum visitantibus indulgentia anno salutis* M. DC. IV. *D. N. Clementis Papæ VIII. Anno* XIII.

Mar-

ratio impensa. Sed eam Ecclesiam injuria temporum dirutam (*l*) & oblivione sepultam Cæsar Baronius Tituli Sanctorum Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis, & Monasterii Sanctorum Andreæ, & Gregorii ad Clivum Scauri Abbas (*m*) Commendatarius, ne tam illustre pietatis argumentum excideret, in Sacris Filii ædibus restituendam opportunius curavit, ubi & Statuam collocavit antiqua referentem Sanctitatis insignia, & Altare conditis in eo Silviæ Reliquiis dedicavit anno millesimo sexcentesimo quarto die quinta Novembris, qua ipsius memoria anniversaria solemnitate celebratur.

PRO TERTIO NOCTURNO.

Lectio IX.

Lectio S. Evangeli secundum Lucam. (*n*)

IN illo tempore, Intravit Jesus in quoddam Castellum, & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ. (*o*)

QUi culmen apprehendere perfectionis nituntur, cum contemplationis arcem tenere desiderant, prius se in campo operis per exercitium probent: ut sollicite sciant, si nulla jam mala proximis irrogant; si irrogata a proximis æquanimiter portant; si objectis bonis temporalibus, nequaquam mens lætitia solvitur; si subtractis, non nimio mærore sauciatur: ac deinde perpendant, si cum ad semetipsos introrsus redeunt, in eo, quod spiritualia rimantur, nequaquam secum rerum corporalium umbras trahunt, vel fortasse tractas manu discretionis abigunt; si incircumscriptum lumen videre cupientes, cuncta circumscriptionis suæ imagines deprimunt; & in eo, quod super se contingere appetunt, vincunt, quod sunt.

Lectio X.

ACtionis (*p*) namque tempus primum est, contemplationis extremum: Unde necesse est, ut perfectus quisque prius virtutibus mentem exerceat, atque hanc postmodum in horreum quietis condat. Hinc est enim, quod Jacob pro Rachel servit, & Liam accipit, eique dicitur: non est consuetudinis in terra nostra, ut minores ante tradamus ad nuptias, quam majores. Rachel namque visum principium; Lia autem

---

Martyrologium Romanum sub tertio Nonas Novembris.
Romæ S. Silviæ Matris S. Gregorii Papæ.

(l) Vide suprascriptam Baronii inscriptionem.

(m) Annal. Camaldulen. tom. VIII. lib. 74. n. 25. ad annum 1602. *Sublato Cardinale Antonio Maria Salviato Abbate Commendatario Monasterii S. Gregorii de Urbe ..... Alter eruditione, & munificentia haud impar Commendatarius Abbas a Clemente VIII. substituitur Cæsar Baronius tituli SS. Nerei, & Achillei Presbyter Cardinalis.*

(n) Cap. 10.

(o) Ex libro VI. Moralium S. Gregorii Papæ in cap. quintum Job. n. 59.

autem laboriosa dicitur. Et quid per Rachelem, nisi contemplativa, quid per Liam, nisi activa vita designatur? In contemplatione quippe principium, quod Deus est, quæritur; in operatione autem sub gravi necessitatum fasce laboratur.

Lectio XI.

UNde (q) & Rachel pulchra, sed sterilis; Lia autem lippa est, sed fæcunda; quia nimirum mens cum contemplandi otia appetit, plus videt, sed minus Deo filios generat: cum vero ad laborem se prædicationis dirigit, minus videt, sed amplius parit. Post Liæ ergo complexus ad Rachelem Jacob pervenit; quia perfectus quisque ante activæ vitæ ad fæcunditatem jungitur, & post contemplativæ ad requiem copulatur. Quia enim contemplativa vita minor quidem tempore, sed merito major est, quam activa, sacri Evangelii verbis ostenditur, in quo duæ mulieres diversa egisse referuntur.

Lectio XII.

MAria quippe (r) Redemptoris nostri verba audiens ad pedes illius residebat: Martha autem corporalibus ministeriis insistebat. Cumque contra Mariæ otium Martha quæreretur, audivit: Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima: porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Quid enim per Mariam, quæ verba Domini residens audiebat, nisi contemplativa vita exprimitur? Quid per Martham exterioribus obsequiis occupatam, nisi activa vita signatur? Sed Marthæ cura non reprehenditur, Mariæ vero etiam laudatur, quia magna sunt activæ vitæ merita, sed contemplativæ potiora: unde nec auferri umquam Mariæ pars dicitur, quia activæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplativæ autem gaudia melius ex fine convalescunt.

Oratio.

DEus cœlestium dispensator donorum, qui famulam tuam Silviam a seculo abductam tibi soli vivere, ac te perpetuo laudare voluisti, fac nos ejus precibus, & imitatione tibi firmiter adhærere, & in confessione tui nominis semper inardescere. Per Dominum nostrum.

Missa Cognovi *de Communi nec Virginis, nec Martyris. Oratio propria. Epistola.* Viduas honora *de Communi. Evangelium ut in die Assumptionis B. M. V., reliqua de eodem Communi.*

Lectiones pro secundo Nocturno. In festo S. Felicis III. Papæ, & Confess.

Die 25. vel 26. Februarii anno bissextili.

Lectio V.

FElix III. Patria Romanus (s), natus ex nobilissima domo Anicia, & Divi Gregorii Magni Atavus, post Simplicium Papam ad Summi

(p) Ibidem num. 60., & 61.
(q) Ibid. eod. num. 61.
(r) Eodem num. 61.
(s) Hæ duæ lectiones propriæ reperiuntur in libro cui titulus = *Proprium SS. Rom. Pontificum, & aliorum pro Sacrosancta Romana Cathedrali*

mi Pontificatus apicem est evectus. Hic mira animi constantia, tametsi Roma sub Erulis Arianis propemodum captiva videretur, aliique Patriarchæ conciliationem Zenonis Imperatoris approbassent, solus illi non communicavit. Ejusdem de Fide edictum promulgantis audaciam fortiter repressit. Petrum Fullonem Patriarchatu Antiocheno dejecit. Acacium Constantinopolitanum Episcopum Romam venire coegit, ut contra eum objectis in Apostolicæ Sedis judicio responderet, ac in eumdem sententia excommunicationis animadvertit.

Lectio VI.

COnstituit, ut Ecclesiæ nonnisi ab Episcopis consecrarentur; semel baptizatos iterum rebaptizari sub gravibus pœnis prohibuit. Basilicam S. Agapiti construxit. Anno ejus Pontificatus tertio S. Barnabas Apostolus cum S. Matthæi Evangelio in Cypro Anthemio Episcopo Salaminæ apparuit; Sicque prævia trina revelatione, corpus S. Barnabæ cum Evangelio supradicto est inventum. Duas fecit ordinationes mense Decembri, quibus creavit Romæ Presbyteros viginti-novem, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca triginta. Quinto Kalendas Martii e terris excedens ad superos evolavit.

Lectio VII.

Sermo S. Gregorii Papæ. (*t*)

CIrca subditos suos inesse Rectoribus debet, & juste consolans misericordia, & pie sæviens disciplina. Hinc est, quod semivivi illius vulneribus, qui a Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur & oleum; ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur: quatenut unusquisque, qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum discretionis adhibeat, in olleo mollitiem pietatis: per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foveantur. Miscenda est ergo lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum; ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul, ac manna est; quia cum Scripturæ sacræ scientia est in bonis Rectoris pectore, si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis. Hinc etiam David ait: Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virga etenim percutimur, & baculo sustentamur.

Lectio VIII.

SI ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit & consolatio baculi, quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens, sit rigor, sed non exasperans, sit zelus, sed non immoderate sæviens, sit pietas, sed non plusquam expediat parcens. Intueri libet in Moysis pectore misericordiam cum severitate sociatam. Intus arsit igne, foris accensus est zelo severitatis. Tanta fuit pietas, ut se pro peccantibus coram Domino morti offerre non dubitaret; tanta severitas, ut eos quos divinitus feriri timuerat, ipse judicii gladio feriret. Sic amavit eos, quibus præfuit, ut pro eis nec sibi parceret, & tamen delinquentes sic persequutus est, quos amavit, ut eos coram Domino parcente prosterneret. Utrobique legatus fortis,

drali Ecclesia Lateranensi a Sac. Rit. Congregationa approbatum ad commodiorem usum in quatuor anni partes distributum. Romæ Typis Tinassi M.DC.XC.

(t) Ex lib. xx. Moralium in cap. xxix. beati Job. num. 14.

tis, utrobique mediator admirabilis: caussam populi apud Deum precibus, caussam Dei apud populum allegavit. Intus amans divinæ iræ supplicando obstitit: foris sæviens culpam feriendo consumpsit. In regimine ergo populi utrumque Moyses miscuit; ut nec disciplina deesset misericordiæ, nec misericordia disciplinæ.

Oratio. Da quæsumus. *Missa* statuit *de Communi primo loco.*

Lectiones pro secundo Nocturno in Festo SS. Tharsillæ, & Æmilianæ Virginum.

Die . . . . . (*u*)

Lectio V.

Sermo S. Gregorii Papæ. (*x*)

PAter meus Sorores habuit, quæ Sacræ Virgines fuerunt, quarum una Tharsilla, alia Æmiliana dicebatur. Uno ardore, uno eodemque tempore sacratæ sub districtione regulari degentes, in domo propria socialem vitam ducebant. Cumque essent diutius in eadem conversatione, cœperunt quotidianis incrementis in amorem Conditoris sui succrescere, & cum solo hic essent corpore, quotidie animo ad æterna transire. Quadam vero nocte huic Tharsillæ amitæ meæ, quæ virtute continuæ orationis, afflictionis studiosæ, abstinentiæ singularis, gravitate vitæ, venerabilis in honore & culmine sanctitatis excreverat, sicut ipsa narravit, per visionem Atavus meus Felix hujus Romanæ Ecclesiæ Antistes apparuit, eique mansionem perpetuæ claritatis ostendit, dicens: Veni, quia in hac te lucis mansione suscipio.

Lectio VI.

QUæ subsequenti mox febre correpta ad diem pervenit extremum: & sicut nobilibus feminis, virisque morientibus multi conveniunt, qui eorum proximos consolentur, eadem hora ejus exitus multi viri, ac feminæ ejus lectulum circumsteterunt, inter quas mater mea quoque adfuit: cum subito sursum illa respiciens, Jesum venientem vidit, & cum magna animadversione cœpit circumstantibus clamare dicens: Recedite, recedite, Jesus venit. Cumque in eum intenderet, quem videbat, sancta illa anima a carne soluta est: tantaque subito fragrantia miri odoris aspersa est, ut ipsa quoque suavitas cunctis ostenderet, illic auctorem suavitatis venisse.

Lectio VII.

CUmque corpus ejus ex more mortuorum ad lavandum esset nudatum, longo orationis usu in cubitis ejus; & genibus Camelorum more

---

(u) Martyrologium Romanum die 24. Decembris de S. Tasilla sic habet.

Romæ natalis Sanctæ Tharsillæ Virginis amitæ S. Gregorii Papæ, de qua ipse testatur, quod in hora exitus sui Jesum ad se venientem viderit.

Idem Martyrologium de S. Æmiliana die 5. Januarii.

Romæ Sanctæ Æmilianæ Virginis amitæ S. Gregorii Papæ, quæ vocante Tharsilla sorore, quæ ad Deum præcesserat, hac ipsa die migravit ad Dominum.

(x) Ex homilia S. Doctoris XXXVIII. in Evangelia.

more inventa est obdurata cutis excrevisse, & quid vivens ejus spiritus semper egerit, caro mortua testabatur. Hæc autem gesta sunt ante Dominici Natalis diem. Quo transacto mox Æmilianæ sorori suæ per visionem nocturnæ visionis apparuit, dicens: Veni, ut quia Natalem Dominicum sine te feci, sanctum Theophaniæ diem jam tecum faciam. Quam visionem mox molestia corporis secuta est, atque ita, ut dictum fuerat, ante Dominicæ Apparitionis diem eadem molestia ingravescente defuncta est.

Lectio VIII.

De Expositione S. Gregorii Papæ supra Cantica Canticorum. (y)

DUm anima per voluptatum mortificationem vitiis reluctatur, & per sanctas orationes frequenter lacrymis abluitur, sordes lavat, ut sponso placeat, cui pulchra apparere conatur. Cujus conatum ad effectum sponsus per gratiam suam ducit, opusque suum in sponsa benigne laudat, dicens: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in Te. Se igitur ita mundanti sponsæ consequenter dicitur: Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis: Venit enim sponsa sancta ad Christum, dum in hoc mundo vivens, bona quæ potest, operatur. Venit, quando in hora mortis anima, ipsa videlicet sponsa, a carne exuitur. Venit tertio, quando in die judicii ultimi carnem resumit, & cum Christo thalamum cœlestem ingreditur. Ibi quippe omnium laborum suorum præmia consequitur: ibi jam omnino prostratis, & exclusis hostibus gloriose coronatur.

PRO TERTIO NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

IN illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit Regnum Cœlorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ. (z)

Lectio IX.

QUia ex utroque sexu fidelium multitudo colligitur, sancta Ecclesia decem Virginibus similis denunciatur, in qua quia mali cum bonis, & reprobi cum electis commixti sunt, recte similis Virginibus prudentibus, & fatuis esse perhibetur. Prudentes acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Per oleum nitor gloriæ designatur, vascula autem nostra sunt corda, in quibus ferimus cuncta, quæ cogitamus. Prudentes ergo oleum in vasis habent, quia nitorem gloriæ intra conscientiam retinent, Paulo attestante, qui ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Fatuæ autem Virgines oleum suum non sumunt, quia gloriam intra conscientiam non habent, dum hanc ab ore proximorum quærunt.

Lectio X.

NOtandum vero, quod omnes lampades habent, sed omnes oleum non habent, quia plerumque bona in se opera cum electis, & reprobis ostendunt: sed soli ad Sponsum cum oleo veniunt, qui de his, quæ

(y) In Cap. IV. VII. & VIII.

(z) Ex homilia XII. in Evangelio in natali S. Agnetis.

quæ foris egerint, intus gloriam requirunt: unde per Psalmistam quoque de sancta Electorum Ecclesia dicitur: Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. Moram autem faciente sponso dormitaverunt omnes, & dormierunt; quia dum venire judex ad extremum judicium differt, electi, & reprobi in mortis somno sopiuntur: dormire etenim mori est.

Lectio XI.

ANte somnum vero dormitare est ante mortem a salute languescere; quia per pondus ægritudinis pervenitur ad somnum mortis: media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. De adventu sponsi clamor in media nocte fit, quia sic dies judicii subrepit, ut prævideri non valeat, quando venit. Unde scriptum est: Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Tunc omnes Virgines surgunt, quia & electi, & reprobi a somno suæ mortis excitantur: Lampades ornant, quia sua secum opera numerant, pro quibus recipere æternam beatitudinem expectant. Quæ autem paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias.

Lectio XII.

OH si sapere in cordis palato possit, quid admirationis habet, quod dicitur: Venit sponsus! Quid dulcedinis: intraverunt cum eo ad nuptias! Quanta tunc erit electorum lætitia, qui de ejus merentur visione gaudere, de cujus conspectu vident & elementa omnia contremiscere, cum eo simul ad nuptias intrare! Qui & in sponsi nuptiis gaudent, & tamen ipsi sunt sponsa; quia in illo æterni regni thalamo visioni nostræ Deus conjungitur. Quæ scilicet visio numquam jam in perpetuum ab amoris sui amplexibus evelletur. Tunc regni janua lugentibus claudetur, quæ modo quotidie pœnitentibus aperitur. Erit namque & tunc pœnitentia, sed fructuosa non erit: quia nequaquam tunc veniam invenit, qui modo aptum veniæ tempus perdit.

Oratio.

SAnctarum Virginum tuarum Tharsillæ, & Æmilianæ fac nos quæsumus Domine imitari virtutes, ut a terrenis affectibus liberi, & carne castigati in Te semper intendere, & ad Te pervenire feliciter mereamur. Per Dominum &c.

Missa Dilexisti *de Communi SS. Virginum.*

Quandoquidem vero in Annalium nostrorum Tomo VIII. plurium Abbatum & monachorum Camaldulensium memoriam ingessimus, qui vel pietate vel doctrina floruerunt, neque tamen annum eorum omnium obitus indicavimus, operæ pretium judicamus vel seriem hic dare eorum, quorum monumenta, vel memoria extant in tomo octavo; quæ series annum exprimit mortis. Ceterorum vero vide annum obitus suis locis.

Anno 1648 D. Gabriel Giupponius Venetus abbas. *Vide Tom. VIII. pagg.* 270 326 339 327 330 334 345 524

1649 D. Dionysius a Foro-livio monachus Classis, e familia de Zaulis. *Vid. pag.* 326

1651 D. Thomas Vallabius Montanianensis Abbas Carcerum. *Vide pag.* 339

Anno 1651 D. Augustinus Melosius Romanus Abbas Classensis. *Vide pag.* 270 339 346 461

Anno 1651 D. Romualdus Blancus Mantuanus. *Vide pagg.* 156 269 325 327 352

1654 D. Cyprianus Artusinus Ravennas Abbas. *Vide pag.* 359

1657 D. Johannes-jacobus Bespini Romanus ex Classe. *Vide pag.* 368

1657 D. Innocentius Brittonoriensis ex Classe. *Vide pag.* 330

Anno 1659 D. Mathias Marcellus Venetus abbas S. Michaelis de Muriano. *Vide* 324 322 370

1660 D. Maurus Ruggierius Abbatiensis, qui fuit Generalis, ex S. Mathia de Muriano. *Vide pag.* 222 259 271 284 305 322 341 358 372

1660 D. Faustus Ardizj Pisaurensis ex Avellanensi professione. *Vide pagg.* 327 360

1663 D. Michael-angelus Superantius Venetus monachus S. Michaelis. *Vide pag.* 395

1663 D. Clemens Mencarelli ab Æsio, qui fuit Generalis, ex Avellana. *Vide pagg.* 332 339 358 394 395 448

1665 D. Thaddæus Tertius Pisaurensis, qui fuit Generalis. *Vide pagg.* 191 274 305 326 332 370 401

1666 D. Dominicus Portesanus Cremonensis Abbas ex professione S. Mathiæ. *Vide pagg.* 204 326 394 398 402

1667 D. Marinus Bonetti ex Ferraria Abbas Classensis. *Vid. pagg.* 367 406 455

1670 D. Petrus Ferracius Cremonensis Generalis ex professione Classis. *Vide pag.* 367 368. 370 413 498

1670 D. Albertus Giupponius, qui fuit Generalis. *Vide pag.* 369 371 396 398 410

1674 D. Donatus Milcettius a Faventia Classensis. *Vide pagg.* 141 436 485

1676 D. Vitalis Perini Patavinus Abbas ex professione S. Michaelis. *Vide pag.* 441

1677 D. Horatius Tarditus Romanus Classensis. *Vide pagg.* 452 575

1678 D. Hortensius Laureggius Lendinariensis abbas S. Michaelis. *Vide pagg.* 398 417 449 455

1679 D. Innocentius Matthæjus Romanus Abbas ex Classe. *Vide pagg.* 359. 371 461

1679 D. Silvanus Tannucci e Stia Generalis Professus Florentinus. *Vide pagg.* 398 462

1685 D. Andreas Vallemanius Abbas & Visitator. *Vide pagg.* 330 398 415 432 437 471 474

1686 D. Marcus-antonius Molino Venetus ex professione Carcerum. *Vide pag.* 478

1689 D. Hiacinthus Crucettius insignis concionator annorum 42 ex professione Angelorum de Florentia. *Vide pag.* 484

1689 D. Clemens Fondi abbas S. Michaelis Venetus. *Vide pag.* 515

1690 D. Johannes Marinettus Murianensis, qui bis fuit generalis. *Vide pagg.* 410 428 472 455 474 484 514

1692 D. Mathias Bugagnatus; ex S. Mathia. *Vide pag.* 448

1693 D. Julius-cesar Carena Cremonensis Abbas ex Classe. *Vide pagg.* 499 507

1698 D. Paulus-antonius Zaccarellius Meldulensis Abbas generalis. *Vide* 415 481 482 484 502 503 514 516

1701 D. Johannes-illuminatus Piccini, ex professione S. Michaelis. *Vid. p.* 524

Anno 1703 D. Petrus de Petris Abbas, inde Episcopus Collensis. *Vide pagg.* 369 430 437 449 468 522

1703 D. Mathias Gorioli ex S. Mathia Abbas *Vide pag.* 532

1704 D. Damascenus Mutius, qui fuit Generalis, ex Avellana Forosempronienfis. *Vide pag.* 517

1708 D. Vitalis Ascevolinus Abbas Classensis. *Vid. pagg.* 555. 701

1708 D. Germanus Botta Camerinensis Abbas ex Classe. *Vide pagg.* 77 114 144 166 360 394 496 534 555

Anno

Anno 1710. D. Aurelius Antonellus Abbas ex Avellana. *Vide pag.* 468

1714 D. Petrus Franciscus Gallicius, qui fuit Generalis ex S. Michaele de Muriano. *Vide pagg.* 484 514 516 529 534 554 555 576

1715 D. Franciscus Ricci, qui fuit Generalis ex professione Angelorum di Florentia. *Vide pagg.* 473 514

1719 D. Augustinus Rossini abbas ex S. Mathia. De eo habetur mentio etiam in Diario Literatorum Italiæ Tomo XXXVI. *pag.* 246 *Vide p.*601

1719 D. Ricciardus Giullari Generalis ex familia S. Mariæ Angelorum Florentiæ. *Vide pagg.* 534 562 601

1720 D. Anicetus Dandi Foroliviensis Abbas nonagenarius ex Avellana. *Vide pagg.* 416 603

1723. D. Alphonsus Cellini, qui fuit Generalis ex Classe. *Vide pagg.* 534 562 569 570 610

1725 D. Martinus-angelus Franchi Florentinus abbas pientissimus ex professione Angelorum. *Vide pag.* 614

1726. D. Hortensius Porto Lendenariensis abbas ex S. Michaele.

1727 D. Apollinaris Montanarius Balneocaballensis Abbas Classis. *Vide pagg.* 140. 591 608 612 615 623 676

1728. D. Johannes-benedictus Tassis Abbas ex professione Carcerum. *Vide pagg.* 571 589 627 635

1728 D. Gregorius Farulli Florentinus ex S. Mariæ angelorum familia. *Vide pagg.* 15. 607 627

1729 D. Dionysius Moretti a Montaneana Abbas ex professione Carcerum.

1729 D. Michaelangelus Gasparini, qui fuit Generalis ex S. Michaele. 656

le de Muriano. *Vide pagg,* 600 608 614 619 630

1729 D. Franciscus antonius Caramelli Florentinus abbas ex S. Mariæ Angelorum. *Vide pagg.* 517 552 562 568 630

1737 D. Sebastianus Ziani Venetus Abbas nonagenarius ex S. Michae'

1737 D. Romanus Merighi Abbas ex Classe. *Vide pagg.* 481 484 514 654 670

1738 D. Augustinus Romanus de Floribus Cremonensis Abbas ex Classe. *Vide pagg.* 50 507 511 620 657

1739 D. Franciscusmaria Carena Cremonenns Abbas ex Classe. *Vide pag.* 660

1742 D. Benedictus Locatelli Abbas ex S. Michaeli de Muriano. *Vid. pag.* 659 666

1742. D. Guido Grandius Abbas Pisarum. Vide sub pluribus annis.

1743 D. Romualdus Luchesini Bononiensis, monachus S. Mariæ-angelorum de Florentia. *Vid. pag.* 669

Anno 1743 D. Paulus-antonius Liggi Abbas ex Brevi Benedicti XIII. ex professione S. Mariæ-angelorum. *Vide pag.* 669

1744 D. Zenobius Valmori fuit ex professione S. Mariæ-angelorum de Florentia & Generalis. *Vide pagg.* 614 668 649 670

1746 D. Justus Venturini Abbas ex familia S. Maria-angelorum. *Vid. pag.* 676

1746 D. Franciscus-angelicus Federici. Erat tunc Generalis ex professione S. Mathiæ de Muriano. *Vide pagg.* 660 675

1747 D. Alphonsus Eufemi Perusinus ex Classe monachus. *Vide pagg.* 607 620 677

1749 D. Florianus Maria Amigoni, qui fuit Generalis ex Classe. *Vid. pag.* 499 507 511 552 606 616 635 652 666 683

Anno 1750 D. Marinus Miserocchi Ravennas ex Classe monachus. *Vide pagg. 624 686*

1750 D. Andreas Barbieri Abbas ex S. Mathia de Muriano. *Vide p. 686*

1752 D. Casimirus Galaminius Brittonoriensis nonagenarius Abbas ex Classe. Plura consulta canonica & civilia in lucem edidit. *Vide pagg. 567 612 676 691*

1753 D. Honestus maria Honestini, qui tunc erat Generalis ex professione Classis. *Vide pagg.* 507 *664 687 689 691*

1753 D. Abundius Collina monachus ex Clasle Bononiensis. *Vide pagg. 692*

1753 D. Augustinus Pera Lucensis, cujus oblonga epistola de beata morte D. Scholasticæ Cataneo Virginis Camaldulensis edita fuit anno 1769 Faventiæ.

1754 D. Johannes Grilli Bononiensis ex Classe monachus. *Vide pagg. 693 694*

1754 D. Clemens-reginaldus Archibusieri, qui fuit Generalis ex professione Avellanæ. *Vide pagg. 601 608 694*

1757 D. Andreas Fattorini Abbas ex professione Avellanæ. *Vide pagg. 689*

1757 D. Romualdus Foligattus Comaclensis monachus Classis. *Vide pagg. 700*

1757 D. Helias Fromond Cremonensis monachus ex Classe. *Vide pag. 675*

1761 D. Germanus Giorgini Meldulensis, qui fuit Generalis ex Classe. *Vide pagg. 692* 710

1765 D. Gregorius Patritius Matthæjus, qui tunc erat Generalis ex professione Avellanæ.

1765 D. Johannes-claudius Fromond Cremonensis, monachus Classensis, deinde Lector in Universitate Pisana, cujus opera recensuimus anno 1759 *pag. 706*

1766 D. Ferdinandus Romualdus Giuriati Venetus S. Michaelis de Muriano. Aliqua de ipso diximus ad annum 1758 *pag.* 702

1766 D. Maurus Sartius Bononiensis Procuratorgeneralis in Curia & Abbas ex Classe. De eo plura sparsim relata fuere a nobis sub diversis annis.

1766 D. Angelus Calogerà Patavinus Abbas ex S. Michaele de Muriano ex Brevi Benedicti pp. XIV. Consulantur Annales sub variis annis.

1770 D. Eusebius Ciani Senensis ex professione S. Mariæ-angelorum de Florentia; inde episcopus Massæ & Populoniæ, sui Episcopatus anno.

1770 D. Aloysius de Constantio Neapolitanus annorum 28. ad Poesim natus, & dignus consanguineus Angeli de Constantio celeberrimi Poetæ. Filius erat illustrissimi & eccellentissimi D. Ignatii Ducis de Paganica, qui adhuc vivit. Professionem emisit in hoc monasterio Sancti Michaelis de Muriano anno 1763

1770 D. Bonifacius Collina Bononiensis Abbas ex Classe. *Vide de eo plura pagg. 652 661 690*

1771 D. Aurelius Maria Stecchi ex Balneo, qui fuit generalis abbas ex professione S. Mariæ angelorum de Florentia.

1772 D. Laurentius Verdoni de Danderis Brixiensis Abbas ex S. Michaele de Muriano, jam Vicarius Generalis totius congregationis post mortem D. Gregorii Matthæii abbatis generalis.

Ad annum 1209. Melendus unus ex iis, qui urbe Bononiensi discedentes, Studium Legum deduxerunt in urbem Vicetiæ, nominatus in con-

conventione Scholarium cum monachis Camaldulensibus S. Viti ejusdem urbis, allegatur in sua Summa Pœnitentiali a S. Raymundo de Pennafort. Erat Decretorum doctor, & glossas scripsit in librum Decretorum, quas vidit & expilavit Huguccio Pisanus in celebri sua Summa, & ex iis profecit alter Johannes Teutonicus; glossas etiam fecit in primam Decretalium compilationem Bernardi Papiensis. Cum Melendo transiit Vicetiam etiam Cazzavillanus alter Legum doctor, nominatus in dicta conventione, qui studium, quod per celebre erat Bononiæ, defectione facta, Vicetiam transferre contenderunt, quod tamen paucis annis in ea urbe invaluit. Videatur Sartius pagg. 305 & 331. de claris Gymnasii Bononiensis Professoribus.

Ad annum 1269. Hoc anno nemine imperante & apostolica sede vacante Johannes prior generalis Camaldulensis præsens legitur conventioni factæ Arretinos inter & Burgenses sancti Sepulcri, in plebe sanctæ Mariæ de Aretio.

Ad annum 1380. In protocollis Johannis Andreæ a Linari notarii Florentini habetur hoc documentum communicatum nobis a Cl. V. Dominico Mannio. *In nomine Domini amen. Anno 1380. Indictione III. die xxvii. mensis julii; Actum Florentiæ in populo S. Michaelis Vicedominorum, videlicet in veteri refectorio monasterii S. Mariæ de Angelis. Certum esse dicitur, ut infrascriptus D. Andreas affirmat, quod olim tempore vitæ nobilis militis domni Pieri de Guicciardinis populi S. Felicitatis de Florentia venerabiles viri domnus Johannes prior generalis totius ordinis heremi Camaldulensis, & domnus Andreas olim Nutini de Prato veteri monachus dicti ordinis Camaldulensis, qui hodie aliquando moratur in Oratorio hæredum domni Nicholai de Albertis posito* al Paradiso *de prope Florentiam, simul & separatim, videlicet aliquando dictus domnus Prior solus, aliquando idem Prior & dictus domnus Andreas, & aliquando dictus domnus Andreas de conscientia dicti Prioris habuerunt in civitate Florentina ratiocinationem cum supradicto domno Piero tempore dictæ suæ militiæ; qui domnus Pierus dicebat & ratiocinabat de volendo facere confici unum monasterium de dicto ordine Camaldulensi in civitate Florentiæ super quodam suo loco, ubi dicitur a Bogoli pro sua anima, & suorum patris & matris & aliorum præteritorum, sub nomine & vocabulo S. Hieronymi, quæ ratiocinatio duravit per spatium magni temporis ante mortem dicti domni Pieri, qui mortuus est jam sunt octo anni & plus, dicta ratiocinatione per ipsum domnum Pierum ante suam mortem jam obmissa; ex qua obmissione dictus domnus Andreas multo remansit exconsolatus &c.* Videtur scilicet morte Guicciardini negotium evanuisse, cum nulla supersit memoria hujus monasterii.

In necrologio Rhenano, scilicet canonicorum regularium congregationis S. Salvatoris de Bononia ad diem XIII. Kalendas Julii habetur: *In die sanctorum Gervasii & Protasii, atque Romualdi*; ex quo deducitur nomen S. Romualdi & festum non in sola congregatione Camaldulensi celebrata fuisse ad diem XIX. junii, quæ fuit dies ejus obitus, sed nomen ipsius Sancti relatum in aliis Necrologiis.

De Eusebio monacho S. Michaelis de Muriano hæc habet Bollandus ad diem X. februarii in Prætermissis pag. 379. „ Eusebius ex Legato „ Hispaniarum regis ad Rempublicam Venetam, monachus Camaldulen- „ sis Murani, pago Venetiis vicino, obiit 10. februarii 1501. magna „ opinione sanctitatis, referturque hac die a Wione, Dorganio, Menar- „ do, Ferrario, Tamayo Salazario, sed quem ei tribuunt, uti & Tho-

„ mas

„ mas de Minis & Silvanus Razzius, Beati titulum, haud scimus, an
„ Romanæ Ecclesiæ auctoritate adhuc sancitus sit."

Quoad Breve concordiæ inter Communitatem Ravennæ & quatuor Abbatias ejusdem Urbis, superius allatum, non incongruum erit superaddere altius petitam originem litis feliciter compositæ, quam ab amantissimo nostri D. Andrea Johannetto abbate S. Gregorii de Urbe his diebus habuimus.

Hisce temporibus multa ab assiduo imbre illata sunt damna agro Ravennati. Nam Octobri mense An. 1764. tanta decidit aquarum copia in totam Romandiolæ Provinciam, ut cum contineri ea non posset intra alveos fluminum, & aquæductum Territorii Ravennatis, & contermini Cerviensis, semel & iterum disruptis aggeribus ubique inundaverit, ac fundi nostri Monasterii Classensis in eo Territorio omnes fuerint submersi; dici autem vix potest quanto cum detrimento. Hinc a Monachis nostris instituta supplicatio publica, delatis reverenter S. Apollinaris reliquiis ea via, quæ Ariminum ducit, usque ad Pontem, quem aut novum dicunt, aut nominant Alberonium, ex Cardinali hujus agnominis, qui illum octo mensium spatio & magnifice extruxit, & grandi opera perfecit; neque enim, impedientibus aquis, ultra progredi licebat. Ipsa Basilica Classensis, quamvis tempestive satis munita, ab aquis immunis esse non potuit, assurgentibus illis per rimulas pavimenti in eandem Basilicam, quæ tamen diligentia, & pietate Monachorum in pristinum splendorem non molto post restituta est.

Sed & insequenti anno Julio mense præter omnium opinionem tantus fuit in Provinciis Umbria, Piceno, atque Romandiola iterum aquarum impetus, ut Senogalliæ in summa illa nundinarum affluentia & merces plurimæ perierint, navesque fluctibus obrutæ fuerint, & non exiguus hominum numerus aut submersus, aut ærumnis oppressus jacuerit. Ravennæ autem Vitis & Bedesis flumina simul conjuncta, perfractis denuo omnibus impedimentis, in bona Classensis Abbatiæ excurrerint summo mane diei Sacræ Divo Apollinari contra Basilicam de ejus sacro nomine appellatam, ad quam propterea nullo modo potuerunt Monachi de more, nec Ravennates se conferre celebraturi sui Patroni solemnitatem. Sed reparatis aggeribus, refectisque vix, dum aqua in suo fuerat alveo coarctata, novo aquarum impetu facto, eodem quo antea loco disjectus est agger, & quartum aquis oppressa bona Abbatiæ Classensis, & nonnullorum Ravennatium.

Magnis his infortuniis accessit annonæ caritas, quæ non uno anno Ravennates potissimum & Classense Monasterium non mediocriter afflixit. Hinc factum, ut valde imminuta re domestica, auctisque necessariis expensis tum ad vitæ sustentationem, tum ad reparanda ingentia aquarum damna, vix quisquam sibi sufficeret. Sed non difficile fuit Monasteriis, locisque piis pecuniam fænore acceptam sibi comparare in usus suos, & pauperum (accepimus enim, Abbates illos in ea annonæ difficultate multo largius quam antea copiose, egenis attulisse subsidia) difficillimum personis privatis. Itaque qui nec sibi satis præsto erant in necessariis, multo minus tributa Principi persolvere, aliaque sibi legitime imposita ferre onera poterant, quæ tanto erant graviora, quanto ex dilatis solutionibus majus illa accipere debuerunt incrementum. Quamobrem Ravennates cum perviderent se undique angustiis premi, non absre esse nonnulli putarunt inveteratas contra Abbates renovare querelas, quasi illi bona sua dissiparent, nec in legitimos usus converterent. Id factum clanculum est, anonymo proposito

posito libello, in quo duriuscule sane, & minus æque videbatur agi contra integritatem Monachorum, sed omnia facile diluta documentorum ope, curante cum primis Abbate Classensi. Anno deinde 1770. *iterum, iterumque communi Ravennatium nomine datæ sunt preces ad Clementem XIV. Pontificem Opt. Max., quæ Principis commiserationem omnino commoverent. In his miserrima Civitatis facies exquisitis pingebatur coloribus, multaque afferebantur, quæ cum alios plures, tum vero Ecclesiasticos omnes, atque Abbatias potissimum impeterent, a quibus id maxime contendebatur, ut in sustinendis oneribus, iis præsertim, quæ Cameralia appellant, pares omnino ceteris omnibus esse deberent. Providentissimi Principis Clementia, ut quæ tam multa dicebantur, æqua lance perpenderentur, ac jura hinc inde legitime discuterentur, institutam voluit particularem Sapientissimorum hominum Congregationem, quæ bene perpensis omnibus, quæ in utramque partem ab interesse habentibus afferrentur, quod æquum, justumque putasset, non ipsa quidem definiret, sed ad Principis Sapientiam deferret. Protulit sua jura ac documenta, sparsitque in vulgus insequenti anno magno sane apparatu, nec minore impensa Communitas Ravennæ, instititque, non vocatis tamen, ut ferebat Principis rescriptum, in jus contrariis partibus, ut haberetur Congregatio, quæ die* 9. *Septembris anni* 1771. *suspensa causæ resolutione rescripsit probante Pontifice causam, citatis omnibus interesse habentibus intra sex menses iterum proponendam. Sed interea temporis, quum ex hujusmodi suspensione excitatæ contrariæ partes, atque Abbatiæ in primis ferventiori quodam animo ad sua tuenda jura, & oppositas criminationes plane delendas properarent, factum feliciter est, ut prudentia, dexteritate, consilioque viri æquissimi Vitaliani Cardinalis Borromæi Provinciæ, & Exarchatus Ravennæ a latere Legati, flamma, quæ altius assurgere, ac vehementius dilatari poterat, subito extingueretur, atque omnibus compositis pax perpetuo instauraretur. Quæ ut profundiores radices ageret in omnium animis, pro eo quod spectat ad Classensem Abbatiam, ac tres reliquas, quæ in Urbe Ravennæ splendent magnopere, id præterea curavit Eminentissimus vir, ut Capitula initæ Concordiæ inter Communitatem Ravennæ, & quatuor Abbatias, ipsius Summi Pontificis auctoritate, majestateque firmarentur. Quod & factum est die* 11. *Aprilis anni* 1772. *emanato Brevi, ut vocant, quod superius dedimus.* Compositione tam feliciter facta, grates Deo O. M. relatæ fuere in Ecclesia Classensi intra urbem dicata sancto Apollinari, Urbis Ravennæ maximo patrono, quandoquidem ob hyemis intemperiem id agi nequivit in basilica extra mænia, ubi servatur ejus sacrum Corpus. Missa decantata fuit ab abbate canonicorum Lateranensium Portuensium, primo inter quatuor Abbates, assistentibus tribus aliis Abbatibus, interventu quoque duorum illustrissimorum magistratuum urbis, & omnium nobilium virorum, & populi; cui etiam interesse dignati sunt eminentissimus Cardinalis legatus Vitalianus Borromæus, illustrissimus Antonius Cantoni archiepiscopus Ravennas, & illustrissimus Scotus Vicelegatus.

Hoc ipso anno D. Beniaminus Savorelli jam electus abbas generalis Congregationis ab anno 1770. mense majo, ut Dominicarum Coronarum devotionem latius diffunderet, sequentem supplicem libellum obtulit sanctissimo regnanti pontifici.

BEATISSIMO PADRE.

L'Abate Generale dell'Ordine Camaldolese prostrato al bacio di V. S. umilmente espone, essersi da suoi Antecessori fino dall'anno 1751. *ottenuto dal-*

dalla S. M. di Benedetto XIV. il seguente rescritto, che concerne l' erezione delle Confraternite sotto il titolo della Corona del Signore, e la benedizione e distribuzione delle medesime tanto nella Religione, che fuori dalla medesima. Ed eccone le parole stesse del Rescritto = Insuper præfatos Oratores speciali favore prosequi volens Apostolica liberalitate indulsit, ut idem modernus & protempore existens dictæ Camaldulensis Congregationis Abbas Generalis Confraternitates sub titulo Coronæ Domini cum indulgentiis ab Apostolica Sede concessis vel concedendis, in propriis ejusdem Congregationis ecclesiis erigere, ac ipsammet facultatem hujusmodi Confraternitates in aliis tam in Italia, quam reliquis Orbis Catholici partibus, in quarum Provinciis vel Regnis nullum adsit monachorum aut eremitarum Camaldulensium monasterium vel hospitium, erigendi, episcopis parochis ac provincialibus Regularium Ordinum vel Congregationum Superioribus communicare valeat..... Similiter pari benignitate concessit, ut ipsemet Abbas Generalis ejusmodi episcopis, parochis ac provincialibus Ordinum seu Congregationum Superioribus in prædictis tantum Provinciis & Regnis, in quibus nullum pariter existat Monachorum seu eremitarum Camaldulensium monasterium vel hospitium, facultatem benedicendi & distribuendi Coronas Domini nuncupatas cum annexis indulgentiis ab Apostolica Sede rite concessis, & auctoritate sacræ Congregationis præfatæ publicatis licite conferre possit...... *Quindi essendosi sempre avuto dubio, se in vigore del riferito rescritto possano i Generali pro tempore communicare le facoltà loro concesse in quelle Città e luoghi, nei quali, sebbene non vi siano monaci o eremiti Camaldolesi, dette però Città e luoghi appartengono a Provincie e Regni, ne' quali esiste qualche Monastero o eremo de' suddetti Camaldolesi; e ciò ridondando in pregiudizio notabile della maggior parte di Ricorrenti, i quali per un tal dubio restano privi della partecipazione delle indulgenze; perciò l' Oratore suddetto supplica umilmente V. S. dell' opportuna dichiarazione, e occorrendo della necessaria facoltà, rispetto tanto all' erezione delle Confraternite, sotto il titolo della Corona del Signore, quanto alla benedizione e distribuzione delle medesime con le Indulgenze concesse da Sommi Pontefici, da potersi comunicare generalmente a tutte quelle Città e luoghi, nei quali non esista monastero o eremo de Camaldolesi. Che della Grazia ec.*

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

Die 19. septembris 1772.

Sanctissimus, attentis expositis, benigne annuit pro gratia, juxta petita; contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S.

V. Macedonius Secret.

Clemens Blasius Cremonensis monachus Camaldulensis ex professione Classis, & nunc lector S. Theologiæ in collegio Gregoriano de Urbe edidit hoc anno Romæ dissertationem super antiquam statuam noviter detectam in agro Romano. Confutaverat anno 1770. typis Faventinis Archii theologica dissertatione systema P. D. Ignatii Ludovici Blanchii Cl. Reg. congregationis Theatinorum de remedio æternæ salutis pro parvulis in utero clausis, sine baptismate morientibus, quam dicatam voluit Michaeli-angelo Cambiasio Romano Prælato. Ipsius quoque sunt præfatio & illustratio Inscriptionum Latinarum antiquarum ex bibliotheca monachorum Camaldulensium S. Gregorii in Monte Cœlio, quæ opera P. Oderici S. J. prodierunt Romæ anno 1765.

A P.

APPENDIX
TOMI OCTAVI
ANNALIUM CAMALDULENSIUM

Vetera Monumenta & Diplomata complectens.

I.

Leo pp. X. approbat uniones monasteriorum Camaldulensium, quas comprehensas non vult in constitutionibus suis uniones annullantibus.

Anno 1515. die x. junii.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe LXIV. 7.

LEo papa X. dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Nuper postquam in capitulo generali in civitate Faventina de mandato nostro celebrato, generalis, abbates, priores & personæ ordinis vestri Camaldulensis pro prospero & felici ipsius ordinis regimine nonnulla statuta & ordinationes erectionem novæ congregationis vestræ eremi & sancti Michaelis de Muriano nuncupatæ, ac in qua universa vestræ religionis loca eremitarum, observantium, conventualium & monialium comprehenderentur, institutionemque decem & septem locorum principalium monasteriorum & prioratuum & illis aliorum unionem; videlicet eremum Arretinæ diœcesis, cui hospitale sancti Frigdiani Pisanæ sancti Martini nuncupatum, ac prioratum sancti Sabini de Chio prope Castilionem etiam Arretinum, necnon monasterium sancti Andreæ de Puteo, & prioratum Scandalonis Florentinæ diœcesis, monasterium Insulæ Imolensis seu alterius diœcesis, monasterium de Tiphio in Val de Caprese, prioratum Cortonæ, prioratum Agnæ Fesulanæ, ac prioratum de Pratale Fesulanæ diœcesis, prioratum de Planetulo, prioratum de Valliala, prioratum sancti Laurentii de Puppio, monasterium sanctæ Agathæ, monasterium de Vergareto perpetuo univerant; & monasterium sancti Michaelis de Muriano Torcellanensis diœcesis, cui prioratum sancti Martini de Opitergio, & monasterium sancti Michaelis de Lemmo in Istria, ac prioratum Camaldulini de Verona etiam perpetuo univerant; ac prioratum sancti Mathiæ de Muriano Venetiarum, cui sancti Viti de Vicentia, ac Montis-crucum, & sanctæ Mariæ de Orbisio Paduanæ diœcesis, ac sancti Benedicti de Fileto Tarvisinæ seu Cenetensis diœcesis prioratus similiter perpetuo univerant; necnon monasterium sanctæ Mariæ de Carceribus; & monasterium sancti Apollinaris; ac prioratum sancti Salvatoris Foro-liviensis, cui sanctæ Mariæ de Sardavilla & sancti Petri Cæsenatensis, ac Montis-calvarii cum prioratu

sanctæ Mariæ de Fontana de Castro-caro, & de Piodano Cæsenatensis diœcesis prioratus perpetuo univerant; necnon prioratum sancti Johannis-baptistæ Faventinæ, cui ejusdem sancti Johannis-baptistæ de Bagnacavallo, ac sancti Johannis-evangelistæ de Vico, ac sancti Damiani Bononiensis prioratus etiam univerant; necnon monasterium sancti Romualdi de Valle-castro, cui de Podio-cupo, ac sancti Georgii, ac de le Perelle prioratus, ac eremum la Quadrigaria nuncupatum similiter univerant; nec non prioratum sanctæ Mariæ de Angelis Florentinæ, cui prioratum sanctæ Agathæ de Val de Chiano in Monte-sancti-Savini cum prioratu sancti Christophori & sanctæ Luciæ prope Montem-sancti-Savini, ac prioratum de Mucchio Volaterranæ diœcesis, ac monasterium sancti Viriani Arretinæ diœcesis etiam univerant; & prioratum sancti Benedicti extra muros Florentinos, cui sanctæ Jucundæ Lucanæ diœcesis, & de Cintoria dictæ diœcesis, monasterium ac prioratum Urticariæ Fesulanæ diœcesis, prioratum sancti Cypriani Volaterranæ diœcesis, monasterium de Castagneto Pisanæ diœcesis, monasterium de Monte-murlo Florentinæ, seu Fesulanæ diœcesis, ac monasterium de Deciano Arretinæ diœcesis similiter univerant; ac monasterium sancti Felicis in Platea Florentiæ, cui monasterium Montis-cornarii prope Balneum sanctæ Mariæ perpetuo univerant; necnon monasterium de la Rosa Senensis diœcesis, cui eremum al Vivo nuncupatam, cum illi annexo prioratu de l'Arco Senensis diœcesis etiam univerant; & monasterium sancti Michaelis Arretii, cui monasterium sancti Clementis Arretii, & prioratum sancti Laurentini prope Arretium similiter univerant; necnon monasterium sancti Severi Perusinæ cum prioratu sanctæ Trinitatis illi annexo, quibus prioratum sancti Antonii Tudertinæ, & prioratum sancti Angeli de Massaccio similiter univerant; & monasterium sancti Hippolyti Faventinæ, cui sancti Andreæ & sancti Laurentii ecclesias, ac prioratum de Ferracciano Foroliviensis diœcesis, ac prioratum sanctæ Mariæ Camaldulensis prope Forum-livii, necnon locum sancti Mauri de Solarolo Faventinæ diœcesis etiam univerant; ac monasterium de Monte-Christo in insula prope Sardiniam cum illis respective annexis, cui monasterium sanctæ Trinitatis in Sardinia, & certas ecclesias & loca tunc expressa etiam univerant. Quæ omnia si quovis modo vacabant, alioquin per cessum vel decessum, aut aliam quamvis dimissionem abbatum, priorum & aliorum quorumvis ea obtinentium unita, annexa & incorporata essent & esse censerentur, & in nova eremi congregatione vestra hujusmodi ordine supradicto esse intelligerentur tamquam magis idoneorum, in quibus juxta monasticam disciplinam regularis vita constitui & observari valeret, inter alia concernentia ediderant. Nos motu proprio &c. procurante etiam dilecto filio nobili viro Juliano de Medicis domicello Florentino nostro secundum carnem fratre germano, statuta & ordinationes prædictas apostolica auctoritate per alias nostras literas approbavimus & confirmavimus, illaque perpetuæ firmitatis robur obtinere decrevimus, prout in dictis literis, quas ac si de verbo ad verbum insertas haberi volumus pro expressis, plenius continetur. Cum autem postmodum nos ex certis causis per diversas constitutiones nostras omnes & singulas uniones, annexiones & incorporationes de quibusvis monasteriis & beneficiis ecclesiasticis, cum cura & sine cura, secularibus & regularibus, etiam in specie seu alio quomodolibet, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis &c. concessas &c. annullaverimus, & ab aliquibus prætendi posset uniones, & quoad illas literas prædictas sub hujusmodi revocationibus comprehensas fuisse, ac propterea dubitetis effectu illarum carere posse tempore procedente: nos, quorum intentionis numquam fuit & est, ut uniones prædictæ pro religionis conservatione & augmento, ut præfertur, factæ sub aliquibus revocationibus subjaceant, & quod illæ optatos fructus pariant, ad hujusmodi ambiguitatis dubium de medio tollendum, præfato Juliano & hoc summe desiderante, motu, scientia & potestatis plenitudine similibus, uniones &c. monasteriorum &c. prædictorum, ut præfertur, factas &c. minime comprehensas fuisse vel esse, vel in futurum comprehendi &c. sed semper ab illis exceptas fuisse & esse, ac illis non obstantibus plenarium effectum sortiri potuisse ac debuisse, ac posse & debere in omnibus & per omnia, perinde ac si prædictæ aut quæcumque aliæ revocationes &c. a nobis non emanassent, nec imposterum emanarent, auctoritate apostolica tenore præsentium attestamur, decernimus & declaramus &c. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die x. junii M. D. XV. pontificatus nostri anno III.

P. Bembus.

II.

¶ I.

Idem erigit oppidum Burgi sancti sepulcri in civitatem episcopalem.

Anno 1515. x. kal. octobris.

Ex Ughellii Ital. Sacr. T. III. col. 195.

LEo episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Preexcellenti preeminentia sedis apostolice, in qua post beatum Petrum apostolorum principem, quamquam imparibus meritis, pari tamen auctoritate constituti sumus, in agro irriguo militantis ecclesie novas episcopales sedes ecclesiasticas plantare Romani pontificis dignum esse videtur, ut per novas plantationes populorum augeatur devotio, divinus cultus effloreat, locaque insignia dignioribus titulis attollantur, & majoribus honoribus decorentur, subsequaturque animarum salus. Idque nos eo libentius agimus in iis locis, in quibus benedicente Domino incole & alii Christi-fideles multiplicasse noscuntur, ut propagatione nove sedis & assistentia honorabilis presulis cum decenti ministrorum numero fideles Christi in devotione persistentes, ac etiam devotionis hujusmodi augmentum suscipientes, eterne felicitatis premium, Deo eorum pium propositum adjuvante, facilius consequi mereantur. Sane attendentes, quod oppidum Burgi sancti-sepulcri Civitatis-castelli diecesis temporalis dominii excelse reipublice Florentine, in cujus loco ante illius constitutionem ingens erat silva nucea ob nucum frequentiam dicta, & cum per eam iter facerent duo sancti peregrini, Arcanus videlicet & Egidius, a sancto Sepulcro Dominico tunc abscedentes, cum apud limpidissimum fontem, qui inibi tunc erat, aliquantulum requiescerent, divina visione, ut dicitur, admoniti, quoddam sacellum ibidem construxerunt, & ex tunc nonnulli Christi-fideles juxta sacellum ipsum aliquas domos edificare, & burgum domorum facere, & tandem multiplicatis domibus & menibus erectis in oppidum sancti Sepulcri appellatum fertur, inter alia ipsius dominii oppida admodum celebre & antiquum, ac magna notabilium & literatarum personarum ac incolarum generositate benedicente Domino, refertum, ac in illo unum notabile & insigne monasterium Camaldulensis ordinis sub invocatione sancti Johannis-evangeliste dicatum, in quo adhuc fons & sacellum per dictos sanctos peregrinos fabricatum hujusmodi consistunt, & ad cujus fontis lavacrum aquas haurientes febricitantes, divina operante clementia, intercessione ipsorum Sanctorum liberantur, in loco celebri dicti oppidi situm, & sedi apostolice immediate subjectum, ac quamplures alie seculares & regulares ecclesie dicti monasterii censuales, in quibus divina celebrantur officia, existunt, adeout merito oppidum ipsum titulo civitatis decorari, & ecclesia ipsius monasterii, cujus abbas pro tempore existens baculo pastorali & aliis pontificalibus insigniis ex indulto apostolico uti consuevit, in cathedralem ecclesiam erigi possent. Unde nos ex premissis & ceteris aliis rationabilibus causis moti, volentes dictum oppidum & illius incolas, eorum devotione & meritis id exigentibus, favoribus attollere potioribus & honorabili .... habita super his cum venerabilibus fratribus nostris deliberatione matura de ipsorum fratrum consilio & assensu, ac apostolice potestatis plenitudine, auctoritate apostolica tenore presentium in dicto monasterio nomen & titulum, necnon abbatialem, & omnes alias dignitates, officia ac beneficia quecumque regularia, monachales portiones, ac dependentias, necnon omnia & singula membra, seu grangias dicti monasterii, prioratus & alia ad dictum monasterium illiusque abbatem & conventum seu eorum collationem, provisionem, presentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem, conjunctim vel divisim pertinentia & spectantia, beneficia quecumque secularia vel dicti ordinis regularia, dilecti filii Galeoti de Gratianis abbatis ipsius monasterii ad hoc expresso accedente consensu, supprimimus & extinguimus, ac ad omnipotentis Dei laudem, totiusque triumphantis ecclesie gloriam, & fidei catholice exaltationem, ac dominii decus & amplitudinem, divinique cultus augmentum, ac animarum salutem, prefatum oppidum in civitatem, & ecclesiam monasterii hujusmodi in cathedralem ecclesiam secularem cum episcopali dignitate jurisdictione & superioritate, ac episcopali & capitulari mensis, necnon fonte baptismali, ac aliis cathedralibus insigniis, necnon pertinentiis, honoribus & privilegiis, quibus alie cathedrales ecclesie de jure vel consuetudine utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, ac in ea unam prepossituram majorem pro uno preposito, & unum archidiaconatum pro uno archidiacono, & unum archipresbyteratum pro uno archipresbytero, majores post pontificalem inibi dignitates, qui onus & cu-

ram animarum ejusdem ecclesie & capituli pro tempore incumbentia exercere & supportare habeant, necnon novem canonicatus & totidem prebendas pro novem canonicis, qui simul cum dictis preposito, archidiacono, & archipresbytero capitulum ipsius ecclesie inibi faciant, & constituant, & almucias griseas, seu de pellibus griseis & honorabilibus adinstar canonicorum aliarum cathedralium ecclesiarum tam in predicta ecclesia, quam extra eam in processionibus & aliis actibus deferant, nostri Achillis tituli sancte Marie in Transtyberim presbyteri cardinalis, cui regressus ad ecclesiam Civitatis-castelli in certos tunc expressos eventus, dicta auctoritate concessus existit, & Balthassaris electi Civitatis-castelli dilectorum filiorum expresso etiam ad hoc accedente consensu, perpetuo erigimus, creamus & instituimus, ac oppidum civitatis ac ecclesiam hujusmodi cathedralis titulo & honore decoramus & insignimus, ipsam civitatem & illius districtum & territorium, necnon Telene, Corliani, sancti Stephani, sancti Cassiani, Prateghi, sancte Marie de Sovara, & sancti Antimi cum suis membris in predicto dominio Florentino consistentibus dumtaxat, reliquis vero in districtu Civitatis-castelli & oppidi Citerne dicte Civitatis-castelli diecesis sub eadem diecesi Civitatis-castelli remanentibus, ac dicti sancti Antimi ejusdem Civitatis-castelli diecesis, necnon que in locis dicto oppido Burgi-sancti-Sepulcri contiguis Montis-acuti Arretine diecesis parochiales ecclesias, plebanias, seu plebanatus nuncupatas, seu eorum parochias, & loca quecumque cum illorum clero & populo, personis ecclesiasticis, monasteriis, & piis locis, ac beneficiis ecclesiasticis cum cura & sine cura secularibus, & ordinum quorumcumque regularibus, necnon quidquid juris episcopalis ac jurisdictionis in illis civitatibus Castelli & Arretine ecclesiarum capitulum tam conjunctim, quam divisim habebant & percipiebant, & habere & percipere consueverunt, a diocesi & sedibus episcopalibus, ac mensis & capitularibus Civitatis-castelli & Arretinensis penitus & omnino perpetuo dismembramus & separamus, illaque ab omni jurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, dominio, & potestate nunc & pro tempore existentium, civitatumque Castelli & Arretini episcoporum & capitulo predicto, eorumque visitatorum & officiorum, necnon solutione quorumcumque jurium eis per illorum populos & personas prefatas ratione jurisdictionis & superioritatis hujusmodi respective debitis penitus eximimus & totaliter liberamus, & districtum & territorium civitatis erecte, necnon castrum sancte Marie in Balneo nullius diocesis, & singulas parochiales ecclesias predictas cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem erecte ecclesie sancti Sepulcri, & illius mense episcopali pro illius districtu & diecesi, necnon omnes & singulos clericos, seculares, & ordinum quorumvis religiosos pro clero, incolasque & habitatores dictarum civitatis & diocesis erectarum; & quoad Montis-acuti ecclesias hujusmodi, dummodo venerabilis fratris nostri moderni episcopi Arretini ad hoc expressus accedat assensus, & omnes & singulos ipsius supradicti monasterii, & illius annexorum, membrorum, grangiarum & prioratuum, singulorumque aliorum beneficiorum predictorum ad collationem, provisionem, presentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem abbatis & conventus spectantium, ut supra fertur, suppressorum & extinctorum predictorum, & ejusdem monasterii abbatialis & conventualis mensarum, fructus, redditus & proventus, ac bona quecumque, quorum omnium veros annuos valores presentes haberi volumus pro expressis, abbatialis videlicet, episcopalis, conventualis mensarum, necnon omnia & singula alia bona mobilia & immobilia, seu stabilia per dilectam filiam communitatem erecte civitatis donanda, concedenda & assignanda capitulari mense ecclesie erecte hujusmodi pro earum uberiori dote respective perpetuo applicamus, appropriamus, aggregamus, concedimus & assignamus, ita quod liceat venerabili fratri nostro episcopo Burgi sancti-Sepulcri pro tempore existenti juris episcopalis ac jurisdictionis illius, & canonicis & capitulo ecclesie erecte hujusmodi fructuum, redditunm & proventuum, ac bonorum monasterii membrorum & annexorum, juriumque & pertinentiarum predictarum corporalem possessionem per se, vel per alium, sive alios propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus & proventus in suos & mensarum suarum usus & utilitatem convertere, alicujus super hoc licentia minime requisita; & nihilominus quoad singula premissa quibusvis exemptionibus & privilegiis ejusdem plebanis, & eorum plebanatibus & subditis per sedem predictam quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis derogamus, illaque omnia penitus & omnino revocamus & annullamus, ac revocata & annullata esse decernimus, necnon clerum & populum civitatis diecesis ac ecclesie erectarum pre-

predictarum cure & jurisdictioni episcopi Burgi-sancti-Sepulcri pro tempore existentis, quoad legem diecesanam & gubernationem perpetuo subjicimus, necnon ecclesiam, civitatem & diocesim erectas prefatas ac illarum presulem seu episcopum pro tempore existentes, necnon clerum & populum civitatis, diocesis erectarum hujusmodi ecclesie, ac archiepiscopo Florentino metropolitano jure subesse, & quoad omnia metropolitica & archiepiscopalia superioritatem, jurisdictionem, jura archiepiscopo Florentino pro tempore existenti subjectas esse, & de archiepiscopalibus juribus ei respondere volumus. Et insuper episcopo pro tempore existenti, capitulo, clero civitatis & diocesis Burgi-sancti-Sepulcri hujusmodi, illorumque incolis & habitatoribus predictis, & illorum singulis privilegiis & exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, favoribus, gratiis & indultis, quibus alii episcopi & aliarum cathedralium ecclesiarum capitula, civitates & dioceses, & earum clerici, incole & habitatores de jure vel consuetudine utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere, necnon episcopo pro tempore existenti & capitulo prefatis capitulariter congregatis pro felici statu & salubri directione dicte ecclesie, illiusque personarum, ac divinorum officiorum in illa celebratione, & quecumque statuta & ordinationes, rationabilia & honesta, ac sacris canonibus non contraria facere & edere, illaque quoties eis pro utilitate dicte ecclesie visum fuerit immutare, que postquam edita & immutata, ac de novo concessa fuerint, eo ipso apostolica auctoritate approbata & confirmata consensum indulgemus, ac plenam & liberam licentiam concedimus, & etiam facultatem; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac monasterii & ordinis predictorum *&c.* confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum *&c.* Si quis *&c.* Datum Rome apud S. Petrum anno incarnationis Dominice M. D. XV. X. kl. octobris pontificatus nostri anno III.

III.

Idem permittit Camaldulensibus convertere monasteria monialium in virorum, virorum in mulierum asceteria.

Anno 1516. x. martii.

Ex exemplo asservato in monasterio S. Michaelis de Muriano.

LEo papa X. Dilectis filiis ... vicario & visitatoribus eremi & sancti Michaelis de Muriano congregationis Camaldulensis ordinis. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, quod si nonnulla monasteria monialium congregationis vestre, in quibus ex certis justis causis moniales commode permanere non possunt, reducerentur ad monasteria monachorum dicte vestre congregationis, ita quod moniales de monasteriis earum transferrentur ad monasteria nunc monachorum sub convenienti clausura, & monachi de eorum monasteriis ad monasteria monialium, & monasteria ipsa, que erant monialium, de cetero essent monachorum, & monachorum perpetuo essent monialium; ex hoc profecto congregationis vestre paci & quieti, ac commodo & utilitati cum spirituali consolatione plurimum consuleretur. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis, ut monasteria monialium ordinis Camaldulensis hujusmodi, que pro viris magis apta cognoveritis, ad statum monachorum, monasteria vero monachorum, que pro monialibus magis apta cognoveritis esse, ad statum monialium reducere; & quod de cetero perpetuis futuris temporibus monialium virorum, & virorum monialium esse debeant, ordinate, sine tamen jurium camere apostolice prejudicio, libere & licite possitis, plenam & liberam licentiam & facultatem auctoritate apostolica tenore presentium concedimus: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Rome apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die x. martii M. D. XVI. pontificatus nostri anno III.

Ja. Sadoletus.

IV.

I V.

Idem abbatibus S. Apollinaris in Classe largitur exemptionem a datiis & gabellis & exportationem tritici & leguminum ad alia monasteria.

Anno 1517. XXVII. maji.

In tabulario Classis ex regesto III. Diversorum Leonis X.

LEo papa X. Abbati & fratribus monasterii sancti Apollinaris in Classe ordinis congregationis Camaldulensis. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Exponi nobis fecistis, quod licet ecclesiasticae personae praesertim religiosae ab omni onere secularium exactionum immunes & exemptae esse debeant, ad monasterium vestrum diversae possessiones & bona immobilia in Ravennatensi, Cerviensi, Foro-liviensi & Caesenatensi territoriis respective consistentia legitime pertineant, vosque & monasterium vestrum hujusmodi illius possessiones & bona quaecumque ubique existentia quibuscumque solutionibus & praestationibus datiorum & gabellarum, ac aliorum onerum juxta privilegia & indulta apostolica vobis & eidem monasterio ac ordini & congregationi vestris per sedem apostolicam concessa & per nos confirmata exempti & liberi sitis, ac a longissimo tempore citra tamquam exempti, tritici leguminum ac quoscumque alios fructus & proventus bonorum vestrorum in dictis territoriis excrescentes ab iisdem territoriis extrahi, exportari, & ad dictum monasterium conduci; necnon ex eisdem fructibus ducentas & sexaginta salmas frumenti, & certas leguminum pro victu monachorum sancti Michaelis & sancti Mathiae de Murano eorumdem ordinis & congregationis monasteriorum Torcellanae dioecesis & aliis necessitatibus vestris deferri facere libere & absque aliqua datii vel gabellae, seu alia solutione consueveritis. Nihilominus dilecti filii Thesaurarii & gubernatores Ravennatensis, Cerviensis, Foro-liviensis, & Caesenatensis civitatum datia & gabellas occasione fructuum & proventuum bonorum praedictorum a vobis tamquam secularibus personis exigere, & vos super solutione illarum molestare & gravare, ac quominus fructus praedictos extrahi & conduci, ac, ut praefertur, deferri facere possitis, impedire indebite praesumunt in non modicum vestrum praejudicium & dispendium, ac libertatis ecclesiasticae laesionem. Quare nobis humiliter supplicare fecistis, ut vobis super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur quieti & indemnitati, ac dispendio vestris in praemissis opportune providere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, thesaurariis & gubernatoribus dictarum Civitatum nunc & pro tempore existentibus, ac quibusvis aliis, ad quos pertinet, in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo inhibemus, ne praetextu tritici, leguminum & aliorum quorumcumque fructuum in bonis vestris in dictis territoriis consistentibus excrescentium datia & gabellas a vobis exigere & extorquere, aut quominus fructus hujusmodi exinde exportari & conduci, ac ad vestrum & alia monasteria praedicta pro victu monachorum praedictorum & aliis necessitatibus vestris, prout consuevistis, libere deferri facere possitis, quovis colore impedire, perturbare aut desuper molestare quovis modo praesumant. Sed vos grani, leguminum & alios fructus hujusmodi, libere, prout consuevistis, ut praefertur, conduci & deferri facere permittant. Mandantes nihilominus dilectis filiis abbati monasterii sancti Vitalis Ravennatensis & venerabilium fratrum Caesenatensis ac Foroliviensis episcoporum vicariis in spiritualibus generalibus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium, seu alios vobis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant vos immunitate & exemptione praedictis pacifice gaudere, ac inhibitionem hujusmodi observari. Non permittentes vos, per thesaurarios & gubernatores praefatos seu quoscumque alios quavis auctoritate fungentes desuper contra praesentium ac privilegiorum & immunitatum praedictorum tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores per censuras ecclesiasticas appellatione postposita compescendo. Non obstantibus *&c.* Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVII. mensis maji M.D.XVII. pontificatus nostri anno quarto.

Ja. Sadoletus.

V.

Idem Vicario generali & Visitatoribus Camaldulensibus plura concedit privilegia.

Anno 1518. X. januarii.

Ex libro edito Privilegiorum Camaldul. pag. 75.

LEo papa X. Dilectis filiis Petro Brixiensi vicario generali & visitatoribus

bus congregationis Camaldulensis. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Alias initio pontificatus nostri, ut Camaldulensis ordo in suis regularibus institutis ad pristinum bonitatis odorem & famam reduceretur, unam congregationem eremi & sancti Michaelis de Murano nuncupandam ex omnibus locis dicti ordinis in capitulo generali erectam & institutam, sub qua eremitæ observantes, & conventuales, ac moniales comprehenderentur, per quasdam sub data VIII. decembris M.D.XIII. approbavimus & instituimus. Et Generalis dicti ordinis, qui & prior eremi existit, temporalis esset, ita quod cedente vel decedente tunc Generali, tempore, quo non celebratur capitulum, tunc vicarius dictæ congregationis sancti Michaelis supplere deberet officium generalis, usquequo capitulum celebraretur; prior vero eremi pro una vice tantum eligi a capitulo eremi, & durare deberet usque ad proximum capitulum observantium celebrandum, ac per alias nostras literas sub data die XXI. aprilis anni M.D.XVII. nonnulla circa celebrationem capituli generalis servari mandavimus, prout in illis plenius continetur. Quæ omnia motu proprio, salvis aliis in dictis prioribus literis contentis, in virtute sanctæ obedientiæ servari mandamus & cum ex temporalitate prælatorum humilitas, quæ placet Deo, conservetur, vobis in virtute ejusdem sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ut sicut abbates & priores & alii rectores dictæ congregationis ultra triennium in eorum prælationibus & administrationibus durare non debent, ita & abbatissæ, & priorissæ, ac administratrices in earum prælationibus & administrationibus nullatenus tolerentur. Et quia, ut accepimus, aliis prælatis aliarum congregationum a sede apostolica concessum fuisse dicitur, quod monachos scandalosos & incorrigibiles, aut de levitate & instabilitate notatos habitu privare possint, id, si aliis concessum reperitur, etiam vobis permittimus, ac licere volumus. Et ut monachis vestræ congregationis vagandi via præcludatur, omnibus & singulis tam laicis, quam ecclesiasticis, secularibus, regularibus personis cujuscumque dignitatis & præeminentiæ fuerint, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, a qua nonnisi a Romano pontifice, præterquam in mortis articulo constituti absolvi possint, inhibemus, ne aliquem ex monachis vestræ congregationis sine expressa licentia vicarii generalis aut ejus locum-tenentis, seu saltem proprii prælati in domo aut parochia sua quisque retinere præsumat, & ut hoc firmius observetur, ecclesiam, in cujus parochiam tales monachos permanere contingeret, ecclesiastico subjicimus interdicto. Quod inviolabiliter observari volumus, donec talis monachus ibidem permanserit; & nullus monachus dicti ordinis in monasterio conventualium habitans sub dicta excommunicationis pœna cucullam deferre valeat sine dicti vicarii generalis expressa licentia; & tam ipsi, quam alii prælati cujuscumque gradus & conditionis fuerint, sub simili pœna ad Romanam curiam accedere, aut aliquid a sede apostolica impetrare præsumant sine dicti vicarii generalis aut majoris eremi expressa licentia, & nihilominus careant impetratis. Ac vicario generali, & majori seu priori eremi pro tempore existenti, ut ipse privilegio per Urbanum papam prædecessorem nostrum priori pro tempore existenti utendi mitra, annulo, & aliis pontificiis insigniis uti possint, concedimus. Et cum congregationi vestræ concessum fuerit, quod vicarius generalis usque ad triennium confirmari possit, id etiam in visitatoribus servari posse volumus, ac quod usque ad triennium in officio durare ac confirmari possint. Et pro spirituali monachorum & monialium dicti ordinis consolatione, omnes & singulos ex eis, qui & quæ ter psalmum: *Miserere*, in ecclesia monasteriorum & locorum dicti ordinis, vel alio quocumque loco, si ecclesiæ copia non fuerit, etiam tempore infirmitatis recitaverint, & pro felici statu nostro & Romani pontificis pro tempore existentis, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ Deo preces effuderint, omnes & singulas indulgentias visitantibus ecclesias almæ Urbis nostræ, & extra eas concessas consequi volumus, ac si ecclesias ipsas Urbis, & extra eam personaliter visitarent. Et quia nuper a nobis editæ fuerunt nonnullæ constitutiones pro prospero & felici regimine dictæ congregationis, usquequo prælatus eremi cum suo capitulo monachos & conversos sibi subditos ad loca religiosa eremi destinare, ipsique sic destinati curam locorum hujusmodi etiamsi mendicantes fuerint, habere & gerere possint. Ac Major eremi nunc & pro tempore existens, etiam vivente moderno generali dictæ eremi, qui etiam prior existit, cum juxta privilegia per nos ordini hujusmodi tam in spiritualibus, quam temporalibus habere valeat, ex nunc censeatur, & sit verus prior eremi, & omnia, quæ ad priorem eremi pertinent, libere exercere valeat; quodque Sanct rum reliquiæ in quibuscumque ecclesi s & locis dicti ordinis existunt, ad ipsam eremum, ecclesiarum & locorum, in quibus fuerint,

rint, expresso consensu deferri possint, eas approbamus & confirmamus. Et quia contingere posset, quod tempore celebrandi capituli, Generalis, qui senio confectus existit, ob senium hujusmodi ad capitulum personaliter accedere non posset aut nollet, volumus, quod si præfatus ante tempus capituli celebrandi decederet, aut adveniente tempore capituli celebrandi requisitus ad ipsum capitulum accedere non posset, vel nollet, ex tunc vicarius generalis congregationis hujusmodi præsidens capituli existat, & in eo locum præsidentis tenere debeat. Quodque transumptis præsentium manu alicujus notarii subscriptis, & sigillo alicujus prælati munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis originalibus literis, si illæ essent exhibitæ vel ostensæ, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die x. januarii M.D.XVIII. pontificatus nostri anno v.

P. Bembus.

VI.

Idem revocat Brevia, literasque apostolicas, quatenus contraria existant constitutionibus ordinibusque Camaldulensibus.

Anno 1519. xv. aprilis.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

LEo papa X. ad perpetuam rei memoriam. Ad hoc regiminis universalis ecclesiæ *&c.* Dudum siquidem postquam per nos accepto, quod dilectus filius Petrus Delphinus prior prioratus eremi Camaldulensis ordinis Arretinæ diœcesis ac ejusdem ordinis generalis, & tunc eremitæ dictæ eremi & abbates monasteriorum, & priores prioratuum, ac aliæ personæ dicti ordinis in capitulo generali in civitate Florentina de mandato nostro congregato pro felici & prospero regimine dicti ordinis tam in spiritualibus, quam in temporalibus nonnulla statuta & ordinationes, inter alia videlicet, quod in religione dicti ordinis duo capitula celebrari, unum quidem de anno in annum, in quo solum convenirent observantes cœnobitæ & eremitæ, itaut prior eremi, sicuti alii observantium prælati cum uno suo socio ad id accederent, in quo per novem definitores, quorum major pars de numero prælatorum esset, eo modo deputandi & eligendi, quo in capitulis congregationis Casinensis, alias sanctæ Justinæ, eligantur. Prior eremi & ceteri omnes observantium locorum abbates & priores, ac generalis totius ipsius ordinis eligerentur, & cetera omnia tractarentur & definirentur, quæ ad regimen spirituale & temporale observantium tam cœnobitarum, quam eremitarum atque monialium pertinere viderentur. Alterum vero capitulum quamdiu in dicto ordine conventuales esse contingeret, generale totius religionis, quod fieri deberet, quando, quoties, & ubi generali ordinis & capitulo eremitarum hujusmodi visum foret; in quo omnes, & qui generalibus ipsius ordinis capitulis vocem habere consueverunt, convenirent, & sex definitores, quorum duo essent eremitæ sive sacerdotes, sive non, a capitulo eremi eligendi, duo de numero observantium, & duo de numero conventualium ab omnibus vocem in eodem capitulo habentibus deputandi una cum præsidente, qui semper esset ordinis generalis, aut loco ipsius eremi prior, ea tractarentur & definirentur, quæ ad totius ordinis reformationem incrementum atque utilitatem opportuna æstimarentur, ediderat statuta & ordinationes hujusmodi, nos motu proprio & ex certa scientia nostra ac apostolicæ potestatis plenitudine approbaveramus & confirmaveramus, & perpetuæ firmitatis robur obtinere decreveramus. Accepto etiam per nos, quod nonnulla in dicto capitulo generali Florentiæ celebrato statuta & ordinata fuerant, præsertim circa capitulorum celebrationem, & definitorum ac aliorum prælatorum electionem, quæ maturo & prudenti moderamine & informatione indigebant, nos per quasdam motu, scientia, potestate similibus dicto Petro generali, ut ipse proxime tunc futuro, & aliis duobus illud immediatis sequentibus generalibus capitulis dictæ congregationis, nostra & apostolicæ sedis auctoritate præsidens assisteret, & præsidentis munus & officium adimpleret, in quibus tribus, ut præmittitur, celebratis capitulis duo eremitæ dictæ eremi a prædicto generali cum capitulo ejusdem eremi, vel ipso absente a dicto capitulo tantum per singulos annos eligendi definitores essent, quorum duorum consilio & assensu sex alii eligerentur definitores de numero cœnobitarum, sive eremitarum, qui prælati præfatæ congregationis vel simplices monachi forent, una cum eodem Petro Delphino, & aliis sic electis definitoribus omnia & singula, quæ hujusmodi capitulorum præsidens & definitores, necnon ipse congregatio-

gationis vicarius & visitatores facere poterant & consueverant, ac alia circa constitutiones congregationis prædictæ corrigendos & de novo ordinandos necessaria non solum, sed etiam nostra auctoritate facere, ordinare, disponere & executioni demandari posse commisimus, mandavimus & injunximus; & deinde cum ab aliquibus dubitaretur, ne contra commissionem & mandatum nostra hujusmodi aliqua impetrata forent, vel in futurum impetrarentur, nos per alias nostras literas in forma Brevis omnia & singula, quæ contra commissionem & mandatum hujusmodi impetrata forent, revocavimus, cassavimus, & annullavimus, in futurum vero impetranda irrita & nullius valoris esse decrevimus, atque mandatum & commissionem prædicta confirmatas eidem Petro Delphino generali in virtute sanctæ obedientiæ, ut ea & in singulis literis in forma Brevis hujusmodi contenta exequi deberet, etiam commisimus & mandavimus, ac successive cum etiam ab aliquibus assereretur aliquos ejusdem congregationis non cessare, & modis ac actibus omnibus conari aliqua a nobis vel officialibus nostris contra easdem commissiones & mandata impetrare; nos eisdem scientia & potestate singulas literas in forma Brevis prædictas confirmavimus & approbavimus, ac firmitatem & inviolabile robur obtinere debere decrevimus: necnon eidem Petro generali etiam in virtute sanctæ obedientiæ; aliis vero personis ordinis & congregationis prædictorum quavis dignitate & administratione fungentibus sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, a qua nonnisi ab ipsis vigore literarum nostrarum in forma Brevis eligendis definitoribus absolvi possent, nec ipsi per se vel per alios contra ea, quæ per singulas literas in forma Brevis prædictas fieri aliquid palam vel occulte, directe vel indirecte &c. facere præsumerent, sed eis parere deberent. Et si qua forsan contra præmissa a nobis vel ab officialibus nostris per literas tam in forma Brevis, quam apostolicas impetrassent, vel in futurum impetrarent, sic pro tempore impetratis aut aliquibus eorum, quæ etiamsi motu, scientia & potestate prædictis aut quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis fortioribus, efficacioribus & insolitis clausulis emanassent, annullavimus, & nullius valoris vel momenti, ac si numquam impetrata fuissent, esse declaravimus, nullo modo uti valerent, ipsisque generali & personis, ut ne super his de animi nostri sententia dubitarent, aut ea in disputationem, adducerent, ipsi Petro generali omnes & singulas dictæ congregationis personas contradicentes, attemptantes vel differentes per censuras & pœnas ecclesiasticas ac alia juris remedia compescendum, facultatem concedendo etiam mandavimus: necnon præsidentis, definitorum & aliorum prælatorum electiones, aliorumque officialium deputationes, & alia quæcumque per capitulum aut alias personas dictæ congregationis contra hujusmodi commissiones & mandata dicta &c. irrita & inania decrevimus, prout in singulis literis prædictis, quarum tenores ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem sicut fide dignorum relatione accepimus, ex celebratione capituli juxta formam & tenorem priorum literarum in forma Brevis hujusmodi prædicta & alia statuta & ordinationes ac aliquæ laudabiles consuetudines ordinis & congregationis prædictorum prudenti consilio & matura deliberatione edita, & introducta, tradantur, dissensionis & scandali occasio præbeatur; Nos cupientes scandalis & dissensionibus hujusmodi, prout nostro pastorali officio incumbit, obviare, ac paci & quieti personarum dictæ congregationis consulere, motu, scientia & potestatis plenitudine similibus auctoritate apostolica tenore præsentium omnes & singulas literas tam apostolicas, quam in forma Brevis prædictas & in eis contenta quæcumque, quatenus statutis & ordinibus ac laudabilibus constitutionibus prædictis contraria existant, revocamus, cassamus, irritamus & annullamus, districte inhibentes eidem Petro generali, ac omnibus & singulis aliis definitoribus, abbatibus, prioribus & aliis personis dictæ congregationis sub excommunicationis latæ sententiæ & maledictionis æternæ pœna, eo ipso, quo contrafecerint, incurrenda, a qua nonisi per nos aut per Romanum pontificem pro tempore existentem absolvi possint; ne capitula prædicta vel eorum aliquod juxta formam & tenorem dictarum literarum in forma Brevis, sed tam præsenti anno, quam deinceps perpetuis futuris temporibus illud juxta statuta, ordines & laudabiles consuetudines prædicta celebrare, & in eo peragenda tractare, ipsaque statuta, ordines & consuetudines in omnibus & per omnia, prout per nos approbata & confirmata fuerunt, inviolabiliter observare, ac illis inniti, ac in proximo capitulo celebrando tum de cetero uno anno in dominio Florentinorum, & altero anno in dominio Venetorum capitulum celebrare perpetuo debeat, statuere debeant. Ac decernen-

nentes & declarantes eosdem Petrum generalem, definitores, abbates, priores & personas ad observationem dictarum literarum vel aliquorum in eis contentorum minime teneri aut obligatos esse &c. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xv. aprilis M. D. XIX. pontificatus nostri anno VII.

P. Bembus.

VII.

Idem in præsidem Capituli generalis creat Petrum Delphinum generalem.

Anno 1519. XVI. aprilis.

Ex eodem tabulario.

LEo papa X. dilecto filio Petro Delphino ordinis Camaldulensis generali. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Proximis annis elapsis desiderantes Camaldulensem ordinem ad Dei laudem & animarum salutem in melius reformari, ejusdem ordinis congregationem sacræ eremi & sancti Michaelis de Muriano Torcellanæ diœcesis ereximus, & nonnullis privilegiis eam munivimus, sperantes ex illis incrementum dicti ordinis successurum fore. Cum autem experientia ipsa, quæ rerum omnium magistra est, contrarium, quam sperabamus, ex certis literis nostris in forma Brevis, necnon sub plumbo expeditis derogatoriis eorumdem privilegiorum evenisse, ac posteriores nostræ literæ hujusmodi scandala potius & dissensiones inter religiosos ordinis vestri, quam aliquem fructum attulisse, ac singulis diebus ad noxam magis, quam ad commodum tendere didicimus. Ea propter nos, qui Christi-fidelium omnium & præsertim religiosorum, a quibus optima in ceteros Christi-fideles exempla pervenire debent, pacem & quietem desideramus & procuramus, dictas posteriores literas derogatorias privilegiorum hujusmodi sine tamen præjudicio eorum, quæ hactenus illarum vigore gesta fuerunt, per alias nostras literas revocavimus & annullavimus, ac capitulum & alia negotia dicti ordinis juxta antiquas illius institutiones & ordinationes de cetero celebrari mandavimus. Quia vero nonnullæ graves querelæ de dilecto filio Petro de Brixia vicario generali dictæ congregationis ad nos delatæ fuerunt, quæ si veræ essent, graviter corrigendæ & exprimendæ forent, propterea nos ex iis & aliis causis animum nostrum moventibus, super hoc etiam supplicante dilecto filio nostro Laurentio tituli sanctorum quatuor Coronatorum presbytero cardinali tui ordinis protectore, te ut in proximo capitulo generali in monasterio Carcerum Paduanæ diœcesis celebrando in præsidentem ac supraintendentem per præsentes constituimus & deputamus, ut de prædictis & aliis querelis veritatem inquiras, corrigas & punias, ac omnia & singula, quæ ad pacem, unionem & honorem dicti ordinis videris expedire, facias & exerceas, plenam & liberam facultatem concedimus etiam per præsentes. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XVI. aprilis M. D. XIX. pontificatus nostri anno VII.

P. Bembus.

VIII.

Idem Dominico Cardinali Grimano indulget translationem fructuum abbatiæ Carcerum in alias personas, & insuper regressum ejusdem Cardinalis ad eosdem fructus.

Anno 1519. pridie nonas martii.

Ex monasterii Carcerum exemplis.

LEo episcopus servus servorum Dei ven. fratri nostro Dominico episcopo Portuensi salutem & apostolicam benedictionem. Ad personam tuam, quam multiplicum gratiarum muneribus illarum largitor Altissimus insignivit, paternæ dirigentes considerationis intuitum, & attente prospicientes, quod tu Romanam ecclesiam, cujus honorabile membrum existis, tuorum honoras plenius magnitudine meritorum, dignum quin potius debitum reputamus, ut illam tibi reperias in exhibitione gratiarum munificam, & in tuis opportunitatibus liberalem. Hinc est, quod nos, cui alias, cum tu, inter quem & tunc vicarium ac definitores & dilectos filios capitulum congregationis sancti Michaelis de Muriano Camaldulensis ordinis Torcellanæ diœcesis, & causa in Romana curia coram certo causarum palatii apostolici auditore super regimine & administratione Monasterii sanctæ Mariæ ad Carceres ordinis & congregationis prædictorum Paduanæ diœcesis, quod ad te de jure spectare, & congregatio hujusmodi per abbatem annualem per capitulum congregationis hujusmodi eligendum juxta lau-

laudabiles ritus & mores dictæ congregationis regi & gubernari debere, asserentibus in prima seu ulteriori instantia indecisa pendebat, liti & causæ hujusmodi, ac omni juri tibi in regimine & administratione prædictis, vel ad illa quomodolibet competenti pro implemento certæ, honestæ ac tunc expressæ concordiæ inter te & vicarium, definitores & capitulum præfatos desuper initæ, & per felicis recordationis Julium papam II. prædecessorem nostrum approbatæ in manibus ejusdem prædecessoris sponte & libere cessisses, regimen & administrationem monasterii hujusmodi eidem congregationi juxta illius ritus & mores habenda dimittendo, dictusque prædecessor cessionem ipsam duxisset admittendam; idem prædecessor omnes & singulos fructus, redditus & proventus dicti monasterii per te, quoad viveres, vel alium, seu alios tuo nomine exigendos, levandos & percipiendos, cum facultate illos in unam vel duas personas, prout tibi videretur, transferendi, ac eisdem personis, in quas fructus hujusmodi transferres, simul vel successive cedentibus vel decedentibus, ad eosdem fructus regrediendi, & illos sicut prius percipiendi, necnon similiter, quoad viveres, totiens quotiens in alias personas denuo transferendi, & ad illos regrediendi per suas literas sub certis modo & forma reservavit, concessit & assignavit, prout in illis plenius continetur, gratiæ amplioris favore prosequi volentes, motu proprio &c. tibi, quod quicumque loci ordinarius seu canonicus alicujus cathedralis ecclesiæ, aut persona in dignitate ecclesiastica constituta per te pro tempore eligendus vel eligenda totiens quotiens dictos fructus in quamcumque aliam personam, seu quascumque alias personas, etiam episcopali seu archiepiscopali aut patriarchali dignitate fulgentes sibi ad hos per te vel tuum legitimum procuratorem nominandam seu nominandas per eam vel eas, quoad vixerit, seu vixerint, etiam propria ejus vel earum auctoritate exigendos, colligendos & levandos, ac in suos usus & utilitatem convertendos transferre, illosque personæ seu personis nominandis hujusmodi apostolica auctoritate reservare, concedere & assignare alias juxta concordiam prædictam & capitulationem circa hæc in ea contentam possit, præfata auctoritate apostolica tenore præsentium indulgemus, ac ordinario, personæ in dignitate constitutæ, seu canonico hujusmodi desuper plenam & liberam licentiam & facultatem concedimus. Non obstantibus præmissis & constitutionibus &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M.D.XIX. pridie nonas martii pontificatus nostri anno VII.

P. de Medina.

Idem unit parthenoni S. Agathæ de Florentia ecclesiam S. Justi de castro Campi.

Anno 1520. pridie nonas septembris.

Ex autographo penes easdem moniales

LEo episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. priori secularis & collegiatæ ecclesiæ sancti Laurentii Florentin. salutem & apostolicam benedictionem. Apostolicæ sedis operosa sollicitudo ad ea libenter intendit, per quæ singularum religiosarum, illarum præsertim quæ mundanis illecebris spretis, in illius, qui speciosus est præ filiis hominum, beneplacito sub suavi religionis & contemplationis jugo Altissimo famulatu dedicarunt, personarum votis earumque monasteriorum & locorum necessitatibus & opportunitatibus utiliter valeat & salubriter provideri. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Johannes Bartholomæi de Sodis rector paræchialis ecclesiæ sancti Justi de castro Campi Florentinæ diœcesis ex certis rationabilibus causis ad id animum suum moventibus ecclesiam prædictam, quam obtinet, & quæ de jure patronatus laicorum rusticorum, videlicet familiæ de Sodis, ex quadam consuetudine præsentandi dumtaxat existit, sponte & libere resignare proponat. Et sicut exhibita nobis nuper tam pro parte dicti Johannis, quam etiam dilectarum in Christo filiarum abbatissæ & monialium monasterii sanctæ Agathæ de via sancti Galli Florentin. ordinis sancti Benedicti petitio continebat, si dicta ecclesia eidem monasterio, in quo prædictæ & pro tempore existentes illius abbatissa & moniales, quæ continuo plusquam centum numero existunt in communi degentes, nullaque abbatialis mensa a conventuali mensa divisa existit, cujusque fructus, redditus & proventus adeo tenues & exiles existunt, quod ex illis prædictæ ac pro tempore existentes illius abbatissa & moniales commode sustentari non valent, perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, ex hoc profecto abbatissa & moniales prædictæ commodius se sustentari valerent, pro parte Johannis asserentis se unum ac antiquiorem ex patronis & familia prædictis existere, nobis

nobis fuit humiliter supplicatum, ut ecclesiam prædictam eidem monasterio & illius mensæ conventuali perpetuo unire, annectere & incorporare, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur *&c.*, discretioni tuæ per apostolica scripta committimus & mandamus, quatinus ab eodem Johanne vel procuratore suo, ad id ab eo speciale mandatum habente, resignationem hujusmodi, si illam in tuis manibus sponte & libere facere voluerit, ut præfertur, hac vice recipias & admittas, eaque per te recepta & admissa, ecclesiam prædictam sive per resignationem hujusmodi tunc, sive alias quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per similem resignationem dicti Johannis, vel cujusvis alterius de illa extra Romanam curiam, etiam coram notario publico & testibus sponte factam tradas, non obstante constitutione fel. recor. Johannis papæ XXII. prædecess. nostri, quæ incipit *Execrabilis &c.* Non obstantibus *&c.* Nulli ergo *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo pridie nonas septembris pontificatus nostri anno octavo.

Jo. de Attavantis.

X.

Idem concedit cardinali Laurentio Puccio, quod possit Camaldulensibus largiri ecclesiam SS. IV. Coronatorum de Urbe, quæ erat ejus titulus.

Anno 1521. 8. octobris.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano.

LEo papa X. dilecto filio nostro Laurentio tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbytero cardinali. Dilecte fili noster, salutem & apostolicam benedictionem. Cum sicut nobis exposuisti, ecclesia sanctorum Quatuor Coronatorum, quæ titulus tui cardinalatus existit, viris religiosis & cultui divino mancipatis per plures annos, etiam antequam illam in titulum haberes, caruerit, & propterea in ea divina minime celebrentur officia, tuque devotionis zelo accensus aliquos monachos Camaldulensis ordinis congregationis Eremi Camaldulensis ac sancti Michaelis de Murano, vitæ exemplaris, qui perpetuo divina sacrificia obsequiaque celebrent in eadem in honorem omnipotentis Dei & gloriosissimæ Virginis Mariæ & sanctorum quatuor Coronatorum, sub certis modo, forma & pactis alias constitueris, & de novo ad præsens constituere desideres, nobis propterea humiliter supplicasti, ut tibi præmissa juxta cordis tui desiderium adimplendi licentiam & facultatem concedere dignaremur: nos animi tui erga religionem christianam cultumque divinum, cujus studiosissimus semper fuisti, pietatem, & hoc laudabile propositum tuum, per quod majestas collaudatur divina, religio suscipit incrementum, & divini cultus honor accrescit, attendentes, ac tuis in hac parte piis ex fervore caritatis divinæ præsilientibus supplicationibus inclinati, circumspectioni tuæ ecclesiam prædictam sanctorum Quatuor Coronatorum, quæ titulus tui cardinalatus nunc existit, una cum hortis, hortalitiis & aliis inibi adjacentibus cameris, dormitorio, ac calicibus, vestiariis & paramentis, ac aliis ad cultum divinum, & celebrationem & decantationem divinorum pertinentibus, & in eadem ecclesia existentibus, dilectis filiis vicario & visitatoribus ordinis & congregationis prædictæ, nomine totius congregationis prædictæ, perpetuo dandi, concedendi & assignandi, ac eos inibi constituendi, & cum eisdem vicario & visitatoribus, seu eorum procuratore conventiones & pacta alias licita & honesta, & a sacris canonibus non deviantia ineundi, paciscendi & super numero religiosorum & aliis, quæ cultum divinum concernunt, statuendi & ordinandi, prout circumspectioni tuæ visum fuerit, licentiam & facultatem auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus pariter & indulgemus, ac pacta, conventiones & ordinationes, quas circa præmissa eadem circumspectio tua duxerit facienda & injungenda, & quæ ex nunc prout ex tunc, & e converso, eadem auctoritate approbamus, & apostolici muniminis robore confirmamus, perpetuo & inviolabiliter observanda fore & esse volumus, decernimusque, ac eisdem vicario, et visitatoribus aut monachis dicti ordinis per te constitutis seu constituendis, et pro tempore existentibus in eadem ecclesia, quod ab illa, necnon hortis, hortalitiis et aliis, quæ eis duxeris assignanda, amoveri, neque super illis per quempiam quavis auctoritate, etsi cardinalatus dignitate præfulgeat, et in ecclesia sanctorum Quatuor Coronatorum hujusmodi successor existat, molestari, seu alias inquietari posse et debere, ac irritum et inane quicquid secus super his imposterum quavis auctoritate contingeret attentari, decer-

cernimus & declaramus. Et insuper cum tu pænitentiariæ nostræ curam habeas, quod in basilica sancti Johannis Lateranensis abbatem monasterii sanctorum Quatuor Coronatorum hujusmodi pro tempore existentem, in pænitentiarium ejusdem basilicæ perpetuo deputare valeas, indulgemus. Non intendimus tamen propter hoc, quod tu & successores tui ad aliquid contribuendum dictis fratribus contra voluntatem tuam seu eorum astringamini, ac quod ecclesiæ prædictæ fructibus, redditibus & proventibus spectantibus, pertinentibus, ac tibi seu successoribus prædictis, propterea aliquod detrimentum vel diminutio afferatur. Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die VIII. mensis octobris M. D. XXI. pontificatus nostri anno nono.

Evangelista.

X I.

Idem recipit sub sua protectione eremum S. Hieronymi de Pascilupo, solvens unionem ecclesiæ dictæ eremi cum ecclesia paræciali dicti loci.

Anno 1521. IX. aprilis.

Ex veteri exemplo archivi abbatiæ Montis-acuti.

LEo papa X. Paulo Justiniano eremitæ sancti Romualdi. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Votis illis gratum nos decet præstare assensum, per quæ eremitoria & alia pia loca valeant ad laudem Dei salubriter gubernari. Cum itaque eremitorium sancti Hieronymi de Pascelupo Eugubinæ diœcesis, quod parochiali ecclesiæ plebi nuncupatæ sancti Angeli etiam de Pascelupo ejusdem diœcesis perpetuo unitum erat, ex eo quod nos unionem hujusmodi dilecti filii Guidonis Mariozi ipsius ecclesiæ rectoris ad hoc per dilectum filium Nicolaum Brunum procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expresso accedente consensu, harum serie dissolvimus, per dissolutionem hujusmodi eremita careat ad præsens, nos volentes vos & alios vitam eremiticam vobiscum ducere volentes, ut divinis beneplacitis liberius vacare, & Altissimo famulatum exhibere possitis, favore prosequi gratioso, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, eremitorium prædictum cum illius ecclesia cum omnibus juribus & pertinentiis suis, vobis & sociis eremitis ac successoribus vestris religiosis vel secularibus ad hujusmodi vitam eremiticam accedere volentibus, ac in ipso eremitorio pro tempore recipiendis, ita tamen quod eidem Guidoni, quoad vixerit dumtaxat, pensionem annuam trium ducatorum auri singulis annis persolvere cum effectu teneamini, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo concedimus & assignamus, ac vobis & sociis, necnon successoribus præfatis, ut eremitorium prædictum retinere, regere & gubernare, ac in illius ecclesia prædicta campanellam unam tenere, & in eo eremitas Deo servire volentes recipere libere & licite valeatis: nec desuper per quascumque personas tam ecclesiasticas, quam seculares molestari seu inquietari possitis, auctoritate & tenore prædictis licentiam & facultatem concedimus & pariter indulgemus. Et ne mulieres ad dictum eremitorium accedant, aut se per medium milliare circa illud & ultra Cruces per vos ad id humo figendas conferant, sub excommunicationis latæ sententiæ districtius prohibemus, mandantes dilectis filiis vicariis venerabilium fratrum Eugubini, Urbinatis, & Perusini episcoporum in spiritualibus generalibus pro tempore existentibus, quatenus unus ipsorum vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios vobis ac sociis & successoribus præfatis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra concessionem, assignationem, indultum & prohibitionem hujusmodi firmiter observari, vosque & socios ac successores præfatos illis pacifice gaudere. Non permittentes vos desuper per quoscumque quavis auctoritate fungentes, quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et pœnas ecclesiasticas appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die IX. aprilis M. D. XXI. pontificatus nostri anno nono.

XII.

Idem commendat ecclesiam S. Mariæ de Lacu Brittonoriensis diœcesis.

Anno 1521. VI. kal. maji.

Ex tabulario monasterii Urani.

LEo episcopus servus servorum Dei dilecto filio Thomæ de Rossetis de Ferraria monacho congregationis Camaldulensis ordinis sancti Benedicti salutem & apostolicam benedictionem. Religionis zelus &c. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod alias quondam Hieronymus de Socio frater Camaldulensis ordinis tunc in humanis agens ecclesiam sanctæ Mariæ de Lacu Brittonoriensis diœcesis, quæ ut asseritur, per fratres monasterii sive eremi sanctæ Mariæ de Urano dicti ordinis teneri, aut membrum ejusdem monasterii reputari consuevit, quam tunc obtinebat, in manibus tunc abbatis seu commendatarii dicti monasterii sponte & libere in favorem tui extra Romanam curiam resignavit, ipseque abbas sive commendatarius extra eamdem curiam auctoritate ordinaria resignationem hujusmodi admisit, ac ecclesiam prædictam per eamdem resignationem sic vacantem tibi contulit, prout in instrumento desuper confecto plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, tu dubites præmissa viribus non subsistere, & sicut accepimus, adhuc vacet dicta ecclesia, nos tibi, ut commodius sustentari valeas, de alicujus subventionis auxilio providere, ac præmissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis &c. absolventes &c. ecclesiam prædictam, quæ sine cura est, & cujus fructus, redditus & proventus decem ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseris, non excedunt &c. cum omnibus juribus &c. auctoritate apostolica tenore præsentium commendamus &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, commendæ, mandati, voluntatis & decreti infringere &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M.D.XXI. sexto kalendas maji pontificatus nostri anno IX.

Cyprianus.

XIII.

Clemens VII. unit prioratum S. Cæciliæ de Podio eremo Vivensi.

Anno 1524. XV. kal. aprilis.

Ex veteri exemplo S. Romualdi de Urbe.

CLemens episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto &c. Cum itaque postmodum prioratum sanctæ Cæciliæ de Podio Camaldulensis ordinis Arretinæ diœcesis per liberam resignationem dilecti filii Silvestri Petri nuper ipsius prioratus prioris de illo, quem tunc obtinebat, per dilectum filium Nicolaum de Tutis laicum Senensem procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris sponte factam & per nos admissam apud sedem eamdem vacaverit & vacet ad præsens, nullusque de illo præter nos hac vice disponere poterit sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Jacobi Petri-Pauli prioris prioratus ad eremum Vivum dicti ordinis Pientinæ diœcesis petitio continebat, si dictus prioratus sanctæ Cæciliæ eidem prioratui ad eremum Vivum perpetuo uniretur &c. ex hoc profecto suis ac prioris pro tempore dicti prioratus ad eremum Vivum commoditatibus non parum consuleretur, ac pro parte dicti Jacobi asserentis dicti prioratus sanctæ Cæciliæ fructus, redditus & proventus sexaginta ducatorum auri de camera secundum communem estimationem valorem annuum non excedere, nobis fuerit humiliter supplicatum, ut prioratum sanctæ Cæciliæ prædictum eidem prioratui ad eremum Vivum unire &c. dignaremur. Nos qui dudum &c. hujusmodi supplicationibus inclinati prioratum sanctæ Cæciliæ prædictum, qui manualis, & non conventualis existit, cuique cura non imminet animarum, sive præmisso, sive alio quovis modo aut ex alterius cujuscumque persona &c. cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem prioratui ad eremum Vivum auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, ita quod liceat ex nunc priori prioratus ad eremum Vivum hujusmodi corporalem possessionem prioratus sanctæ Cæciliæ, jurium & pertinentiarum prædictarum per se vel alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, illius-

illiusque fructus, redditus & proventus in suos & prioratuum prædictorum usus & utilitatem convertere, diœcesani loci & cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus *&c.* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, voluntatis & decreti infringere *&c.* Datum Romæ M. D. XXIV. quinto-decimo kalendas aprilis pontificatus nostri anno primo.

XIV.

Idem unit congregationi eremitarum S. Romualdi aliquot monasteria & ecclesias.

Anno 1524. XVI. kal. aprilis.

Ex archivo S. Salvatoris Montis-acuti.

CLemens episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Pastoralis officii cura *&c.* Cum itaque monasterium sancti Salvatoris de Monte-acuto & sancti Leonardi de Volubrio prope Montemfortinum, ejusdem sancti Salvatoris prioratus, Perusinæ & Firmanæ ac Fanensis diœcesum, Cisterciensis & sancti Benedicti ordinum, & Canonica nuncupata sancti Michaelis archangeli, quæ de jure patronatus laicorum existit, ac parochialis sanctorum Petri & Pauli de Castroceto Tudertinæ & dictæ Fanensis diœcesum ecclesiæ, quæ dilectus filius Galeatius de Gabrieliis canonicus Fanensis ex concessione & dispensatione apostolica in commendam nuper obtinebat, commendata hujusmodi, ex eo quod dictus Galeatius illi hodie in manibus nostris sponte & libere cessit, nosque cessionem ipsam acceptavimus, & quascumque generales vel speciales reservationes *&c.* Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Pauli & sociorum eremitarum Camaldulensium ordinis societatis sancti Romualdi congregationis sacræ eremi Camaldulensis & sancti Michaelis de Muriano in Cryptarum Massacii, & sancti Hieronymi de Pascilupo, & sancti Benedicti, necnon sancti Leonardi de Volubrio & sanctæ Mariæ de Spiritu-sancto Æsinæ, & Eugubinæ & Anconitanæ, necnon Firmanæ & Larinensis diœcesum sub regula & institutis sancti Benedicti & eremitica conversatione degentium petitio continebat, si monasterium & prioratus prædicti societati hujusmodi per priores triennales & alias juxta ejusdem societatis laudabilia instituta, ordinationes, mores & ritus in spiritualibus & temporalibus tenenda, regenda & gubernanda concederentur & applicarentur, ac sancti Michaelis, ac sanctorum Petri & Pauli ecclesiæ prædictæ, sancti Hieronymi & Cryptarum Massacii eremitoriis prædictis respective unirentur, annecterentur & incorporarentur, profecto ex hoc conservationi tam in spiritualibus, quam in temporalibus monasterii & prioratuum, ac societatis prædictæ & commoditati illius eremitarum cum divini cultus augmento & animarum salute plurimum consuleretur, pro parte Pauli & sociorum prædictorum asserentium monasterii trecentorum, ac super quibus annuus census trium ducatorum monasterio sanctæ Crucis Fontis-avellanæ ordinis sancti Benedicti & Eugubinæ diœcesis prædictorum persolvi consuevit, sancti Leonardi centum & triginta, necnon super quibus certa persona ecclesiastica pensionem annuam viginti-quatuor ducatorum auri de camera auctoritate apostolica sibi reservatam percipit annuatim, sancti Salvatoris prioratum nonaginta, & sancti Michaelis octoginta & parochialis ecclesiarum prædictarum viginti-quatuor ducatorum auri similium fructus, redditus & proventus secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut monasterium sancti Salvatoris & prioratus eidem societati per priores triennales & alias juxta eorum laudabilia statuta, mores & ritus in spiritualibus & temporalibus regenda & gubernanda concedere & applicare; ecclesias vero hujusmodi sancti Hieronymi & Cryptarum eremitoriis prædictis unire, annectere & incorporare respective, quamdiu dictus Galeatius & alius eremita, ut præfertur, nominandus vitam duxerit in humanis; aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem *&c.* Paulum & socios prædictos *&c.* absolventes *&c.* hujusmodi supplicationibus inclinati monasterium sancti Salvatoris, quod conventu caret, & qui conventuales non sunt, ac a dicto monasterio sanctæ Crucis dependent, prioratus, societati prædictæ per priores triennales ejusdem societatis, & alias juxta eorum laudabilia statuta, ordinationes, mores, & ritus in spiritualibus & temporalibus tenenda & gubernanda concedimus & applicamus: ecclesias vero prædictas *&c.* dummodo tempore datæ præsentium in prioratibus & ecclesiis prædictis alicui spe-

specialiter jus quæsitum, ac eidem monasterio sancti Salvatoris de abbate provisum aut alicui commendatum canonice non existat, & quoad ecclesiam sancti Michaelis prædictam alterius medietatis patronorum illius, quatenus jure patronatus hujusmodi ex fundatione vel dotatione eis competat, ad hoc expressus accedat assensus, cum omnibus juribus & pertinentiis suis sancti Hieronymi & Cryptarum Massacii eremitoriis prædictis &c. incorporamus auctoritate apostolica tenore præsentium, ita quod liceat ex nunc Paulo & sociis, & pro tempore existentibus eremitis dictæ societatis per se, vel alium seu alios corporalem prioratuum & ecclesiarum, ac regiminis & administrationis monasterii sancti Salvatoris juriumque & pertinentiarum prædictarum &c. possessionem &c. apprehendere &c. diœcesanorum locorum & quorumvis aliorum licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus &c. privilegiis quoque & indultis ac literis apostolicis monasterio & Cistercienfi ordini prædictis &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M. D. XXIIII. sexto-decimo kalendas aprilis pontificatus nostri anno primo. Branconius.

XV.

Idem vetat cæsionem & exportationem lignorum silvæ pineæ ad monasterium Classis spectantis.

Anno 1524. xv. aprilis.

Ex antiquo apographo ejusdem abbatiæ.

CLemens papa VII. Dilectis filiis sancti Vitalis, & de Classis, ac sancti Johannis-evangelistæ Ravennaten. monasteriorum abbatibus, & eorumdem monasteriorum conventibus. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, quod postquam alias felicis recor. Julius papa II. prædecessor noster relationem nonnullorum acceperat, silvam pineam in insula Palazoli Ravennatis diœcesis, quæ totius regionis illius ornamentum existebat & existit, passim cædi; idem Julius prædecessor, ne ligna viridia sive arida in eadem silva cædere absque ejus expressa licentia sub pœna excommunicationis & quingentorum ducatorum auri inhibuerat, & deinde tunc abbati & conventui monasterii sancti Vitalis Ravennatensis, ad quos silva prædicta ratione dicti monasterii seu membrorum illius pro parte pertinet, indulserat, ut in eadem silva pro usu & ædificiis dicti monasterii tantummodo ligna arida, & pinus inutiles, & infructuosas, mortuas, & prostratas asportari facere possint per quasdam; & deinde per eumdem Julium prædecessorem accepto, quod tunc gubernator & nonnulli alii civitatis Ravennatis in eadem silva ligna cædere, ex eaque asportare non verebantur, præfatus Julius prædecessor licentiam hujusmodi coercere, & indemnitati dicti monasterii consulere cupiens, per alias ejus sub annulo piscatoris literas gubernatori dictæ civitatis tunc & pro tempore existenti, ac omnibus & singulis aliis officialibus & personis cujuscumque status, conditionis & ordinis fuissent, sub excommunicationis latæ sententiæ & mille ducatorum auri pænis certis modo & forma tunc expressis applicandorum mandavit, ut neque viridia, neque arida in hujusmodi silva quis quæsito colore cædere, & inde asportare præsumeret, & nihilominus ejusdem abbati & conventui sancti Vitalis, quod duos custodes per eos pro tempore eligendos, & ad eorum nutum amovibiles in antedicta silva, quibus cum eorum sociis arma offensibilia & defensibilia portare, absque contradictione & alicujus pænæ incursu, liceret tenere, & deputare posset, indulsit & concessit, prout in singulis literis prædictis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ista monasteria de Classe & sancti Johannis-evangelistæ Ravennaten. dicti seu alterius ordinis similes silvas seu pinetas in partibus illis, quæ similiter regionis illius ornamentum non modicum existunt, habent & possideant, quodque præsidens Romandiolæ, gubernator, castellanus & sapientes dictæ civitatis in eisdem silvis, quæ sacræ merito dici possunt, quoniam sacris sunt attributæ, ligna cædere, & ex illis asportare literis prædictis spretis non verentur, in grave monasteriorum prædictorum damnum, ac periculum animarum illorum. Nos itaque vestigiis ejusdem Julii prædecessoris inhærendo, ac præmissa coercere, & indemnitati monasteriorum vestrorum consulere cupientes, vestris supplicationibus nobis nuper porrectis in hac parte inclinati, literas ejusdem prædecessoris hujusmodi cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis innovamus, confirmamus & approbamus: illasque ad silvas pineas monasteriorum de Classe & sancti Johannis-evangelistæ prædictorum per præsentes extendimus, ita tamen quod custodes dictarum silvarum pro tempore deputandi

tandi in manibus abbatum seu prælatorum monasteriorum prædictorum respective juramentum de officio custodiæ hujusmodi bene & fideliter exercendo dumtaxat de cetero præstare teneantur; & nihilominus dilectis filiis præsidenti, gubernatori, castellano & sapientibus provinciæ & civitatis prædictorum, & omnibus & singulis aliis officialibus cujuscumque status & ordinis & conditionis sint, sub eisdem ipso facto, si contrafecerint, incurrendis pœnis pro una fabricæ basilicæ principis Apostolorum de Urbe, & alia medietatibus pænarum hujusmodi præsidenti provinciæ Romandiolæ hujusmodi pro tempore existenti illas exigenti applicandarum; ut nec viridia, neque arida ligna in hujusmodi silvis quovis quæsito colore cædere seu asportare præsumant, tenore præsentium præcipimus & mandamus; & insuper gubernatori & sapientibus dictæ civitatis pro tempore existentibus, ut vobis in præmissis omnes & singulos favores opportunos efficaciter dare & præstare debeant, earumdem tenore præsentium injungimus & mandamus; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XV. aprilis M. D. XXIIII. pontificatus nostri anno primo.

A. Gratiadei.

XVI.

Laurentius cardinalis Puccius permittit aliquot eremitis Camaldulensibus eligere alia loca ad vitam eremiticam commodiora.

Anno 1524. II. nonas augusti.

Ex tabulario Fontis-boni,

Laurentius miseratione divina episcopus Prænestinus dilectis in Christo Olivo de Matthæo de Teozzo de Cortona, & Eliæ de Mediolano, ac Antonio magistri Martini de Lignago eremitis eremi Camaldulensis salutem in domino. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod vos, qui in eremo Camaldulensi hujusmodi per multos annos religiose vivendo permansistis, ut cum potiori animi vestri quiete Altissimo famulari valeatis, desideratis vitam eremiticam in loco per vos eligendo simul vel separatim ducere, quod vobis permitti dubitatis absque sedis apostolicæ licentia speciali. Quare supplicari fecistis humiliter nobis super his per sedem eamdem de opportuno remedio misericorditer provideri. Nos igitur vos in hoc vestro laudabili proposito confovere volentes, vestrisque in hac parte supplicationibus inclinati auctoritate domini papæ, cujus pænitentiariæ curam gerimus, & de ejus speciali mandato super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, ut superiorum vestrorum licentia super hoc per vos vel alium seu alios petita, licet non obtenta, extra domos dicti ordinis simul vel separatim una cum socio per vos vel quemlibet vestrum eligendo habitu eremitico retento, ac honeste & religiose vivendo in quocumque eremitorio, ecclesia vel capella aut oratorio a cetu hominum remoto in quibusvis partibus & locis Italiæ per vos & quemlibet vestrum eligendo vitam eremiticam sub obedientia & correctione ordinarii loci dumtaxat, sub quo vos & quemlibet vestrum pro tempore residere contigerit, quoad vixeritis, ducere & ducendo permanere, ac interim omnibus & singulis privilegiis, exemptionibus, favoribus, gratiis, concessionibus & indultis tam spiritualibus quam aliis dicto ordini vel eremo Camaldulensi in genere vel specie concessis & concedendis gaudere, necnon eleemosinas pro vestra sustentatione a Christi-fidelibus recipere, ac illas in vestros licitos ac honestos usus convertere, libere & licite possitis & valeatis, & quilibet vestrum possit & valeat, ita quod per superiorem ordinis Camaldulensis revocari aut desuper impediri minime possitis, veris existentibus præmissis, vobis & cuilibet vestrum tenore præsentium indulgemus, & licentiam & liberam concedimus facultatem. Quocirca venerabili in Christo patri Dei gratia episcopo Wigorniensi & discretis viris officialibus episcoporum, sub quorum diœcesi pro tempore manseritis, ac eorum cuilibet committimus & mandamus, quatenus per se vel alium seu alios vobis & cuilibet vestrum in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant vos concessione & indulto hujusmodi, ac aliis præmissis pacifice frui & gaudere, non permittentes vos vel aliquem vestrum super eisdem præmissis vel eorum aliquo per locorum ordinarios vel eorum in spiritualibus vicarios, aut dicti ordinis reformatores, visitatores vel superiores, etiam generalem, seu quoscumque alios tam ecclesiasticos, quam seculares judices & personas, cujuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, & quacumque etiam pontificali præfulgeant dignitate, vel auctoritate etiam apostolica funguntur, quomodolibet molestarii perturbari aut inquietari; contradictores quoslibet & rebelles per cen-

censuram ecclesiasticam & alia juris opportuna remedia appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis &c. etiamsi in eis caveatur expresse, quod nullus frater dicti ordinis ad alium arctiorem etiamsi eremiticum vivendi modum absque sui superioris licentia se transferre valeat, quibus omnibus illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub sigillo officii Poenitentiariae II. nonas augusti pontificatus domini Clementis papae VII. anno primo.

Jo. Larrega.

XVII.

Apostolica facultas facta Generali Camaldulensi exigendi taxas & collectas etiam a Commendatariis.

Anno 1526. XXIII. februarii.

Ex archivo S. Hippolyti de Faventia.

CLemens Papa VII. Venerabiles fratres, & dilecti Filii salutem & apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecit dilectus Filius Paulus de Laude Generalis Camaldulensis Ordinis, quod licet ex antiqua & approbata hactenus pacifice observata consuetudine, quam vigore privilegiorum apostolicorum desuper concessorum, ac etiam certi laudi inter tunc generalem, & heremitas heremi dicti ordinis per Venerabiles fratres nostros Antonium Portuensem, & Laurentium Praenestinum, tunc Sancti Vitalis, & sanctorum quatuor coronatorum titulorum Presbyteros Cardinales lati liceat generali ejusdem ordinis pro tempore existenti annuas collectas ordinarias a quibusvis praelatis ipsius ordinis, etiam a Commendatariis exigere, ac illos ad id per censuras Ecclesiasticas compellere, tamen aliqui Praelati, & monasteriorum ejusdem ordinis commendatarii collectas hujusmodi per eos debitas solvere saepius indebite differunt, & recusant, censuras contra eos per dictum generalem pro tempore latas parvifaciendo in animarum suarum periculum, & ipsius generalis praejudicium; quare pro parte praefati Pauli generalis nobis fuit humiliter supplicatum, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur aequissimum esse censentes, ut quae eidem generali pro supportandis oneribus sibi incumbentibus assignata sunt, integre persolvantur, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestrae & vestrum cuilibet per praesentes committimus & mandamus, quatenus vos vel aliqui aut unus vestrum, ubi quando & quotiens pro parte ejusdem Pauli generalis fueritis requisiti, vel aliquis vestrum fuerit requisitus per vos, vel alium seu alios commendatarios ad solvendum praefato generali collectas praedictas sub excommunicationis & aliis sententiis & censuris ecclesiasticis ac privationis monasteriorum & aliorum per eos tunc obtentorum beneficiorum Ecclesiasticorum, & inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda beneficia hujusmodi paenis eo ipso quo inobedientes fuerint incurrendis monere, & legitimis super his habendis servatis processibus inobedientes praedictos censuras hujusmodi incurrisse declarare, ac illas iteratis vicibus aggravare, auxiliumque brachii saecularis invocare, ac omnia & singula alia in praemissis, & cuncta ea necessaria seu quomodolibet opportuna facere & exequi auctoritate nostra curetis. Super quibus vobis omnibus & singulis, ac etiam si per summariam informationem super his per vos habendam vobis constiterit, quod ad loca, in quibus inobedientes hujusmodi pro tempore morari contigerit, pro monitionibus ipsis & citationibus de eis faciendis tutus non patet accessus, citationes & monitiones quaslibet per edicta publica faciendas vobis plenam & liberam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, ac volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod monitiones, & citationes hujusmodi sic factae perinde ipsos citatos, & monitos arctent, ac si eis personaliter intimatae, & insinuatae extitissent, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papae VIII. praedecessoris nostri de una, & concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium non trahatur, ac aliis apostolicis constitutionibus, contrariisque quibuscumque, ac si praelatis & commendatariis praedictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXIII. Februarii M.D.XXVI. Pontificatus nostri anno tertio.

Evangelista.

XVIII.

XVIII.

Promissio solutionis expensarum facta ab eremitis Generali Camaldulensi.

Anno 1525. 1. septembris.

Ex exemplo S. Michaelis de Muriano.

IN Christi nomine, amen. Anno ab ejusdem nativitatis M. D. XXV. indictione XIII. &c. die vero 1. septembris. Cum sit, quod alias in capitulo generali congregationis sacræ eremi & sancti Michaelis de Muriano novissime in monasterio Classensi celebrato, & post capitulum coram rev. domino cardinale sanctorum Quatuor Coronatorum protectore dicti ordinis Camaldulensis dignissimo orta fuerit differentia, causa & occasione privilegiorum fel. rec. SS. domini nostri domini Leonis X. olim pont. max. pro favore & immunitate prædictæ eremi impetratorum, & occasione certarum expensarum tam factarum, quam fiendarum in negotiis dictæ congregationis, & causa & occasione aliorum actorum innovatorum & seu inventatorum in dicto capitulo in præjudicium dictæ eremi hoc anno præsenti facto &c. idcirco rev. domnus Paulus de Laude generalis dictæ congregationis & ordinis, & ven. domnus Vitus Lugarinus Venetus dictæ congregationis visitator ac sancti Johannis-baptistæ de Bagnacavallo prior, & ven. domnus Mathias de Mantua prior sancti Salvatoris de Foro-livio etiam dicti ordinis, & loco alterius domini visitatoris electus & subrogatus a dicto rev. domino patre generali, & cum domino Vito Veneto visitatore ex una parte; & ven. domnus Gregorius de Bergomo & frater Stephanus de Venetiis eremitæ dictæ sacræ eremi ex altera parte &c. ad infrascripta pacta & conventionem pervenerunt. Et primo dictus rev. domnus Paulus de Laude generalis prædictus tam suo nomine &c. quam nomine & vice rev. patrum definitorum prædicti capituli &c. ut in antedicti capituli continetur sub die XIIII. madii dicti M. D. XXV. &c. & prædicti ven. domnus Vitus, & domnus Mathias vicevisitator &c. loco & nomine prædictæ suæ congregationis intervenientes concorditer &c. cassarunt, &c. cassant &c. omnia & singula in prælibato capitulo &c. facta &c. contra privilegia & indulta &c. & contra libertatem præfatæ sacræ Camaldulensis eremi, & specialiter & expresse separationem & seu disunionem & dismembrationem monasterii Camalduli & seu sancti Salvatoris Florentini factam & seu attentatam a prædicto capitulo &c. fuisse & esse nulla, irrita &c. sed privilegia prædicta in suo pristino robore & firmitate perdurent &c. Item promiserunt dictus dominus generalis & visitatores antedicti, quod ante tempus futuri capituli congregationis expedient bullas apostolicas confirmationis privilegiorum juxta vim, formam & tenorem superius a SS. domino nostro domino Clemente VII. jam signatas, nihil addendo vel minuendo, neque immutando, sed prout in ipsa supplicatione signata continetur &c. Et prædicti ven. patres eremitæ nomine & vice totius capituli &c. sacræ eremi &c. promiserunt &c. de omnibus & singulis expensis tam factis per prædictum patrem dominum generalem &c. & usque ad futurum capitulum fiendis &c. quantitatem solvere dictarum expensarum, quam eidem rev. patri generali videbitur & placuerit &c. Datum in monasterio Classensi Ravennæ noviter instructo intra Ravennam in domibus Misericordiæ, præsentibus rev. domino Bernardo Tigono J.V.D. & canonico Ravennate, & magistro Bartholoto quondam magistri Bundi de Prandonibus de unione Muratorum &c. testibus &c.

XIX.

Pauli Justiniani memoria de sarcophago S. Romualdi.

Anno 1526. XX. septembris.

Ex archivo eremi Montis-coronæ.

JEsus. Ad perpetuam rei memoriam, ad Dei omnipotentis gloriam, & notificationem sanctitatis beatissimi patris nostri Romualdi, ad cujus sepulcrum rem mirabilem Deus operare dignatus est.

M. D. XXVI. adi XX. settembre. Essendo andato io frate Paolo, detto eremita di san Romualdo, insieme con frate Pietro da Fano professo, e frat' Eusebio da Sessa novizio similmente eremiti all' abbazia di Sitria per certa cagione, trovammo quivi, che stava a murare l' abbazia un maestro Giacomo da Bellenzona, il qual abita in Fabbriano, e tra il parlare di diverse cose ci disse ed attestò, come allora erano circa sei anni, ch' essendo venuti in Fabbriano il cardinale del Monte ed il cardinale Ridolfi, ebbero volontà di vedere il corpo del nostro santo Padre Romualdo, il qual è custodito in un arca marmorea

ſotto l'altar maggiore nella chieſa di ſan Biagio, ed ordinarono, che levando il coperchio, foſſe quell'arca aperta, onde a far tal opera fu chiamato il detto maeſtro Giacomo muratore, e venuto ivi con due compagni, credendo poter, cominciò a levar quel coperchio dell'arca, e non potendo chiamò alcuni altri fino a ſette, ovver otto perſone, e così ancora nol potendo punto muovere, e dicendo ancora il cardinale Ridolfi, ch' era deliberato di veder in ogni modo quel corpo, ſebbene ſi doveſſe ruinare quella chieſa tutta, detto maeſtro Giacomo mandò per un capo di fune groſſiſſima e lunga, colla quale avea più volte tirata ſulla torre del comune la campana groſſa, ch'era di peſo di dieci migliara, e drizzato un groſſo ſtangone vi miſe le taglie, dappoi da quattro taglioli di ſotto e di ſopra, e meſſovi quella fune con circa trenta o quaranta uomini cominciò a tirare in modo, che avea creduto con quell' artifizio muover tutta quella chieſa, e cominciando a tirar con forza quella fune, ſi ruppe in tre parti, come ſe foſſe ſtata tagliata con un raſojo, nè ſi vedea, che foſſe tirata o sfilata, come quando ſi rompe una fune per forza di tirare, ma parea proprio come tagliata, e ſe ne fece pezzi, per la qual coſa non ſolo lui con tutti quelli, che vi erano preſenti, ma ancora gli cardinali sbigottirono, e come ſtupefatti diſſero, che non ſene faceſſe più prova. Affermava detto maeſtro, che per tutto quello che fece, mai quel coperchio non ſi ſmoſſe pur un pocolino, e che quella fune era tale, che a portarla da un luogo all' altro vi biſognavano due beſtie, ovver otto uomini, e che dappoi eſſendo rotta in tanti pezzi, come inutile a ſuo eſercizio la diede a cartari per farne carta, e nominò per proprj nomi molti, che furono preſenti.

Io Fra Paolo ſopraſcritto udì le predette coſe, e ſcriſſele qui di propria mano.

Io Fra Pietro ſopra nominato udì le premeſſe coſe dal predetto miſtro Giacomo, ed in fede di propria mano *ſubſcripſi*.

Io Frat' Euſebio ſopra nominato udite le predette coſe dal predetto maſtro Giacomo, in fede di propria mano ss.

XX.

Traditio monaſterii S. Andreæ de Candiculis Ord. Camaldulenſis monachis Ord. Vallis-umbroſæ.

Anno 1526. v. idus maji.

Ex archivo Vallis-umbroſæ ap. Soldanium Hiſt. Paſſinian. lib. V. pag. 200.

CLemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Paſtoralis officii cura *&c.* Cum itaque monaſterium ſancti Andreæ de Candelis Camaldulenſis ordinis Florentinæ diœceſis, quod dilectus filius Johannes Franciſcus Baregnus clericus Mediolanenſis ex conceſſione apoſtolica in commendam nuper obtinebat, commenda hujuſmodi, ex eo quod dictus Johannes Franciſcus illam hodie in manibus noſtris ſponte & libere ceſſit, noſque ceſſionem hujuſmodi duximus admittendam, ceſſante, adhuc eo quo dum eidem Johanni Franciſco commendatum fuit, vacabat, modo vacare noſcatur. Et ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Johannis Mariæ abbatis monaſterii beate Mariæ ordinis Vallis-umbroſæ, congregationis etiam Vallis-umbroſæ Feſulanæ diœceſis, & modernorum definitorum capituli generalis dictæ congregationis petitio continebat, ſi in dicto monaſterio de Candelis Camaldulenſis ſuppримeretur, & extingueretur, & Vallis-umbroſæ ordo hujuſmodi introduceretur, ipſumque monaſterium de Candelis eidem monaſterio Vallis-umbroſæ, quod caput ordinis & congregationis prædictorum exiſtit, perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, profecto in eodem monaſterio de Candelis religionis norma firmius vigeret, & divinus cultus incrementum ſuſciperet, ac felici ſucceſſui monaſteriorum & commoditatibus congregationis prædictorum plurimum conſuleretur; pro parte Johannis Mariæ abbatis & definitorum prædictorum, aſſerentium fructus, redditus & proventus dicti monaſterii de Candelis ſexaginta ducatos auri de camera ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in dicto monaſterio de Candelis Camaldulenſem ſupprimere & extinguere, ac Vallis-umbroſæ ordinem hujuſmodi introducere, ipſumque monaſterium de Candelis eidem monaſterio Vallis-umbroſæ perpetuo unire, annectere & incorporare, aliaſque in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica

ſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia volumus, quod petentes beneficia eccleſiaſtica aliis uniri, teneren- tur exprimere verum annuum valorem &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate apoſtolica tenore præſentium in dicto monaſterio de Candelis Camaldulenſem ſupprimimus & extinguimus, ac Vallis-umbroſæ ordinem hujuſmodi introducimus, ac illud de cetero non Camaldulenſis, ſed Vallis-umbroſæ ordinis hujuſmodi exiſtere & nuncupari debere decernimus; Et nihilominus ipſum monaſterium de Candelis &c., cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis eidem monaſterio Vallis-umbroſæ per ſe vel alium, ſeu alios poſſeſſionem, vel quaſi regiminis, & adminiſtrationis ac bonorum monaſterii de Candelis, juriumque & pertinentiarum prædictorum propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere; necnon fructus, redditus & proventus ipſius monaſterii de Candelis in ſuos, & congregationis & monaſteriorum prædictorum uſus & utilitatem convertere, diœceſani loci & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita. Non obſtantibus &c. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M.D.XXVI. quinto idus maji pontificatus noſtri anno tertio.

XXI.

Apprehenſio monaſterii S. Viti de Vicetia facta a monachis S. Mathiæ de Murano.

Anno 1528. XXI. aprilis.

Ex exemplo archivi S. Michaelis.

IN nomine Domini, amen. Noverint univerſi &c., quod anno nativitatis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti M.D.XXVIII. indictione I. die vero martis XXI. menſis aprilis &c. in mei notarii &c. præſentia perſonaliter conſtitutus rev. domnus Manſuetus de Bergomo prior monaſterii ſancti Mathiæ de Muriano ordinis Camaldulenſis Torcellanæ diœceſis agens vice & nomine congregationis ſacræ eremi Camaldulenſis & ſancti Michaelis dicti ordinis Camaldulenſis, cui congregationi prioratus ſancti Viti extra Muros Vicentiæ ejuſdem ordinis apoſtolica fuit auctoritate unitus &c. cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, ut apparet literis apoſtolicis fel. record. domini Julii papæ II. datis Romæ ſub bulla plumbea anno incarnationis Dominicæ M.D.V. ſeptimo idus februarii &c. attento etiam, quod quondam domnus Benedictus de Fortebrachiis monachus antedicti ordinis Camaldulenſis, qui pro priore annuali dicti prioratus per rev. patres dominos vicarium & viſitatores dictæ congregationis, etiam in vim certi eorum concordii auctoritate apoſtolica approbati deputatus fuerat, his proximis diebus diem vitæ ſuæ clauſit extremum, ut aſſeruit, ac omnibus melioribus modo, via, &c. in ſignum poſſeſſionis antedictæ ingreſſus fuit dictum prioratum & illius eccleſiam ſancti Viti, ac aliam ſibi annexam eccleſiam ſanctæ Luciæ, ac per illas diſcurrendo altaria dictarum eccleſiarum deoſculatus fuit, paramenta & ornamenta eccleſiaſtica pertractavit, portaſque eccleſiarum & prioratus prædictarum clauſit & aperuit, ac claves ipſarum apprehendidit, campanaſque pulſavit &c. & ad officiandum in dictis eccleſiis religioſum domnum Antonium Bergomenſem monachum prædicti ſui monaſterii ſancti Mathiæ, necnon ad curam animarum prædictarum eccleſiarum dominum presbyterum Johannem-Antonium Cinganum ibidem præſentem acceptavit, per ipſos omnes ſupradictos actus præfatus dominus prior, quibus ſupra nominibus ſic poſſeſſionem prædicti prioratus, juriumque & pertinentiarum prædictarum continuare & manutenere dixit & proteſtatus fuit; ac per eoſdem actus ego notarius infraſcriptus vigore & in executione literarum apoſtolicarum præfati domini Julii papæ II. ſuper antedicto concordio &c. induxi præfatum dominum priorem, ſeu confirmavi modo & forma prædictis in poſſeſſionem ſuam ſupradictam. Super quibus omnibus præfatus dominus prior petiit ſibi, per me notarium hujuſmodi publicum confici inſtrumentum. Actum in ſupraſcripto prioratu & ejus eccleſia ſancti Viti extra muros Vicentiæ, ac in prædicta ſua eccleſia ſanctæ Luciæ, præſentibus ibidem dominis presbyteris Johanne-Antonio Cingano ſupradicto & Bernardino Manfredi de Planetiis habitatore in burgo ſancti Viti Vicentiæ de intus, ſpectabile legum doctore domino Aloiſio de Modoetia cive Vicentino, necnon Peroto conteſtabile portæ dicti burgi ſancti Viti, Franciſco quondam Johannis Petri Cumani, & Juliano quondam Bartholamielis habitatoribus dicti burgi teſtibus vocatis & rogatis & multis aliis.

XXII.

XXII.

Clemens pp. VII. tradit congregationi S. Michaelis monasterium Uranense.

Anno 1528. x. kal. maji.

Ex veteri exemplari Classense.

CLemens episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex apostolicæ sollicitudinis *&c.* Cum itaque monasterium sanctæ Mariæ de Urano Brittonoriensis Camaldulensis ordinis, quod dilectus filius Magister Petrus-franciscus de Cinusis clericus Senensis notarius noster ex concessione apostolica in commendam nuper obtinebat, commenda hujusmodi, ex eo quod dictus Petrus-franciscus illam hodie in manibus nostris sponte & libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, cessante, adhuc eo quod ante commendam ipsam vacabat, modo vacare noscatur ad præsens, & sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Pauli de Laude generalis & Timothei de Biblena & Innocentii Pergamensis visitatorum dicti ordinis petitio continebat, si dictum monasterium congregationi ipsius ordinis eremi & sancti Michaelis de Murano nuncupatæ, cui omnia monasteria & prioratus ejusdem ordinis per cessum vel decessum illa obtinentium pro tempore vacantia per felicis recordationis Leonem papam X. prædecessorem nostrum apostolica auctoritate perpetuo unita fuerunt, unione hujusmodi perinos, quorum monasteria & alia beneficia, in quibus non erat sortita effectum, postmodum auctoritate prædicta confirmata per congregationem hujusmodi juxta eorum ritus & mores tenendum, regendum & gubernandum de novo perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, ex hoc profecto monasterium ipsum per monachorum ejusdem congregationis laudabilem vitam, & fructuosa opera in spiritualibus & temporalibus non modica susciperet incrementa, pro parte generalis & visitatorum prædictorum asserentium fructus, redditus & proventus dicti monasterii sanctæ Mariæ ducentorum quinquaginta ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut monasterium ipsum sanctæ Mariæ eidem congregationi, ut præfertur, perpetuo unire, annectere *&c.* dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia *&c.* hujusmodi supplicationibus inclinati monasterium sanctæ Mariæ prædictum quovis modo *&c.* congregationi præfatæ per eos juxta illius ritus & mores, & per abbatem annualem seu triennalem regendum & gubernandum auctoritate apostolica tenore præsentium de novo perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, ita quod liceat eidem congregationi per se vel alium seu alios possessionem seu quasi regiminis & administrationis ac bonorum dicti monasterii sanctæ Mariæ propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, illiusque fructus redditus & proventus in suos & congregationis ac monasterii sanctæ Mariæ prædictorum usus & utilitatem convertere, diœcesani loci ac cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Non obstantibus *&c.* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis & decreti infringere *&c.* Si quis *&c.* Datum in Urbe-veteri anno incarnationis Dominicæ M.D.XXVIII. decimo kalendas maji pontificatus nostri anno quinto.

XXIII.

Ejusdem præceptum Guarino episcopo Nucerino, ut perquirat in asceterio monialium S. Sebastiani de Fabriano caput S. Constantii.

Anno 1528. 11. maji.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe.

CLemens papa VII. Ven. fratri Guarino episcopo Nucerino gubernatori terræ nostræ Fabriani. Venerabilis frater salutem & apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt modernus prior & fratres domus sanctæ Luciæ terræ nostræ Fabriani ordinis Prædicatorum Camerinensis diœcesis, quod licet alias propter seditiones inter homines dictæ terræ exortas nonnulli ex primoribus dictæ terræ desiderantes, quod caput beati Constantii, quod tunc in ecclesia dictæ domus cum debita reverentia & devotione conservabatur, & apud homines dictæ terræ in magna devotione habebatur, ex dicta terra non extraheretur, ad monasterium monialium sancti Sebastiani ejusdem terræ Camaldulensis ordinis per ipsius monasterii moniales custodiendum & conservandum deferri & portari fecerint, ea intentione, quod eisdem seditionibus cessantibus ad ecclesiam dictæ domus reportaretur & ibi conservaretur & custodiretur: seditionibus

nibusque hujusmodi cessantibus restitutio dicti capitis petita, & non solum petita, verum etiam per literas nostras in forma significata sub excommunicationis pœna moniti fuerint omnes dicti capitis detentores ad illud priori & fratribus domus hujusmodi restituendum, ac scientes & notitiam habentes illius detentorum eos ad illud revelandum sub eadem excommunicationis pœna etiam moniti fuerint. Tamen id usque nunc revelatum non fuit, donec ille, qui ad instantiam earumdem monialium caput ipsum in pariete seu muro ecclesiæ dicti monasterii incluserat, revelavit & manifestavit, quod caput ipsum in pariete seu muro hujusmodi incluserat, ut præfertur. Quare pro parte prioris & fratrum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut tibi de præmissis diligenter informare, committere & mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur considerantes æquum & justum esse, ut caput beati Constantii hujusmodi ad ecclesiam, ex qua extractum fuit, reportetur, & ibi, ut prius, conservandum collocetur, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ committimus & mandamus, quatenus facta tibi fide de revelatione dicti magistri, qui caput ipsum in dicto muro inclusit, seu alterius de eo notitiam habentis, cum confessore prædictarum monialium monasterium ipsum intres, & locum ipsum, in quo caput ipsum reconditum fuisse dicitur, aperiri facias. Et si caput ipsum ibi esse repereris, ad ecclesiam dictæ domus ordinis Prædicatorum debita reverentia & honore reportari, & in loco consueto custodiendum collocari facias. Quod si eidem fraternitati tuæ constiterit dictas moniales monitionis prædictæ scientiam habuisse, & caput ipsum non revelasse, nec restituisse, juxta ipsarum monialium contumaciam, ac prout alias tibi videbitur, punias & castiges. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac dicti Camaldulensis ordinis, cujus moniales ipsæ existunt, statutis, consuetudinibus juramento & confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque & literis apostolicis illis forsan concessis, quibus, quatenus opus sit, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum in civitate nostra Urbevetana sub anulo Piscatoris die II. maji M. D. XXVIII. pontificatus nostri anno V.

Evangelista.

XXIV.

Traditio ecclesiæ S. Mariæ de Riposo eremitis Monte-coronensibus.

Anno 1528. XVII. junii.

Ex tabulario abbatiæ Montis-acuti.

IN Dei nomine amen. Anno ejusdem a nativitate Domini millesimo quingentesimo vigesimo-octavo indictione prima tempore pontificatus sanctissimi domini nostri domini Clementis papæ VII. die vero XVII. mensis junii. Actum in civitate Fani in contrata sancti Leonardi infrascripta ecclesia sanctæ Mariæ nuncupatæ de Riposo juxta vias publicas circumquaque & domum ipsius ecclesiæ, & alia latera, præsentibus venerabili viro domino Paulo Sabusino, & Johanne Baptista Petri Landonici Rigii de Fano testibus vocatis & rogatis.

Magnificus dominus Petrus olim Andreæ de Gabrielis de Fano pro se & pro omni interesse, nec non vice & nomine domini Ludovici Gabrielis sui fratris carnalis, pro quo domino Ludovico dictus dominus Petrus de rato promisit, alias de suo proprio, tamquam patroni ecclesiæ sanctæ Mariæ de Riposo, quæ ecclesia est juris patronatus domus & familiæ prædictorum domini Petri & domini Ludovici ex fundatione, & eorum hæredes & successores sponte, libere, & ex certa ejusdem domini Petri scientia ac longa animi præmeditatione dedit, concessit, donavit, ac titulo donationis in perpetuum tradidit venerabili viro fratri Petro de Perusio procuratori fratrum congregationis sancti Romualdi ordinis Camaldulensis, habitatori Fani, præsenti, stipulanti ac recipienti pro dicta congregatione præfatam ecclesiam sanctæ Mariæ de Riposo una cum domibus dictæ ecclesiæ contiguis, & omnia alia bona mobilia & stabilia, jura & actiones quascumque, reservatis tantummodo ipsis donatoribus juribus dicti juris-patronatus. Et hoc fecit dictus dominus Petrus dicto nomine, quia præfatus frater Petrus procurator præfatus promisit dicto domino Petro donatori præsenti, stipulanti & recipienti pro se & dicto domino Ludovico, eorumque hæredibus & successoribus præfatam ecclesiam & omnia ejus bona mobilia & stabilia diligenter gubernare, & conservare pro dicta ecclesia, & divina in ea celebrari facere, requisitis tamen a præfatis domino Petro & domino Ludovico & eorum suc-

ces-

cessoribus, renunciantes exceptioni dictæ donationis, nec non promissionis inter dictas partes non sic factæ doli mali, metus, fraudis, rei non sic gestæ, contractus non sic celebrati, omnique alii legum & juris auxilio, quam donationem, & omnia & singula alia in dicto instrumento contenta ambæ partes ad invicem promiserunt attendere & observare sub pœna ducentorum ducatorum auri, obligantes *&c.* jurantes *&c.* rogatus ad plenam *&c.*

Et ego Camillus Gabuccinus Fanensis publicus imperiali auctoritate notarius judexque ordinarius prædictis omnibus & singulis interfui, eaque rogatus scribere scripsi & publicavi, signumque meum consuetum apposui.

XXV.

Clemens VII. Hominibus Montis-soractis commendat Paulum Justinianum, qui ingressus fuerat possessionem eremorum ejusdem montis.

Anno 1528. XVIII. junii.

Ex tabulario Montis-acuti.

CLemens pp. VII. Hominibus Montis-soractis. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Cum sicut vobis constabit, alias dilectus filius Benedictus de Novaria abbas tunc monasterii sancti Pauli de Urbe venerabili fratri Johanni Matthæo episcopo Veronensi auctoritatem & facultatem concesserit, quod ejusdem Johannis Matthæi episcopi vita durante eremitoria omnia in monte vestro Soractis, seu sancti Silvestri existentia quibuscumque sub approbata regula & sub tribus præcipuis sanctæ religionis votis, vitam ducentibus concedere posset, amotis inde illis, qui sine tali regula & votorum professione vivere dicuntur; ipseque postmodum Johannes Matthæus episcopus præfatus eremitoria, quæ sub titulis sanctorum Silvestri, Sebastiani & Antonii, ac sanctarum Mariæ, Luciæ, atque Romanæ in eodem monte existunt, dilecto Filio fratri Paulo tunc Majori, & aliis eremitis societatis sancti Romualdi Camaldulensis ordinis concesserit, prout in patentibus ejusdem episcopi literis seu instrumentis plenius dicitur contineri, novissime concessionem hujusmodi auctoritate apostolica cum suppletione defectuum confirmaverimus, atque pro potiori cautela de novo eadem eremitoria eisdem eremitis concesserimus, prout in aliis nostris in forma Brevis literis inde confectis plenius continetur. Nos literas nostras hujusmodi suum effectum sortiri volentes, vobis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ut pro executione & effectu præfatæ concessionis & confirmationis ac novæ concessionis nostræ eisdem fratri Paulo & sociis eremitis ad habitandum prædicta eremitoria accedentibus, seu migrantibus, absque ulla cujusvis personæ contradictione in capienda possessione & continuanda dictorum eremitoriorum, & aliis quæ circa hæc opportuna fuerint, favorabiliter assistere & favere debeatis. Et quoniam in Domini misericordia speramus, non modicum saluti animarum vestrarum profuturum, vos religiosos hujusmodi in eisdem locis habitantes habere, qui tam bene vivendi exemplis, quam sanctis hortationibus & continuis orationibus vos ad melioris vitæ studium valeant excitare, dilectionem vestram in Domino hortamur, ut ea, quæ eisdem eremitis ad præsentis vitæ substentationem sunt necessaria, pie ac liberaliter impendere velitis, prout aliis consuevistis, quod ut alacrius faciatis, omnibus & singulis utriusque sexus, qui eisdem eremitis aliquid Dei amore impenderint, pro singulis eleemosynis auctoritate apostolica tenore præsentium solemnis apostolicæ benedictionis munus benigne impendimus, & concedimus, volentes ac eadem auctoritate decernentes, ut eleemosynæ præfatis eremitis impensæ juxta earumdem quantitatem secundum intentionem impendentis ad vivorum ac mortuorum remissionem valeant peccatorum. Datum Viterbii sub anulo Piscatoris die XVIII. junii M. D. XXVIII. pontificatus nostri anno quinto.

Blosius.

XXVI.

Clementis VII. Indulgentiæ concessæ eremitis Coronensibus.

Anno 1528. XXVII. julii.

Ex tabulario Montis-acuti.

CLemens papa VII. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Cupientes animarum vestrarum saluti consulere, specialibusque vos decorare muneribus, vobis ut in vestris eremitoriis, nunc & pro tempore existentibus, contritis & confessis quadragesimali & aliis Stationum Urbis temporibus ecclesiam, vel altare sui quisque eremitorii visitando ac psalmum

Lau-

Laudate Dominum omnes gentes, cum oratione *Ecclesiæ tuæ quæsumus* devote recitando, dictos vero psalmum & orationem nescientibus orationem Dominicam in honorem sanctæ Trinitatis ter dicendo, omnes & singulas indulgentias & peccatorum remissiones consequamini, quas consequeremini, si eisdem temporibus ecclesias almæ Urbis & extra eam propter stationes visitari solitas visitaveritis, auctoritate Apostolica tenore præsentium de omnipotentis Dei misericordia concedimus & indulgemus, præsentibus, quas sub quibusvis suspensionibus & revocationibus similium indulgentiarum emanatis & emanandis comprehendi minime volumus, sed semper exceptas fore decernimus, perpetuo duraturis. Volumus etiam, quod præsentium transumptis manu notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Datum Viterbii sub annulo piscatoris die XXVII. julii M.D.XXVIII. pontificatus nostri anno quinto.

Blosius.

XXVII.

Abbatia S. Michaelis de Lemmo unitur monasterio S. Mathiæ de Muriano.

Anno 1529. XVIII. aprilis.

Ex archivo S. Mathiæ.

Coram ipsis rev. patribus domino præsidente & definitoribus comparuit domnus Mansuetus olim prior monasterii sancti Mathiæ de Muriano exponens, qualiter domnus Antonius Ferro de Venetiis abbas sancti Michaelis de Lemmo dictam abbatiam supradicto monasterio sancti Mathiæ per privilegium unitam, zelo religionis motus, ac spiritus fervore, & ad majorem & abundantiorem cautelam, ne in contrarium aliquid subsequatur, in manus ipsius domni Mansueti tunc prioris & conventus renuntiaverit, & hoc ut unio effectum sortiatur, ut per instrumentum in anno Domini M.CCCCC.XXVIII. die VIII. mensis junii per manus spectabilis domini Bonifacii Soliani Veneti quondam Matthæi notarii &c. confectum apparet. Itaque ipsi rev. patres optime decernentes talem renuntiam, & mature considerantes optimam & in religionis augmentum esse, & absque ullo periculo & detrimento, decreverunt &c. ipsam renuntiam &c. firmam perpetuam habere, ac etiam ipsam ratificaverunt &c. & ratificatam &c. voluerunt, ut plenius & manifestius continebitur per prænominati notarii instrumentum in robur omnium supradictorum. Concedentes ipsi rev. patres hæc & alia omnia tali renuntiationi pertinentia cum omnibus suis juribus &c. in perpetuum firma haberi, vigore & tenore privilegiorum ordini nostro Camaldulensi a Leone X. concessorum etiam perpetuis temporibus, volunt ipsi rev. patres domini definitores supranominatam abbatiam unitam, incorporatam atque annexam esse cum prædicto divi Mathiæ cœnobio tamquam membrum suum per loci priorem & conventum sibi provisurum, absque aliquo in contrarium, sub pœnis & censuris contrafacientibus &c.

Ego frater Vitus Venetus capituli generalis ordinis Camaldulensis scriba &c. scripsi.

XXVIII.

Clemens VII. confirmat aliquas conventiones initas inter Congregationem Camaldul. & inter eremum.

Anno 1532. XVII. maji.

Ex libro edit. Privileg.

Clemens papa VII. ad perpetuam rei memoriam. Ea, quæ pro pace &c. Exponi siquidem nobis fecerunt dilecti filii Paulus de Tinctis generalis, & Severus de Vulterris, ac Stephanus de Brixia visitatores congregationis sancti Michaelis de Murano ordinis Camaldulensis, necnon Stephanus Venetus prior, & eremitæ moderni eremi Camaldulensis Arretinæ diœcesis, quod alias postquam fel. rec. Leo papa X. prædecessor noster congregationem & eremum prædictas invicem per quasdam literas perpetuo univerat, ac deinde nos ex certis causis tunc expressis de certa nostra scientia, apostolicæque potestatis plenitudine eremum & illius congregationem cum omnibus & singulis illius membris ac illi annexis & ab ea dependentibus quibuscumque a congregatione sancti Michaelis prædicti, salvis omnibus unionibus tam in illius erectione, quam ante & post dictam erectionem eidem factis, & quæ nondum erant effectum sortitæ, per alias nostras literas perpetuo dismembraveramus & separaveramus, ac dictæ eremi eremitas & eremum ipsam, illiusque membra & loca illi annexa ac ab ea dependentia adversus novam erectio-

ctionem congregationis sacræ eremi Camaldulensis & sancti Michaelis hujusmodi, & quoad illam adversus literas dicti Leonis prædecessoris, & in eis contenta ad pristinam libertatem, auctoritatem & dignitatem reposueramus, & plenarie reintegraveramus, necnon eremum dismembratam & separatam cum omnibus ejus membris, locis annexis & dependentiis prædictis, ipsosque eremitas in pristinum statum restitutos esse decreveramus, cum aliis decretis, indultis *&c.* tunc expressis. Postmodum generalis & visitatores ex una, ac prior & eremitæ præfati partibus ex altera, sperantes, quod si eremus & congregatio sancti Michaelis prædictæ servatis capitulis, pactis & conventionibus infrascriptis ad pristinas unionem & congregationem reverterentur & reunirentur, id proculdubio nedum in conservationem, verum augmentum totius religionis Camaldulensis cederet. Unde generalis, visitatores, ac prior & eremitæ prædicti, dilecto filio Antonio tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbytero cardinale, majori pœnitentiario nostro, eremi & totius ordinis Camaldulensis hujusmodi generali protectore interveniente, ac salvo semper in omnibus nostro & sedis apostolicæ beneplacito, quod ipsi omnino accedere voluerunt, ad capitula, pacta & conventiones devenerunt, videlicet quod electio prioris sacræ eremi ad illius capitulum pertineat, confirmatio vero ad definitores tempore celebrationis capituli congregationis, & si intra annum talis electio prioris occurrat, eadem confirmatio ad generalem & visitatores spectet, qui infra triduum post notificationem dictæ electionis ipsum priorem confirmare teneantur. Alioquin dicto termino elapso prior taliter electus ipso facto intelligatur, & sit apostolica auctoritate confirmatus, ac administrationem, jurisdictionem & auctoritatem immediate habeat, sicuti alii priores seu majores ipsius eremi a definitoribus capituli congregationis alias electi habuerunt, ne interim eremus priore careat. Quodque ipse prior annuatim solum de numero observantium eremitarum sive cœnobitarum Camaldulensis ordinis eligatur, & non possit unus & idem in priorem ejusdem eremi ultra triennium eligi, nisi de omnium dictæ eremi vocum consensu. Ceterum, quod generalis & visitatores peracta visitatione, antequam a sacra eremo recedant, corrigenda corrigere teneantur, ita quod visitatio nunquam ad definitorium transferatur, sed in ipsa eremo remaneat & comburatur. Et si dicti generalis & visitatores in modo vel qualitate corrigendi capitulo sacræ eremi defecisse vel excessisse viderentur, uti in depositione prioris, & privatione vocum activarum & passivarum, tunc eidem capitulo libere liceat super hoc pro tempore existentem protectorem seu viceprotectorem consulere, & fidem hujusmodi consultationis seu recursus dicto generali infra triginta dies præsentare, & donec per ipsum pro tempore existentem protectorem desuper declaratum seu definitum fuerit, dictorum generalis & visitatorum sententia executionem non habeat. Præterea quod in celebratione capituli congregationis nec prior, neque conventuales sacræ eremi intervenire debeant, & in futurum nec per idem capitulum, neque per ejus definitores, neque per generalem aut visitatores dictæ congregationis circa sacram eremum ejusque loca & personas, vel quacumque alia ordinatio fieri possit, nisi tantum circa correctiones delinquentium in visitationibus per ipsos generalem & visitatores faciendas, ut præfertur. Necnon quod in expensis pro defensione & conservatione locorum principalium congregationis, ubi damnum & utile, commodum & incommodum erit commune, faciendis, sacra eremus pro debita, convenienti & honesta portione contribuere, & e converso, si aliquando opus esset pro dicta sacræ eremi defensione & conservatione aliquas expensas fieri, ipsa congregatio in eis concurrere debeat. Insuper dum casus aliquem principalem locum de commenda redimendi & congregationi præfatæ aggregandi occurreret, de consensu dictæ sedis idem servetur: quodque definitorium in tempore celebrationis capituli, & generalis, & visitatores intra annum teneantur recipere & deputare in congregationis monasteria & conventus omnes sacræ eremi eremitas alterius religionis non professos id petentes, quotiescumque cum literis dimissoriis prioris vel capituli eremi ad definitorium, vel generalem, aut visitatores hujusmodi se præsentaverint, & locum eis concedant, quem judicaverint convenientem. Idem quoque servetur per priorem & eremitas cum eis, quos de congregatione ad eremum se transferentes capitulum dictæ eremi acceptaret. Item quod constitutio illa sive ordinatio facta per capitulum congregationis circa residentiam generalis anno M.D.XXVIII. seu veriori tempore, nullius sit roboris vel momenti, ac si numquam facta fuisset, & quod nullo unquam tempore, etiam per capitulum generale seu generalissimum totius ordinis Camaldulensis dicta constitutio sic per præsentes abrogata atque deleta quovis præ-

textu

textu seu colore revalidari aut innovari non possit. Necnon quod eremitæ pro sumptibus quotidianis per generalem faciendis & substituendis debeant singulis annis contribuere, & generali pro tempore existenti ducatos quadraginta auri ultra collectas consuetas solvere. Et quandocumque & quomodocumque congregationis sancti Michaelis fratres in præmissorum observantia deficerent, liceat eremitis in capitulo generali congregationis vel intra annum coram generali & visitatoribus reclamare. Et si illi ab hujusmodi illicitis vexationibus seu attentatis infra duos menses post reclamationem hujusmodi non desisterent, nec attentata hujusmodi retractarent, liceat dictis priori & eremitis ad gratiam separationis a nobis impetratam redire, judicio tamen protectoris pro tempore existentis. Et quoad omnia præmissa Paulus generalis, Severus & Stephanus de Brixia visitatores tam suo quam totius congregationis sancti Michaelis prædictæ, pro quo etiam de rato promiserunt, & quod in proximo capitulo Ravennæ celebrando hujusmodi ratihabitio obtinebitur, & dictis eremitis intra viginti dies post capitulum celebratum notificabitur ex una, & Stephanus Venetus prior præfatæ eremi tam suo, quam omnium dictæ eremi eremitarum nominibus ex altera partibus, quod ratificent, confirment atque emologent, prout ipse prior etiam dicto nomine, de quo per speciale mandatum, quod apud acta Juliani de Burgo a Stia notarii publici inde rogati constare dixit, ratificavit, confirmavit & emologavit, ut in nostris & Leonis prædecessoris literis ac instrumento, seu scriptura super capitulis factis & conventionibus hujusmodi confectis plenius continetur, diciturque contineri. Quare pro parte dictorum modernorum generalis, visitatorum ac prioris & eremitarum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut capitulis, pactis & conventionibus hujusmodi pro horum subsistentia firmiori robur apostolicæ confirmationis adjicere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati capitula, pacta &c. apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus &c. supplentes &c. Non obstantibus constitutionibus &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XVII. maji M.D.XXXII. pontificatus nostri anno nono.

Phi. de Senis.

XXIX.

Idem permittit Antonio Jacobo Camerinensi episcopo demolitionem ecclesiæ S. Romualdi de Monticulo.

Anno 1532. XXIV. maji.

Ex tabulario S. Blasii de Fabriano.

Clemens papa VII. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Cum sicut venerabilis frater Antonius Jacobus episcopus Camerinensis nobis nuper exponi fecit, ecclesia sancti Romualdi loci de Monticulo suæ Camerinensis diœcesis, quæ mensæ episcopali Camerinensi perpetuo unita existit, ipsiusque mensæ membrum nuncupatur, cum quadam domo illi contigua, & ad eamdem ecclesiam pertinente, evidenter minetur ruinam, & restauratione necessario indigeat, cupiatque propterea dictus episcopus, ut mensæ & ecclesiæ prædictæ conditionem efficiat meliorem, dictam ecclesiam demoliri facere, & illius aream, & domum vendere, & ex pretio venditionis hujusmodi aliam ecclesiam in quadam parte dicti loci de Monticulo, in qua videntur reliquiæ cujusdam ecclesiæ sancti Jacobi nuncupatæ, quæ, ut ipse asserit, ab immemorabili tempore citra, ita diruta fuit, ut vix cognosci possit ecclesiam fuisse, & quæ nullos habet fructus, nec ab ullo in titulum recipi consuevit, sub denominatione & vocabulo sanctorum Jacobi & Romualdi construi & ædificari facere & erigere; & si quid pretii residuum fuerit, in alia bona immobilia convertere, illaque ecclesiæ construendæ & noviter erigendæ hujusmodi, una cum aliis bonis ad priorem ecclesiam spectantibus, ipsi ecclesiæ noviter erigendæ pro ejus dote applicare. Pro parte ejusdem Antonii Jacobi episcopi asserentis annuum valorem præfatæ ecclesiæ sancti Romualdi summam quinque ducatorum non excedere, nobis humiliter supplicatum fuit, ut sibi præmissa faciendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per præsentes committimus & mandamus, quatenus vos super præmissis conjunctim procedentes de eisdem præmissis vos informetis, & si per informationem eamdem repereritis demolitionem, venditionem, alienationem ac emptionem hujusmodi, si fiant, in evidentem utilitatem mensæ episcopalis cessuras, super quo vestram conscientiam onera-

mus, eidem Antonio Jacobo episcopo ecclesiam prædictam & aream, in qua constructa existit, prophanandi & supprimendi, ac ipsam aream cum domo prædicta vendendi & alienandi, & ex pretio venditionis & alienationis hujusmodi aliam ecclesiam in præfato loco ecclesiæ sancti Jacobi sub eisdem denominatione & vocabulo erigendi & construi faciendi, & residuum pretii hujusmodi, si quod erectioni superfuerit, in alia bona immobilia convertendi, illaque, necnon alia bona ad prædictam ecclesiam vendendam spectantia & pertinentia, ab eadem dismembrandi & ipsi ecclesiæ noviter erigendæ in dotem applicandi, auctoritate apostolica licentiam & facultatem concedatis, venditionemque, & emptionem ac conversionem, annexionem & applicationem prædictas, postquam factæ fuerint, auctoritate apostolica approbetis & confirmetis, supplentesque omnes & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem; non obstantibus fel. rec. Bonifacii VIII. & Pauli II. Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum, & aliis apostolicis, provincialibus & synodalibus constitutionibus & ordinationibus, ac statutis & consuetudinibus, necnon fundatione dictæ ecclesiæ sancti Romualdi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis apostolicis, quibuscumque personis concessis, confirmatis & innovatis, quibusque omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXIV. maji M.D.XXXII. pontificatus nostri anno nono.

Balthassar de Piscia.

Foris. Dilectis filiis... plebano collegiatæ ecclesiæ sanctæ Mariæ de Monticulo Camerinensis diœcesis, & vicario venerabilis fratris episcopi Maceratensis in spirituali generali.

XXX.

Quietantia facta a cardinale A.... Spinula de numerata pecunia a Paulo de Laude generali Camaldul. pro impositione Clementis VII.

Anno 1532. XXVIII. septembris.

Ex archivo Classensi.

NOs A... Spinula tituli S. Ciriaci in Thermis presbyter Cardinalis S. R. E. Camerarius, & unus ex Reverendissimis Domini Episcopis, presbyteris & diaconibus Cardinalibus commissariis & exequutoribus generalibus a SS. D. N. papa Clemente VII. super impositione & exactione dimidii annui proventus omnium beneficiorum regularium & secularium pro resistendo adversus Turcarum impetum deputatis, fatemur accepisse & habuisse in prompta & numerata pecunia a reverendo fratre D. Paulo de Tinctis de Laude Ordinis Camaldulensis & congregationis heremi & sancti Michaelis de Murano & Camaldulensi generale nomine heremi & sancti Michaelis atque eorum congregationis præfatorum solventis summam quatuor millium Scutorum auri in auro de sole per manus D. Philippi de Stroctiis & sociorum mercatorum Florentinorum Romanæ Curiæ, seque pro nobis & juxta ordinationes sanctitatis suæ Magnifico viro D. Bartholomæo Lanfredino ejusdem Sanctitatis suæ Depositario generali exbursatorum ac numeratorum pro compositione per dictum Generalem cum prædicto Sanctissimo D. N. super solutione dicti dimidii proventus dictam Congregationem heremi & sancti Michaelis ejusque monasteria & membra tangentis facta. Et nominibus quibus supra, promittimus præfato Generali ac universæ Congregationi non molestare nec molestari facere occasione dictæ impositionis Generalem aut Congregationem, aut loca vel membra ipsius, etiam monasteria monialium, ex quo dictæ moniales in magna egestate esse noscuntur. Ac etiam dare & concedere prædicto Generali Brevia apostolica & nostra more camerali & etiam dictorum reverendissimorum Cardinalium Commissariorum generalium patentes literas, quibus dictus Generalis vel substituendi ab eo tam ab iis, quibus pensiones, aut loco pensionis fructus super eorum monasteriis & locis etiam authoritate apostolica sunt reservati quotam illos tangentem propria authoritate retinere, exigere, recuperareque valeant,

leant, ac etiam cogere sacram Heremum præfatam ac monasterium Angelorum de Florentia cum suis adnexis & membris, & cum proventibus monasterii sancti Benedicti extra muros Florentinos solo æquati, ac etiam S. Felicis in piazza de Florentia, & sancti Michaelis de Arretio, non obstante quacumque exemptione, quam præfatus Sanctissimus D. N. promisit se facturum vel facere velle clero Florentino tam regulari quam seculari. Et in fidem & observantiam omnium præmissorum has præsentes fieri fecimus, manu nostra signatas, & parvuli sigilli nostri impressione munitas. Datum Romæ in ædibus nostris die xxviii. septembris M.D.XXXII.

Ita est A... Cardinalis Camerarius.

Visitur Cardinalis insigne in cera rubra.

XXXI.

Alia quietantia facta a cardinale Spinula generali Camaldulensi.

Anno 1532. xvii. octobris.

Ex archivo Classensi.

A... Spinula tituli sancti Ciriaci in thermis presbyter cardinalis Perusinus D. N. PP. Camerarius.

Reverendo Patri D. Paulo de Tinctis de Laude Ordinis Camaldulensis & congregationis eremi & sancti Michaelis de Muriano ejusdem ordinis Generali salutem in Domino. Cum Paternitas Vestra, quæ subcollector ad exigendum impositionem medietatis fructuum a monasteriis & locis & titularibus ordinis vestri deputata fuit, pro celeriore subventione Sanctissimo D.N. pro substentatione belli contra Turcas summam quatuor millium ducatorum mutuo & sub certo interesse ceperit, & sanctitati suæ, vel ejus depositario persolverit, ac propterea pro dicti interesse satisfactione maxima pecuniarum summa, sicut asseris, sit necessaria. Et præfato Sanctissimo D. N. humiliter supplicaveris, ut de summis a dictis titularibus ordinis vestri exigendis aliquam portionem vobis relaxari dignaretur. Et Sanctitas sua summam quadringentorum scutorum relaxari mandaverit. Idcirco de speciali mandato præfati Sanctissimi D. N. PP. vivæ vocis oraculo Nobis super hoc facto, & auctoritate nostri Camerariatus officii tenore præsentium promittimus in computis per vos de exactione a dictis titularibus per vos seu vestros substitutos facienda reddendis dictam quadringentorum scutorum summam vobis relaxare, & bonam facere, ac pro satisfactione dictorum interesse liberaliter remittere, prout relaxari, bonam fieri, ac remitti debere volumus, decernimus & mandamus, contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romæ in Camera Apostolica die xvii. octobris M.D.XXXII.

A... Cardinalis Camerarius.

Similiter extant insignia Cardinalis in cera rubra.

Verisius.

XXXII.

Clemens VII. tradit ecclesiam S. Nicolai Burgi sancti sepulchri Camaldulensibus.

Anno 1532. kal. octobris.

Ex autographo archivi S. Michaelis de Muriano.

Clemens episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Et injuncto &c. Cum itaque postmodum parochialis ecclesia sancti Nicolai Burgi sancti Sepulcri per monachos monasterii sancti Johannis-evangelistæ Camaldulensis ordinis, tunc Civitatis-castelli diœcesis teneri solita, per liberam resignationem dilecti filii Benedicti Lazari dicti ordinis, & antequam monasterium ipsum in ecclesiam cathedralem secularem Burgi sancti Sepulcri erigeretur, monasterii hujusmodi monachi de illa, quam tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam, ac per nos admissam, apud sedem eamdem vacaverit, & vacet ad præsens, nullusque de illa præter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, & sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum prioris generalis ac capituli congregationis Camaldulensis alias eis, quod quæcumque beneficia ecclesiastica per monachos dicti ordinis teneri solita pro tempore vacantia eidem congregationi eo ipso uniri & incorporari deberent, apostolica fuerit auctoritate concessum, & si dicta parochialis ecclesia eidem congregationi perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, ipse prior & capitulum tres monachos dicti ordinis in eadem parochiali ecclesia pro celebrandis divinis officiis in ea, & illius parochianorum animarum curæ exercitio manutenerent, & sic divinus cultus in ipsa parochiali ecclesia non parum augeretur, & congregatio hujusmodi in suis opportunitatibus aliquod subventionis auxilium susciperet, ac pro parte dictorum Bene-

Benedicti prioris & capituli asserentium fructus, redditus & proventus dictæ parochialis ecclesiæ viginti-duorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, cum ad hoc ven. fratris nostri Leonardi episcopi Burgi-sancti-Sepulcri expressus cacedat assensus, nobis humiliter fuerit supplicatum, ut ipsam parochialem ecclesiam eidem congregationi unire, annectere &c. dignaremur. Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica &c. parochialem ecclesiam præfatam &c. cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem congregationi auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo unimus, annectimus & incorporamus &c. Non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M. D. XXXII. kal. octobris pontificatus nostri anno nono.

XXXIII.

Sententia circa præcedentiam inter monachos Camaldulenses & Olivetana.

Anno 1533. XXIX. maji.

Ex archivo S. Mathiæ de Muriano.

IN Christi nomine amen. Nos Jacobus Pisauro Dei & apostolicæ sedis gratia episcopus Paphensis conservator apostolicus electus & assumptus per ven. dominos monachos ordinis Camaldulensis, & etiam ven. dominos monachos congregationis Montis-oliveti cupientes litem & causam præcedentiæ in processionibus fieri solitis in civitate Venetiarum de mandato illustrissimi Dominii intentatam per ipsos monachos ad præsentiam illustrissimorum & excellentissimorum Consilii X., ad nos, uti eorum judicem competentem remissam summarie & extrajudicialiter judicando & terminando fine debito terminare & declarare intentatam. Quare auditis partibus sufficienter, in quantum nobis visum est conveniri, in hujusmodi præcedentiæ materia summarie & extrajudicialiter, & nobis clare constito ordinem Camaldulensem antiquiorem fore & magis privilegiatum congregationis Montis-oliveti, & per Camaldulenses præferri debeat, & honoratiorem locum tenere apud ipsos de congregatione Montis-oliveti. Ideo, ne de cetero aliqua inter ipsos ordines suboriri possit præcedentiæ difficultas, sententiamus & declaramus hunc in futurum esse ordinem servandum. Quod videlicet in processionibus, quæ in civitate Venetiarum fient in futurum, omnes prælati Camaldulenses obtineant prima loca, ita quod ultimus prælatus Camaldulensis & prior congregationis prædictæ Montis-oliveti bini incedere debeant, qui prior teneat locum a sinistris prælati Camaldulensis, & successive ceteri officiales, & qui titulum habent utriusque ordinis & congregationis, bini incedere debeant, sacerdotes prius, deinde diaconi, & subinde subdiaconi, & demum clerici processionaliter juncti & processionem finire sub vexillo Camaldulensi, expresse declarantes, quod omnes alii congregationis Montis-oliveti & titulati sacerdotes, diaconi, subdiaconi ac clerici in incessu processionali ponant a dextris Camaldulenses prædictos juxta gradum & ordinem suum, & nichilominus si monachi congregationis Montis-oliveti de per se & disjuncti ab illis Camaldulensibus incedere voluerint in processionibus cum suo vexillo, hoc sit in libertate sua, eundo in locum suum juxta etiam ordinationem factam per partem captam in excellentissimo Consilio X. de anno Domini 1502. die XXIX. aprilis, quæ videtur esse conformis in omnibus juxta statum & gradum utriusque ordinis, & prædicta sententiamus & declaramus omni meliori modo &c.

Lata & pronunciata fuit suprascripta sententia & declarata per suprascriptum rev. dominum episcopum Paphensem apostolicum conservatorem pro tribunali sedentem in camera sua cubiculari in domo sita in confinio sancti Paterniani Venetiarum, anno a nativitate Domini M. D. XXXIII. die XXIX. maji, præsentibus domino presbytero Petro Caraiva & domino Laurentio de Fantis clerico Adriensis diœcesis Cappellano & familiari suo testibus rogatis.

Ego presbyter Jacobus Fasolo quondam domini Nicolai de Venetiis publicus imperiali & Veneta auctoritatibus notarius suprascriptæ prælationis sententiæ rogatus interfui, & in fidem me subscripsi, signo meo apposito consueto cum appositione sigilli suprascripti rev. domini episcopi Paphensis conservatoris apostolici.

XXXIV.

XXXIV.

Unio plurium beneficiorum monasterio Montis-acuti, sive Montis-coronæ.

Anno 1533. XXIII. augusti.

Ex autographo ejusdem monasterii.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini M.D.XXXIII. indictione VI. tempore sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Clementis divina providentia papæ VII. die vero sabbati XXIII. mensis augusti dicti anni. Universis & singulis &c. sit notum clarum & manifestum, qualiter cum hoc fuerit & sit, prout rev. in Christo pater frater Hieronymus de Suessa ordinis eremitarum seu congregationis eremitarum sancti Romualdi Camaldulensis ordinis, Majorque congregationis hujusmodi, in præsentia mei notarii & testium infrascriptorum dixit & exposuit, ac asseruit, quod vacantibus nuper quatuor infrascriptis Beneficiis, videlicet beneficio sancti Petri de Scharceto, seu alterius verioris vocabuli; item Beneficiis sancti Lazari, sancti Angeli Pontis-lanensis Perusinæ diœcesis, & Beneficio sancti Benedicti Eugubinæ sive Tiphernatis vel Civitatis-castelli diœcesis per mortem domini Pergantisis, alias *el prete de monte* de Perusio, dictorum beneficiorum ultimi rectoris, & virtute Brevis sanctissimi domini nostri fuerit concessa facultas Majori dictæ congregationis, & consimiliter priori abbatiæ sancti Salvatoris de Monte-acuto Perusinæ diœcesis hujusmodi Beneficia vacantia, ut supra, uniendi & annectendi & incorporandi dictæ abbatiæ sancti Salvatoris, juxta formam privilegiorum dictæ congregationis, ut latius in ipso Brevi apostolico continetur, & dictus prior abbatiæ præfatæ juxta seriem dicti Brevis & ipsius virtute, ac ut procurator & eo nomine supradicti fratris Hieronymi Majoris congregationis univerit & incorporaverit ipsa Beneficia &c. Hinc est, quod personaliter constitutus coram me notario & testibus infrascriptis, & ad majorem cautelam idem frater Hieronymus Major congregationis prædictæ &c. dictam unionem factam de supradictis Beneficiis & eorum quolibet supradictæ abbatiæ sancti Salvatoris, annexionemque & incorporationem per dictum priorem abbatiæ prædictæ manu Pauli notarii rogati factam in omnibus & per omnia approbavit, & approbata haberi voluit & mandavit, & quatenus opus sit, denuo univit, annexuit & incorporavit &c. Actum in civitate Anconæ &c.

Ego Sylvius Collius de Sancto-severino Camerinensis diœcesis &c. notarius &c. scripsi &c.

XXXV.

Moniales S. Parisii de Tarvisio reformant monasterium Omnium-Sanctorum ejusdem urbis.

Anno 1534. XVI. aprilis.

Ex autographo asceterii S. Parisii.

IN Christi nomine amen. Cum ven. religiosæ, domna soror Maura de Renaldis electa abbatissa in monasterio Omnium-sanctorum de Tarvisio ordinis sancti Benedicti nigrarum, & domna soror Gregoria de Anoali electa priorissa, & soror Agatha conversa electa portinaria, olim moniales in monasterio sanctæ Christinæ & beati Parisii de Tarvisio ordinis Camaldulensis, ad requisitionem magnificæ communitatis Tarvisinæ, & rev. domini Andreæ Salomono canonici Tarvisini, & rev. domini episcopi Tarvisini locumtenentis & vicarii generalis ac commissarii apostolici specialiter delegati ad reformationem monasteriorum, sint recessuræ a dicto monasterio, in quo professæ existunt, & migraturæ ad monasterium supradictum Omnium-sanctorum pro dicto monasterio reformando & gubernando, ea propter coram rev. patre domno Parisio de Tarvisio priore monasterii sancti Mathiæ de Muriano Torcellanensis diœcesis in dominio Venetorum vicario rev. domini domni Pauli de Laude generalis totius ordinis Camaldulensis, necnon rev. patribus domno Cypriano Novo-comensi abbate sancti Michaelis de Muriano, & domno Mansueto Bergomensi priore sancti Johannis-baptistæ de Judaica Venetiarum dicti ordinis, personaliter constitutæ in ecclesia sanctæ Christinæ & beati Parisii de Tarvisio capitulariter congregatæ ad sonum campanulæ ad fenestras ferreas ven. dominæ dominæ moniales infrascriptæ; videlicet: ven. domna Lucia ab Aqua abbatissa, domna soror Scolastica priorissa, domna soror Christina, domna soror Benedicta, domna soror Catharina, domna soror Julia, domna soror Angela, domna soror Romualda, domna soror Paula, domna soror Elisabetha, domna soror Justina, domna soror Eugenia, domna soror Ursula, domna soror Petronilla, domna

mna soror Flavia, domna soror Faustina omnes moniales dicti monasterii constituentes totum & integrum dicti monasterii capitulum, quæ possent aut deberent convocari, ut ibidem dicta ven. abbatissa mihi notario publico infrascripto retulit & fidem fecit. Supradictæ domna soror Maura & soror Gregoria, atque soror Agatha omnibus meliori modo &c. renunciaverunt præfato monasterio sanctæ Christinæ & sancti Parisii, & præfatis dominis monialibus recipientibus pro se & successoribus suis habitum dicti ordinis, quem usque modo gesserunt, eo quia ut supra requisitæ intendunt assumere habitum monasterii Omnium-sanctorum de Tarvisio, atque etiam renuntiaverunt omnem & quamlibet dotem, & omne aliud, quod dedissent quovis modo monasterio sanctæ Christinæ, atque omne & quodlibet aliud æmolumentum, facientes finem & quietationem dictis ven. dominis monialibus, præsentibus & stipulantibus nomine suo & dicti monasterii, & successoribus suis. Vocantesque & vocaverunt se integre satisfactas, itaut de cetero aliquid amplius nullo unquam tempore possint petere seu recipere in toto vel in parte. E converso autem venerabiles domina abbatissa & moniales prædictæ intuitu charitatis, & ex eo quod dictæ moniales non recedunt ex dicto monasterio voluntarie, sed pro satisfactione hujus magnificæ communitatis, & pro reverentia rev. domini vicarii supradicti, atque de expressa licentia rev. dominorum suorum superiorum, ad bonum finem, & ad effectum animas sororum monasterii Omnium-sanctorum salvandi & lucrandi in domino, atque ipsius reformandi & dirigendi; ideo sponte & libere eisdem domnæ sorori Mauræ & Gregoriæ & Agathæ in casu necessitatis, & quando ibidem non possent permanere, reservaverunt, prout de præsenti reservant locum in monasterio prædicto, & vocem in capitulo, & stallum in choro tamquam veris sororibus & monialibus, prout de præsenti sunt & reperiuntur. Super quibus omnibus & singulis rogaverunt me notarium. Actum Tarvisii in ecclesia sanctæ Christinæ & beati Parisii die lunæ VI. aprilis M.D.XXXIIII. indictione VII. præsentibus ibidem ven. dominis presbyteris Nicolao Oliveto præbendato in ecclesia cathedrali Tarvisina, & Johanne de Opitergio substituto in eadem testibus ad hoc habitis, vocatis, specialiterque rogatis & aliis.

Et ego presbyter Dominicus Maurocenus publicus imperiali auctoritate notarius & curiæ episcopalis Tarvisinæ cancellarius &c. præsens instrumentum confeci &c.

XXXVI.

Collatio ecclesiæ S. Mariæ de Lacu ex pontificia commissione.

Anno 1534. XV. septembris.

Ex archivo Uranensi.

IN Christi nomine amen. Anno ab ejusdem nativitate M.D.XXXIV. indictione VII. tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris domini nostri domini Clementis divina favente providentia papæ VII. die vero XV. mensis septembris. Cunctis pateat ac evidenter innotescat, qualiter hac præsenti suprascripta die coram rev. domino Dominico Masino canonico Berthinorii, necnon rev. domini episcopi Berthinorii in spiritualibus & temporalibus vicario generali, & in hac parte executore apostolico existente in civitate Berthinorii in ecclesia cathedrali, ut infra confinata, comparuit personaliter ven. frater dominus Thomas de Rossetis de Ferraria monachus monasterii sanctæ Mariæ de Urano Camaldulensis ordinis diœcesis Berthinorii suo proprio & principali nomine &c. præsentavit & exhibuit nonnullas provisionis in membranis in forma bullarum literas apostolicas cum plumbo &c. pro ejus parte obtentas a prælibato sanctissimo domino nostro Clemente papa VII. de & super ecclesia sanctæ Mariæ in Lacu dictæ diœcesis &c. quarum virtute requisivit eumdem dominum vicarium &c. quatenus ad earumdem literarum executionem procedere deberet, & maxime ad id sibi fratri domno Thomæ id instanti conferendum & assignandum hujusmodi ecclesiam sanctæ Mariæ in Lacu, ac ipsius in & ad corporalem ecclesiæ, & jurium & pertinentiarum ejusdem possessionem inducendo, & inductum defendendo &c. ad quæ idem dominus vicarius & executor tenetur &c. quarum quidem literarum tenor hic infra sequitur &c.

Clemens episcopus servus servorum Dei ven. fratribus Pisauriensi & Casertano episcopis, ac dilecto filio vicario ven. fratris nostri episcopi Berthinoriensis in spiritualibus generali salutem & apostolicam benedictionem. Religionis zelus, vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, quibus dilectus filius Thomas de Rossetis de Ferraria monachus monasterii sanctæ Mariæ de Urano Camaldulensis

dulensis ordinis Berthinoriensis diœcesis apud nos fide digno testimonio nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Thomæ petitio continebat, quod alias parochialis ecclesia ejusdem sanctæ Mariæ in Lacu dictæ diœcesis pro monacho suprascripti monasterii obtineri solita per liberam resignationem ipsius Thomæ de illa, quam tunc obtinebat, in manibus tunc generalis dicti ordinis extra Romanam curiam sponte factam, & per eumdem generalem, cum ad eum & pro tempore existentem ejusdem ordinis generalem resignationis ipsius ecclesiæ, dum pro tempore vacat, collatio & provisio de antiqua & approbata, hactenusque pacifice observata consuetudine pertineat, extra dictam curiam ordinaria potestate admissam vacante, dictus generalis ecclesiam ipsam, ut præmittitur, vacantem eidem Thomæ dicta auctoritate contulit, & de illa etiam providit, ipseque Thomas collationis & provisionis hujusmodi vigore possessionem ejusdem ecclesiæ forsan assecutus cum auctoritate, ut eadem petitio subjungebat, dictus Thomas dubitet collationem & provisionem præfatas ex certis causis & juribus non subsistere, & sicut accepimus, dictam ecclesiam adhuc, ut præfertur, vacare noscatur, nos præfato Thomæ præmissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, ipsumque Thomam a quibusvis excommunicationis &c. sententiis &c. absolventes &c. vos, vel duo, aut unus vestrum per vos vel alium seu alios ecclesiam præfatam, cujus fructus, redditus & proventus quindecim ducatorum de camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut dictus Thomas asserit, non excedunt &c. cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Thomæ auctoritate nostra conferre & assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem ecclesiæ, juriumque & pertinentiarum præfatorum omnium &c. Contradictores &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M.D.XXXIII. pridie kalendas decembris pontificatus nostri anno XI.

Qui quidem rev. dominus Dominicus Masinus vicarius generalis &c. dictam ecclesiam sanctæ Mariæ in Lacu diœcesis Berthinorii una cum juribus & pertinentiis suis contulit & assignavit eidem fratri domno Thomæ de Rossetis monacho antedicto præsenti & genuflexo coram ipso id instanti, ac in corporalem possessionem hujusmodi ecclesiæ, ac ejus jurium & pertinentiarum præmissarum eumdem fratrem domnum Thomam per ipsius annuli digito suo immissionem, ac bireti suo capiti impositionem induxit atque investivit juxta seriem & continentiam dictarum literarum apostolicarum, & successive non valens se illuc conferre, tum ob loci distantiam, tum etiam officii occupationes, ideo harum serie & præsentium tenore universis & singulis personis ecclesiasticis ac notariis & tabellionibus publicis ubicumque per civitatem & diœcesim Berthinorii, ac alias ubilibet constitutis commisit, ac stricte præcipiens mandavit, ac in mandatis dedit, quatenus ipsi vel aliquis eorum in solidum postquam requisiti fuerint, seu requisitus fuerit ad prædictam ecclesiam sanctæ Mariæ in Lacu accedant, & accedere debeant, & ipsum &c. ad corporalem possessionem dictæ ecclesiæ, ut supra collatæ, ac ejus jurium, bonorum & pertinentiarum ponant & inducant &c. amoto quolibet illicito detentore, sibique vel procuratori suo de ipsius ecclesiæ, sicut præmittitur, collatæ & assignatæ fructibus, redditibus & proventibus, juribus & obventionibus universis integre respondeant &c: Contradictores &c. Actum & datum in civitate Berthinorii ex dicta cathedrali ecclesia juxta plateam & jura palatii communis & alia latera sub dicta die, præsentibus ibidem rev. dominis Gabriele Maynardo, & Romano de Fabris canonicis Berthinorii testibus &c. eisdem millesimo, indictione & pontificatu, & die decima-sexta dicti mensis septembris.

Per præsentis publici instrumenti seriem & continentiam cunctis pateat & evidenter notum sit, qualiter hac præsenti suprascripta die in mei notarii publici ac testium infrascriptorum ad hæc specialiter vocatorum præsentia constitutus personaliter idem ven. frater domnus Thomas rector dictæ ecclesiæ sanctæ Mariæ in Lacu &c. requisivit & interpellavit prædictum dominum Gabrielem Maynardum canonicum Berthinoriensem ibidem præsentem, quatenus ipsum fratrem domnum Thomam induceret & poneret in & ad corporalem possessionem ac actualem dictæ sanctæ Mariæ in Lacu &c. vigore dictæ collationis &c. per prædictum dominum Masinum vicarium generalem & in hac parte executorem apostolicum &c. Qui quidem dominus Gabriel Maynardus &c. personaliter una cum me infrascripto notario ad dictam ecclesiam sanctæ Mariæ in Lacu se conferens, & tandem ibidem in dicta ecclesia existens eumdem fratrem Thomam præsentem & id instantem in & ad corporalem possessionem dictæ ecclesiæ san-

sanctæ Mariæ in Lacu, & ejus quorumcumque jurium, bonorum & pertinentiarum universalium per ingressum & egressum, per tactum lapidis, pannorum & candelabrorum altaris magni immaculatæ semper Virginis Mariæ, & per tactum cordæ & pulsationem campanæ dictæ ecclesiæ, & per plures alios actus in similibus incumbentes & necessarios legitime peractos in Dei nomine induxit ac posuit, necnon imposuit & mandavit ex auctoritate supra in hac parte quomodolibet data & attributa omnibus & singulis laboratoribus & colonis dictæ ecclesiæ, ac quibuscumque aliis, ad quos spectat, absentibus tamquam præsentibus, quatenus imposterum de fructibus, redditibus ac proventibus dictæ ecclesiæ ac ejus bonorum eidem fratri domno Thomæ vel ejus legitimo procuratori respondeant & respondere debeant, ac in signum veræ, realis ac actualis possessionis dictæ ecclesiæ, & ejus jurium & bonorum, ac pertinentiarum de lapidibus & calce murorum, de vectibus hostii, & de glebis terreni cæmæterii dictæ ecclesiæ dedit & tradidit dicto fratri domno Thomæ præsenti & acceptanti, qui demum stando & commorando in dicta ecclesia, prout & quantum ipsi placuit pacifice & quiete nemine contradicente, protestatus fuit se tenere dictam ecclesiam & ejus bona, juraque & pertinentias tam spiritualia, quam temporalia, ceteraque in præmissis & circa præmissa opportuna & necessaria fuerunt, servatis servandis, rogans me notarium infrascriptum, ut &c. publicum conficerem instrumentum. Actum in territorio Berthinorii in guardia Bassiani in dicta ecclesia sanctæ Mariæ in Lacu juxta bona dictæ ecclesiæ undique, præsentibus ibidem Silvestro olim Gasparini Banzoni & Petro ejus nepote & filio olim Cichini ejus fratris de villa sancti Georgii &c. testibus &c.

Et ego Vincentius olim Berthinorii Bonighi de Gottarellis civis Berthinoriensis &c. notarius &c. & curiæ episcopalis &c. cancellarius &c. scripsi &c.

XXXVII.

Unio plurium prioratuum & ecclesiarum mandato Pauli III. societati eremitarum Montis-coronæ.

Anno 1534. III. nonas novembris.

Ex tabulario Montis-coronæ.

PAulus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit & convenit honestati, ut ea, quæ de Romani pontificis gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu literæ apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum. Dudum siquidem monasterio sancti Salvatoris de Monte-acuto & sancti Leonardi de Volubrio prope moutem Fortinum, & ejusdem sancti Salvatoris prioratus Perusinæ & Firmanæ, ac Fanensis diœcesum, Cisterciensis & sancti Benedicti ordinum, & Canonica nuncupata sancti Michaelis archangeli, quæ de jure patronatus laicorum existebat, ac parochiali sanctorum Petri & Pauli de Carteceto Tudertinæ, & prædictæ Fanensis diœcesum ecclesiis, quæ quondam Galeatius de Gabrielis canonicus Fanensis ex concessione & dispensatione apostolica in commendam olim obtinebat, commenda hujusmodi, ex eo quod dictus Galeatius tunc in humanis agens illi tunc in manibus felicis recordationis Clementis papæ septimi prædecessoris nostri sponte & libere cesserat, & dictus prædecessor cessionem ipsam duxerat admittendam, cessante, adhuc eo quod ante commendam ipsam vacabant, modo vacantibus, ac pro parte Pauli, tunc in humanis agentis, & dilectorum filiorum sociorum eremitarum Camaldulensis ordinis, societatis sancti Romualdi congregationis eremi Camaldulensis & sancti Michaelis de Murano, in Cryptarum Massacii & sancti Hieronymi de Pascilupo ac sancti Benedicti, necnon sancti Leonardi de Volubrio & sanctæ Mariæ de Spiritusancto eremitoriis Æsinæ, & Eugubinæ & Anconitanæ, necnon Firmanæ, & Lancianensis seu Larinensis diœcesum sub regula & institutis sancti Benedicti, & eremitica conversatione degentium exposito, quod si monasterium & prioratus prædictus societati hujusmodi per priores triennales, & alias juxta ejusdem societatis laudabilia statuta, ordinationes, mores & ritus in spiritualibus & temporalibus tenenda, regenda & gubernanda concederentur & applicarentur, ac sancti Michaelis & sanctorum Petri & Pauli ecclesiæ prædictæ sancti Hieronymi & Cryptarum Massaccii eremitoriis prædictis respective unirentur, annecterentur & incorporarentur, quamdiu præfatus Galeatius, & deinde unus eremita dictæ societatis Camaldulensem ordinem professus, per ipsum Galeatium quandocumque etiam in mortis articulo nominandus, vitam ducerent in humanis, profecto ex hoc felici successui & conservationi tam in spiritualibus, quam in temporalibus monasterii & prioratuum, ac societatis prædictæ, & commodi.

moditati illius eremitarum cum divini cultus augmento & animarum salute plurimum consuleretur, dictus prædecessor societatis & eremitoriorum prædictorum fructuum, reddituum & proventuum verum annuum valorem pro expressis habens, necnon juris patronatus hujusmodi, si illud laicis prædictis ex fundatione & dotatione competebat pro medietate, alias in totum ea vice dumtaxat specialiter & expresse derogans, Pauli & sociorum prædictorum asserentium monasterii trecentorum, ac super quibus annui census trium ducatorum monasterio sanctæ Crucis Fontis-Avellanæ ordinis sancti Benedicti & Eugubinæ diœcesis per dictos solvi consueverant, sancti Leonardi centum & triginta, nec non super quibus certa persona ecclesiastica pensionem annuam viginti-quatuor ducatorum auri de camera auctoritate apostolica sibi reservatam percipiebat annuatim, sancti Salvatoris prioratuum nonaginta, ac sancti Michaelis octoginta, & ecclesiarum prædictarum viginti-quatuor ducatorum auri similium fructus, redditus & proventus secundum communem æstimationem valorem annuum non excedere, in ea parte supplicationibus inclinatus, monasterium sancti Salvatoris, quod conventu carebat, & qui conventuales non erant], & a dicto monasterio sanctæ Crucis dependebant, prioratus, societati per priores triennales ejusdem societatis, & alias juxta eorum laudabilia statuta, ordinationes, mores & ritus in spiritualibus & temporalibus tenenda, regenda & gubernanda per suas literas concessit & applicavit; ecclesias vero prædictas quovis modo, quem haberi voluit pro expresso, & ex cujuscumque persona vacarent, etiamsi ad prioratus prædictos consuevissent, qui per electionem assumi, eisque cura immineret animarum, dummodo quoad ecclesiam sancti Michaelis, alterius medietatis patronorum illius, quatenus jus-patronatus hujusmodi ex fundatione & dotatione eis competeret, & ad hoc expressus accederet assensus, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, sancti Hieronymi & Cryptarum Massaccii eremitoriis præfatis, quamdiu dictus Galeatius & post eum eremita, ut præfertur, nominandus vitam ducerent in humanis, duntaxat univit, annexuit & incorporavit, prout in eisdem literis plenius continetur. Et deinde pro parte Pauli & successorum prædictorum etiam exposito, quod ipsi concessionis, applicationis, unionis, annexionis & incorporationis, ac literarum prædictarum vigore, corporalem prioratuum & ecclesiarum ac regiminis & administrationis monasterii sancti Salvatoris, juriumque & pertinentiarum prædictarum, ipsiusque monasterii bonorum possessionem seu quasi apprehenderunt, ac ex tunc juxta ipsarum literarum continentiam & tenorem tenuerant ac laudabiliter gubernaverant ad monasterii sancti Salvatoris, necnon prioratuum prædictorum tam in spiritualibus, quam in temporalibus, ac divini cultus & regularis observantiæ in illis augmentum, necnon suarum & aliorum Christi-fidelium animarum salutem, ac pro parte Pauli & sociorum eorumdem præfato prædecessori humiliter supplicato, ut easdem concessionem, applicationem, unionem, annexionem & incorporationem in perpetuum extendere & prorogare, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaretur, dictus prædecessor, qui religioni deditus eorumque locis, in iis præsertim, per quæ illorum profectibus, ac religionis & divini cultus instaurationi consulebatur, gratiosum apostolici favoris præsidium libenter impendebat, Paulum & socios præfatos, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis &c. absolvens & absolutos fore censens, hujusmodi supplicationibus inclinatus, sub data videlicet XI. kal. martii pontificatus sui anno V. concessionem, applicationem, unionem, annexionem & incorporationem cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis desuper confectas literas hujusmodi in perpetuum, itaut liceret Paulo & sociis, ac pro tempore existentibus eremitis dictæ societatis per se vel alium seu alios corporalem prioratuum & ecclesiarum, ac regiminis, & administrationis ac bonorum monasterii sancti Salvatoris, juriumque & pertinentiarum prædictarum propria auctoritate libere continuare & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus & proventus in societatis & monasterii sancti Salvatoris, necnon prioratuum & ecclesiarum, & eremitarum prædictorum usus & utilitates, alias juxta dictarum literarum tenorem convertere, apostolica auctoritate extendit & ampliavit. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quæ dictus prædecessor in præfatis literis voluerat non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ne autem de absolutione, extensione & prorogatione hujusmodi, pro eo quod super illis dicti prædecessoris ejus superveniente obitu, literæ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, & socii prædicti illarum frustrentur effectu, volumus & similiter apostolica auctoritate decernimus, quod absolutio, extensio & prorogatio prædictæ perinde a dicta die

die undecimo kal. martii suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius prædecessoris literæ sub ejusdem diei data confectæ fuissent, prout superius enarratur; quodque præsentes literæ ad probandum plene easdem absolutionem, extensionem & prorogationem ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo-quarto tertio nonas novembris pontificatus nostri anno primo.

XXXVIII.

Privilegium amplissimum Pauli III. eidem Eremitarum societati.

Anno 1534. III. nonas novembris.

Ex *libro edito Privilegiorum* pag. 121.

PAulus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Rationi congruit & convenit honestati, ut ea, quæ de Romani pontificis gratia processerunt, licet ejus superveniente obitu literæ apostolicæ confectæ non fuerint super illis, suum consequantur effectum. Dudum felicis recordationis Clementi papæ VII. prædecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Majoris, visitatorum, priorum & fratrum societatis eremitarum sancti Romualdi Camaldulensis ordinis exposito, quod olim postquam piæ memoriæ Leo papa X. etiam prædecessor noster quondam Paulo Veneto & quibusdam aliis in literis tunc expressis eremitis sacræ eremi dicti ordinis Aretinæ diœcesis expresse professis ardore majoris observantiæ & perfectioris vitæ eremiticæ ferventibus inter alia, quod in quibusvis locis etiam extra Italiam & loca ultramarina, monasteria, eremitoria & religiosa loca erigere, & postquam erecta forent, omnibus & singulis indultis & privilegiis quomodolibet a sede apostolica eremitis sacræ eremi hujusmodi ac congregationi ejusdem eremi & sancti Michaelis de Muriano concessis, gaudere & habitum ejusdem religionis aliis exhibere possent, per quas in forma Brevis literas licentiam concesserat; & ipse Paulus cum uno socio eremita vigore concessionis hujusmodi ad id electo ad locum Cryptarum nuncupatum castri Massaccii Æsinæ diœcesis, qui tunc membrum eremitarum sacræ eremi prædictæ erat, accesserat, & ad eosdem Paulum & socium diversæ multarum partium tam ecclesiasticæ & religiosæ, quam seculares personæ in dies ad eosdem venientes, cum eodem Paulo & socio se conjunxerant; & præfatis Paulo & socio & successive receptis personis nonnulla loca eremitica partim fere dirupta & partim ædificari cæpta, quæ postmodum ipsi restauraverant & quasi de novo ædificaverant, tam a sede apostolica, quam a diversis Christi-fidelibus ecclesiasticis & secularibus personis donata & concessa fuerant. Vidensque ipse Paulus se tot personis ac locis quotidie multiplicari, ad olim congregationis sacræ eremi & sancti Michaelis de Muriano vicarium generalem, tunc vero Generalem nuncupatum & visitatores accesserat, eisdemque seriem facti explicaverat, velleque tam ipse, quam ceteri socii eremitæ hujusmodi sub eorum obedientia & visitatione vivere declaraverat. Olim vicarius tunc Generalis prædictus habens, ut asserebat, a congregatione hujusmodi omnimodam auctoritatem, sinceritatem animi dicti Pauli cognoscens, præfata eremitoria, videlicet Cryptarum Massaccii, sancti Hieronymi de Pascilupo, Cryptæ sancti Benedicti in monte Conero, sancti Leonardi de Volubrio, ac sanctæ Mariæ de Spiritu-sancto Æsinæ, Eugubinæ, Anconitanæ, Firmanæ & Larinensis diœcesis a sede prædicta, aliisque Christi-fidelibus præfatis eisdem Paulo & sociis, ut præfertur, concessa, & eremitas in illis tunc commorantes in eorum congregationem receperat, ipsosque Paulum & socios receptos eremitas eorumque eremitoria & religiosa loca hujusmodi in societatem eremitarum sancti Romualdi per Majorem, & olim correctores, nunc autem visitatores, capitulum & eremitoriorum hujusmodi singulorum priores perpetuis futuris temporibus regendam & gubernandam erexerat, & eisdem Paulo & eremitis præfatæ societatis condendi & celebrandi generalia capitula ejusdem societatis, et in eis priores, rectores & alios ministros eligendi, & pro ejusdem societatis conservatione & augmento Missas et alia divina officia in eorum capitulis celebrandi, capitula generalia ejusdem societatis, et pro ejusdem observantia quæcumque statuta, ordinationes et constitutiones edendi et pro tempore edita corrigendi, reformandi et mutandi, quæ si contra substantialia regulæ sancti Benedicti non essent, a prædicto tunc vicario et visitatoribus, aut præfatæ congregationis capit . . . . derogari aut innovari sine dictorum eremitarum consensu non possent, ac alia loca quæcumque et personas quascumque in eadem societate receptandi, necnon quod ejusdem socie-

societatis superior et tunc Major nuncupandus per ejusdem congregationis capitulum de anno in annum eligendus, loca et personas de triennio in triennium et frequentius, si sibi videretur, visitare deberet, licentiam concesserat, et omnia et singula privilegia, gratias et immunitates eremitis concessa et quomodolibet concedenda tam sacræ eremi Camaldulensis, quam totius præfatæ congregationis eidem societati eremitarum sancti Romualdi loca & personas communia esse, dummodo receptio et admissio hujusmodi per capitulum generale congregationis sacræ eremi et sancti Michaelis de Muriano prædictis approbaretur, voluerat, et præfati eremitæ vigore concessionis hujusmodi in eorum capitulo congregati nonnullas constitutiones, ordinationes et statuta super tribus substantialibus et forsan aliis emittendis votis et regularibus institutis regulæ sancti Benedicti, et divinis officiis celebrandis, ac aliis felicem dictæ societatis tam in spiritualibus, quam in temporalibus gubernationem et directionem, ac honeste et religiose vivendi modum concernentia ordinaverant. Ac postmodum præsidens et deffinitores capituli generalis congregationis sacræ eremi et sancti Michaelis prædicti per eorum speciales literas dicta quinque eremitoria et societatem hujusmodi ab eorum congregatione penitus separaverant, et dissolutam et separatam esse declaraverant, nullamque sibi eligendi superiorem, necnon eremitoria ac illorum personas hujusmodi visitandi facultatem declaraverant; quodque præfati eremitæ ad eorum superioris hujusmodi electionem, prout eis visum foret, procedere possent, ac in iis, quæ eremitoria et illorum personas prædicta concernebant, ac quidquid eidem societati visum foret, a sede apostolica petere possent, voluerant. Præfatus Clemens prædecessor prædicta omnia et dissolutionem hujusmodi approbaverat et confirmaverat, eisque unum dictæ societatis Majorem et correctores, nunc autem visitatores nuncupatos, locorum priores et alios officiales, prout eis expedire videretur, per seipsos annis singulis eligendi, qui eo ipso, quo electi forent, confirmati esse censerentur, indulserat; et successive cum ipsi pro dictæ societatis commodiori gubernatione aliquas ex prædictis constitutionibus, ordinationibus et capitulis eis diligentius et maturius examinatis cassassent, et aliquas denuo ordinassent, et amotis quibusdam superfluis in meliorem formam reformassent, idem Clemens prædecessor illas etiam approbaverat et confirmaverat, prout in diversis instrumentis et scripturis vicarii generalis ac visitatorum, præsidentis et definitorum prædictorum, ac ipsorum Leonis et Clementis prædecessorum diversis literis dicebatur plenius contineri, ac pro parte eorumdem Majoris, visitatorum, priorum, fratrum et eremitarum eidem Clementi prædecessori humiliter supplicato, ut ex prædictis et aliis eis concessis et concedendis locis unam tantum societatem eremitarum sancti Romualdi erigere et instituere, præmissis et aliis infrascriptis pro illorum subsistentia firmiori robur apostolicæ firmitatis adjicere, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaretur. Præfatus Clemens prædecessor, qui ad ea, per quæ status religiosarum personarum florere, ipsæque personæ acceptius divinis beneplacitis se coaptare possent, solertiæ suæ curas libenter dirigebat; volens Majorem, visitatores, priores, officiales ac eremitas societatis hujusmodi amplioris apostolici favoris præsidio complecti, ac eos et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existebant, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum absolvens, & absolutos fore censens, hujusmodi supplicationibus inclinatus, sub datum videlicet III. nonas septembris pontificatus sui anno sexto, auctoritate apostolica ex prædictis & quibuscumque aliis eis tunc & pro tempore dictæ societati ubique terrarum concessis & concedendis, ac per eos recipiendis & retinendis eremitoriis & religiosis locis unam tantum omnium & singulorum fratrum in eisdem eremitoriis & religiosis locis pro tempore degentium societatem eremitarum sancti Romualdi nuncupandam per Majorem superiorem nuncupatum, visitatores, capitulum, priores ac alios officiales, juxta ipsius societatis statuta & ordinationes regendam & gubernandam, ita quod omnes & singuli dictæ societatis fratres præsentes & futuri, quamvis in diversis locis etiam extra Italiam & loca ultramarina pro tempore manerent, unum tamen corpus & unica societas eremitarum sancti Romualdi Camaldulensis ordinis perpetuis futuris temporibus existerent & forent, cum facultate celebrandi generalia, provincialia & alia capitula ejusdem societatis, & in eis superiorem Majorem, priores, rectores & alios ministros eligendi, & pro ejusdem societatis conservatione & augmento Missas & alia divina officia in eorum capitulis

tulis celebrandi, aliaque omnia & singula, quæ ad similes societates pertinebant & pro tempore pertinerent, faciendi, erexit & instituit; necnon separationem, dissolutionem, concessionem & indulta ac facultates eis quomodolibet concessa, ac constitutiones & statuta per capitulum dictæ erectæ societatis edita, ut præfertur, reformata, ac omnia & singula privilegia, indulta & gratias per sedem eamdem dictæ societati vel per alium facultatem habentem, etiam vivæ vocis oraculo, vel alias quomodolibet concessa & concessas auctoritate prædicta approbavit, confirmavit, stabilivit, ac robur apostolicæ confirmationis habere decrevit, supplens omnes & singulos defectus tam juris quam facti, si qui forsan intervenerant in eisdem. Et pro potiori cautela Majoris, visitatorum, priorum, officialium & aliorum fratrum præfatæ societatis, illas & illa quinque eremitoria prædicta eidem Majori, visitatoribus, prioribus & fratribus eorum erectæ societatis pro tempore existentibus de novo perpetuo concessit & assignavit; quodque omnes & singuli dictæ societatis erectæ eremitæ ordinem prædictum in ipsa societate professi tunc præsentes & futuri in capitulo generali pro tempore celebrando in eo vocem habentes, pro felici dictæ societatis statu & successu alia statuta, constitutiones, ordinationes, ac omnia & singula, quæ in spiritualibus & temporalibus ipsius societatis ac ejus regularis disciplinæ statum, observantiam, indemnitatem: Et circa divini officii & Missarum directionem & ordinationem, ac ceremonias absque ipsius regulæ in substantia vel in effectu variatione, interpretatione, vel declaratione quoquomodo concernere possent, instituendi, ordinandi, interpretandi, declarandi, & alia de novo faciendi; & sic instituta, ordinata, interpretata, declarata, & de novo facta in toto vel in parte, prout rerum & temporum qualitas exigeret, tollendi, & alterandi, ac in melius commutandi, necnon pro honestate & qualitate vitæ eremiticæ hujusmodi barbam deferendi, plenam & liberam eis concessit facultatem. Ac hujusmodi societatem, omnesque & singulos superiores, eremitas, oblatos, novitios, familiares, servitores ac personas dictæ societatis tunc & pro tempore existentes, ac ipsius monasteria, eremitoria religiosa, & alia loca quæcumque ac mobilia & immobilia bona, tunc præsentia & futura ad præfatam societatem quomodolibet pro tempore existentia, & imposterum eidem de novo erectæ societati quandocumque seu quomodolibet uniri vel incorporari seu subjici in perpetuum vel ad tempus contingeret a quorumcumque legatorum etiam de latere, necnon nuntiorum dictæ sedis ac quorumvis officialium Romanæ curiæ & patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum, electorum & inquisitorum hæreticæ pravitatis, quacumque etiam apostolica auctoritate aliorum quorumcumque judicum ordinariorum & non ordinariorum quavis auctoritate & potestate fungentium, ditione, auctoritate, superioritate, potestate, dominio, visitatione, reformatione & correctione, ita quod contra dictam de novo erectam societatem vel ejus singulares personas ac familiares cum eis degentes ratione delicti, excessus seu contractus, aut rei, de qua ageretur, ubicumque iniretur contractus, committeretur delictum, aut res ipsa consisteret, excommunicationis, suspensionis & interdicti aut alias quasvis sententias, nisi de speciali sedis prædictæ commissione quomodolibet directe vel indirecte proferre seu promulgare non possent. Necnon ab omnibus & singulis decimis, collectis, exactionibus, gabellis, talleis, daciis, dativis, subsidiis caritativis, impositionibus ordinariis & extraordinariis, collegiis, parochianis, universitatibus, monasteriis, fabricis & aliis quibusvis personis quacumque auctoritate, & ex quavis causa & consideratione, etiam pro expeditione contra infideles, aut fabricæ basilicæ principis apostolorum de Urbe, aut aliis imminentibus necessitatibus sedis prædictæ, auctoritate ejusdem sedis vel quavis alia impositis & imponendis, sub quacumque verborum vi & forma, etiam sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, exempti, & exempta censerentur, nisi de indulto & societate hujusmodi specialis & expressa mentio in literis apostolicis fieret, & tunc non veram decimam, sed mediam auri unciam cameræ apostolicæ solvendo pro omnibus eorum locis & eremitoriis, bonis & personis liberationem consequerentur, prorsus exemit & totaliter liberavit, eaque omnia & eorum quodlibet in jus & proprietatem beati Petri & sedis prædictæ ac sub eorum & dictæ sedis protectione suscepit. Et si legati & subdelegati, ordinarii & aliæ personæ prædictæ contra exemptionem & liberationem hujusmodi quidquam attentare quoquomodo præsumerent, ac literarum desuper conficiendarum vigore requisiti per ipsius de novo erectæ societatis prælatos, eremitas vel procuratores eorum infra tres dies a die requisitionis hujusmodi computandos non desisterent, excommunicationis sententiæ ipso facto noscerent se subjectos: & si forte aliter factum foret,

ret, eo ipso esset irritum & inane nulliusque roboris vel momenti. Præterea ipsis, ut religiosos eorum ordinis ad primam tonsuram & quatuor minores ordines promovendi, ad sacros vero, etiamsi tempus a canonibus statutum non attingerent, per quemlibet catholicum episcopum in eorum locis & alibi, ubicumque eis commodum foret, absque licentia diœcesani, etiam extra tempora, diebus tamen dominicis vel festivis eos promoveri faciendi, ac illos eis libere conferendi, eumdemque episcopum pro consecrationibus altarium seu ecclesiarum, ac pro oleosancto & quolibet ecclesiastico sacramento adeundi, & de licentia eorum capituli generalis seu provincialis, Jerusalem & alia loca sancta visitandi & inibi habitandi, ac loca & eleemosynas etiam ab infidelibus recipiendi, licentiam & facultatem concessit. Et insuper pro conservatione puritatis eorum solitudinis, ne mulieres ad eorum eremitoria, etiam sancti Hieronymi de Pascilupo Eugubinæ diœcesis tunc præsentia & futura, intra videlicet per eos præfixos seu præfigendos terminos, præter illos tantum dies, quos ipsi statuerent, dummodo non ultra tres dies in quolibet anno accedere quomodolibet sub excommunicationis pœna auderent vel præsumerent, cellularum tamen ipsorum ingressu semper prohibito remanente, inhibuit. Demum pro commoditate & utilitate eremitoriorum & locorum hujusmodi tunc præsentium & futurorum, de licentia eorum capituli generalis seu provincialis eis & cuilibet eorum ac pro tempore existentibus quæcumque immobilia ad eos eorumque ecclesias, eremitoria, altaria & loca hujusmodi pro tempore spectantia & pertinentia in emphyteusim perpetuam vel ad tempus sub aliquo annuo canone sive censu quibusvis personis in evidentem ecclesiarum, monasteriorum & regularium locorum hujusmodi utilitatem concedere, illaque pro aliis immobilibus utilioribus permutare, seu vendere & alienare, & pretium inde proveniens in aliis immobilibus bonis eorum ecclesiis, eremitoriis & regularibus locis utilioribus, ac alias juxta tenorem literarum recolendæ memoriæ Pauli papæ II. similiter prædecessoris nostri de rebus ecclesiasticis non alienandis editarum, ita quod priores, qui pro tempore essent, locorum hujusmodi judices, ad hoc ut immobilia bona hujusmodi in emphyteusim vel censum aut alias danda & permutanda seu vendenda & alienanda coram eisdem judicibus specificarentur, eligere possent, convertere & ceteris eremitoriis eorum societatis, prout eis commodius visum foret, pro ejusdem societatis conservatione applicare valerent, & quæcumque bona etiam feudalia ac emphyteutica, etiam ecclesiastica eidem societati tam inter vivos, quam causa mortis seu testamento vel codicillo dari, concedi & relinqui libere possent; Ita quod ipsa societas ad eadem onera, ad quæ donator seu testator hujusmodi occasione bonorum eorumdem tenebatur & quæcumque alia, quæ ipse donator seu testator etiam imponeret, omnino teneretur, etiamsi ad certum numerum generationum aut nominationum eadem bona concessa essent, ipsa societas non perpetuo, sed per triginta annos pro qualibet generatione seu nominatione hujusmodi bona eadem tenere possent; & finitis ipsis annis bona prædicta ad eorum directos dominos devolverentur, & absque eorum consensu tenere non valerent, statuit & ordinavit. Ulterius ipsis de licentia capituli generalis seu provincialis dictæ societatis curam animarum monasterii sancti Salvatoris de Monte-acuto, & parochialium sancti Michaelis archangeli, & prioratus sancti Salvatoris de Fano Perusinæ, Tudertinæ & Fanensis diœcesis ecclesiarum eidem societati perpetuo canonice unitarum abdicare, & de consensu illorum parochianorum in loco dictis parochianis accommodo alias ecclesias, quibus cura parochianorum præfatorum applicaretur, construi facere; seu alteri parochiali, quæ parochianis hujusmodi accommoda foret, etiam de consensu illius rectoris, cui pro hujusmodi cura exercenda, quod inter eos conventum esset, solverent, ac illos jurisdictioni ordinarii loci subjicere, ac loca quæcumque etiam per ecclesiasticas & religiosas personas eis concedenda recipere, & eorum usui applicare; necnon loca sive eremitoria pro tempore recepta perficere, & alia de novo cum ecclesiis, oratoriis, humili campanili, cellulis & officinis necessariis construere seu construi, & jam constructa pro convenientiori eorum mansione demoliri facere, & ea ad aliorum locorum constructorum sive de novo construendorum usum convertere. Ac pro dicti ordinis propagatione omnes & singulos quorumcumque etiam mendicantium ordinum & congregationum ac monasteriorum ad eremitoria præfata tamquam ad arctiorem vitam convolare, & sub societate & eorum habitu Altissimo famulari eligentes superiorum suorum licentia petita, licet non obtenta, absque aliqua contradictione vel obstaculo recipere, ipsique sic recepti & in eadem societate sive ordine professi ad omnia officia & dignita-

tes

tes societatis eorumdem eremitarum promoveri & assumi libere & licite valerent, indulsit. Postremo Majori ac omnibus & singulis visitatoribus, provincialibus, prioribus ac aliis officialibus, seu fratribus sive eremitis præfatis, ut ipsi & omnes & singuli, ac commissi, oblati, novitii, servitores, familiares, benefactores & aliæ personæ, ac etiam oratoria, ecclesiæ, monasteria, eremitoria & loca, & quæcumque bona & cetera alia ejusdem societatis pro tempore pertinentia omnibus & singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus, gratiis, concessionibus, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, privilegiis, præeminentiis, prærogativis, libertatibus, favoribus, licentiis & indultis apostolicis, vel aliter qualiacumque essent, quibus omnes & singuli ordines, congregationes, societates & monasteria sub approbatis regulis degentes seu militantes, ac degentia seu militantia, eorumque superiores generales, provinciales & particulares monachi seu religiosi, commissi, oblati, novitii, familiares, servitores, benefactores & aliæ personæ, eorumque ecclesiæ, oratoria & alia quæcumque bona, quæ omnia ac nominatim exprimerentur, dictus Clemens prædecessor haberi voluit pro sufficienter expressis, conjunctim vel divisim eis & cuilibet ipsorum in genere vel in specie, etiam vivæ vocis oraculo, vel alias quomodolibet concessis seu concedendis, tam in spiritualibus, quam temporalibus, & tam in communi, quam particulari, seu, quomodolibet utebantur, potiebantur & gaudebant, seu uti, potiri & gaudere possent, quomodolibet in futurum absque ulla differentia tam in communi, quam in particulari vel alias quomodolibet uti potiri & gaudere libere & licite possent & valerent in perpetuum, ac etiam de novo concessit pariter & indulsit, & in eis locum habere voluit, ac si eisdem omnia & singula præmissa directe & expresse concesa fuissent, exceptis, quæ essent contra eorum constitutiones approbatas ac ordinationes capitulares factas & pro tempore faciendas. Ac ut dum privilegiorum, concessionum, exemptionum, immunitatum, facultatum, gratiarum & indultorum eorum & cujuslibet dictorum ordinum, congregationum, societatum & monasteriorum originales literæ seu transumpta authentica ex illis, prout in favorem dictæ societatis ejusque superiorum, eremitarum, commissorum, oblatorum, novitiorum, familiarium, servitorum, benefactorum & personarum ac ecclesiarum, monasteriorum, eremitoriorum, locorum, bonorum & aliorum ceterorum ejusdem societatis ostenderentur vel exhiberentur, eadem fides indubia adhiberetur, tam in judicio quam extra, & aliis locis, quibus opus foret, ac si pro & in favorem eorum societatis ecclesiarum, eremitoriorum & monasteriorum, fratrum & personarum, ac bonorum prædictorum ac prædictarum a sede prædicta emanassent, ac eis & cuilibet ipsorum fuissent immediate concessæ, mandavit. Necnon quod literarum desuper conficiendarum transumptis manu notarii publici scriptis & sigillo alicujus prælati ecclesiastici munitis ubique staretur, prout originalibus literis staretur, & plena fides in judicio & extra adhiberetur, quæ eisdem desuper conficiendis literis daretur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Quodque literæ ipsæ desuper conficiendæ, cum confectæ forent, ac in eis contenta quæcumque sub quibusvis revocationibus, modificationibus, limitationibus & suspensionibus quarumcumque literarum, gratiarum & dispositionum per ipsum Clementem prædecessorem & sedem prædictam, etiam motu proprio & ex certa scientia, seu ad imperatoris, regum & ducum instantiam concessis & concedendis nullatenus comprehenderentur, sed semper ab illis excepta essent & esse censerentur; & quoties revocata, modificata, limitata & suspensa aut alterata forent, toties in eo statu, in quo ante revocationem, modificationem, limitationem & suspensionem hujusmodi repositæ, restitutæ & reintegratæ, ac si opus foret, de novo concessæ essent & esse censerentur, & quotiescumque per aliquem aut plures actus contra ea aut ipsorum aliqua a quoquam cujuscumque dignitatis, status, gradus & conditionis foret, ex negligentia vel ignorantia illorum, quibus ea concedebantur, aut aliquavis causa scienter vel ignoranter attentari vel attentata observari contingeret, nullum tamen propterea exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, indultis & privilegiis hujusmodi præjudicium generaretur, sed ea omnia & singula in suo robore & firmitate permanerent, easdem literas absque aliorum instrumentorum: literarum prædictarum productione & ostensione ad probandum plene omnia & singula sæpius enarrata & significata in judicio & extra ubique sufficere, nec ad id probationis ulterius adminiculum requiri. Et si forte contingeret aliquod dubium in dictis per ipsum Clementem prædecessorem confirmatis aut literis suis super præmissis conficiendis hujusmodi, aut aliquo eorum pro tempore emergi, data verborum ambiguitate & jurisperitorum interpretatione,

tione, dictæ societatis de novo erectæ ac illius locorum particularium & personarum favorem interpretari debere, sicque per quoscumque judices ordinarios, & extraordinarios ac delegatos & causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales sententiari, judicari & definiri debere, sublata eis & eorum cuilibet quacumque alia judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, irritum quoque et inane, quicquid secus fieri sive attentari contingeret, decrevit, ac voluit et concessit, universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis in dignitate ecclesiastica constitutis personis, ac quarumcumque metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum canonicis, necnon præfatorum patriarcharum ac archiepiscoporum et episcoporum in spiritualibus vicariis et officialibus generalibus dari in mandatis, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios literas desuper conficiendas hujusmodi, cum confectæ forent, ac in eis contenta quæcumque sollemniter publicantes, ipsisque eremitis seu fratribus ac personis prædictis præmissis efficacis defensionis præsidio assistere ac facere eosdem eremitas ac alias personas omnibus præmissis pacifice frui et gaudere, non permittentes ipsos seu ipsas super iis per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras ecclesiasticas et alia opportuna juris remedia appellatione postposita compesci, et legitimis super iis habendis servatis processibus censuras et pœnas iteratis vicibus aggravandi, invocato etiam ad id, si opus foret, auxilio brachii secularis: non obstantibus præmissis ac Clementis, per quam inter alia voluerat, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem æstimationem tam beneficii uniendi, quam illius, cui unio fieri peteretur, alioquin unio non valeret, et semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset: necnon Pauli prædecessorum prædictorum, ac similis memoriæ Innocentii IV. contra exemptos edita, quæ incipit: *Volentes*; necnon quibus cavetur, quod nullus extra suam civitatem vel diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur, seu ne judices a sede prædicta deputati extra civitatem vel diœcesim, in quibus deputati forent contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumerent Bonifacii VIII. Rom. pont. etiam prædecessorum nostrorum, et de duobus dietis in concilio generali edita, dummodo non ultra tres dietas aliquis dictarum literarum desuper conficiendarum auctoritate non traheretur, et quibusvis aliis apostolicis, necnon provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus et specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac prædictarum ecclesiarum, monasteriorum, etiam sancti Antonii de sancto Antonio ordinis sancti Augustini Viennensis diœcesis, et religiosorum locorum ac ordinum quorumcumque etiam Camaldulensis hujusmodi, et aliorum etiam Mendicantium et non Mendicantium statutis et consuetudinibus, etiam illis, in quibus cavebatur, ut mulieres ad dictum eremitorium sancti Hieronymi de Pascilupo sub excommunicationis latæ sententiæ pœna numquam accederent, juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque et indultis, ac literis apostolicis Camaldulensi, aliisque ordinibus Mendicantium et non Mendicantium, et Militiarum ecclesiis, monasteriis, et sancti Antonii hujusmodi, necnon universitatibus, congregationibus, societatibus, communitatibus, collegiis et ceteris aliis personis et locis per eumdem Clementem prædecessorem et sedem prædictam sub quibusvis verborum formis & clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis, illis præsertim, quibus inter alia caveri dicebatur expresse, quod nulli fratres seu monachi, de dictis etiam Mendicantium ordinibus ad alium ordinem etiam strictiorem transeuntes per superiores, priores & alios fratres ordinum aut societatum, ad quos si transierint, etiam de licentia eorumdem superiorum petita & obtenta recipi & admitti possent, alias recipientes & recepti excommunicationis sententiam incurrerent, ipsique sic vel alio modo recepti ad aliquod officium seu prælaturam ejusdem ordinis, in quo recipiebantur, eligi non possent, absque apostolicæ sedis speciali & expressa licentia per ipsius sedis patentes literas concedenda, facientes plenam, ac certam & determinatam de statuto & ordinatione hujusmodi expressam & individuam mentionem. Quibus omnibus, etsi pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua mentio, seu quævis alia expressio habenda vel aliqua alia exquisita forma servanda foret, dictus Clemens prædecessor eorum omnes tenores & formas illarum concessionum, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habens, illis alias in suo ro-

bore permansuris, ea vice dumtaxat auctoritate prædicta specialiter & expresse derogavit, ceterisque contrariis quibuscumque. Ne autem de absolutione, erectione, institutione, approbatione, confirmatione, suppletione, concessione, assignatione, exemptione, liberatione, susceptione, inhibitione, statuto, ordinatione, indulto, voluntate, mandato, decreto & derogatione prædictis, pro eo quod super illis dicti Clementis prædecessoris ejus superveniente obitu, literæ confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari; ipsique Major, visitatores, priores, officiales & fratres illorum frustentur effectu, volumus & similiter apostolica auctoritate decernimus, quod absolutio, erectio, institutio, approbatio, confirmatio, suppletio, concessio, assignatio, exemptio, liberatio, susceptio, inhibitio, statutum, ordinatio, indultum, voluntas, mandatum, decretum & derogatio Clementis prædecessoris hujusmodi perinde a dicta die tertio nonas septembris suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Clementis prædecessoris literæ sub ejusdem diei datum confectæ fuissent, prout superius enarratur. Quodque præsentes literæ ad probandum plene absolutionem, erectionem, institutionem, approbationem, confirmationem, suppletionem, concessionem, assignationem, exemptionem, liberationem, susceptionem, inhibitionem, statutum, ordinationem, indultum, voluntatem, mandatum, decretum & derogationem Clementis prædecessoris hujusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Quocirca universis & singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & dilectis filiis abbatibus ac aliis personis in dignitate ecclesiastica constitutis, necnon metropolitanarum & aliarum ecclesiarum canonicis, & eorumdem patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum vicariis in spiritualibus & officialibus generalibus per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel per alium seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Majoris, visitatorum, priorum, officialium & fratrum prædictorum, seu alicujus eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentes literas & in eis contenta hujusmodi firmiter observari; ac singulos, quos eædem præsentes literæ concernunt, illis pacifice gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari, perturbari aut inquietari; contradictores quoslibet & rebelles per censuram ecclesiasticam & alia opportuna juris remedia appellatione postposita compescendo, ac legitimis super iis habendis servatis processibus censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, juxta voluntatem & concessionem Clementis prædecessoris hujusmodi, non obstantibus omnibus supradictis, aut si aliquibus communiter vel divisim ab dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, decreti & mandati infringere *&c.* Si quis *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M.D.XXXIV. tertio nonas novembris pontificatus nostri anno primo.

XXXIX.

Pauli III. literæ pro monasterio Classis, quod non teneatur ad hospitalitatem exercendam, & ad pauperes excipiendos.

Anno 1535. IV. kal. novembris.

Ex apographo ejusdem monasterii.

PAulus episcopus servus servorum Dei ven. fratri ... episcopo Florentino, ac dilectis filiis venerabilium fratrum nostrorum Bononiensis & Ferrariensis episcoporum in spiritualibus vicariis generalibus salutem & apostolicam benedictionem. Hodie a nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis. Paulus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Regimini universalis ecclesiæ meritis licet imparibus divina dispositione præsidentes ad ea nostræ considerationis aciem libenter dirigimus, per quæ nostræ provisionis auxilio divinus cultus ubique votivum suscipiat incrementum, & quæ propterea pia fidelium concessione processerunt, ut illibata permaneant, cum a nobis petitur, apostolico munimine roboramus. Sane pro parte dilectorum filiorum abbatis & conventus monasteri sancti Apollinaris in Classe Camaldulensis ordinis Ravennatis diœcesis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias quondam Ostasius de Polenta civis Ravennatensis tunc in humanis

nis agens, & patronus hospitalis beatæ Mariæ de la Misericordia Ravennæ provide considerans, quod ipsum hospitale, cujus ecclesia in honorem sancti Bartholomæi apostoli dedicata, & in ea unum altare sub invocatione sancti Lazari existebat, in spiritualibus & temporalibus decentius, commodius regi & gubernari, illiusque ædificia restaurari & reparari, ac bona fideliter custodiri & conservari, necnon hospitalitas inibi observare possent, si ibidem personæ religiosæ ad Missas & alia divina officia celebranda deputarentur, hospitale prædictum cum omnibus juribus & pertinentiis suis monasterio & conventui præfatis donatione inter vivos perpetuo donavit & concessit, ita tamen quod pro tempore existens abbas dicti monasterii ipsum hospitale & illius ædificia manutenere, restaurare & reparare ac illius bona conservare, Missasque in ipsa ecclesia celebrari facere, necnon hospitalitatem tenere & observare, & pauperes inibi recipere, ac eis necessaria & consueta servitia, prout in ipso hospitali consuetum erat, ministrari facere tenerentur, prout in publico instrumento ante centum annos desuper confecto plenius dicitur contineri, & deinde cum tunc abbas ejusdem monasterii & præfati conventus ob aeris intemperiem in ipso monasterio vigentem inibi absque propriæ sanitatis periculo residere nequirent, in eodem hospitali residere cœperunt, & inibi unum notabile monasterium, & unam amplam ecclesiam, cum refectorio, dormitorio & aliis officinis necessariis suntuoso & eminenti ædificio cum totius civitatis Ravennæ decore, ac illius civium & incolarum spirituali consolatione, ac divini cultus augmento construi & ædificari fecerunt, & ex tunc notabilem religiosorum numerum sub suavi religionis jugo & odore bonæ famæ vota sua Altissimo persolventium tenuerunt, necnon singulis hebdomadis duas singulis pauperibus inibi confluentibus, ac etiam quibuslibet aliis pauperibus singulis diebus accedentibus eleemosynas & caritativa subsidia ministrant, sæpissimeque pro pauperibus puellis matrimonio tradendis & dotandis juxta eorum facultatem subveniunt. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, a nonnullis hæsitetur, an ipsi abbas & conventus eidem conditioni appositæ de hospitalitate tenenda & pauperibus recipiendis juxta consuetudinem antiquam dicti hospitalis inibi lectos non tenendo, prout nec commode tenere possent, satisfaciant; quare pro parte abbatis & conventus eorumdem nobis fuit humiliter supplicatum, ut donationi & concessioni præfatis pro illarum subsistentia firmiori robur apostolicæ confirmationis adjicere alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur abbatem & singulares personas conventus hujusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, necnon dicti instrumenti veriorem tenorem præsentibus pro expresso habentibus, hujusmodi supplicationibus inclinati, donationem, & concessionem prædictas, ac prout illas concernunt, omnia & singula in dicto instrumento contenta, ac inde secuta quæcumque auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus & confirmamus, ac illis respective firmitatis robur adjicimus, omnesque & singulos juris & facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus: necnon abbatem pro tempore existentem dicti monasterii sancti Apollinaris & præfatum conventum eleemosynas ordinarias bis singulis hebdomadis & alia caritativa subsidia Christi pauperibus, prout hactenus observarunt, ministrando & largiendo, eidem conditioni satisfacere, nec ad hospitalitatem manutenendam teneri aut ad id cogi seu compelli vel super bonis ejusdem hospitalis molestari seu impediri posse, sicque per quoscumque judices & commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari, definiri & interpretari debere, necnon si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, irritum decernimus & inane. Non obstantibus *&c.* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, additionis, subjectionis & decreti infringere *&c.* Si quis *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M. D. XXXV. quarto kalendas novembris pontificatus nostri anno primo. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alios prædictas literas & in eis contenta quæcumque ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte abbatis pro tempore existentis, & conventus præfatorum, sive alterius eorum fuerint requisiti, sollemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciatis au-

auctoritate vestra prædictas literas inviolabiliter observari. Non permittentes eos, quos literæ vestræ concernunt, desuper quomodolibet indebite molestari. Contradictores, molestatores quoslibet & rebelles per censuras & pœnas ecclesiasticas ac alia opportuna juris remedia appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super hiis habendis servatis processibus censuras & pœnas ipsas, quoties opus fuerit, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M. D. XXXV. quarto kalendas novembris pontificatus nostri anno primo.

X L.

Ducales literæ Andreæ Gritti confirmantis prioratum S. Benedicti de Fileto monasterio S. Mathiæ de Muriano.

Anno 1536. XXIII. octobris.

Ex autographo S. Mathiæ.

ANdreas Gritti Dei gratia dux Venetiarum *&c.* nobili & sapienti viro Johanni Bembo de suo mandato potestati & capitaneo Coneglani fideli dilecto salutem & dilectionis affectum. Cum venerabiles patres domnus Paulus de Orlandinis de Florentia vice-vicarius congregationis eremi atque sancti Michaelis de Muriano ordinis Camaldulensis & domnus Parisius de Tarvisio prior sancti Mathiæ de Muriano & domnus Mansuetus de Bergomo abbas Montis-christi in provincia Sardiniæ ambo visitatores tamquam viciniores prælati dictæ congregationis ex facultate eis concessa a sede apostolica rationabilibus de causis animum eorum moventibus revocaverint a prioratu sancti Benedicti prope Filetum Cenetensis diœcesis ven. patrem domnum Dominicum de Monte-sancti-Savini dicti Camaldulensis ordinis Monachum ultimum priorem dictæ ecclesiæ sive loci sancti Benedicti de Fileto, eamdemque ecclesiam ex hujusmodi revocatione vacantem declaraverint fuisse unitam, & quatenus opus fuerit, ipsi univerint & incorporaverint monasterio sancti Mathiæ de Muriano Torcellensis diœcesis & Camaldulensis ordinis sui prædicti ad mensam scilicet monasterii prædicti sancti Mathiæ, omni ipsius titulo extincto, prout apparet de auctoritate dictorum dominorum visitatorum, ac de revocatione ac unione prædictis, necnon de possessione vigore dictæ unionis a procuratore dicti monasterii sancti Mathiæ dictæ ecclesiæ sancti Benedicti de Fileto accepta ex instrumento confecto manu Girardi de Noris quondam Johannis publici notarii Venetiarum sub die VIII. mensis decembris M. D. XV. & nunc nomine præfati monasterii sancti Mathiæ petitæ fuerunt literæ nostræ ducales in obedientiam partis captæ in senatu nostro sub die XXII. januarii anni proximi decursi circa hujusmodi ecclesiarum possessus, idcirco has vobis scribere voluimus, & vobis mandamus, quod præfatum monasterium sancti Mathiæ de Muriano sive ejus procuratorem legitimum poni faciatis, & positum conservetis in tenuta & corporali possessione prædictæ ecclesiæ sive loci sancti Benedicti de Fileto cum responsione omnium fructuum, redditnum & proventuum ad dictam ecclesiam sive locum spectantium quomodolibet & pertinentium. Verum si aliquid haberetis in contrarium supersedete, & rescribite nobis, neminem in possessione inventum amovendo. Has autem nostras registratas præsentanti restituite. Data in nostro ducali palatio die XXIII. octobris indictione X. anno M. D. XXXVI.

X L I.

Permissio facta eremitis Coronensibus condendi nova loca, in quibus major modus sit observandæ paupertatis.

Anno 1537. IX. maji.

Ex libro Fondazioni *pag.* 3.

NOi presidente e definitori del capitolo generale della congregazione degli eremiti di san Romualdo dell' ordine Camaldolese congregati nel luogo di san Salvatore in Monte-corona diocesi di Perugia nell' anno 1537. ad futuram rei memoriam.

Facciamo fede, qualmente essendo alcuni delli nostri fratelli eremiti desiderosi di vivere in povertà, e senza entrata, e semplicemente, ed alquanto più stretto, abbiamo determinato, ed è stato concesso da noi; e per tutte le ballotte vinto, come appare negli atti del nostro capitolo generale, che in futurum si abbino da pigliare delli luoghi nuovi, dove si possa vivere al modo detto e senza entrata, cioè delle loro fatiche over di elemosine, cercandole loro, o non cercandole, come meglio parerà al loro superiore: gli eremiti solum saranno tenuti alle cose sustan-

ſtantiali della Regola ed a tutte quelle ordinazioni o coſtituzioni, che gli altri ſaranno tenuti, ed il loro ſuperiore prudentemente giudicarà non repugnare allo ſtato loro. Ancora fu rimeſſo lo ſtringere de vita e tutte le altre coſe, che non ſono eſpreſſe, alla diſcrezione e giudizio dello ſteſſo ſuperiore. Item è ſtata conceſſa licenza da Noi, che per lo preſente anno ſi cerchi e pigli dovunque parerà conveniente un luogo atto al viver loro, dove fu coſtituito per priore il padre don Girolamo da Seſſa, e frat' Euſebio ſacerdote per compagno, e fra Pietro d' Ancona Chierico, e frat' Arſenio da Cingoli converſo, e fulli conceſſo, che ne poſsa veſtire dei altri, quali a lui pareranno atti alla noſtra converſazione, quali volemo, che godano li noſtri privilegj, e ſiano tutti un corpo ſotto un capo & una ubbidienza del noſtro capitolo generale. E perchè tutto queſto fu determinato da noi e conceſſo, ſecondo che pare negli atti del noſtro capitolo, abbiamo fatto fare la preſente patente, ed in fede della verità ſignata del ſolito ſigillo della noſtra congregazione. Datum in eodem loco ſancti Salvatoris in cella ſancti Bonifacii deputata pro celebratione ejuſdem capituli anno domini, ut ſupra, die vero nono menſis maji.

Ego frater Paulus Peruſinus vice-ſcriba de mandato præfati capituli ſcripſi.

XLII.

Conceſſio loci Rhuenſis facta a monachis S. Mathiæ eremitis Coronenſibus.

Anno 1537. XXVIII. junii.

Ex archivo Rhuenſi libro Fondazioni *pag. 2.*

IN Chriſti nomine, amen. Anno nativitatis ejuſdem M. D. XXXVII. indictione X. die vero jovis XXVIII. menſis junii. Convocato & ſollemniter congregato ven. capitulo monachorum monaſterii ſancti Mathiæ de Muriano congregationis ſacræ eremi & ſancti Michaelis etiam de Muriano ordinis Camaldulenſium in loco ſuo capitulari conſueto de licentia & commiſſione domni Paridis de Tarviſio moderni prioris ejuſdem monaſterii, etiam ad ſonum campanellæ, ut moris eſt, in quo capitulo aderant & interfuerunt præfatus prior ac ven. patres monachi infraſcripti, videlicet domnus Stephanus de Brixia ſubprior, domnus Petrus de Bergomo, domnus Nicolaus Treviſano de Venetiis, domnus Dionyſius de Caſtro-baldo, domnus Zanettus Salodienſis, frater Hieronymus de Venetiis, frater Ambroſius Laudenſis, frater Bartholomeus de Portu-gruario, & frater Daniel de Conegliano, omnes, ut aſſeruerunt, profeſſi congregationis & ordinis prædictorum, reſidentes in prædicto monaſterio vocem habentes in capitulo, & tamquam major & ſanior pars conventus, repræſentantes & conſtituentes iſtud ſuum capitulum, & agentes nomine prædicti monaſterii, pro ſe ac ſucceſſoribus ſuis, annuendo favorabiliter requiſitioni ſuper hoc ſibi factæ ex parte rev. patris Majoris ac eremitarum congregationis ſancti Romualdi ejuſdem ordinis Camaldulenſis, ſalvo tamen ac reſervato beneplacito & conſenſu ſedis apoſtolicæ, & omni meliori modo, quo potuerunt ac poſſunt, dederunt, aſſignaverunt, donaverunt & conceſſerunt, ac per præſens inſtrumentum dant, concedunt, donant perpetualiter & aſſignant ſupradictæ congregationi eremitarum ſancti Romualdi, illiuſque Majori & eremitis licet abſentibus, ſed ven. patri domno fratri Hieronymo de Seſſa eremitæ ipſius congregationis tamquam nuntio dominorum Majoris & eremitarum prædictorum deputato, ut dixit, per literas patentes capituli generalis inferius regiſtrandas, ibidem præſenti, acceptanti & ſtipulanti nomine totius prædictæ congregationis eremitarum ſancti Romualdi, & ſucceſſorum ſuorum, prioratum ſanctæ Mariæ de Ruta territorii ac diœceſis Paduanæ, qui fuit & eſt unitus, ac membrum unitum prædicto monaſterio ſancti Mathiæ etiam cum bonis ſuis immobilibus, ſive terris ipſius prioratus, quæ bona habuerunt & haberi voluerunt pro ſufficienter expreſſis intra ſuos quoſcumque confines, & cum omnibus juribus, habentiis & pertinentiis ſuis pro uſu, commoditate & habitatione eremitarum prædictæ congregationis ſancti Romualdi pro tempore exiſtentium, & ad habendum, tenendum, regendum, gubernandum, uſufructuandum & poſſidendum more religioſorum ſecundum ſtatuta & laudabiles conſtitutiones præfati ordinis Camaldulenſis.

Pro quo quidem prioratu & illius recognitione & annuo cenſu præfati domini Major & congregatio eremitarum ſancti Romualdi teneantur & debeant, & ſic præfatus domnus Hieronymus, quo ſupra nomine, promiſit & convenit dare, ſolvere & reſpondere præfatis domino priori & conventui monaſterii ſancti Mathiæ ſtipulantibus pro ſe & ſucceſſoribus ſuis quolibet anno duos candelotos ceræ albæ pon-

ponderis unius libræ pro utroque ipsorum in prædictomet monasterio & ad ejus festum sancti Mathiæ, incipiendo solvere dictos duos candelotos in festo ejusdem sancti Mathiæ vel in vigilia ipsius de & pro anno proxime futuro 1538. more Veneto sed 1539. a nativitate Domini, ac successive continuando de anno in annum perpetuis futuris temporibus, cum his modificationibus, pactis & declarationibus concorditer adhibitis, quod prædicti eremitæ possint ad beneplacitum ipsorum & suis propriis sumptibus impetrare & obtinere confirmationem apostolicam hujusmodi concessionis & donationis quandocumque sine aliqua contradictione aut novo consensu dominorum prioris & conventus concedentium prædictorum. Item, quod præfati eremitæ non possint ullo umquam tempore alienare, distrahere aut alicui transferre prædictum prioratum aut illius bona, neque de illo quovis modo disponere in aliquas personas extra dictam suam congregationem eremitarum sancti Romualdi, ne expresso consensu dominorum prioris & conventus prædicti monasterii sancti Mathiæ. Item quod prædicti eremitæ possint & debeant habere, tenere & usufructuare & possidere prædictum prioratum & illius bona pro usu & habitatione eremitarum suorum, & si quandocumque relinquerent dictum prioratum, & cessarent ab illius habitatione, ex tunc & eo casu dictus prioratus & cum suis melioramentis, quæ facta forent & cum omnibus bonis suis tam de novo & post hujusmodi concessionem acquisitis, quam præsentibus seu quæ in presentiarum reperitur habere, ac omnibus juribus, habentiis & pertinentiis suis, revertatur & remaneat unitus præfato monasterio sancti Mathiæ, prout hactenus reperiebatur in omnibus & per omnia, hujusmodi concessione & donatione nequaquam obstante, salvo tamen & reservato legitimo impedimento, propter quod dicti eremitæ non possent habitare dictum locum. Item quod si & quandocumque prædicti eremitæ vel eorum successores deficerent in solutione prædicti annui census per triennium continuum, ex tunc & eo casu dictus prioratus revertatur & remaneat unitus prædicto monasterio sancti Mathiæ similiter, prout hactenus reperiebatur etiam cum omnibus meliorarnentis ac bonis tuis, juribusque, habentiis & pertinentiis suis in omnibus & per omnia, ut supra & sine aliqua contradictione. Quæ omnia & singula &c.

Actum sive acta fuerunt præmissa in suprascripto monasterio sancti Mathiæ de Muriano Torcellanæ diœcesis apud Venetias in præsentia, & de licentia & consensu rev. patris domni Mansueti de Bergomo ad præsens generalis totius prædicti ordinis Camaldulensis &c. qui ad requisitionem utriusque partis suprascripta omnia approbavit &c. præsentibus ibidem ven. domino presbytero Georgio Antibareno plebano & vicario ecclesiæ sancti Martini de Muriano prædicto, necnon Benedicto &c. hortulano, & Angelo Bragato &c. barcarolo monasterii sancti Johannis a Judaica &c. testibus vocatis ad præmissa & rogatis.

Et ego Bonifacius Solianus &c. notarius &c. scripsi &c.

XLIII.

Pauli III. Breve, quo copiam facit Camaldulensibus alienandi bona mobilia & immobilia pro impositione subsidii.

Anno 1537. XIX. novembris.

Ex tabulario S. Michaelis de Muriano.

PAulus papa III. Dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Quum nos nuper, qui subsidium certi redditus annui sive illius pretii, quod pro sacri Dei templi sacerdotio & Christianis populis ab impiissimis Turcarum tyranni conatibus defendendis ab omnibus & singulis monasteriorum, prioratuum, præpositurarum, præceptoriarum, domorum, conventuum, necnon congregationum & quarumvis aliarum militiarum regularium tam virorum, quam mulierum in universa Italia ubilibet & Sicilia ultra Pharum, ac Sardiniæ & Corsicæ insulis existentium abbatibus, prioribus, præpositis, præceptoribus, prælatis, abbatissis, conventibus & personis nobis persolvendum imposuerimus; ex certis rationabilibus causis per quasdam nostras literas in forma Brevis die VI. octobris proxime præteriti emanatas ad medietatem valoris unius anni omnium & singulorum censuum, necnon fructuum, redditiuum & proventuum eorumdem monasteriorum & aliorum locorum prædictorum redegerimus, prout in prædictis literis, quarum tenores pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Vosque pro vestra erga sanctam apostolicam sedem, fide & devotione satisfactionem subsidii hujusmodi satagentes de medietate hujusmodi redditum & proventuum monasteriorum & aliorum locorum vestræ con-

congregationis quorumcumque tam regularium, quam conventualium cum ven. fratre Ascanio episcopo Ariminense thesaurario nostro generale concordantes, congregationem vestram prædictam ac ipsius monasterii loca prædicta ad solvendum in istis terminis summam registratam trium millium scutorum auri in auro pro omni toto eo, quod ob dictum subsidium ab eis exigi possit, ut accepimus obligationem, prout in instrumento publico desuper confecto plenius dicitur contineri. Nos volentes, ut par est, occasione subsidii ac solutionis hujusmodi per nos præmissi tum indemnitati, tum commoditati monasteriorum & locorum prædictæ vestræ congregationis opportune prospicere, tenore præsentium concordiam prædictam, ac omnia & singula in instrumento desuper confecto contenta & expressa juxta formam & tenorem ipsius instrumenti comprobantes & confirmantes, quod vos & congregatio vestra prædicta illiusque monasteria & loca quæcumque ratione dicti subsidii ad majorem summam solvendam cogi non possitis, auctoritate apostolica volumus & decernimus, mandantes dilecto filio Guidoni Ascanio Sfortiæ sanctorum Viti & Modesti in Macello Martyrum diacono cardinali sanctæ Romanæ ecclesiæ camerario & thesaurario, aliis quoque, ad quos spectat, quod soluta summa trium millium scutorum supradicta, vos & congregationem vestram prædictam a solutione dicti subsidii quietent & liberent, & illius occasione molestias aliquas vobis inferre non præsumant, nec ab aliis inferri permittant, irritum quoque & inane quidquid secus a quoquam super his quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari decernentes: & insuper cum fide digna relatione perceperimus congregationem vestram & ipsius monasteria in eo statu constituta esse, ut dictam summam trium milium scutorum ex ipsorum monasteriorum redditibus solvere non possitis, cogamini ad hoc, ut dictam summam solvere valeatis, ad venditionem bonorum vestrorum monasteriorum devenire, quæ distributa per vos seu deputatos vestros per prædicta monasteria & loca summa prædictorum trium millium scutorum illorum abbates seu priores de consensu conventuum monasteriorum, quibus præsunt, vel ipsorum majoris partis, tot bona immobilia seu mobilia, vasis pretiosis sacro cultui necessariis ac deputatis, & aliis per concilium Viennense in casibus hujusmodi alienari prohibitis exceptis, ad earum monasteria quommodolibet spectantia & pertinentia, quæ ratam eorum monasteriorum juxta distributionem, ut præfertur, faciendam non excedant, quibusvis personis tam laicis, quam ecclesiasticis pro seipsis, eorumque hæredibus in perpetuum vendere & alienare, seu si videbitur, pro quacumque pecuniarum summa ad effectum dictæ solutionis necessaria mutuo accipere, præfata bona pignorare vel hypothecare, seu sub quibuscumque licitis pactis, formis & conditionibus etiam canonis seu mercedis anticipata solutione in perpetuum vel ad tempus locare, in emphyteosim dare, infeudare, vel alias, ut videbitur, disponere, pretiumque exinde proveniens in solutionem præmissam convertere possint & valeant, harum serie auctoritate apostolica concedimus & indulgemus, volentes, quod præfati abbates seu priores, postquam medietatem fructuum & reddituum hujusmodi persolverint, medietatem quoque omnium & singularum pensionum annuarum quavis de causa quibuscumque personis cujusvis conditionis seu gradus existentibus auctoritate apostolica reservatarum, & in quemcumque eventum etiam excogitati subsidii contra Turcas exemptarum semel tantum libere retinere possint & valeant. Nos enim eosdem abbates seu priores & visitatores ad omnes & singulas alienationes, pignorationes seu hypothecas, locationes, emphyteoses & feuda quæcumque, necnon pensionum retentiones & alia quæcumque præmissa exequendum & exequi facienda nostros & præfatæ sedis apostolicæ commissarios cum amplissima facultate & potestate constituimus & deputamus per præsentes, decernentes venditionum, pignorationum & aliorum quorumcumque præmissorum contractus & obligationes præsentium literarum vigore faciendos validos & efficaces fore, ac perpetua roboris firmitate subsistere, & suos effectus sortiri & inviolabiliter observari. Et sic per quoscumque tam ordinaria, quam delegata & mixta auctoritate fungentes judices & personas judicari, cognosci & decidi debere, sublata eis & cuilibet ipsorum quavis aliter judicandi, sententiandi vel interpretandi facultate & auctoritate; irritum quoque & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus felicis recordationis Pauli II. prædecessoris nostri de rebus ecclesiæ non alienandis, & aliis apostolicis ac provincialibus & synodalibus constitutionibus, statutis quoque & consuetudinibus etiam juramento &c. Volumus autem, ut dictæ vestræ congregationis abbates seu priores, & conventus loco bonorum alienatorum hujusmodi

modi tot alia bona pro ipsis locis, quanta bona ipsa alienata fuerint, infra quindecim annos a die alienationis hujusmodi computandos juxta eorum possibilitatem, super quo conscientias eorum oneramus, emere & acquirere teneantur. Verum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca, in quibus expediens foret, deferri, volumus & auctoritate prædicta decernimus, quod earumdem literarum transumptis manu notarii cameræ apostolicæ inde rogati, vel alterius cujusvis publici notarii subscriptis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio & extra illud, quæ adhiberetur ipsis originalibus, si forent exhibitæ vel ostensæ &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. novembris M.D.XXXVII. pontificatus nostri anno quarto.

XLIV.

Paulus III. unit prioratum S. Frigdiani de Pisis monasterio Vertilii.

Anno 1543. xv. kal. junii.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

PAulus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii &c. Cum itaque prioratus hospitale nuncupatus sancti Frigdiani, alias sancti Martini, Pisanæ ordinis Camaldulensis, quem ven. frater noster Gaspar episcopus Civitatensis ex concessione & dispensatione apostolica in commendam obtinet, commenda hujusmodi, ex eo quod dictus Gaspar episcopus illi hodie in manibus nostris sponte & libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, cessante, adhuc eo quo ante commendam ipsam vacabat, modo vacare noscatur ad præsens, & sicut exhibita nobis nuper pro parte præfati Gasparis episcopi, & dilectorum filiorum moderni prioris & conventus monasterii per priorem regi soliti sanctæ Mariæ de Angelis Florentinæ ordinis Camaldulensis petitio continebat, alias postquam tunc prior eremi Camaldulensis Arretinæ diœcesis, qui etiam dicti ordinis generalis existebat, & dilecti filii capitulum generale ipsius ordinis tunc in civitate Florentina de mandato felicis recordationis Leonis papæ X. prædecessoris nostri congregati tam eorum ordinaria, quam etiam eis, ut asserebat, concessa apostolica auctoritate, quod dictus prioratus, si tunc quovis modo vacaret, alias quam primum per cessum vel decessum, vel quamvis aliam dimissionem illum tunc obtinentis vacare contingeret, eidem eremo unitus & annexus existeret, inter alia statuerant & ordinaverant, ipseque prædecessor Statutum & ordinationem hujusmodi motu proprio per ejus literas approbaverat & confirmaverat, ac prioratus sanctæ Mariæ de Vertighi prope & extra muros oppidi castrensis Montis-sancti-Sabini ordinis & diœcesis prædictorum a dicto monasterio, cui ipse prioratus de Vertighi perpetuo unitus existebat, ad effectum, quod dictus prioratus de Vertighi esset caput de per se & membrum dicti ordinis, loco prioratus sancti Benedicti extra & prope portam Florentinam ejusdem ordinis, & seu ex certis aliis tunc expressis causis canonice separatus, seu illius unio hujusmodi dissoluta fuerat, Gaspar episcopus, & prior dicti monasterii & conventus præfati inter alia convenerunt, quod dilecti filii prior & conventus dictæ eremi, ac illi, ad quos spectabat, deberent & tenerentur ad regimen & administrationem dicti prioratus de Vertighi eligere & deputare unum priorem, qui cum tribus aliis monachis presbyteris & duobus diaconis vel subdiaconis, & uno clerico, itaut essent ad minus sex personæ in totum ejusdem ordinis ad celebrandum divina officia in ecclesia prioratus de Vertighi hujusmodi residerent & permanerent per quatuor annos tunc proximos, & post dictos quatuor annos in dicto prioratu de Vertighi tot monachos presbyteros tenerent, quot possent legitime sustentare, ac præfatus prior semper locum retineret, & vocem, prout similium prioratuum alii priores soliti erant retinere, ac præfati prior & monachi, seu alii, ad quos spectabat etiam tenerentur & deberent res spectantes & pertinentes ad sacristiam, & libros de choro ipsius prioratus sancti Benedicti cum effectu dare & tradere priori & monachis ecclesiæ prioratus de Vertighi hujusmodi juxta ordinationem inventarii desuper faciendi, necnon prior monasterii & conventus hujusmodi in ecclesia prioratus sancti Benedicti hujusmodi infra octo dies a die obitus dicti Gasparis episcopi quolibet anno in perpetuum celebrare, seu celebrari facere unum anniversarium omnium monachorum in illo existentium cum præmio, pictantia nuncupato, unius medii scuti, ac dictæ conventionis confirmationem & approbationem a sede apostolica in forma amplissima petere deberent & tenerentur, alias per ipsum Gasparem episcopum facta & gesta haberentur pro non factis, & quousque præmissa omnia adimpleta forent, dictus Gaspar

par episcopus omnes & singulos fructus dicti prioratus sancti Martini libere percipere posset, prout in dictis literis ac instrumento publico super conventione hujusmodi confecto plenius contineri dicitur. Et si dictus prioratus sancti Frigdiani, alias sancti Martini, eidem monasterio perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, ex hoc profecto prior monasterii & conventus hujusmodi se commodius sustentare, & onera eidem monasterio pro tempore incumbentia facilius perferre posset; quare pro parte eorumdem Gasparis episcopi, & moderni prioris ac conventus prædictorum asserentium fructus, redditus & proventus dicti prioratus sancti Frigdiani, alias sancti Martini, quinquaginta ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem conventioni pro illius subsistentia firmiori robur apostolicæ confirmationis adjicere, & prioratum sancti Frigdiani, alias sancti Martini, prædictum eidem monasterio, ut præfertur, unire, annectere & incorporare, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin &c. Gasparem episcopum, ac modernum priorem ac singulares personas &c. harum serie absolventes &c. conventionem prædictam, ac prout illa concernunt, omnia & singula in dicto instrumento contenta, & inde secuta quæcumque dicta apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, decreti, suppletionis, unionis, annexionis, incorporationis & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Bononiæ anno incarnationis Dominicæ M. D. XLIII. decimo-quinto kalendas junii pontificatus nostri anno nono.

B. de Cespedes.

XLV.

Ejusdem confirmatio traditionis eremi Rhuensis factæ a monachis S. Mathiæ eremitis Coronensibus.

Anno 1543. XXVII. octobris.

Ex archivo Rhuensi Libro Fondazioni *pag.* 4.

PAulus papa III. ad perpetuam rei memoriam. Exponi nuper fecerunt dilecti filii Major & eremitæ congregationis sancti Romualdi ordinis Camaldulensis, quod dilecti filii prior & conventus seu monachi monasterii sancti Mathiæ de Muriano Torcellanæ diœcesis congregationis sacræ eremi & sancti Michaelis de Muriano ejusdem ordinis & diœcesis prioratum sanctæ Mariæ de Rutha territorii ac diœcesis Paduanæ eidem monasterio sancti Mathiæ unitum & ad ipsum monasterium spectantem, cujus fructus, ut asserunt, nulli sunt, eisdem Majori & eremitis sancti Romualdi sub annuo canone, seu responsione vel recognitione, ac cum pactis & conditionibus tunc expressis pro usu, commoditate & habitatione ipsorum Majoris & eremitarum sancti Romualdi in perpetuum dederunt & concesserunt, salvo & reservato beneplacito sedis apostolicæ, prout in instrumento publico desuper confecto plenius contineri dicitur. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt dicti Major & eremitæ sancti Romualdi, ut concessionem ac desuper confectum instrumentum prædictum apostolica auctoritate confirmare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur religiosarum personarum commodis paterne consulere cupientes, hujusmodi precibus inclinati concessionem dicti prioratus, ut præfertur, factam, ac desuper confectum instrumentum prædictum & in eo contenta quæcumque, licita tamen & honesta, ac sacris canonibus non contraria, illorum omnium tenores præsentibus pro expressis habentes, auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus, volentes perpetuæ firmitatis robur obtinere, & ab utraque parte observari, sicque ab omnibus judicibus, sublata eis quavis aliter judicandi facultate, judicari debere, irritumque & inane, quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, decernimus, supplemusque omnes & singulos tam juris quam facti de-

fectus; si qui forsan intervenerint in eisdem. Non obstante felicis recordationis Pauli papæ II. prædecessoris nostri de rebus ecclesiæ non alienandis, ac aliis apostolicis constitutionibus & ordinationibus, dictarumque congregationum, monasterii & ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque & indultis, ac literis apostolicis concessis, confirmatis & innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XXVII. octobris M. D. XXXXIII. pontificatus nostri anno IX.

Blos.

XLVI.

Idem eximit eremitas Camaldulenses a datiis & gabellis.

Anno 1544. x. januarii.

Ex libro edito Privilegiorum pag. 79.

A *Tergo*: Dilectis filiis modernis visitatoribus congregationis Camaldulensis.

Paulus papa III. dilecti filii salutem & apostolicam benedictionem. Singularis affectus, quem eremo vestræ ob illius & vestram conspicuam religionem, caritatis ferventiam, bonorum operum studia, ac præclara sanctitatis merita, quæ jugiter exinde reviviscunt, & devotæ laudis frequentiam gerimus, merito nos inducunt, ut dictam eremum ac illius beneficia & loca eidem eremo incorporata favore prosequamur. Ut igitur tanto devotius, quanto quietius possitis impendere Domino famulatum, nihilque vos ab oratione & contemplatione retrahat, aut vestram sanctam intentionem intercipiat, virtuosisque & piis operibus vestris turbationis cujusvis præbeat quomodolibet incentivum, paterna caritate prospicere, ac remediis congruentibus providere volentes, dictam eremum ac illius loca & beneficia dictæ eremo annexa & incorporata, vosque omnes & singulos eremitas ab omnibus & singulis decimis, collectis, & exactionibus, gabellis, talleis, datiis, subsidiis caritativis, impositionibus ordinariis & extraordinariis, apostolica aut quavis alia auctoritate pro tempore impositis, & collegiis, parochianis, universitatibus, monasteriis, fabricis & aliis quibuscumque personis quacumque auctoritate fulgentibus solvendis, nisi de præsenti indulto vobis & eremo vestræ concesso specialis & expressa mentio in literis apostolicis fieret; quo casu non ad veram decimam, sed tres uncias auri pro omnibus & singulis vestris, ac eremitoriorum & beneficiorum annexorum hujusmodi locis, bonis, & personis solvendum vos teneri volumus, auctoritate apostolica tenore præsentium eximimus & liberamus. Et si aliquæ quacumque auctoritate fulgentes personæ contra exemptionem & libertatem hujusmodi aliquid attentare quoquomodo præsumpserint, ac hujusmodi literarum vigore requisitæ per vestræ eremi prælatos, aut eremitas vel procuratores infra tres dies a die requisitionis hujusmodi computandos a molestationibus vobis inferendis non destiterint, excommunicationis sententiæ, & quingentorum ducatorum auri cameræ apostolicæ ipso facto incurrendæ & applicandæ pœnæ noscant se subjectas, & nihilominus si forte aliter factum fuerit, eo ipso irritum & inane, nulliusque roboris & momenti fore & esse, sicque per quoscumque judices & commissarios judicari & definiri debere, sublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate decernimus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, etiamsi de illis totisque eorum tenoribus hic habenda esset mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die x. januarii M. D. XLIV. pontificatus nostri anno x.

XLVII.

Ranucius Farnesius cardinalis Generali Camaldulensi facultatem facit congregandi Dietam.

Anno 1547. XXIV. martii.

Ex tabulario S. Hippolyti Regest. I.

RAnucius Farnesius tituli sancti Angeli S. R. E. presbyter cardinalis, Marchiæ Anconitanæ cum annexis de latere legatus, ordinis Camaldulensis protector.

Reverendo nobis in Christo dilecto domno Clementi de Pratica ordinis Camaldulensis Generali salutem.

Postquam nobis congregationis Camaldulensis protegendæ onus a SS. domino nostro Paulo divina providentia papa III. fuit injunctum, cupientes, quantum possumus,

sumus, opportune providere, ut dicta congregatio, ejusque monasteria optime, ut par est, gubernentur, & ejus monachi sub obedientia, charitate & Dei timore vivant, ac in eis fidei & devotionis opera in dies magis augmentum accipiant, tuis in hac parte religione vitæ, ac morum honestate & experientia exemplari plurimum in Domino confisi, tenore præsentium omni meliori modo, quo possumus, tibi, ut cum duobus visitatoribus experientia & virtute præditis, necnon cum abbate Classis de Ravenna, ac aliis patribus & prælatis, quos ad id necessarios fore duxeris, per te eligendis usque ad totum mensem maji proxime futuri dicti ordinis monachos quotquot volueris, & ubi commodius visum fuerit, congregare, Dietam, seu parlamentum facere cum eisdem, eaque agere, corrigere, statuere & ordinare, quæ ad dictæ congregationis, monasteriorum & fratrum utilitatem, reformationem, conservationem, obedientiam, salutem, ac etiam fidei & pietatis incrementum facere videbuntur, libere & licite possis & valeas, auctoritate apostolica, qua sufficienti facultate muniti in hac parte fungimur, licentiam & facultatem gratiose concedimus & impartimur. Mandantes propterea omnibus, ad quos spectat, ut tibi pareant, faveant & assistant, necnon harum serie approbantes, ac firmum, ratum & gratum habentes, ac observari mandantes, quidquid in dicta Dieta & parlamento ad honorem Dei & bonum congregationis regimen fieri & ordinari contigerit, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis dictæ congregationis, privilegiis & indultis concessis & approbatis, ceterisque contrariis quibuscumque. In quorum fidem &c. Datum Anconæ die XXIV. martii M.D.XXXXVII.

R. card. S. Angeli Protector.

Bernardinus Agatonius subs.

XLVIII.

Paulus III. confirmat electionem Generalis, & decreta in Insula lacus Martani facta.

Anno 1547. XIII. julii.

Ibidem pag. 105.

PAulus papa III. dilecto filio Clementi Praticano generali totius ordinis Camaldulensis. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Religionis zelus &c. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias de mense videlicet septembris proxime præterito, tunc existentes Generalis, necnon existentes, priores, ceterique prelati, ac in dignitatibus & officiis constituti, ac monachi & totus ordo, vel illum repræsentantes eremitarum & cœnobitarum sacræ eremi Camaldulensis in monasterio sancti Stephani eremi insulæ lacus Martani dicti ordinis Montis-flasconis diœcesis, ut moris est, capitulariter congregati, interveniente ibi ut præsidente bonæ memoriæ Roberto tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbytero cardinale majore pænitentiario nostro, ad hoc per nos vigore quarumdam nostrarum literarum in forma brevis deputato, tunc in humanis agente, resignationibus officiorum prædictorum prius in manibus capituli factis, & certis aliis ceremoniis adhibitis, te ejusdem ordinis eremitarum & ordinem ipsum expresse professum in presbyteratus ordine & ætate legitima constitutum, in eorum & totius ejusdem ordinis generalem ministrum elegerunt, ac nonnulla decreta, statuta seu ordinationes prosperum regimen & tranquillum statum dicti ordinis & illius personarum concernentia fecerunt & ordinarunt, prout in instrumentis publicis seu patentibus literis vel aliis scripturis aut publicis documentis desuper confectis plenius dicitur contineri. Quare pro parte tui asserentis te electioni prædictæ consensisse, nobis fuit humiliter supplicatum, ut electionem ac decreta, statuta seu ordinationes hujusmodi pro illorum subsistentia firmiori approbare & confirmare, ac alias dispensare in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur &c. hujusmodi supplicationibus inclinati, electionem de persona tua ut præfertur, factam, necnon decreta, statuta & ordinationes hujusmodi &c. approbamus & confirmamus, supplentes &c. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XIII. julii M.D.XLVII. pontificatus nostri anno tertio-decimo.

XLIX.

Idem modum statuit, decedente Generali alium eligendi.

Anno 1549. XIX. junii.

Ex libro Privil. p. 77.

PAulus, Papa III. Dilecti filii salutem & apostolicam Benedictionem. Exponi nobis nuper fecistis, quod licet ab antiquo

tiquo tempore citra, morte pro tempore existentis Generalis totius Ordinis & congregationis Camaldulensis adveniente, duo Visitatores & totidem prælati ejusdem Ordinis, loco, in quo eumdemmet Generalem decedere contingebat, magis propinquo, alium congregationis Generalem infra annum semper eligere consueverint. Nihilominus in Generalem hujusmodi quoties eum decedere, aut illius officium cessare contigerit, si vobis & aliis ejusdem ordinis prælatis infrascriptis eligendis licentia & facultas concederetur, profecto in evidentius totius ordinis emolumentum & decus cederet. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut dicti ordinis commodo & decori consulere, ac aliis in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui personarum quarumlibet, præsertim religionis jugo deditarum votis libenter annuimus: Vos & prælatos infrascriptos, utrumque & singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis auctoritate vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vobis & Majori sacræ Camaldulensis eremi & Classensi Ravennaten. necnon sancti Michaelis de Murano, & sanctæ Mariæ ad Carceres, & Vallis-castri Abbatibus, necnon per priores gubernari solitorum sancti Mathiæ de Murano & Angelorum Florentiæ dicti ordinis monasteriorum prioribus pro tempore existentibus, quod de cetero ipsi & vos, ac pro tempore existentes dicti Ordinis Visitatores, in unum in dicto monasterio Classensi, aut alio convenienti loco, de omnium seu majoris partis vestrum consensu eligendo congregati, Generalem Congregationis & ordinis hujusmodi, quoties eum decedere contigerit, infra mensem a die obitus pro tempore existentis Generalis hujusmodi computandum usque ad futurum capitulum singulis annis juxta ejusdem statuta fieri solitum, eligere possitis & valeatis, Apostolica auctoritate tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Decernentes electionem per vos ac Abbates & Priores hujusmodi faciendam, validam & efficacem fore, ac quascumque alias aliter pro tempore factas, in Generalis hujusmodi electione, nullas & invalidas existere. Ac volentes, quod si vos, ac Abbates & Priores præfatos ad Generalem hujusmodi infra unum mensem eligendum discordes esse contigerit, quod mense hujusmodi elapso omnes totius ordinis & congregationis hujusmodi prælati pro electione hujusmodi facienda in unum congregari & convocari, ac unum in Generalem Ordinis prædicti, invocato desuper Divino auxilio, eligere debeant & studeant. Non obstantibus quibusvis constitutionibus & ordinationibus apostolicis &c. ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub anulo Piscatoris die XIX. Junii anni M. D. XXXXIX. Pontificatus nostri anno XV.

Blo. El. Fulgin.

A tergo. Dilectis filiis modernis Visitatoribus Congregationis Camaldulensis.

L.

Julius III. confirmat privilegia suorum prædecessorum concessa Camaldulensibus.

Anno 1550. XI. decembris.

Ex tabulario S. Michaelis.

JUlius papa III. ad perpetuam rei memoriam. Sedis apostolicæ copiosa benignitas piis quarumlibet sub religionis jugo & regulari castimonia Domino militantium personarum votis libenter annuit, & illis, quæ ab eadem sede pro hujusmodi personis earumque locis processisse dicuntur, uberioris interdum apostolici muniminis adminiculum adjicit, ut eo firmius illibata persistant, quo frequentiori suo fuerint apostolico præsidio pro tempore stabilita. Sane pro parte dilectorum filiorum prioris moderni & eremitarum eremi Camaldulensis ordinis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum felicis recordationis Leo X. Clemens VII. & Paulus III. prædecessores nostri dilectis filiis tunc priori & eremitis eremi Camaldulensis omnia & singula privilegia, indulta, facultates, gratias & concessiones ipsis ac personis, domibus & bonis eorumdem eatenus tam apostolica, quam ordinaria, imperiali vel regia auctoritatibus quomodolibet concessa ac consuetudine legitime præscripta acquisita auctoritate apostolica certis modo & forma confirmaverunt, eisdemque priori & eremitis eremi hujusmodi omnibus & singulis privilegiis, indultis, concessionibus, indulgentiis & gratiis eremitis congregationis sancti Romualdi, alias de Massaccio, in generali quomodolibet concessis, approbatis, & inno-

innovatis, ac quibus eremitæ congregationis sancti Romualdi hujusmodi utebantur, potiebantur & gaudebant, uti, potiri & gaudere libere & licite possent. Quodque prior eremi Camaldulensis hujusmodi pro tempore existens eremitas & familiam eremi hujusmodi a quibusvis etiam majoris excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, & quibus pro tempore irretiti forent, etiamsi illorum absolutio præfatæ sedi specialiter vel generaliter reservata foret, satisfacto tamen his, ad quorum instantiam censuræ ipsæ forsan emanaverant, & a quibusvis irregularitatibus tam de jure, quam ex ipsius eremi constitutionibus & regularibus institutis quomodolibet provenientibus, & quibusvis peccatis, criminibus, excessibus & delictis qualitercumque gravibus & enormibus, etiam talibus, quod de illis esset sedes prædicta merito consulenda, ac dictæ sedi qualitercumque reservatis, exceptis contentis in bulla in die Cœnæ Domini legi consueta, quotiens opportunum foret, eorum confessionibus diligenter auditis, absolvere, ac eis pro commissis pænitentiam salutarem injungere, necnon seipsum a quocumque alio eremita sacerdote vices suas illi committendo absolvi facere; & corporalia & alia paramenta ad cultum divinum pertinentia pro usu suo benedicere, ac oratoria, cujusvis licentia minime requisita, sine tamen alicujus præjudicio, construere & construi facere; necnon altare portatile habere cum debitis reverentia & honore, super quo in locis congruentibus & honestis, etiam non sacris, tam ipse prior quam dicti eremitæ, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium exigeret, etiam per horam ante diurnam lucem ubilibet locorum in præsentia quorumcumque Missas celebrare; ac ipse prior ad ipsius Pauli prædecessoris beneplacitum tam in eremo, quam in aliis ejus locis quarumcumque utriusque sexus personarum ad priorem & eremitas prædictos pro tempore accedentium confessiones audire, & illis diligenter auditis easdem personas ab omnibus & singulis excommunicationibus, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, ac peccatis, criminibus, excessibus & delictis quantumcumque gravibus & enormibus, a quibus ordinarii locorum de jure vel consuetudine absolvere possent, ipsorum ordinariorum seu quorumvis aliorum licentia super hoc minime requisita, quotiens opus foret, absolvere, & èis pro commissis pænitentiam salutarem injungere, ac sacramenta ecclesiastica, præterquam in die paschatis, cujusvis licentia similiter minime requisita ministrare; quodque eremita conversus ad curam sacristiæ eremi hujusmodi deputatus calices & corporalia etiam sacrata & benedicta, prout dicti eremitæ de Massaccio ex indulto apostolico faciebant, tractare libere & licite possent, indulserunt. Et dictam domum eremumque Camaldulensem ac illius loca & beneficia dictæ eremo annexa & incorporata, omnesque & singulos eremitas ab omnibus & singulis decimis, collectis, exactionibus, gabellis, taliis, datiis, subsidiis caritativis, impositionibus ordinariis & extraordinariis, quavis etiam apostolica vel ordinaria auctoritate prædictis pro tempore impositis exemerunt & liberaverunt, ipsosque sub beati Petri protectione susceperunt, eisdemque decimas & medietates fructuum, & eorum quartam partem, necnon quæcumque subsidia & onera per eosdem & alios eorum prædecessores quomodolibet in dominio Florentino retroactis temporibus & tunc imposita pro rata fructuum seu bonorum dictam domum & eremum ac illius annexa & incorporata prædicta quomodocumque & qualitercumque etiam ratione trium unciarum auri tangentium, & ad cameram apostolicam seu ad quemlibet nomine dictæ cameræ ex quavis causa spectantia ipsius ratæ qualitate pro sufficienter expressa habentes gratiose & liberaliter donaverunt, remiserunt & concesserunt, ac ad eorum onerum tam tunc præteritorum, quam pro tempore impositorum & illorum solutione dictam domum & eremum perpetuo absolverunt, quietaverunt & liberaverunt, prout in literis desuper confectis plenius continetur. Quare pro parte prioris & eremitarum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut singulis literis prædictis pro illorum subsistentia firmiori robur nostræ approbationis adjicere, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui religioni deditis apostolici favoris præsidium libenter impendimus, modernum priorem ac eremitas præfatos ac singulares personas monasteriorum & locorum eorumdem a quibusvis excommunicationibus, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pænis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutos fore censentes; ac singularum literarum prædictarum veriores tenores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia & singula

gulæ concessiones, exemptiones, facultates & gratias ac privilegia & indulta priori pro tempore existenti & præfatis eremitis domus & eremi Camaldulensis ac aliis illius domibus & locis tam per præfatos prædecessores, quam alias quomodolibet dicta auctoritate apostolica concessa; necnon singulas dictorum prædecessorum literas, ac omnia & singula in illis contenta & inde secuta quæcumque, quatenus sint in usu, & prout hactenus observata fuerunt, apostolica auctoritate præfata, & ex certa scientia tenore presentium approbamus & innovamus, ac perpetua roboris firmitate subsistere, suosque plenarie effectus sortiri, ac ab omnibus inviolabiliter observari, sicque per quoscumque judices & commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam palatii apostolici causarum auditores, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, necnon si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, supplentes omnes & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui forsan intervenerunt in eisdem. Quocirca dilectis filiis venerabilium fratrum Florentini & Pisani archiepiscoporum, ac episcopi Arretini in spiritualibus vicariis generalibus mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se vel alium seu alios præsentes literas & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, & quotiens pro parte moderni & pro tempore existentis prioris & eremitarum prædictorum desuper fuerint requisiti, sollemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra literas & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos literæ ipsæ concernunt, illis pacifice gaudere; non permittentes eos desuper earumdem literarum tenore quomodolibet indebite molestari. Contradictores *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die XI. decembris M. D. L. pontificatus nostri anno primo.

Gal. Aquinas.

LI.

Idem unit monasterium S. Felicis in Platea monasterio Montis-coronarii.

Anno 1551. VI. augusti.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe.

JUlius episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Bartholomeo Sanctis Nardi de Sociis Abbati Monasterii beate Marie de Monte Cornaro Camaldulensis Ordinis Sarsinatensis diecesis salutem & Apostolicam Benedictionem. Summi dispositione rectoris ad regimen universalis ecclesie meritis licet insufficientibus deputati curis assiduis angimur, & continua meditatione pulsamur, ut per nostre provisionis ministerium Ecclesiis & Monasteriis singulis, que vacationis incommoda deplorare noscuntur, de salubris provisionis remedio celeriter succurratur, ac vitam regularem ducere cupientibus, ut eorum pium propositum ad laudem divini nominis adimplere valeant, apostolicum assistat presidium, & favor benivolus impendatur. Dudum siquidem provisiones ecclesiarum, & monasteriorum apud sedem Apostolicam tunc vacantium, & in antea vacaturorum, ordinationi, & dispositioni nostre reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum Monasterium B. Marie de Monte Cornaro Camaldulensis Ordinis Sarsinatensis diecesis Monasterio S. Felicis in Platea Florentie dicti ordinis, cui dilectus filius Romualdus Bartholomei de Marliano ipsius Monasterii S. Felicis Abbas preest, apostolica auctoritate unitum, annexum & incorporatum ex eo, quod nos, quoad vixerit dumtaxat, unionem, annexionem, & incorporationem predictas ipsius Romualdi Abbats, & dilectorum Filiorum conventus dicti Monasterii S. Felicis ad id per dilectum Filium Victorium Torellum Clericum Florentinum eorum procuratorem ad id ab eis specialiter constitutum, expresso accedente consensu literarum serie dissolvimus, per dissolutionem hujusmodi apud sedem predictam vacaverit & vacet ad presens. Nos cupientes eidem monasterio, de cujus provisione nullus preter nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione & decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis exponatur incommodis, de persona secundum cor nostrum

strum utili, & ydonea, per quam circumspecte regi & salubriter dirigi valeat, provideri, ac sperantes quod tu, qui, ut asseris, habitum per monachos dicti Monasterii gestare solitum suscipere, & professionem per eosdem Monachos emitti solitam emittere intendis, quique apud nos de Religionis zelo, Vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia, & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, eidem monasterio esse poteris plurimum utilis, & etiam fructuosus, Teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & penis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum presentium dumtaxat consequendum literarum serie absolventes, vel absolutum fore censentes, eidem monasterio B. Marie, quod conventu caret, & a dicto Monasterio S. Felicis, cujus ac dicti Monasterii B. Marie onera per unum commode supportari non possunt, satis distat, ac de quo concistorialiter disponi non consuevit, cujusque & illi forsan annexorum fructus, redditus & proventus olim octuaginta, nunc vero sexaginta ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem, valorem annuum, ut etiam asseris, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam cessationem alicujus de illius regimine & administratione in Romana curia vel extra eam etiam coram notario publico, & testibus sponte factam, etiam si tanto tempore vacaverit, quod ejus provisio juxta Lateranensis statuta Concilii, aut alias Canonicas sanctiones ad sedem eamdem legitime devoluta existat, & illa ex quavis causa ad sedem predictam specialiter & generaliter pertineat, & super eisdem regimine, & administratione inter aliquos lis seu illorum possessorio molestia, cujus statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dumodo tempore datarum presentium non sit eidem Monasterio B. Marie de Abbate canonice provisum, de persona tua ex nunc pro ut ex tunc, & e contra post quam habitum susceperis, & professionem antedictos expresse emiseris, dicta auctoritate providemus, teque illi in Abbatem preficimus, curam, regimen, & administrationem ipsius Monasterii, ut prefertur, dissoluti, tibi quo ad vixeris dumtaxat, in spiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, ac de eadem persona tua eidem Monasterio B. Marie provisum, teque illi in Abbatem prefectum fore, nec non pro ut est, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter & ignoranter attemptatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attentari, irritum & inane decernendo. Quo circa dilectis filiis Albigaun., & Fesularum, ac Sarsinatensis episcoporum Venerabilium fratrum nostrorum Vicariis in spiritualibus generalibus per apostolica scripta mandamus; quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se, vel alium, seu alios tibi in adipiscenda possessione, seu quasi regiminis, & administrationis predictorum, ac bonorum dicti Monasterii B. Marie auctoritate nostra assistentes, faciant tibi a dilectis filiis, vassallis & aliis subditis ejusdem monasterii consueta servitia, & jura tibi ab eis debita integre exhiberi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo; non obstantibus felicis Record. Bonifacii PP. VIII. predecessoris nostri, & aliis apostolicis constitutionibus &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam absolutionis, provisonis, prefectionis, commissionis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Rome apud S. Marcum anno Incarnationis Dominice M.D.LI. sexto Kal. augusti Pontificatus nostri anno secundo.

LII.

Quietantia facta Generali Camaldulensi a Julio III.

Anno 1551. XXVII. decembris.

Ex tabulario S. Michaelis.

JUlius papa III. dilecto filio Laurentio de Battiloro congregationis Camaldulensis generali. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Dudum cum agentes pro fisco nostro & camera apostolica prætenderent te & dilectos filios congregationis Camaldulensis sibi in summam duorum millium & forsan plurium scutorum auri, ratione diversorum terminorum census annui unius unciæ auri per eos annis singulis eidem cameræ, ut prætenditur, debiti decursorum & non solutorum teneri, & propterea litem & causam contra vos super præmissis in eadem camera movissent, & in ea ad diversos actus

actus processum fuisset, tu cum agentibus præfatis ad certam compositionem devenisti, & per eum nomine eorumdem congregationis quartam partem totius summæ prædictæ, hoc est quingenta scuta similia eis persolvere promisisti, prout postmodum solvisti. Nosque mitius vobiscum agere volentes, eadem quarta parte contenti, residuum ejusdem summæ vobis gratiose remisimus. Cum autem sicut nobis nuper exponi fecisti, ne contingat te & eamdem congregationem in futurum ab eadem camera seu agentibus pro ea super præmissis de novo molestari, cupias te & congregationem hujusmodi ab eisdem præmissis per nos absolvi & liberari. Et insuper tibi, ut quingenta scuta per te, ut præfertur, soluta, ab omnibus & singulis congregationis hujusmodi & Camaldulensis ordinis, etiam cœnobitarum, conventualium, eremitarum ac monialium locis & monasteriis ad solutionem census hujusmodi obligatis recuperare possis, concedi & indulgeri, nos humiliter supplicari fecisti, ut te & congregationem, necnon illius monasteria & loca, eorumque personas ab omni solutione quorumcumque terminorum census hujusmodi hactenus decursorum & non solutorum absolvere, quietare & liberare, ac alias tibi & congregationi præfatis in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui indemnitati & commoditati vestris, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, ac causam ad nos advocantes & litem hujusmodi penitus extinguentes, necnon agentibus præfatis super terminis hactenus, ut præfertur, decursis perpetuum silentium imponentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, te & congregationem ac illius monasteria & loca, eorumque personas hujusmodi ab omni solutione quorumcumque terminorum dicti census hactenus decursorum & non solutorum, ita quod desuper ab ipsa camera seu pro ea agentibus in futurum quovis quæsito colore molestari, perturbari vel inquietari nequeatis, nec ad aliam illorum solutionem ullatenus cogi aut compelli possitis auctoritate apostolica tenore præsentium absolvimus, quietamus & penitus liberamus; ac vos a præmissis absolutos & liberatos esse, sicque in præmissis omnibus & singulis per quoscumque judices & commissarios quavis auctoritate fulgentes, etiam S. R. E. cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & interpretari debere decernimus. Necnon tibi, ac modernis & pro tempore existentibus eorumdem congregationis & ordinis visitatoribus & vestrum cuilibet, ut ratam quingentorum scutorum hujusmodi ac damnorum & interesse propterea passorum quodlibet ex monasteriis & locis ad solutionem census prædicti, ut præfertur, obligatis tangentem super eorum fructibus, redditibus ac proventibus secundum eorum quantitatem ac alias, prout vobis melius videbitur, imponere possitis &c. Mandantes dilectis filiis nostro & apostolicæ sedis in civitate Venetiarum nuncio, & vicariis ven. fratrum Ravennatis & Florentini archiepiscoporum in spiritualibus generalibus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios præsentes literas & in eis contenta quæcumque per eos, ad quos spectat, faciant firmiter observari. Contradictores &c. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima-septima decembris M. D. LI. pontificatus nostri anno secundo.

Gal. Aquinas.

LIII.

Julii III. Breve pro Castris Pergulæ & Quaradæ monasterii S. Apollinaris in Classe.

Anno 1555. XXVIII. februarii.

Ex archivo Classense.

JUlius papa III. ad perpetuam rei memoriam. Romanum deret pontificem &c. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii abbas & conventus monasterii sancti Apollinaris in Classe Ravennatensis, ordinis & congregationis Camaldulensis, & magister Franciscus Massarius de Aspra thesaurarius noster generalis, quod alias, postquam Simon & Philippus comites de Casalido tunc in humanis agentes, & castri Bononiensis habitatores a tunc abbate dicti monasterii & præfatis conventu seu pro eis agentibus de castris Pergulæ & Quaradæ in territorio Faventino consistentibus, juris & proprietatis dicti monasterii, ac omnibus eorum curiis, casalibus, tenimentis, terris, vineis &c. investiti fuerant, cum eis defunctis successu temporis bona ipsa per diversas tam seculares, quam forsan etiam ecclesiasticas personas absque nata investitura occupata, & tam ob id quod ob non acceptas debitas investituras & pacta non servata ac pensiones & canones non solutos, ipso-

ipforumque de Cafalido & forfan aliorum in ipfis bonis jus habentium lineam finitam, & forfan aliis de caufis ad dictum monafterium devoluta fuiffent, ac utile dominium cum directo confolidatum extitiffet, ac fyndicus prefati monafterii ejus nomine bona ipfa, ficut præfertur, devoluta fuiffe declaraffet, & tunc abbas ejufdem monafterii & præfati conventus confiderans, quod magno commodo & utilitati dicti monafterii ceffiffet, fi bona prædicta feu faltem aliqua eorum pars recuperata & eidem monafterio integrata fuiffet, & quod ipfi ob graves & multiplices impenfas, quas in dies facere cogebantur, ad recuperationem bonorum hujufmodi inhabiles & impotentes erant, legitimis inter fe habitis fuper hoc colloquiis, decreviffent pro evidenti utilitate & commodo ejufdem monafterii cum dicta camera fuper recuperationem bonorum hujufmodi concordare & tranfigere, tunc abbas fanctorum Quatuor de Urbe præfati ordinis tamquam procurator & eo nomine tunc abbatis monafterii fancti Apollinaris & eorum conventus omnia jura & actiones utiles, directas, meras, mixtas, tacitas, expreffas, anomalas & conventionales, ac quafcumque alias civiles & prætorias ac in rem fcriptas abbati & conventui ac monafterio fancti Apollinaris hujufmodi in & fuper dictis bonis ratione eorum directi dominii cum utili confolidati, & proprietatis contra occupatores & detentores bonorum hujufmodi competentia & impofterum competitura cameræ & pro illa acceptanti & ftipulanti Francifco thefaurario prædictis fub noftro & fedis apoftolicæ beneplacito ceffit, dedit, tranftulit & mandavit, conftituens eamdem cameram & Francifcum thefaurarium, aliofque ipfius cameræ miniftros & agentes, procuratores ut in rem fuam propriam, & ponens eos in locum & univerfum jus fuum, cum hoc tamen quod ipfa camera faceret recuperationem bonorum hujufmodi fuis fumptibus & expenfis, abfque eo quod monafterium fancti Apollinaris & conventus hujufmodi aliquas alias in præmiffis fentirent expenfas, & folum deberent eidem cameræ accommodare advocatos & procuratores, quos habebant in civitate Ravennatenfi, quamdiu litem fuper recuperationem bonorum hujufmodi agitari contigeret, dummodo ipfi advocati & procuratores dictam civitatem exire non tenerentur, ipfifque bonis recuperatis, tertia illorum pars ipfius cameræ libera & expedita, aliæ vero duæ tertiæ partes effent conventus & monafterii fancti Apollinaris prædictorum, & illorum menfæ applicarentur & applicatæ intelligerentur; & quod præfata camera non poffet cum occupatoribus dictorum bonorum aut quibufvis aliis perfonis concordiam facere fuper recuperatione bonorum hujufmodi in præjudicium conventus & monafterii prædictorum, abfque eorumdem conventus expreffa licentia & confenfu; & fi aliter fieret per eamdem cameram feu pro ea agentes, omnia effent penitus nulla, nulliufque valoris vel momenti. Quodque inftrumentum fuperinde confectum ac omnia & fingula *&c.* per nos & dictam fedem valide approbarentur & confirmarentur expenfis ipfius cameræ, cum fuppletione omnium tam juris, quam facti defectuum *&c.* Quare abbas & conventus monafterii fancti Apollinaris & Francifcus thefaurarius hujufmodi nobis humiliter fupplicari fecerunt, ut ceffioni, dationi *&c.* robur apoftolicæ confirmationis adjicere, aliafque in præmiffis opportune providere de benignitate apoftolica dignaremur. Nos igitur *&c.* hujufmodi fupplicationibus inclinati ceffionem, dationem *&c.* apoftolica auctoritate tenore præfentium approbamus & confirmamus *&c.* fupplentes *&c.* Non obftantibus *&c.* Datum Romæ apud fanctum Petrum fub annulo Pifcatoris die XXVIII. februarii M. D. LV. pontificatus noftri anno fexto.

LIV.

Unio aliquot ecclefiarum parœcialium monafterio S. Blafii de Fabriano.

Anno 1562. kalendis julii.

Ex archivo ejufdem monafterii.

Pius epifcopus fervus fervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Expofcit debitum paftoralis officii nobis licet infufficientibus ex alto commiffi, ut ad ea potiffimum noftræ diligentiæ ftudium convertamus, per quæ in ecclefiis fingulis & monafteriis debitæ laudes Altiffimo perfolvantur, & divinus in eis cultus augeatur, ac animarum cura ferventius exerceatur, necnon perfonis inibi virtutum Domino famulantibus fuppetant facultates, unde neceffitatibus fuis ac oneribus eis incumbentibus facilius fupportandis valeat falubriter provideri. Cum itaque parochiales ecclefiæ invicem perpetuo unitæ fancti Venantii caftri Albacinæ, & fancti Petri Villæ Mufcani comitatus Fabriani ordinis Camaldulenfis Camerinenfis diœcefis, quas dilectus filius Federicus Marconus clericus Eugubinenfis ex conceffione & dif-

pensatione apostolica in commendam nuper obtinebat, commendam hujusmodi, ex eo quod præfatus Federicus illi hodie per dilectum filium Hieronymum Gabriellium clericum Eugubinensem procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris sponte & libere cessit, nosque cessionem ipsam duximus admittendam, cessante adhuc eo, quod ante commendam ipsam vacabant, modo vacare noscantur ad præsens. Et sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum abbatis & Conventus monasteriorum etiam invicem unitorum sancti Blasii de Fabriano, & abbatiæ nuncupatæ sancti Romualdi Vallis-castri dictorum ordinis & diœcesis petitio continebat, si ecclesiæ prædictæ, quæ præfatorum monasteriorum membra existunt, ipsis monasteriis, ac eorum conventui & mensæ conventuali perpetuo annecterentur, unirentur & incorporarentur, ex hoc profecto dilectorum filiorum parochianorum earumdem ecclesiarum saluti & spirituali consolationi ac curæ animarum exercitio in eisdem ecclesiis cum divini cultus augmento, necnon abbatis & conventus prædictorum commoditatibus plurimum consuleretur. Quare pro parte dictorum abbatis & conventus asserentium ecclesiarum prædictarum, ac illis forsan adnexarum insimul fructus redditus & proventus sexaginta ducatorum auri de camera, secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut ecclesias prædictas monasteriis & conventui hujusmodi perpetuo unire & incorporare, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum æstimationem prædictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeat, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, abbatem & singulares eorumdem monasteriorum & conventus personas a quibusvis excommunicationis &c. ecclesias prædictas &c. cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus & pertinentiis suis eisdem monasteriis & conventui auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, ita quod liceat abbati & conventui præfatis per se vel alium seu alios corporalem possessionem ecclesiarum & annexorum, juriumque & pertinentiarum prædictarum propria auctoritate libere & perpetuo retinere, illarumque fructus, redditus & proventus prædicta, non tamen ante kalendas mensis octobris proxime futuri debita in monasteriorum abbatis & conventus, necnon ecclesiarum prædictarum usus & utilitatem convertere. Ac eisdem ecclesiis per presbyterum seu presbyteros seculares vel præfati ordinis regulares idoneos eorumdem abbatis & conventus nutum ponendos & amovendos, ac per loci ordinarium approbandos in Divinis deserviri, & animarum curam dictorum parochianorum exerceri facere, diœcesani loci sive cujusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Non obstante &c. Datum Romæ apud sanctum Marcum, anno incarnationis Dominicæ M. D. LXII. kalendis julii pontificatus nostri anno III.

B. Beltrandus.

L V.

Pii IV. Indultum in forma jubilæi concessum ecclesiæ S. Mariæ in Campanea Veronæ.

Anno 1562. VIII. julii.

Ex Libro Jura ejusdem Monasterii *in archivo S. Michaelis pag.* 123.

PIus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dum præcelsa meritorum insignia, quibus regina cælorum virgo Dei genitrix gloriosa sedibus prælata sidereis quasi stella matutina irrutilat, devotæ considerationis indagine perscrutamur, dum etiam intra pectoris nostri arcana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordiæ, mater gratiæ, pietatis amica, & humani generis consolatrix, pro salute fidelium, qui delictorum oneribus pergravantur, sedula exoratrix, & pervigil ad regem, quem genuit, intercedit, dignum, quin potius debitum arbitramur, ut ecclesias & capellas in honorem sui nominis dedicatas spiritualium gratiarum muneribus decoremus, ut fideles ipsi ecclesias & capellas easdem pie visitantes, quod suis meritis in cœlestibus regnis consequi non possunt, ipsius gloriosissimæ virginis intercessionibus adjuti impetrare mereantur. Nos igitur cupientes, ut capella beatæ Mariæ virginis Campaneæ sancti Michaelis nuncupatæ prope & extra muros Veronenses, quæ, ut asseritur, per nonnullos priorem & gubernatores sub certis modo & forma eligi solitos gubernatur, a Christi-fidelibus congruis frequentetur honoribus, & in debita vene-

ratione

ratione habeatur, ac ipsi Christi-fideles eo libentius ad dictam capellam devotionis causa confluant, quo exinde pro animarum salute majora munera spiritualia adipisci posse cognoverint, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis utriusque sexus Christi-fidelibus vere pœnitentibus & confessis, seu statutis ab ecclesia temporibus confitendi propositum habentibus, qui capellam prædictam in Assumptionis ejusdem gloriosissimæ virginis Mariæ, & quartæ dominicæ quadragesimæ diebus a primis vesperis usque ad occasum Solis singulorum dierum hujusmodi inclusive annis singulis devote visitaverint, & pro pace inter principes christianos conservanda, ac fidei catholicæ & apostolicæ sedis exaltatione Deo preces fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem & indulgentiam per modum Jubilæi, dummodo venerabilis fratris nostri episcopi Veronensis ad hoc accedat assensus, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus & elargimur, quoties id fecerint, & ut Christi-fideles ipsi ad capellam prædictam pro indulgentia hujusmodi consequenda confluentes illam Deo propitio facilius consequi valeant, ipsius capellæ priori & gubernatoribus præfatis, ut aliquos presbyteros idoneos seculares vel quorumvis ordinum regulares, qui pèr octo dies ante quemlibet diem indulgentiæ plenariæ hujusmodi Christi-fidelium ad eamdem capellam pro indulgentiis hujusmodi consequendis accedentium confessiones audire, & illis diligenter auditis ipsos & eorum singulos ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus & delictis in quibuscumque casibus, etiam dictæ sedis reservatis, exceptis contentis in bulla in die Cœnæ Domini legi consueta, absolvere, & eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungere, necnon vota quæcumque per eos emissa ultra-marina, visitationis liminum beatorum apostolorum Petri & Pauli, ac sancti Jacobi in Compostella, necnon castitatis & religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare possint, de simili consensu deputandi facultatem concedimus præsentibus, quas etiam illarum toto tenore inserto & expresso sub quibusvis revocationibus & limitationibus similium vel dissimilium indulgentiarum a nobis & sede prædicta, etiam in favorem fabricæ basilicæ principis apostolorum de Urbe ac expeditionis contra infideles ac defensionis fidei, necnon sancti Spiritus in Saxia etiam de Urbe, & sancti Antonii Viennensis, sancti Sebastiani, sanctissimæ Trinitatis, ac sancti Johannis Lateranensis & ejusdem sancti Johannis Hierosolymitani quomodolibet, etiam quorumcumque principum contemplatione emanatis & emanaturis nullatenus comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas esse & censeri debere decernimus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod si visitantibus dictam capellam aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, hujusmodi præsentes literæ nullius existant roboris vel momenti. Datum Romæ apud sanctum Marcum anno incarnationis Dominicæ M.D.LXII. octava julii pontificatus nostri anno III.

LVI.

Idem unit congregationi Camaldulensi abbatiam SS. Justi & Clementis Volaterrarum.

Anno 1563. mense januarii.

Ex tabulario ejusdem Abbatiæ.

Pius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Pastoralis officii cura *&c.* Cum itaque monasterium sanctorum Justi & Clementis prope & extra muros Volaterranos Camaldulensis ordinis, quod dilectus filius Johannes-baptista Richobaldus Bava clericus ex concessione seu dispensatione apostolica in commendam ad ejus vitam nuper obtinebat, commenda hujusmodi, ex eo quod dictus Johannes-baptista fecit hodie per dilectum filium Jacobum Tantaffarem clericum procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, in manibus nostris pro observatione & complemento transactionis & conventionis, seu honestorum tractatuum seu capitulorum inter eum & dilectos filios modernos generalem & visitatores congregationis Camaldulensis ejusdem ordinis desuper factarum & factorum, & hodie apostolica auctoritate approbatarum vel approbatorum, sponte, ut alias libere cessit, nosque cessionem hujusmodi duximus admittendam, adhuc eo, quo ante commendam ipsam vacabat, modo vacare noscatur ad præsens; & sicut exhibita nobis nuper pro parte eorumdem generalis & visitatorum petitio continebat, si dictum monasterium eorum congregationi uniretur, annecteretur & incorporaretur ex hoc pro-

profecto regularis observantia in eodem monasterio firmius vigeret, pro parte eorumdem generalis & visitatorum asserentium alias omnia & singula monasteria, prioratus & alia loca dicti ordinis per cessum vel decessum illa obtinentium pro tempore vacantia ex statutis ipsius ordinis & forsan privilegiis & indultis apostolicis illis concessis, & per Leonem X. Clementem VII. Paulum III. & Julium etiam III. & fortasse alios Romanos pontifices prædecessores nostros approbatis perpetuo unita fuisse; nobis fuit similiter supplicatum, ut monasterium præfatum eidem congregationi unire, annectere & incorporare, & alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur &c. hujusmodi supplicationibus inclinati monasterium præfatum, de quo consistorialiter disponi consuevit, & cujus fructus, redditus & proventus ad centum florenorum auri in libris cameræ apostolicæ taxati reperiuntur, quovis modo &c. cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem congregationi possessionem corporalem vel quasi regiminis & administrationis prædictorum, ac bonorum ipsius monasterii per se vel alium seu alios libere apprehendere & perpetuo retinere, illiusque fructus &c. in suos & dicti monasterii usus & utilitatem convertere, diœcesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, dicta auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo unimus, annectimus & incorporamus. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Muranensi & Feltrensi episcopis, & dilecto filio .. vicario ven. fratris nostri episcopi Volaterrani in spiritualibus generali mandamus, quatenus ipsi vel duo vel unus eorum per se vel alium, seu alios generali, visitatoribus & congregationi præfatis in adipiscenda possessione seu quasi regiminis & administrationis bonorum prædictorum auctoritate nostra assistentes, faciant dilectis filiis generali, visitatoribus & congregationi præfatis a conventu obedientiam, & reverentiam, a vassallis & aliis subditis ejusdem monasterii consueta servitia & jura sibi ab eis debita integre exhiberi. Contradictores &c. Non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrnm anno incarnationis Dominicæ M.D.LXIII. die .. mensis januarii pontificatus nostri anno IV.

LVI.

Pius IV. unit prioratum S. Donnini monasterio Fontis-avellanæ.

Anno 1564. XVIII. kal. januarii.

Ex authentico archivi S. Michaelis de Muriano.

PIus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Exposcit debitum pastoralis officii, cui disponente domino præsidemus, ut ad ea, per quæ in ecclesiis & monasteriis, ac aliis regularibus locis Altissimus jugiter collaudetur, ac personis circa divinum cultum insistentibus de congruæ subventionis auxilio provideatur, efficaciter intendamus, ac in his ejusdem officii partes propensius impertiamur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Cum itaque prioratus sancti Donnini de Rocca-contrada ordinis sancti Benedicti Camerinensis diœcesis, quem dilectus filius Ludovicus Gabriellius clericus Eugubinensis ex concessione & dispensatione apostolica in commendam nuper obtinebat, commenda hujusmodi, ex eo, quod dictus Ludovicus illi hodie in manibus nostris sponte & libere cessit, nosque cessionem ipsam, regressnm seu accessum, & ingressum dudum dilecto filio Julio etiam Gabriellio clerico ad dictum prioratum, cum illum per cessum dicti Ludovici ac incertos alios tunc expressos eventus vacare contingeret, ut ipse Julius asserit, apostolica auctoritate concessum, ipsius Julii ad hoc per dilectum filium Franciscum Vanellum clericum procuratorem suum ad hoc expresso accedente consensu, harum serie cassando penitus & extinguendo, & hactenus aut imposterum effectum sortiri, seu locum sibi vendicare non posse neque debere, decernendo duximus admittendam, cessante adhuc eo, quo ante commendam ipsam vacabat, modo vacaverit & vacet ad præsens; & sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum conventus monasterii sanctæ Crucis Fontis-avellanæ dicti ordinis Eugubinæ diœcesis petitio continebat, si dictus prioratus, cui cura dilectorum filiorum parochianorum ecclesiæ ipsius prioratus, quæ etiam parochialis existit, imminet animarum, eidem monasterio & mensæ perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, ex hoc profecto eorumdem parochianorum animarum saluti & spirituali consolationi ac curæ animarum

marum hujusmodi exercitio in dicto prioratu cum divini cultus augmento, & conventus eorumdem commoditati plurimum consuleretur. Quare pro parte ipsorum conventus asserentis fructus, redditus & proventus dicti prioratus centum ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, & sancti Nicolai de Cornu ac sancti Augustini de Bassano ejusdem ordinis Pennensis diœcesis locorum prioratus præfato monasterio dicta auctoritate perpetuo unitos existere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut prioratum sancti Donnini prædictum eidem monasterio & ejus mensæ hujusmodi perpetuo unire, annectere & incorporare, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui ecclesiarum & monasteriorum omnium commodis libenter providemus, & dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere annuum valorem secundum extimationem prædictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin *&c.* hujusmodi supplicationibus inclinati, prioratum sancti Donnini præfatum, qui conventu caret, & ab ipso monasterio dependet, quovis modo & ex cujuscumque persona, seu per liberam resignationem cujusvis de illo extra Romanam curiam *&c.* cum omnibus juribus & pertinentiis suis, monasterio & illius mensæ præfatis auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, ita quod liceat ex nunc eidem conventui corporalem, realem & actualem possessionem prioratus sancti Donnini, jurium & pertinentiarum prædictorum per se vel alium seu alios eorum nomine propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illiusque fructus *&c.* percipere, colligere *&c.* ac in suos, necnon primodicti prioratus usus & utilitatem convertere, eidemque prioratui sancti Donnini per ipsius monasterii monachos ad conventus eorumdem nunc & pro tempore existentium liberum nutum ponendos, in divinis deserviri, ac eorumdem parochianorum curam animarum hujusmodi exerceri, necnon ecclesiastica sacramenta eisdem parochianis ministrari, aliaque ipsi prioratui sancti Donnini incumbentia onera supportari facere, diœcesani loci vel cujusvis alterius licentia minime desuper requisita, non obstantibus *&c.* Nulli ergo *&c.* Si quis *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M.D.LXIIII. decimooctavo kalendas januarii pontificatus nostri anno quinto.

LVIII.

Pii IV. Bulla pro monasterio Omnium SS. Senensis urbis, qua ei unitur locus in urbe S. Mariæ Magdalenæ.

Anno 1565. XVI. kal. februarii.

Ex archivo ejusdem asceterii fasc. I. num. 63.

PIus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Æquum reputamus & rationi consonum, ut ea, quæ de Romani pontificis providentia processerunt, licet ejus superveniente obitu literæ apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum. Dudum siquidem fel. rec. Pio pp. IIII. prædecessori nostro pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissæ & conventus monasterii monialium Omnium-Sanctorum Senen. ordinis sancti Benedicti exposito, quod postquam tempore obsidionis civitatis Senensis earum monasterium & ecclesia, quæ tam maximis expensis ad Dei omnipotentis laudem, & ad earum habitationem & usum per earumdem abbatissæ & conventus prædecessores constructa erant, decreto publico & ob ejusdem civitatis publicam defensionem diruta & solo æquata fuerant, ac qui tunc dicto civitatis regimini præerant, ne dicta abbatissa & conventus per civitatem vagarentur, earumdem lachrymis permoti alio publico decreto monasterium sancti Vigilii etiam Senensis Camaldulensis vel alterius ordinis, quod bonæ memoriæ Fabius tituli sancti Silvestri presbyter cardinalis Mignanellus nuncupatus tunc in humanis agens ex concessione & dispensatione apostolica in commendam obtinebat, in tam urgenti necessitate & copia militum illis assignari obtinuerant, cum postmodum compertum fuisset dictum monasterium sancti Vigilii ob ejus angustiam abbatissæ & conventui præfatis incapax & valde damnosum existere, cum pleræque ex ipsis ob incommoda, & alia, quæ passæ fuerant in monasterii sancti Vigilii hujusmodi habitatione vita functæ fuissent, de anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, ex alio publico decreto alia habitatio loci seu membri de la Magdalena nuncupata in tertierio sancti Martini dictæ civitatis monasterio Abbatiæ nuncupato sancti Galgani Cistercienfis ordinis Volaterranæ diœcesis perpetuo uniti, licet ita diruta & a militibus devastata, ut fere inha-

inhabitabilis esset, nullique fructus seu pensiones ex ea seu ejus membris percipi possent, cum mansionibus, ecclesia, horto, ac certis introitibus, & pertinentiis eisdem abbatissæ & conventui, dilecti filii Achillis de Sergardis clerici Senensis, ad quem, ut asserebat, jure pensionis bona dicti monasterii sancti Galgani pro certa rata & portione ejus vita durante spectabant accedente consensu, assignata fuerat, & in loco de la Magdalena hujusmodi abbatissa & conventus prædictæ inhabitaverant, & deinde locum ipsum cum ecclesia, horto, aliisque mansionibus & nonnullis domunculis in eo existentibus subtus & prope dictam ecclesiam, licet similiter a militibus dirutis, & pro majori parte fere inhabitabilibus effectis ad dictum monasterium sancti Galgani, & dilectum filium Joannem-andream de Glanderonibus illius abbatem spectantibus, aliisque juribus ejusdem monasterii sancti Galgani, sive quibus abbatissa & conventus præfatæ absque suspicione commode in loco prædicto habitare & clausuram servare minime poterant, non sine notabili impensa restauraverant, & propterea nihil eisdem Johanni-andreæ abbati, & Achilli eatenus persolverant, cum intuitu pietatis, ac dilecti filii nobilis viris Cosmi Medices Florentiæ & Senarum ducis ad totum, quod Achilli præfato pro ejus rata & portione hujusmodi spectabat, ab eo abbatissæ & conventui præfatis condonatum fuisset, ac præfatus Johannes-andreas abbas respectu dictarum domorum & aliorum quorumcumque jurium in ecclesia, mansionibus, horto & domibus omnibus monasterii sancti Galgani hujusmodi in loco præfato existentibus, mediante tunc in dictis partibus existente Nuncio apostolico apud eumdem Cosmum ducem præmissis omnibus consensisset, ita quod liceret abbatissæ & conventui præfatis toto tempore vitæ suæ in domibus prædictis commorari, soluta sibi condigna pensione tam decursa, quam decurrenda per commissarios apostolicos ad id deputandos exprimenda. Et in eadem expositione subjuncto, quod abbatissa & conventus præfatæ hæc omnia sub ipsius prædecessoris spe benignitatis & clementiæ gesserant, ne eas post obitum Joannis-andreæ abbatis, & Achillis præfatorum cum jactura tot impensarum ab eis factarum, & quæ imposterum in loco & domibus prædictis fierent, mendicare & vagari contingeret, gesserant, ac propterea pro parte earumdem abbatissæ & monialium asserentium fructus, redditus & proventus ecclesiæ & bonorum omnium hujusmodi triginta ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, eidem prædecessori humiliter supplicato, ut sibi in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaretur. Idem prædecessor, qui honestis quorumlibet, præsertim sanctimonialium, quæ relictis mundi illecebris Deo se dicarunt, votis libenter annuebat, quique antea inter alia voluerat, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem extimationem, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interesset, abbatissam & conventum præfatas ac earum singulas a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque ecclesiasticis censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existebant, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum absolvens & absolutas fore censens, necnon fructuum, reddituum & proventuum loci seu membri de la Magdalena hujusmodi verum annuum valorem pro expresso habens, hujusmodi supplicationibus inclinatus sub datam, videlicet nonis februarii pontificatus sui anno tertio, locum seu membrum de la Magdalena præfatum cum ecclesia & domibus, horto, claustris, fructibus, juribus & emolumentis ac obventionibus quibuscumque ab eodem monasterio sancti Galgani seu illius mensa abbatiali auctoritate apostolica abdicavit & dismembravit, illaque abbatissæ & conventui præfatis, ita quod liceret de cetero modernæ & pro tempore existenti abbatissæ monasterii Omnium-sanctorum & conventui hujusmodi per se, vel alium seu alios bona, ac ecclesiam, domos & hortos hujusmodi habere & retinere, illorumque fructus, redditus & proventus propria auctoritate percipere, exigere & levare, ac in dicti monasterii Omnium-sanctorum & suos usus convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita, ita tamen quod abbatissa & conventus præfatæ dicto Joanni-andreæ & pro tempore existenti abbati seu commendatario dicti monasterii sancti Galgani pro censu & canone decem libras ceræ albæ quolibet anno in festo assumptionis beatæ Mariæ virginis in civitate præfata solvere, necnon in ecclesia præfata singulo quoque die divina officia inibi eatenus dici & reiterari solita dicere & recitare, ac per presbyterum idoneum ad earum nutum amovibilem Missam celebrare, ac in divinis deserviri & animarum curam exerceri facere tenerentur, eadem

eadem auctoritate apostolica perpetuo applicavit & appropriavit, non obstantibus &c. Ne autem de absolutione, abdicatione, dismembratione, applicatione &c. præfatis, pro eo quod super illis ipsius Pii prædecessoris ejus superveniente obitu literæ confectæ non fuerint, valeat quomodolibet hæsitari, ipsæque abbatissa & conventus illarum frustentur effectu, volumus & similiter apostolica auctoritate decernimus, quod absolutio, abdicatio, dismembratio, applicatio, &c. prædecessoris hujusmodi perinde a dicta die nonis februarii suum sortiantur effectum, ac si super illis ipsius Pii prædecessoris literæ sub ejusdem diei data confectæ fuissent, prout superius enarratur, quodque præsentes literæ ad probandum plene absolutionem, abdicationem, dismembrationem, applicationem &c. prædecessoris hujusmodi ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo-quinto sexto-decimo kl. februar. pontificatus nostri anno primo.

Cæsar Glorierius.

P. Episcopus Narnien. Summista.

L. Anastasius.

LIX.

Pius V. unit prioratum S. Martini de Cellulis monasterio S. Petri in Cerreto.

Anno 1565. xiv. kal. aprilis.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe fasc. XXIII. num. 16.

PIus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ad apostolicæ dignitatis apicem divina dispositione vocati ex suscepto servitutis officio votis illis, per quæ monasteriorum quorumlibet & personarum in eis sub regulari observantia altissimo famulantium statui, & profectui, ac personarum earumdem subventioni valeat salubriter provideri, libenter annuimus, ac ea, prout expedire conspicimus, favoribus prosequimur oportunis. Dudum siquidem omnia beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura apud sedem apostolicam tunc vacantia, & in antea vacatura collationi & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingeret attemptari. Cum itaque postmodum parochialis ecclesia, plebania nuncupata de Cellulis districtus Castri Sancti-Geminiani Vulterranæ diœcesis per liberam resignationem dilecti filii Dominici de Sancto-geminiano nuper ipsius ecclesiæ rectoris plebani nuncupati, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam & per nos admissam apud sedem prædictam vacaverit & vacet ad præsens, nullusque de illa, præter nos, hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis. Et sicut exhibita a nobis pro parte dilectorum filiorum prioris & conventus monasterii per priorem regi soliti sancti Petri de Ceretto Ordinis Camaldulensis dictæ diœcesis petitio continebat, si dicta Ecclesia, quam vel injuria temporum, vel priscorum illius rectorum negligentia valde deterioratam prædictus Dominicus tempore, quo illam obtinuit, restaurare fecit, eidem monasterio, a quo tribus tantummodo distat miliaribus, perpetuo uniretur, annecteretur & incorporaretur, profecto prior pro tempore existens & conventus prædicti non sinerent dictam Ecclesiam de cetero in eam ruinam ulterius collabi, sed ipsam in suis structuris & ædificiis decenter manutenerent, ac exercitio curæ animarum parochianorum illius pervigili studio intendentes ipsi Ecclesiæ laudabiliter deservirent in divinis, ac Ecclesiæ & illi annexorum manutentioni & felici progressui, necnon in illa divini cultus augmento cum Christi-fidelium spirituali consolatione salubriter consuleretur, pro parte prioris & Conventus prædictorum asserentium dictæ Ecclesiæ fructus, redditus & proventus quinquaginta ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictam Ecclesiam monasterio præfato perpetuo unire, annectere & incorporare, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum extimationem prædictam, etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset, quique Ecclesiarum hujusmodi manutentionem & felicem progressum & divini cultus augmentum & religionis propagationem nostris potissimum temporibus sinceris optamus affectibus, priorem & conventum

præ-

Præfatos, eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati Ecclesiam prædictam sive præmisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per similem resignationem dicti Dominici vel cujusvis alterius de illa in Romana Curia vel extra eam etiam coram notario publico, & testibus sponte factam, aut constitutionem felicis recordationis Johannis Papæ XXII. prædecessoris nostri, quæ incipit *Execrabilis*, vel assecutionem alterius beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad sedem eandem legitime devoluta, ipsaque Ecclesia dispositioni apostolicæ specialiter, vel alias generaliter reservata existat, & super ea inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo ejus dispositio ad nos hac vice pertineat, cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus & pertinentiis suis monasterio præfato, ita quod liceat priori & Conventui prædictis Ecclesiæ & annexorum hujusmodi corporalem possessionem per se vel alium, seu alios eorum nomine propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, illamque in spiritualibus & temporalibus regere & gubernare, necnon illius, & dictorum annexorum fructus, redditus & proventus, jura, decimas, primitias, obventiones, & emolumenta quæcumque percipere, levare & exigere, eaque in Ecclesiæ & monasterii prædictorum usus & utilitatem convertere, ac ipsi Ecclesiæ per seipsos in divinis deservire, eidemque Ecclesiæ imminentem curam exercere, & Ecclesiastica sacramenta parrochianis illius ministrare, aliaque hujusmodi illi incumbentia onera supportare, diœcesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, dicta auctoritate apostolica tenore præsentium, dummodo fratres ipsi Ecclesiæ pro tempore deservientes ibi secundum observantiam regularem vivant, perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, & unitam, annexam & incorporatam esse & censeri, prioremque & conventum prædictos de cetero ab eadem Ecclesia vel regimine & gubernio, necnon fructuum & redituum, & proventuum aliorumque bonorum præmissorum administratione amoveri seu destitui, vel a quocumque desuper molestari, perturbari, aut inquietari, necnon unionem, annexionem, & incorporationem aliaque præmissa, & præsentes litteras ex quavis & quantuncumque juridica etiam rationabili causa de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari vel impugnari, ac priorem & Conventum præfatos ad præmissorum narrativam & causam seu causas, propter quas unio, annexio, & incorporatio hujusmodi concessæ fuerint, coram dicto diœcesano, aut alio seu aliis quibuscumque etiam tanquam a sede prædicta delegatis judicibus verificandum cogi, seu compelli, aut desuper conveniri, vel comparere, seu ad respondendum teneri, vel obligatos esse, ac propterea aliquibus Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis innodari, ipsasque unionem, annexionem & incorporationem, & alia præmissa, necnon præsentes etiam, ex eo quod sua interesse putantes ad hoc vocati non fuerint, surreptitie necnon obreptitie aut alias minus rite obtentas fuisse dici, vel censeri non posse statuimus & etiam perpetuo ordinamus. Sicque per quoscumque judices & commissarios, etiam ipsummet loci ordinarium, ac Auditores seu locatenentes causarum palatii Apostolici, quavis etiam Apostolica auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi ac sententiandi facultate & auctoritate judicari, sententiari, & deffiniri decernimus. Non obstantibus priori voluntate nostra prædicta, & piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, ac Lateranensis, & concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in certis tunc expressis casibus fieri prohibentes, necnon aliis Apostolicis constitutionibus & ordinationibus, & provincialibus & synodalibus, ac in quibus caveri dicitur expresse, quod similes uniones, annexiones & incorporationes ab ordinariis tanquam a se ad præfata delegatis examinari, & quæ nisi ex legitimis aut aliis rationalibus causis coram ipsis locorum ordinariis vocatis, quorum interest, verificandis aliter factæ fuerint, aut factas esse constiterit, per subreptionem, vel obreptionem obtentæ, seu alias irritæ, ac viribus carere declarari possint, necnon monasterii & Ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis & consuetudinibus contrariis quibuscumque, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dictæ sedis vel dele-

delegatorum ejus litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum. Quas quidem litteras & processus desuper habendos ad dictam Ecclesiam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Proviso quod propter unionem annexionem & incorporationem prædictas dicta Ecclesia debitis non fraudetur obsequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed ejus congrue supportentur onera consueta. Nos enim quoad unionem hujusmodi ex nunc irritum decernimus & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel imposterum contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, statuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, quartodecimo kal. aprilis pontificatus nostri anno primo.

L X.

Moniales S. Parisii de Tarvisio reformant monasterium S. Theonisti ejusdem Urbis.

Anno 1565. xv. septembris.

Ex tabulario S. Parisii Caps. I. 15.

IN Christi nomine amen. Cum ven. religiosa domna soror Elisabeth de Castropola electa abbatissa in monasterio sancti Theonisti hujus civitatis ordinis sancti Benedicti nigrarum, domna soror Helena Candido de Utino electa priorissa, domna soror Cæcilia Vonica, domna soror Lucia a Fratina, & soror Maria de Opitergio conversa, olim moniales sanctæ Christinæ & beati Parisii de Tarvisio ordinis Camaldulensis, ad requisitionem rev. in Christo patris domini domini Georgii Cornelii episcopi Tarvisini, sint recessuræ a dicto monasterio, in quo professæ existunt, & ingressuræ monasterium sancti Theonisti pro dicto monasterio reformando & gubernando, ea propter coram rev. patre domno Romualdo de Verona abbate sancti Michaelis de Muriano vicario rev. domni Ægidii totius ordinis Camaldulensis generalis, necnon rev. patribus domno Christophoro priore sancti Johannis a Judaica, & domno Theobaldo Furlano confessore prædicti monasterii sanctæ Christinæ & beati Parisii personaliter constitutæ, in parlatorio congregatæ ad sonum campanulæ de more ven. dominæ moniales infrascriptæ, videlicet rev. domna soror Flavia Vonico abbatissa, domna soror Ursula Varago priorissa, soror Justina Sugana, soror Eugenia Zucchella, soror Petronilla de Venetiis, soror Domitilla Varago, soror Catharina Fagaredo, soror Hieronyma a Vonico, soror Mansueta a Venetiis, soror Julia a Tarvisio, soror Placida de Tarvisio, soror Christina Zucchella, soror Archangela Cambio, soror Gabriela de Vitalibus, soror Scholastica de Muriano, soror Valeria Advocaria, soror Victoria de Venetiis, soror Mariangela de Tarvisio & soror Hippolyta Advocaria omnes & habentes vocem in earum capitulo; supradicta domna soror Elisabeth, domna soror Cæcilia agens nomine suo, & domnæ sororis Helenæ, pro qua absente, quatenus opus sit, promisit, & domna soror Lucia, & soror Maria omnibus meliori modo &c. renuntiaverunt præfato monasterio sanctæ Christinæ & beati Parisii, ac prædictis monialibus præsentibus pro se & successoribus suis habitum dicti ordinis, quem usque modo gesserunt, eo quia, ut supra requisitæ, intendunt assumere habitum monasterii sancti Theonisti, atque etiam renunciaverunt omnem & quamlibet dotem, & omne aliud, quod dedissent quovis modo ipsi monasterio sanctæ Christinæ & beati Parisii, facientes finem & quietationem prædictis dominis monialibus ibi præsentibus &c. itaut de cetero aliquid amplius nullo unquam tempore possint petere seu recipere in toto vel in parte. E converso autem rev. domina abbatissa & moniales prædictæ intuitu caritatis, & ex eo quod dictæ moniales non recedunt a dicto monasterio voluntarie, sed per satisfactionem rev. domini episcopi antedicti, atque de expressa licentia rev. suorum superiorum, ad omnem bonum finem & effectum reformandi & dirigendi prædictum mona-

sterium sancti Theonisti, ideo sponte & libere eisdem domnæ sorori Elisabeth, domnæ sorori Helenæ & domnæ sorori Cæciliæ, domnæ sorori Luciæ & sorori Mariæ reservarunt, prout de præsenti reservant locum in monasterio prædicto, & vocem in capitulo, & stallum in choro, tamquam veris sororibus & monialibus, prout de præsenti sunt & reperiuntur ad omne earum beneplacitum. Super quibus omnibus & singulis rogaverunt me notarium publicum infrascriptum, ut præsens publicum conficiam instrumentum. Actum Tarvisii in parlatorio monasterii prædicti, currente anno nativitatis Domini nostri Jesu Christi M. D. LXV. indictione VIII. die sabbati XV. mensis septembris, præsentibus ser Johanne quondam Priami de Renerio, & Victore quondam Petri Sagrogna de Monte-belluna familiaribus magnificæ dominæ Lauræ de Brixia testibus ad hæc vocatis, specialiterque rogatis.

Ego Varagus Varagus domini Bernardini notarii filius publicus imperiali auctoritate notarius civis habitatorque Tarvisii præmissis interfui & rogatus scripsi &c.

LXI.

Pius V. tradit ecclesiam S. Nicolai in Forbitoribus de Urbe monachis Camaldulensibus.

Anno 1566. XVI. kal. februarii.

Ex Lib. VIII. Pii V. pag. 177. in Camera apostolica.

Pius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Æquum reputamus & rationi consonum, ut ea, quæ de Romani pontificis gratia, præsertim ad regularium locorum propagationem processerint, licet ejus superveniente obitu literæ apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum consequantur effectum. Dudum siquidem felicis recordationis Julius papa III. prædecessor noster omnia beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura apud sedem apostolicam tunc vacantia & in antea vacatura collationi & dispositioni suæ reservavit &c. Cumque postmodum parochialis ecclesia sancti Nicolai in Forbitoribus regionis Columnæ seu Trivii de Urbe per liberam resignationem quondam Jacobi de Augustinis de Monte-regali olim ipsius ecclesiæ rectoris de illa, quam tunc in humanis agens obtinebat, in manibus dicti prædecessoris sponte factam & per eum admissam apud sedem præfatam vacavisset & vacaret tunc, nullusque de illa, præter ipsum prædecessorem ea vice disponere potuisset sive posset, reservatione & decreto obsistentibus supradictis; ac pro parte dilectorum filiorum prioris generalis & fratrum ordinis Camaldulensis congregationis sacræ eremi ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, & sancti Michaelis de Murano Arretinæ & Torcellanæ diœcesum expositum fuisset, quod sæpenumero contingebat præfatum priorem & dilectos filios visitatores, ceterosque superiores dictæ congregationis ad Urbem & Romanam curiam causa tractandi & expediendi negotia sua personaliter accedere, qui defectu proprii regularis loci in dicta Urbe, in quo sese, ut decens erat, receptarent, plerumque ad profanas domos meritoriaque cænacula divertere cogebantur; Cæterum dicta ecclesia idonea videbatur, in quam ipsi ceterique religiosi dictæ congregationis ad eamdem Urbem profecti commode convenire, suæque regulæ dignitatem honestius conservare possent, ideoque fuisset pro parte illorum asserentium fructus, redditus & proventus dictæ ecclesiæ & illi forsan annexorum, quadraginta ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excedere, ipsi prædecessori humiliter fuit supplicatum, ut præfatam ecclesiam eidem congregationi unire & annectere & incorporare de benignitate apostolica dignaretur. Idem prædecessor, qui prius inter alia voluerat, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum æstimationem præfatam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret &c. quique ea die quondam Lucæ-antonio etiam de Augustinis clerico etiam tunc in humanis agenti pensionem annuam quadraginta ducatorum auri similium, triginta super præfatis, & reliquorum decem super monasterii sanctorum Romualdi & Salvatoris terræ Fabriani ordinis & congregationis præfatorum Camerinensis diœcesis seu illius mensæ communis fructibus, redditibus & proventibus ipsi Lucæ-antonio quoad viveret per dictam congregationem annis singulis integre persolvendam reservaverat, constituerat & assignaverat, seu reservari, constitui & assignari concesserat, volens præfatis incommodis, quantum in se erat, providere, ac simul decori dictæ congregationis consulere; & propterea priorem & fratres præfatos eorumque singulos a quibusvis excommunicationis &c. sententiis &c. absolutos fore censens &c. hujusmodi supplicationibus inclinatus sub datum ultimo,

timo, quinto idus decembris pontificatus sui anno secundo, ecclesiam præfatam sive præmisso, sive alio quovismodo aut ex alterius cujuscumque persona per liberam resignationem dicti Jacobi vel cujusvis alterius de illa *&c.* cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus & pertinentiis suis præfatæ congregationi ad viginti-novem annos a die habitæ per ipsos priorem & fratres illius pacificæ possessionis computandos, & deinde ad sedis præfatæ beneplacitum apostolica auctoritate univit, annexuit & incorporavit, ita quod liceret ipsis priori & fratribus per se vel alium seu alios corporalem possessionem ecclesiæ & annexorum præfatorum propria auctoritate libere apprehendere & interim retinere, ipsamque ecclesiam regere & gubernare, ac illius curam per presbyterum seu presbyteros dicti ordinis ad ipsius congregationis, seu pro tempore existentis illius prioris generalis nutum ponendos & amovendos exercere, ejusque & dictorum annexorum fructus, redditus & proventus hujusmodi percipere, ac in suos proprios usus & utilitatem convertere, cujusvis licentia super his minime requisita. Non obstantibus *&c.* Et rursus præfato Julio prædecessori nostro pro eadem parte exposito, quod dicta ecclesia, illiusque domus presbyteralis ruinam minabatur, nec fructus, redditus & proventus ipsius ecclesiæ, qui deducta pensione præfata super illis constituta ad eam, quam ecclesia & domus præfatæ de necessitate indigebant, reparationem minime sufficiebant, & nihilominus prior & fratres præfati reparationem ipsam facere cupiebant, verebantur tamen, ne viginti-novem annis præfatis elapsis beneplacitum antedictum post factas in reparatione hujusmodi impensas contingeret revocari, & deinceps se etiam a perceptione fructuum ecclesiæ exclusos ad subeundum onus solutionis saltem quoad ratam super monasterii seu mensæ fructibus hujusmodi impositam teneri, idem Julius prædecessor ne quando ipsi possessionem & usum ecclesiæ & domus prædictarum cum dispendio & jactura paterentur, neve ab ipsa reparatione quominus fieret revocarentur, aut finito tempore prædicto in pristinum discrimen reciderent, amplius providere volens, etiam eorumdem supplicationibus in ea parte inclinatus, sub datum ultimum quinto-decimo kalendas maji pontificatus sui anno quinto, unionem, annexionem & incorporationem præfatas, ac postquam confecta forent, literas apostolicas desuper expediendas, bonæ memoriæ Hieronymi tituli sancti Marcelli presbyteri cardinalis Dandini nuncupati, ad cujus dispositionem dicta ecclesia ratione ejusdem tituli pertinere dignoscebatur, expresso ad id tunc accedente consensu, apostolica auctoritate præfata in perpetuum extendit & ampliavit, & nihilominus beneplacitum præfatum revocando, dictam ecclesiam modo præmisso tenendam regendam & gubernandam præfatæ congregationi cum onere ecclesiam & domum præfatas reparandi perpetuo univit, annexuit & incorporavit; ita quod liceret eisdem priori & fratribus, ac congregationi possessionem ipsam, ut præfertur, apprehendere & perpetuo retinere, ac etiam ipsos fructus, redditus & proventus percipere, exigere, levare & convertere, licentia prædicta minime requisita, non obstantibus *&c.* Ne autem de absolutione, utrisque unione, annexione, *&c.* valeat quomodolibet hæsitari, & prior & fratres prædicti illorum frustrentur effectu, volumus & pariter apostolica auctoritate decernimus, quod absolutio, ac priores unio, annexio & incorporatio, necnon derogatio, voluntas & decretum a quinto idus decembris, extensio vero & ampliatio, ac posteriores unio, annexio & incorporatio hujusmodi a quinto-decimo kalendas maji datarum præfatarum suum perinde sortiantur effectum, ac si super illis singulæ literæ præfatæ sub eorumdem dierum data confectæ respective fuissent, prout superius enarratur, quodque præsentes literæ ad probandum plene absolutionem, utrasque unionem, annexionem & incorporationem, necnon derogationem, voluntatem, decretum, extensionem & ampliationem præfata ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo *&c.* Si quis *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M.D.LXV. sexto-decimo kalendas februarii pontificatus nostri anno primo.

B. Melchiorius.

LXII.

Monasterium S. Marci de Volaterris ceditur Communitati urbis Volaterranæ ab abbate SS. Justi & Clementis de Volaterris.

Anno 1566. XXVIII. septembris.

Ex autographo S. Petri in Silice ejusdem urbis.

IN Dei nomine, amen. Anno Dominicæ incarnationis M.D.LXVI. indictione IX. die

IX. die vero XXVIII. septembris Pio V. pont. max. & ejus pontificatus anno I. Pateat omnibus &c. quod cum fuerit & sit, qualiter infrascriptæ partes dixerunt, quod sub die XXX. augusti M.D.XLIX. fuissent inita, facta & celebrata quædam pacta, capitula & conventiones, & super cura abbatissæ & monialium monasterii & ecclesiæ sancti Marci in suburbio de Volaterris inter rev. dominum Johannem-baptistam Bavam de Volaterris eo tempore commendatarium & abbatem abbatiæ sancti Justi de Volaterris asserentem & dicentem curam, protectionem & regimen dictæ ecclesiæ sancti Marci in spiritualibus, & abbatissæ & monialium futurarum in dicto monasterio ad abbatem pro tempore existentem in dicta abbatia pertinere tamquam beneficium manuale ex una, & Commune, universitatem & homines civitatis Volaterrarum dicentes ad se pertinere dictam ecclesiam sancti Marci ex dono & benignitate rev. domini Michaelis de Gherardis tunc dictam ecclesiam & beneficium retinentis dicto communi & hominibus de quibus &c. ex altera. Cum sit etiam quod præfatus rev. Johannes-baptista abbas prædictus in præsentiarum viam universæ carnis sit ingressus, & ad meliorem vitam migraverit, & revera sit dicta abbatia sancti Justi ad primævam ejus naturam & ad congregationem Camaldulensem, & per consequens cura dictæ ecclesiæ, abbatiæ & monialium & monasterii pertinere debeat ad abbatem & monachos dictæ abbatiæ sancti Justi juxta sententiam, continentiam & tenorem dictorum capitulorum. Et cum sit etiam quod rev. domnus Laurentius Gasparis de Abbatia Policiniensi de Venetiis modernus abbas dictæ abbatiæ sancti Justi sæpe sæpius tractaverit & collocutus fuerit super cura & regimine dictæ ecclesiæ, monialium & monasterii cum rev. patre domno Antonio de Pisis generali vicario congregationis Camaldulensis in Tuscia & in absentia dicti rev. patris domni Antonii, cum monachis dictæ abbatiæ tractaverit & tractatum habuerit super dicta cura & regimine, quam & quod in dicto eorum tractatu dictus abbas & monachi reputantes non modo difficilem & periculosam sed etiam impossibilem; ideo præfati monachi simul congregati dederunt auctoritatem, & constituerunt eorum sindicum & procuratorem præfatum domnum Laurentium ad hæc specialiter peragenda, ut constat &c. Hinc fuit & est, quod in præsentia mei notarii &c. domnus Laurentius modernus abbas dictæ abbatiæ &c. ex una parte, & excellentes magistri Johannes-baptista ser Bonristori de Gerardis, & Bartholomæi quondam Octaviani de Babbis physici, ser Laurentius quondam domini Hieronymi de Liscis, & Jacobus olim Benedicti de Bardinis omnes cives Volaterrani tamquam syndici & procuratores abbatissæ, monialium & monasterii ecclesiæ sancti Marci ad hoc specialiter constituti &c. & tamquam operarii dicti monasterii secundum ordinamenta illustrissimi & excellen. domini ducis Florentiæ & Senarum, ut dixerunt, necnon tamquam sindici & procuratores universitatis civitatis Volaterrarum electi &c. ex altera ad invicem solemnibus stipulationibus intervenientibus venerunt ad infrascriptam transactionem, videlicet.

Quod dictus dominus Laurentius modis & nominibus quibus supra &c. renunciavit omnibus & singulis supra allegatis capitulis &c. & ex nunc renuntiat &c. omne jus, præeminentiam & superioritatem quomodolibet dictæ abbatiæ competentem & illius abbatibus circa curam & regimen dictarum abbatissæ & monialium prædictarum & curam dictæ ecclesiæ tam in visitando, creando & eligendo, quam alia faciendo in & super dicta abbatissa, monialibus & ecclesia prædicta, & dictam curam remisit abbatissæ & monialibus prædictis tam præsentibus, quam futuris, & pro eis recipientibus dictis magistris Johanni-baptistæ & Bartholomæo physicis, Laurentio & Jacobo suprascriptis modis & nominibus; & versa vice præfati sindici &c. renuntiationem &c. acceptaverunt & confirmaverunt; & in signum gratitudinis & cujuscumque memoriæ promiserunt & obligaverunt, quod dicta abbatissa & moniales prædictæ monasterii sancti Marci dabit seu dabunt &c. præsenti abbati dictæ abbatiæ sancti Justi & pro tempore existenti, seu illius monachis libram unam thuris singulis annis in festo Pentecostes in signum superioritatis & cujuslibet præeminentiæ & cessionis dictæ abbatiæ quomodolibet competentis. Et in memoriam hujusmodi cessionis & translationis promiserunt etiam dicti sindici dictis modis & nominibus, quod quotiescumque accidisset eligi novam abbatissam dicti monasterii, statim facta dictæ abbatissæ electione, illam per cappellanum dicti monasterii, seu per unum ex operariis pro tempore existentibus publicare & notificare abbati dictæ abbatiæ pro tempore existenti cum expressione nominis abbatissæ sic electæ, & quot suffragiis, absque eo, & præter id quod aliqua confirmatio dictæ abbatissæ requiratur fieri per dictum abbatem. Item suprascriptæ partes con-

convenerunt & voluerunt, quod quotiescumque dictum monasterium dictarum monialium deficeret & forma monasterii in eo amplius non esset, quod dicta cessio evanescat, & abbas & monachi dictæ abbatiæ sancti Justi intelligantur & sint reversi ad eorum pristina jura, & tamquam dicta cessio facta non fuisset. Item convenerunt &c. quod dicta abbatissa & moniales &c. possint & valeant comparere coram quocumque diœcesano vel alio ordinario, & implorare curam dictæ abbatissæ, monialium & monasterii sancti Marci in spiritualibus sibi provideri. Quæ omnia &c. Actum Volaterris in palatio D. D. P. P. & in sala consilii, præsentibus domino Hieronymo quondam Antonii de Cottinis, Persio olim ser Augustini de Falconcinis & Francisco quondam Alexandri de Cecilis omnibus civibus Volaterranis testibus.

Ego Octavianus quondam Andreæ Barsotti de Libbiano comitatus Volaterrarum &c. notarius &c.

LXIII.

Pii V. Breve Eliseo Capis Ord. Prædicatorum pro visitandis monasteriis Camaldulensibus, & Visitationis Acta inde sequutæ.

Anno 1568. die III. maji.

Ex tabulario S. Mathiæ de Muriano n. 47. & 72. Capsula Scripturarum Congregationis.

Breve apostolicum a Sanctissimo D. N. Pio papa V. concessum reverendo in Christo fratri Eliseo Capis Veneto Ordinis Prædicatorum pro visitandis ac reformandis monasteriis Camaldulensibus in Serenissimo Venetorum Dominio.

Foris Dilecto filio Eliseo Veneto Ordinis FF. Prædicatorum & Sacræ Theologiæ Professori.

Intus vero Pius pp. V.

Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Cum sicut non sine animi nostri molestia nuper accepimus, monasteria, domus & loca, necnon fratres seu monachi ac moniales Ordinis & Congregationis Camaldulensis in statu & dominio Venetorum existentes non parum reformatione indigere dignoscantur, Nos pro nostro universalis Pastoris officio Nobis divina disponente clementia injuncto, volentes religiosas quorumdam personas, & præsertim regulares, nostris potissimum temporibus intra debitos suæ regularis professionis limites in religionis puritate & suæ disciplinæ sinceritate contineri, & propterea monasteria, domus, loca, & fratres seu monachos ac moniales hujusmodi, prout decet, reformari, & ad sui ordinis observantiam laudabiliaque instituta feliciter reduci atque reponi; necnon de tua probitate, prudentia, doctrina, religionis zelo, ac experientia plurimum in Domino confisi, motu proprio & ex certa scientia, maturaque deliberatione Nostra, tibi in virtute sanctæ obedientiæ per præsentes mandamus, ut receptis præsentibus, ad quæcumque monasteria, domos & loca prædicta ordinis & Congregationis Camaldulensis hujusmodi successive te conferas; & illa, illorumque fratres seu monachos ac moniales & personas quascumque tam in capite quam in membris auctoritate nostra visites, & ea, quæ tibi præsentis reformationis remedio indigere cognoveris, juxta canonicas sanctiones & regularia dicti ordinis instituta, sacrique Concilii Tridentini Decreta, eadem auctoritate nostra corrigas & reformes. De aliis vero, quæ tibi expedire videbuntur, diligenter inquiras, ac de omnibus plenas & sufficientes informationes, quantum opus fuerit, a quibusvis personis tibi bene visis capias, & quidquid repereris, in scriptis redigas, processumque desuper in omnibus formes & facias, eumque in authentica forma redactum & clausum sub tuo sigillo ad nos quantocius transmittere cures, ut eo inspecto & mature considerato, quæ in illis reformanda fuerint, ad debitam reformationem & regularis observantiæ normam adjuvante Domino salubriter revocare ac restituere valeamus. Super quibus omnibus & singulis tibi plenam, liberam & omnimodam potestatem & auctoritatem, ac etiam eamdem potestatem, quam Generalis ejusdem ordinis habet & habere potest, per easdem præsentes concedimus & impartimur. Contradictores quoslibet & rebelles per pœnas quaslibet, de quibus tibi videbitur, & demum per sententias, censuras & pœnas æcclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione quacumque postposita, compescendo, & ad tibi in præmissis obediendum cogendo & compellendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac quibusvis dicti ordinis & Congregationis statutis & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis, privilegiis quoque, exemptionibus, in-

indultis & literis apostolicis illis quomodolibet concessis confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa & individua mentio habenda esset, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ordinationes fratris Elisei Capis Veneti Lectoris Ordinis Prædicatorum commissarii Sanctissimi D. N. Pii papæ V. quas Reverendissimis DD. Abbatibus, Prioribus & subditis in dominio Venetorum commorantibus pro antiquæ Camaldulensis disciplinæ reformatione inviolabiliter observandas proponit.

Hortamur, & quantum possumus, per viscera D. N. J. C. enixe precamur, ut omnes fratres tam prælati quam subditi, potissimum autem prælati & sacerdotes, quo magis fieri potest, frequentare velint sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, quo facilius ac tutius cum divina Majestate in tantis nostris hisce periculis, quibus universalis ecclesia atque omnis religio quassata & pene pessundata videtur, assiduos se, justos, immaculatos atque optimos precatores exhibeant.

Ut autem majori tum sacramenti Pœnitentiæ facilitate, tum cordis puritate omnes subditi Missarum solemnia celebrare valeant, auctoritate apostolica ordinamus, ut reverendissimus abbas vel prior pro tempore quam primum ad suum cœnobium accesserit, teneatur de consilio seniorum simul congregatorum eligere saltem quatuor sacerdotes, quibus reverendissimus abbas vel prior (exceptis nonnullis casibus, qui tamen sint paucissimi, & enormes, ne laqueum animarum saluti injicere, & regnum cœlorum claudere videantur) coram toto capitulo dabit facultatem audiendi & absolvendi omnes fratres tam sacerdotes quam juvenes & conversos ab omnibus peccatis eorum, ne ex impedimento vel indigentia ministri Pœnitentiæ sine sacramentali absolutione ad tremendum altare accedere cogantur. In casibus autem, quos reverendissimus abbas vel prior justis de causis sibi ipsi absolvendos reservabit, per eumdem D. N. J. C. qui omnibus quotidie inculcat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, humiliter rogamus, ut se faciles exhibeant in danda licentia omnibus sacerdotibus auctoritatem eorum petentibus sine aliqua vel directa vel indirecta inquisitione personæ.

Eadem auctoritate apostolica ordinamus, & in virtute Spiritus sancti & sanctæ obedientiæ præcipimus, ut reverendissimus abbas vel prior pro tempore, præter supradictam Confessorum ordinationem, teneatur singulis diebus Dominicis vel alia feria semel in hebdomada audire confessiones omnium diaconorum & infra usque ad novitios, vel si est impeditus, remittat eos ad priorem vel alium patrem, qui vice sua ipsos absolvat, adeout omni semota excusatione certus sit prælatus omnes tam sacerdotes quam conversos confessos fuisse singulis hebdomadibus. Novitios ab his regulis semper exceptos esse volumus, nam providebit prælatus, ut ipsorum magister sit maturæ ætatis pater, qui solus peccata eorum audire & absolvere poterit.

Præter SS. Patrum doctrinam, movemur etiam Sanctissimi D. N. Pii V. exemplo, nihil salubrius magisque necessarium esse Christianæ caritatis augmento, quam singulis diebus Eucharistiæ communione cibari. Hortamur igitur in Domino omnes Prælatos & monachos fidelium eleemosynis in cœnobio sine mendicitate viventes, ut quam sæpissime poterunt, Missas celebrare velint, & in virtute Spiritus Sancti & S. obedientiæ & sub pœna absolutionis Abbatis vel Prioris præcipimus, ut singulis diebus saltem medietas sacerdotum Missas celebrare teneantur, ne tam divitiis & secularibus negotiis videantur monachi occupari, ut de illis verificetur: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.*

Quemadmodum maximo animi nostri dolore in nonnullis conventibus videmus novitios contra antiquas Camaldulensium constitutiones lineis linteaminibus & aliis vestibus non ex rascia compositis uti, ita majori quo possumus vinculo, in virtute Spiritus Sancti & sanctæ obedientiæ præcipimus, ut novitii, quos antiquæ Camaldulensis sanctitatis viva exemplaria esse decet, in omnibus tam cibis quam vestibus, silentio & ceremoniis antiquis Patrum moribus conformes esse inveniantur.

Licet nullum Dei gratia manifestum proprietatis indicium in hac præsenti nostra visitatione inventum fuerit, ad impediendam tamen omnem avaritiæ vel prodigalitatis occasionem, auctoritate apostolica præcipimus, & sub pœna absolutionis ab officio, & privationis vocis activæ & passivæ mandamus, ut præter pœnas de omni furto ac proprietate a constitutionibus Camaldulensibus taxatas, quas inviolabiliter

labiliter observari volumus, nullus monachus sive frater sive conversus sine licentia patrum conventus cum Abbate vel Priore congregatorum possit quomodocumque dare vel donare bona monasterii suis parentibus vel amicis, etiam prætextu eleemosynæ supra ducatos decem.

Considerantes autem monasterii S. Mariæ Carcerum solitudinem & aeris intemperiem, necnon studiorum labores, quibus mirum in modum delectantur, ad excitandosque animos, necnon ad recreanda corpora, ut promptius tum divinis tum humanis studiis incumbant, licentiam concedimus, & hortamur Abbates pro tempore, ut semel in mense concedant recreationem fratribus, ut extra monasterii septa comedere possint carnes, vel etiam in conventu, sed nunquam in refectorio, & nisi causa prædictæ recreationis, quod tamen semper non ad morum perniciem, sed tantum ad laudem Dei concessum esse volumus.

Ne autem propter ignorantiam & oblivionem præsentes ordinationes desideratum non consequantur effectum, auctoritate apostolica præcipimus, ut in principio Jejunii S. Crucis & in principio Quadragesimæ in refectorio legantur.

Ita est. Ego frater Eliseus Capis Commissarius, qui supra.

LXIV.

Idem mandat Generali Camaldulensi visitationem monasterii Fontis-avellanæ.

Anno 1568. XXII. decembris.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

Pius papa V. dilecto filio Johanni-baptistæ Barbæ de Novaria eremitarum & congregationis Camaldulensis generali. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Cum sicut non sine molestia accepimus monasterium, & fratres seu monachi sanctæ Crucis Fontis-avellanæ Eugubinensis diœcesis ordinis sancti Benedicti, quod quidem monasterium dilectus filius noster Julius cardinalis Urbinatensis ex concessione seu dispensatione apostolica in commendam obtinet, non parum reformatione indigere dignoscatur, nos pro nostri pastoralis officii nobis disponente Domino, meritis licet insufficientibus, injuncti cura, volentes religiosas personas nostris potissimum temporibus in religionis puritate, ac suæ disciplinæ & debitæ observantiæ sinceritate contineri, & propterea monasterium ac fratres & seu monachos hujusmodi, prout convenit, reformari, & ad pristinam sui ordinis normam, laudabiliaque instituta observantiæ sollicite, feliciterque reduci atque restitui, necnon de tua probitate, prudentia, experientia & religionis zelo in Domino confisi, motu proprio & ex certa scientia nostra tibi in virtute sanctæ obedientiæ per præsentes mandamus, ut ad monasterium sanctæ Crucis prædictum te personaliter conferas, illudque, necnon fratres, monachos & personas in eo degentes auctoritate nostra visites, ac de omnibus & singulis, quæ ad ejusdem monasterii & illius fratrum seu monachorum reformationem quomodolibet pertinere cognoveris, diligenter inquiras, plenasque & sufficientes informationes, quantum opus fuerit, & tibi sufficere videbitur, a quibuscumque personis tibi bene visis sumas & capias, ac quidquid repereris, in scriptis redigas, processumque desuper formes & facias, eumque sic per te formatum & in authentica forma redactum tuo sigillo clausum, ad nos quanto citius transmittere cures, ut eo inspecto & mature considerato, quæ in præmissis reformanda fuerint, ad debitam congruamque reformationem observantiamque dicti ordinis regularem adjuvante Domino salubriter revocare ac restituere valeamus; super quibus tibi plenam & liberam facultatem per easdem præsentes concedimus. Contradictores *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XXII. decembris M.D.LXVIII. pontificatus nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius.

LXV.

Idem eidem præcipit, ut inventarium bonorum ejusdem monasterii conficiat.

Anno 1569. prima decembris.

Ex eodem archivo.

Pius papa V. dilecto filio priori generali ordinis Camaldulensis. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Decrevimus conjungere ordini & congregationi monachorum Camaldulensium conventum monasterii sanctæ Crucis Fontis-avellanæ cum ejus prioratibus & membris, quemadmodum ex aliis nostris literis plenius cognosces, sed quia ex multorum pertinacia, qui id persentiscunt, verisimile est fore, ut aliqui minus dicto audientes,

tes, omnia turbare atque miscere conentur, proinde, ne quid rerum in hac commutatione intervertatur aut pereat, mandamus tibi, ut omnibus posthabitis, matures ad prædictum monasterium proficisci, statimque conventum & singulos ad exhibendum tibi vasa, vestimenta, & omnino quidquid sacra & communis suppellectilis bonorum & rerum ibi est, per censuram ecclesiasticam & alia remedia tuo arbitrio exhibenda moneas & compellas, deque omnibus a te recognitis inventarium conficias, confectum fideliter asserves, itidemque in ceteris locis prædictis, ubi per te nequibis, tuorum opera exequare; quod ut periculo innoxius promptus efficias, dilectum filium nobilem virum Urbini ducem cum nostris ad eum literis convenies, causasque commutationis & mandata ad te nostra illi ordine narrabis, qui pro religionis cultu, & sua in nos pietate omne auxilium suppeditabit, quod hanc ad rem dixeris indigere. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die prima decembris M. D. LXIX. pontificatus nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius.

LXVI.

Idem eidem indulget, ut recipiat ad professionem Camaldulensem aliquot monachos Fonte-avellanenses.

Anno 1569. XIV. decembris.

Ex eodem tabulario.

PIus papa V. priori generali ordinis Camaldulensis. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Aliis nostris ad te literis præcepimus tibi, ut ad monasterium Fontis-avellanæ festinares, facturus ibi statim inventarium rerum omnium illius conventus, quem cum locis & membris omnibus conjunximus ordini & congregationi monachorum Camaldulensium, tibique dedimus in mandatis, ut possessionem illorum caperes, exclusis eorum monachis, & præterea institueres monasterium & loca ad conventum idonea de monachis dictæ congregationis, monachos vero alterius extinctæ Fontis-avellanæ ordinem Camaldulensem ingredi volentes per alios conventus distribueres, mense præfinito tam illis ad ingrediendum, quam ceteris id recusantibus ad transeundum ad aliquam ex religionibus approbatis, uti aliis nostris literis plenius intelliges. Nunc autem rursus tibi mandamus, ut eos, qui intra dictum mensem sponte ingredi tuam congregationem voluerint, ab iis professionem juxta illius ritum & consuetudinem recipias, eaque recepta facias ipsos sincera in Domino caritate tractari, nullos tamen omnino in prædicto monasterio retineas, sed omnes per tuæ congregationis prioratus, ut dictum est, dividas, aliquot tamen in dependentibus locis Fontis-avellanæ, si hoc tibi commodum videbitur, poteris commiscere. Qui vero intra mensem, neque ut præscriptum est, congregationem Camaldulensem ingressi, neque ad alios ordines translati fuerint, tu contra illos omnes tamquam apostatas & religionis desertores, cura tua diligenter conquisitos & comprehensos, manu regia procedens in remigium releges, ubi reliquum vitæ tempus in perpetuis ærumnis agant, nisi interim Romanus pontifex hanc pœnam in universum aut singulatim duxerit commutandam. Itidem quoque præcipimus omnibus legatis, prolegatis, præsidibus, magistratibus, judicibus & ministris hujus nostræ ditionis temporalis, & præterea omnibus locorum ordinariis ubicumque constitutis, ut quisquis pro se de eis, quos comprehendere non poteris, modo prædicto statuant. Insuper tibi & delegandis tuis auxilium & favorem, & quæcumque alia vobis hanc ad rem necessaria fuerint, re ipsa præstare procurent. Non obstantibus constitutionibus &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XIV. decembris M. D. LXIX. pontificatus nostri anno quarto.

Cæ. Glorierius.

LXVII.

Idem supprimit monachos Conventuales Camaldulenses.

Anno 1569. XXVI. maji.

Ex eodem archivo.

PIus papa V. ad perpetuam rei memoriam. Romanus pontifex &c. Cum, sicut dolenter accepimus, quamplures monachi Camaldulenses suorum professionis ac juramenti de observandis regularibus ipsius ordinis institutis ab eis præstiti parum memores, nonnulla monasteria, prioratus, præceptorias, præposituras, præpositatus, ceteraque alia beneficia ecclesiastica dicti ordinis apostolica vel alia auctoritate illis alias collata obtineant, eorumque fructus, redditus & proventus, non in monasteriorum, prioratuum & aliorum benefi-

ciorum

ciorum præfatorum aut congregationis ejusdem ordinis, sed in parentum, fratrum, sororum, nepotum aliorumque agnatorum affiniumque, ac alios profanos, minusque licitos usus & utilitatem convertant, & dissipent, atque extra claustra spretis institutis præfatis licentiose vivant, & sub prætextu, quod literas collationum & provisionum eorumdem beneficiorum a dicta sede vel ordinario rite expeditas habeant, a dilecti filii dicti ordinis generalis & aliorum superiorum visitatione, correctione ac jurisdictione ita se defendant, ut visitari, corrigi & emendari nequeant, in animarum suarum periculum, dictique ordinis grave damnum, & quamplurimorum Christi-fidelium scandalum. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quique hisce præsertim temporibus ordinem præfatum pristino suo candori restituere, ac periculis, damnis & scandalishujusmodi, ne amplius eveniant, occurrere muneris nostri partes esse arbitramur, & congregationem hujusmodi, illorumque singulorum a quibusvis excommunicationis *&c.* sententiis *&c.* absolventes *&c.* de apostolicæ potestatis plenitudine omnes & quascumque tam apostolicas, quam ordinarias collationes & provisiones de sanctæ Agathæ Feltrensis, & sanctæ Mariæ in Trivio Sarsinensis, & quibusvis aliis monasteriis, necnon de sancti Angeli de Massaccio, ac sancti Salvatoris de Podio-cupo Esinæ, & cujusdam sanctæ Agnetis Perusinæ, necnon sancti Mauri de Solarolo Faventinæ, & sancti Damiani Bononiensis, ac de Dudua Arretinæ respective diœcesum, & etiam quibusvis aliis prioratibus etiam conventualibus *&c.* ceterisque beneficiis ecclesiasticis cum cura & sine cura dicti ordinis, necnon omnia & quæcumque regressus, accessus & ingressus *&c.* reservationes ædium *&c.* & quarumcumque aliarum rerum monasteriorum, aliorumque beneficiorum præfatorum *&c.* quibusvis monasteriorum abbatibus & prioratuum prioribus *&c.* & aliis ejusdem ordinis monachis per quoscumque Romanos pontifices prædecessores nostros ac nos & sedem apostolicam *&c.* factas *&c.* specialiter & expresse revocamus *&c.* & nihilominus omnes & singulos abbates, priores *&c.* ceterosque monachos illa & illos obtinentes *&c.* ex nunc privamus *&c.* necnon monasteria, prioratus *&c.* ac alia beneficia præfata quovis modo & ex quorumcumque personis seu per quosvis liberas *&c.* cum illis forsan annexis, ac omnibus juribus & pertinentiis, necnon membris & dependentiis suis in pristinum *&c.* ita quod amplius in titulum ad vitam seu in perpetuum conferri seu eligi ad illa quispiam nequeat, plenarie restituimus & reponimus & omnino reintegramus. Et nihilominus potiori pro cautela quatenus opus sit illa omnia & singula, modo & forma, quibus congregationi præfatæ concessa seu unita erant, de novo congregationi præfatæ seu aliis monasteriis, prioratibus aut regularibus ipsius ordinis locis ipsi generali bene visis perpetuo concedimus, unimus, & annectimus & incorporamus, ac modernis ac pro tempore existentibus generali præfato ac visitatoribus dictæ congregationis ut per se seu alium vel alios, & congregationis præfatæ nomine omnium singulorum quorumcumque monasteriorum, prioratuum ac aliorum beneficiorum ac annexorum, juriumque *&c.* præfatorum corporalem possessionem, nullo alio a nobis desuper expectato mandato, propria auctoritate apprehendere & retinere libere & licite valeant, concedimus & indulgemus, quo congregationis hujusmodi status prosperans dirigatur, quod generalis præfatus in proximo futuro capitulo auctoritate nostra pro hac vice tantum definitores eligere & deinde perpetuis futuris temporibus, quod ille ac dilecti filii definitores quoslibet a congregatione hujusmodi monachos in monasteriorum abbates ac prioratuum priores ac præceptoriarum hujusmodi præpositos non tamen perpetuos, sed omnino ad triennium vel ad aliud minus tempus sibi ipsi bene visum eligere, ponere & illo tempore elapso amovere, solus vero generalis confirmare, necnon quod ille & visitatores præfati alios similiter amotorum loco subrogare, ut moris est, ac præter abbatem seu priorem aut præceptorem seu præpositum duodecim ad minus dicti ordinis monachos expresse professos in præfatis & aliis omnibus & singulis monasteriis aut prioratibus vel ceteris beneficiis dicti ordinis, si illorum ad id suppetant facultates, ita quod in quolibet loco conventuali ad minus sint duodecim monachi, ponere & amovere, monachos vero in dictis monasteriis seu ejus regularibus locis, ubi non suppetant hujusmodi facultates, existentes, ab illis amovere & alibi transferre, ac in locis hujusmodi monachis vacuis per unum vel duos clericos seu presbyteros seculares ab ipsis nominandos, ab ordinario tamen approbatos seu approbandos, qui in divinis deserviant & curam animarum & alia onera sibi incumbentia perferant, totiens quotiens videbitur, etiam ponere & amovere, ac monasteriorum *&c.* præfatorum fructus, red-

ditus & proventus primo ad abbatis seu prioris &c. & duodecim monachorum seu presbyterorum præfatorum inibi substentatione, & deinde ad ipsius congregationis sibi bene visos, licitos tantum usus & utilitatem convertere. Quoque generalis solus omnia & singula monasteria, prioratus & alia dicti ordinis loca & beneficia, & in commendam concedi solita, eorumque personas etiam ipsum ordinem expresse professas, non tamen commendatarios, visitare & inibi errantes corrigere, necnon delinquentes secundum eorum excessus & delicta, canonicas sanctiones & regularia ordinis præfati instituta punire, castigare, incarcerare & omnimodam ibi jurisdictionem gerere & exercere, necnon inimicos & rebelles excommunicationis & alias sententias, censuras & pœnas ecclesiasticas arbitrio ipsius generalis imponendas, moderandas & applicandas promulgare, easque etiam iteratis vicibus aggravare, necnon illos postquam ad eos reversi fuerint, ab hujusmodi sententiis censuris & pœnis absolvere, omnia & singula alia reformationem monasteriorum ac prioratuum, ac locorum & beneficiorum aliorum, & personarum hujusmodi concernentia necessaria & opportuna facere & exequi libere & licite valeant. Quoque monachi præfati cujuscumque ætatis & gradus existant in posterum nihil proprii sibi vendicent, minusque de rebus ut propriis disponant, sed omnia illis sint communia etiam perpetuo statuimus & ordinamus, districtius inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ quibuscumque collatoribus, etiam S. R. E. cardinalibus, etiam legatis de latere, & ad indultum, & aliis jus conferendi, aut eligendi et præsentandi habentibus, ne de monasteriis, prioratibus, precæptoriis, præposituris et aliis beneficiis dicti ordinis sub ipsa revocatione comprehensis præfatis disponere, aut aliquem vel aliquos ad monasteria, prioratus aliaque beneficia præfata præsentare, eligere seu instituere quoquo modo audeant vel præsumant, ac ex nunc quascumque præsentationes electiones &c. etiam a sede præfata &c. factas, tamquam in læsionem et detrimentum reformare religionis subvectas et exortas nullius prorsus momenti fore &c. et quoties illæ emanabunt toties in pristinum et validum statum restitutas et plenarie integratas, et de novo etiam sub posteriori data per ipsum generalem eligen. concessas esse et censeri, sicque per quoscumque judices et præfatos &c. Quin etiam dilecto filio nostro Ptolomeo tituli sanctæ Agathæ presbytero cardinali Comensi nuncupato moderno et pro tempore existenti dicti ordinis protectori ac venerabilibus fratribus nostris Faventino & Ravennatensi archiepiscopis motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios præsentes literas & in eis contenta quocumque ubi & quando opus fuerit, ac quoties per generalis seu congregationis aut visitatorum seu definitorum hujusmodi vel alicujus illorum fuerint requisiti sollemniter publicantes, easdem præsentes ac omnia & singula in eis contenta &c. inviolabiliter faciant observari &c. Volumus autem monasteria hujusmodi in spiritualibus non lædantur, & in temporalibus detrimenta non sustineant, quodque prioratus & alia beneficia præfata debitis propterea non fraudentur obsequiis, & illorum animarum cura, si quæ illis immineat, nullatenus negligatur, sed illorum congrue supportentur onera consueta, præterquam numerum monachorum concernentia, ubi facultates non suppetunt, ut præfertur. Quodque ipsarum præsentium exempla &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo Piscatoris XXVI. maji M. D. LXIX. pontificatus nostri anno quarto.

Cæsar Glorierius.

LXVIII.

Gregorii XIII. bulla pro monasterio S. Mariæ Angelorum Pisauri cum unione fructuum plurium ecclesiarum.

Anno 1572. XI. kal. februarii.

Ex archivo ejusdem monasterii.

GRegorius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Superni dispositione consilii &c. Cum itaque postmodum ecclesia beatæ Mariæ veteris nuncupatæ Pisaurensis per liberam resignationem dilecti filii Angeli Sparagni canonici majoris Pisaurensis, ac nuper ipsius beatæ Mariæ ecclesiæ rectoris, de illa, quam tunc obtinebat, in manibus nostris sponte factam, & per nos admissam apud sedem prædictam vacaverit & vacet ad præsens, nullusque de illa præter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis; & sicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum generalis prioris & visitatorum ordinis & congregationis monachorum Camaldulensium petitio continebat, post reformationem pridem a felicis recordationis Pio pa-

pa

pa V. prædecessore nostro factam de statu & moribus monachorum monasterii & congregationis sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, olim ordinis sancti Benedicti, Eugubinæ diœcesis, qua dictus prædecessor inter alia de apostolicæ potestatis plenitudine renovaverat & abolueras omnes & quascumque tam apostolicas, quam ordinarias collationes, provisiones, commendas perpetuas & temporales, ac alias dispositiones de prioratibus, dignitatibus, administrationibus & officiis etiam conventualibus & claustralibus monasterii & congregationis prædictorum, & ab illis dependentibus, necnon omnibus & singulis aliis beneficiis ecclesiasticis, cum cura & sine cura, secularibus & quorumvis ordinum regularibus, quæ dictis monachis apostolica vel alia auctoritate factæ erant, ac eosdem beneficiis & officiis ipsis privaverat, eaque suæ & sedis prædictæ dispositioni cum irritanti decreto reservaverat, & in ipso monasterio ejusque dignitate abbatiali, ac etiam in omnibus prioratibus, membris & locis dictæ congregationis ab ea communiter possessis, pariterque in omnibus beneficiis ecclesiasticis cum cura et sine cura regularibus ad dispositionem abbatis ipsius monasterii pertinentibus, ordinem, statum, nomen et essentiam regularem sancti Benedicti et congregationis Fontis-avellanæ hujusmodi extinxerat et abolueras, ac monasterium, monachos et personas cum omnibus proprietatibus, juribus et pertinentiis ejus, dignitate abbatiali cum mensa, proprietatibus, censibus, juribus, jurisdictionibus et collationibus suis, aliisque expressis ad eam pertinentibus prorsus excepta et separata, ordini et congregationi monachorum Camaldulensium hujusmodi perpetuo univerat, et cum ea conjunxerat, itaut postea una et eadem utrarumque congregatio et sodalitas, videlicet monachorum Camaleulensium esset, dignitatem vero abbatialem sic exceptam et separatam, quam ven. frater noster Julius episcopus Sabinensis cardinalis de Urbino nuncupatus ex dispensatione apostolica in commendam etiam tunc obtinebat, ac omnia beneficia regularia ac dispositionem abbatis pro tempore existentis dicti monasterii pertinentia ad statum secularem reduxerat, itaut deinceps abbatia ipsa quotiescumque vacaret, tamquam beneficium seculare a Romano pontifice dumtaxat conferri deberet, reipsa compertum fuerit, nullum locum ex omnibus, quæ prædictæ congregationi Camaldulensi unita fuerunt, idoneum satis esse, in quem justus prædictorum monachorum conventus commode instrui posset, qui tamen propter prædictorum monachorum numerum in ipsa congregatione auctum uspiam est ordinandus, ipsique generalis prior et visitatores dictæ congregationis Camaldulensis de novo loco, eodemque commodo conquirendo anxie quærentes, postquam in id incubuissent, tamen animadverterint, quod si in civitate Pisaurensi unum ejusdem ordinis Camaldulensis monasterium erigeretur, in quo aliqua ipsorum pars introduceretur, id profecto non sine maxima ipsius congregationis utilitate et commodo esse posset. Ac pro præmissorum etiam celeriori executione peramplius consuleretur, si dicta ecclesia beatæ Mariæ, quæ sine cura est, et ad pro tempore existentis episcopi Pisaurensis collationem spectat, perpetuo supprimeretur & extingueretur, & alias modo infrascripto statueretur. Proinde inter dilectum filium modernum procuratorem generalem dictæ congregationis, & præfatum Angelum, de consensu venerabilis fratris nostri moderni episcopi Pisaurensis, ac sub arbitrio nostro conventum fuit, ut ipse Angelus dictam ecclesiam beatæ Mariæ cum domibus, hortis & aliis illi circumsedentibus, ad effectum, ut penes illam monasterium prædictum sub invocatione ejusdem beatæ Mariæ Angelorum erigeretur, servato tamen sibi directo harum rerum dominio, & ea conditione resignaret, ut dictæ ecclesiæ beatæ Mariæ loco una perpetua capellania sub invocatione ejusdem beatæ Mariæ-veteris cum altari in dicta majori ecclesia erigeretur. Verum quia res & bona prædictæ ecclesiæ beatæ Mariæ coram dicto episcopo Pisaurensi valere annuatim viginti ducatos auri de camera existimata sunt, ideo ipse procurator efficeret, ut congregatio ex omnibus suis bonis similem summam viginti ducatorum similium dictæ capellaniæ pro ejus dote assignandam constitueret, illamque prædicto Angelo, cui dicta capellania conferretur, ejusque successoribus omnibus ad dictum altare perpetuis capellanis futuris in dicta civitate Pisaurensi annis singulis, videlicet decem ducatos auri de camera kalendis martii, & alios decem ducatos similes kalendis septembris in perpetuum persolveret, omniaque circa hoc necessaria impensis suis faceret, prout in instrumento publico desuper confecto plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, tam generalis prior & visitatores, quam Angelus præfati desiderent conventionem hujusmodi nostro munimine roborari, pro parte generalis prioris & visitatorum ac Angeli prædictorum asserentium fructus, redditus & proventus dictæ

dictæ ecclesiæ sanctæ Mariæ viginti ducatorum auri similium secundum communem æstimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem *&c.* hujusmodi supplicationibus inclinati conventionem prædictam ac omnia *&c.* approbamus & confirmamus *&c.* Ac insuper præmissorum executioni intendentes, ecclesiam sanctæ Mariæ prædictam *&c.* cum annexis hujusmodi, ac omnibus juribus ac pertinentiis suis auctoritate & tenore prædictis supprimimus & extinguimus, itaut illa deinceps, relicta inibi juxta concilii Tridentini decreta Cruce, abrasaque terræ superficie, in profanos usus redigi omnino possit, illius ædificia, ligna, lapides, necnon domos, horrea, hortos & alia bona prædicta eidem congregationi applicamus & appropriamus, seu eamdem ecclesiam pro usu & fabrica monasterii Camaldulensis ordinis hujusmodi sub invocatione beatæ Mariæ Angelorum juxta illius ritus & mores habendam & reformandam perpetuo concedimus & assignamus, ipsique monasterio, postquam institutum fuerit, & futuræ illius mensæ communi & pro eis ex nunc congregationi prædictæ sancti Johannis-baptistæ de Botano de Cantiano, & sanctæ Ruffinæ Montis-salajoli, & sancti Silvestri de Monte-urbino, & sanctæ Mariæ Majestadellæ de Mercatuli Eugubii, & ejusdem beatæ Mariæ de Saxo Pergulæ, & similiter beatæ Mariæ de Aqua-nigra Frontonis, & sancti Bartholi de Fauce-capitali Frontonis, & sanctissimæ Trinitatis Montis-neronis, & sanctæ Mariæ-magdalenæ de Aqua-lanea, & sanctæ Catharinæ de Rocca-contrada, & sanctæ Marinæ de Tumba, & etiam sanctæ Mariæ Dagliole de Serra sancti Quirici, & sancti Blasii de Urbisalia, & similiter sanctæ Mariæ de Tarquignano, & sancti Blasii de Monte-buturlo & sancti Blasii de Rantella, & sancti Martini de Mantignano, & sancti Benedicti de Citerna, Eugubinæ, Nullius, Calliensis, Senogalliensis, Camerinensis, Auximanæ, Perusinæ, Civitatis-castelli, & aliarum circumvicinarum diœcesum, necnon sancti Quirici Firmanæ ecclesias, quæ ad dicti abbatis dispositionem pertinent, quæque sine cura sunt, & quarum insimul & illis forsan annexorum insimul fructus, redditus & proventus ducentorum & quinquaginta ducatorum similium secundum eamdem æstimationem valorem annuum non excedunt, sive per monachorum dictæ congregationis Camaldulensis privationem, sive aliis quibusvis modis, aut ex aliorum quorumcumque personis, seu unione, annexione & incorporatione de dicta ecclesia sanctæ Ruffinæ olim ab abbate prædicto, seu ejus vicario congregationi extinctæ Fontis-avellanæ, aut alias factis propter defectum facultatis, aut alias ex quavis causa nullis & invalidis existentibus vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod earum collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad sedem prædictam legitime devoluta, ipsæque dispositioni apostolicæ specialiter vel alias generaliter reservatæ existant, & super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa: Ac ecclesiam sanctæ Crucis Eugubinæ, quæ etiam sine cura est, & ad collationem dicti abbatis pertinet ex nunc, prout ex tunc, cum primum per cessum vel decessum illam obtinentis vacare contigerit, seu si ex nunc vacet, cum illis forsan annexis ac omnibus juribus, jurisdictionibus, pertinentiis & actionibus suis, salvis tamen, & dicto abbati pro tempore integre reservatis censibus, & aliis juribus illi ratione dictarum ecclesiarum debitis & præstari solitis, similibus auctoritate & tenore prædictis perpetuo unimus, annectimus & incorporamus, ita quod liceat ex nunc prædictæ congregationi Camaldulensi per se, vel alium, seu alios corporalem possessionem beatæ Mariæ veteris & ceterarum omnium ecclesiarum unitarum, necnon domorum, horreorum & hortorum, jurium, jurisdictionum, pertinentiarum & actionum prædictorum propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus & proventus in dicti monasterii instituendi usus juxta ipsius congregationis mores & instituta convertere, diœcesanorum locorum licentiis desuper minime requisitis *&c.* Quocirca venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Urbinati, & Pisaurensi & Calliensi episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios præsentes literas & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quotiens pro parte generalis prioris & visitatorum, ac Angeli prædictorum fuerint requisiti, sollemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos præmissis omnibus & singulis pacifice frui & gaudere, ipsumque Angelum in corporalem possessionem capellaniæ & annexorum,

ju-

juriumque & pertinentiarum prædictorum inducant auctoritate nostra, & defendant inductum, amoto exinde quolibet detentore *&c.* Nulli ergo *&c.* Si quis *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M.D.LXXII. undecimo kalendas februarii pontificatus nostri anno primo.

Cæsar Glorierius.

LXIX.

Gregorii XIII. confirmatio privilegiorum Camaldulensium.

Anno 1572. XIII. augusti.

Ex libro edito Privilegiorum pag. 84.

Gregorius papa XIII. ad perpetuam rei memoriam. In apostolicæ dignitatis specula meritis licet imparibus divina dispositione constituti, circa personarum quarumlibet, præsertim sub suavi religionis jugo, viventium, quique abdicatis mundi hujus illecebris se religioni dederunt, salubriter intendentes, privilegiis & aliis gratiarum muneribus eis, illis tam per Romanos pontifices prædecessores nostros, quam alios quoscumque pro tempore concessis, cum a nobis petitur, approbationis nostræ suffragium libenter impartimur. Sane pro parte dilectorum filiorum generalis & visitatorum, ac prioris eremi, necnon congregationis ejusdem eremi & sancti Michaelis de Murano Camaldulensis ordinis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias felicis recordationis Leo X. Clemens VII. & Paulus III. & Julius etiam III. Romani pontifices prædecessores nostri tunc existentibus generali & visitatoribus ac priori eremi, necnon congregationis ejusdem eremi & sancti Michaelis de Murano omnia & singula privilegia, indulta, facultates, gratias & concessiones ipsis ac personis, domibus & bonis eorumdem eatenus tam apostolica, quam ordinaria, imperiali vel regia auctoritatibus quomodolibet concessa, ac consuetudine legitime præscripta acquisita, auctoritate apostolica certis modo & forma confirmaverunt, eisdemque priori & eremitis eremi hujusmodi, quod omnibus & singulis privilegiis, indultis, concessionibus, indulgentiis & gratiis eremitis congregationis sancti Romualdi, alias de Massaccio in genere quomodolibet concessis, approbatis & innovatis, ac quibus eremitæ congregationis sancti Romualdi hujusmodi utebantur, potiebantur & gaudebant, ac uti, potiri & gaudere libere & licite possent. Quodque prior eremi Camaldulensis hujusmodi pro tempore existens eremitas & familiam eremi hujusmodi, a quibusvis etiam majoris excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, & quibus pro tempore irretiti forent, etiamsi illorum absolutio præfatæ sedi specialiter vel generaliter reservata foret, satisfactis tamen his, ad quorum instantiam censuræ ipsæ forsan emanaverunt, & a quibusvis irregularitatibus tam de jure, quam ex ipsius eremi constitutionibus, & regularibus institutis quomodolibet provenientibus, & quibusvis aliis peccatis, criminibus, excessibus & delictis quantumcumque gravibus & enormibus, etiam talibus, quod de illis esset sedes prædicta merito consulenda, ac dictæ sedi qualitercumque reservatis, exceptis contentis in bulla in die Cœnæ Domini legi consueta, quoties opportunum foret, eorum confessionibus diligenter auditis, absolvere, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungere, necnon seipsum a quocumque alio eremita sacerdote vices suas illi committendo absolvi facere; ac corporalia & alia paramenta ad cultum divinum pertinentia pro usu suo benedicere, ac oratoria, cujusvis licentia minime requisita, sine tamen alicujus præjudicio construere & construi facere, necnon altare portatile habere cum debitis reverentia & honore, super quo in locis congruentibus & honestis, etiam non sacris, tam ipse prior, quam dicti eremitæ, cum qualitas negociorum pro tempore ingruentium exigeret, etiam per horam ante diurnam lucem ubilibet locorum in præsentia quorumcumque Missas celebrare, ac ipse prior, ad ipsius Pauli prædecessoris beneplacitum, tam in eremo, quam in aliis ejus locis quarumcumque utriusque sexus personarum ad priorem & eremitas prædictos pro tempore accedentium Confessiones audire, & illis diligenter auditis, easdem personas ab omnibus & singulis excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, ac peccatis, criminibus, & delictis quantumcumque gravibus & enormibus, a quibus ordinarii locorum de jure vel consuetudine absolvere possent, ipsorum ordinariorum seu quorumvis aliorum licentia super hoc minime requisita, quoties opus foret, absolvere, & eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungere, ac sacramenta ecclesiastica, præter quam in die Paschatis, cujusvis licentia similiter minime requisita,

quisita, ministrare. Quodque eremita conversus ad curam sacristiæ eremi hujusmodi deputatus calices, & corporalia etiam sacrata & benedicta, prout dicti eremitæ de Massaccio ex indulto apostolico faciebant, tractare libere & licite posset, indulserunt, & dictam domum eremumque Camaldulensem, ac illius loca & beneficia dictæ eremo annexa & incorporata, omnesque & singulos eremitas ab omnibus & singulis decimis, collectis, exactionibus, gabellis, taleis, datiis, subsidiis caritativis, impositionibus ordinariis & extraordinariis, quavis etiam apostolica vel ordinaria auctoritate prædicta pro tempore impositis exemerunt & liberaverunt, ipsosque sub beati Petri protectione susceperunt, eisdemque decimas & medietates fructuum & eorum quartam partem, necnon quæcumque subsidia & onera per eosdem & alios eorum prædecessores quomodolibet in dominio Florentino retroactis temporibus & tunc imposita pro rata fructuum seu bonorum dictarum domuum, & eremum, ac illius annexa & incorporata prædicta quomodocumque & qualitercumque etiam ratione trium unciarum auri tangentium, & ad cameram apostolicam, seu ad quemlibet nomine dictæ cameræ ex quavis causa spectantia ipsius ratæ qualitatem pro sufficienter expressa habentes, gratiose & liberaliter donaverunt, remiserunt & concesserunt, ac a dictorum onerum tam tunc præteritorum, quam pro tempore impositorum, & illorum solutione dictam domum & eremum perpetuo absolverunt, quietarunt & liberaverunt, prout in literis desuper confectis plenius continetur. Quare pro parte generalis & visitatorum ac prioris eremi, necnon congregationis ejusdem eremi & sancti Michaelis de Murano prædictæ nobis fuit humiliter supplicatum, ut singulis literis prædictis pro illorum subsistentia firmiori robur nostræ approbationis adjicere, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui religioni dediti apostolici favoris præsidium libenter impendimus, generalem & visitatores, ac priorem eremi, necnon congregationem ejusdem eremi & sancti Michaelis de Murano ac singulares personas monasteriorum & locorum eorumdem a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, ac singularum literarum prædictarum veriores tenores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnia & singula concessiones, exemptiones, facultates, gratias, ac privilegia & indulta generali, visitatoribus & priori ac congregationi & singularibus illius personis, ac aliis illius domibus & locis, tam per prædictos prædecessores, quam alios quomodolibet dicta auctoritate apostolica concessa, necnon singulas dictorum prædecessorum literas, ac omnia & singula in illis contenta, & inde secuta quæcumque, quatenus sint in usu, & prout hactenus observata fuerunt, apostolica auctoritate præfata, ex certa scientia, tenore præsentium approbamus & innovamus, ac perpetua roboris firmitate subsistere, suosque plenarios effectus sortiri ac ab omnibus inviolabiliter observari; sicque per quoscumque judices & commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam palatii apostolici causarum auditores, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari & definiri debere, necnon si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, supplentes omnes & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Quocirca venerabilibus fratribus Ravennaten. & Florentin. archiepiscopis, ac dilecto filio abbati monasterii sancti Georgii Venetiarum per præsentes mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se seu alios præsentes literas ac in eis contenta quæcumque, ubicumque opus fuerit, ac quoties pro parte moderni & pro tempore existentium generalis, visitatorum ac prioris & congregationis, & illius singularum personarum prædictarum desuper fuerint requisiti, sollemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra literas & in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac singulos, quos literæ ipsæ concernunt, illis pacifice gaudere. Non permittentes eos desuper contra earumdem literarum tenorem quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet & rebelles per censuras & ecclesiasticas pœnas appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habentes servatis processibus censuras & pœnas ipsas iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstante recolendæ memoriæ Bonifacii papæ VIII. similiter prædecessoris nostri, qua cavetur, ne quis extra suam civitatem vel diœcesim, nisi in cer-

tis

tis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad judicium evocetur, seu ne judices a sede prædicta deputati extra civitatem & diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere præsumant, ac de duabus dietis in concilio generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium non trahatur, ac aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter a dicta sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, *&c.* Dat. Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XIII. augusti M. D. LXXII. pontificatus nostri anno primo.

LXX.

Acta civilia pro monialibus S. Christinæ de Bononia, & pro corpore B. Luciæ sanctimonialis.

Anno 1572. mense decembris.

Ex autographo ejusdem parthenonis.

IN Christi nomine amen. Hæc sunt quædam acta civilia actitata & facta in judicio coram illustriss. & reverendiss. in Christo patre & domino domino Gabriele tituli sancti Martini in Montibus S. R. E. presbytero cardinale Palæoto nuncupato Dei & apostolicæ sedis gratia episcopo Bononiensi & principe, successive autem coram reverendiss. in Christo patre & domino domino Angelo Perutio gratia, qua supra, electo Cæsariensi, dicti *&c.* episcopi & principis, ejusque curiæ episcopalis Bononiensis in spiritualibus & temporalibus vicario generali, judicibus commissariis apostolicis; dicto illustriss. & rev. domino cardinale existente in episcopali palatio in camera audientiæ causarum pro jure reddendo & horis juridicis, scripta, annotata & rogata per me Cæsarem quondam Herculis de Belioffis, alias Ghisilerium, civem & notarium Bononiensem, ac unum ex notariis actuariis curiæ episcopalis prædictæ, sub anno a nativitate Domini nostri Jesu-Christi M. D. LXXII. indictione XV. de mense decembris, diebus vero infrascriptis, tempore vero pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Gregorii divina providentia papæ XIII. pontificatus sui anno primo.

Die secundo mensis decembris coram suprascripto *&c.* Gabriele cardinale *&c.* comparuit & se præsentavit ven. pater domnus Johannes-franciscus de Lendenaria professus ordinis Camaldulensis, factor & negotiorum gestor, ac, ut dixit, syndicus & procurator rev. dominarum abbatissæ & monialium monasterii sanctæ Christinæ de Fundacia civitatis Bononiæ dicti ordinis Camaldulensis, & eidem *&c.* cardinali episcopo actualiter exhibuit & præsentavit literas apostolicas in forma Brevis *&c.* Qui *&c.* cardinalis episcopus judex commissarius antedictus breve prædictum *&c.* recepit *&c.* & successive asserens se pluribus aliis impeditum negotiis commisit, licentiam accedendi ad dictum rev. dominum ejus vicarium generalem concommissarium, & coram & ad ulteriora procedi etiam usque ad expeditionem inclusive *&c.*

Tenor vero dictarum literarum seu Brevis *&c.* talis est *&c.*

Gregorius papa XIII. ven. fratri episcopo Bononiensi, sive dilecto filio ejus in spiritualibus vicario generali. Venerabilis frater, & dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt dilectæ in Domino filia abbatissa & moniales monasterii sanctæ Christinæ de Fundatia ordinis Camaldulensis Bononien. quod cum ipsa abbatissa & moniales habeant super quodam eorum prædio rustico in communi Stifunti comitatus ejusdem civitatis quamdam vetustam ecclesiam & oratorium sub vocabulo beatæ Luciæ, & ex aquis subterraneis, vulgo lacunis nuncupatis, ruinosam, licet pluries reparatam, ita etiam ut judicio cujuscumque in hujusmodi arte periti amplius reaptari & manuteneri minime possit & valeat, prout ex illius aspectu satis manifeste colligitur, & etiam dilecti filii Vincentius Montalbanus, & Julius a Turre viri in dicta civitate in similibus periti & experti, facta per eos loci visitatione & inspectione, ac matura consideratione habita, jamdudum præmissa ita esse retulerunt & affirmarunt, propterea ipsa abbatissa & moniales ecclesiam hujusmodi quæ sine cura & in loco solitario & periculis exposita est, & ubi a tempore, cujus non est hominum memoria, aliquis sacerdos seu capellanus non consuevit residere, sed tantum certis paucis diebus in anno, & præsertim die sanctæ Luciæ, præfatæ abbatissa & moniales ad eam sacerdotes pro celebrandis Missis mittere solent, qua die tanta populi multitudo cum armis & archibusiis illuc con-

confluit, non tamen sine Christi-fidelium scandalo & devotionis eorum impedimento, itaut minus scandalum foret, si ecclesia sive oratorium hujusmodi tali die clauderetur) in parte illius vestutiori & magis ruinosa & periculosa destruere, & residuum, prout melius & securius fieri poterit, cum uno altari reparare & reaptare, ac ita reaptatum relinquere, ac perpetuo manuteneri, ruderaque & cementa, si quæ (facta dicta reaptatione) supererint, ad ecclesiam infrascriptam, & pro illius servitio deferre, ossaque seu reliquias in dicta ecclesia beatæ Luciæ in loco etiam deformi & non bene accommodato existentes, ad aliam ipsarum abbatissæ & monialium ecclesiam sub vocabulo sancti Andreæ in communi Oggiani superioris sitam, ab eadem priori ecclesia beatæ Luciæ non multum distantem, securiorem tamen & a personis magis frequentatam, & ubi perpetuo permaneant, devote transferre summopere desiderarent. Quare abbatissa & moniales præfatæ nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus sibi super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos easdem abbatissam & moniales a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis *&c.* absolventes *&c.* hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ, frater episcope, sive discretioni tuæ, fili vicarie, per præsentes committimus & mandamus, quatenus si (inquisita per te super præmissis diligentius veritate) prænarrata vera esse tibi legitime constiterit, abbatissæ & monialibus præfatis præmissa omnia & singula, ac alia desuper necessaria & opportuna faciendi seu fieri curandi plenam licentiam & liberam facultatem concedere & impartire, ac abbatissam & moniales præfatas super præmissis per quoscumque quavis auctoritate quomodolibet molestari & impediri non posse, nec debere, decernere auctoritate nostra cures. Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die decima septembris M. D. LXXII. pontificatus nostri anno primo.

J. de Torres. H. Fuscus.

Die veneris v. decembris coram suprascripto rev. domino Angelo Perutio *&c.* præsentavit ven. domnus Johannes-franciscus de Lendenaria *&c.* literas apostolicas *&c. ut supra*, & petiit *&c.* exequi in præmissis necessaria & opportuna *&c.* Et ad verificationem contentorum in dicto Breve produxit visitationem & relationem factam per magistrum Vincentium de Allicornis, alias *el Rossin de Monte-albano* & Julium de Turri peritos, alias per *&c.* cardinalem episcopum electos & deputatos ad videndum & visitandum dictam ecclesiam sive oratorium sanctæ Luciæ, de qua in dictis literis, factam sub die XIII. septembris M. D. LXXI. per ipsos, ut in illius dicitur, subscriptam, & cujus tenor erit infra in fine præsentis actus registratus. Insuper induxit & præsentavit infrascriptos testes; videlicet Baptistam quondam Johannis *del Boscho* terrarum cultorem habitantem in communi Stiphontis diœcesis Bononiensis, & Benedictum alias Bedinum quondam Francisci Marzochi terrarum cultorem habitantem in commune Ozani, quos institit & petiit admitti, eisque juramentum deferri, & moneri de veritate dicenda, & respondendi de & super dictis literis apostolicis & in illis contentis de omni eo & toto quod sciverint, & interrogabuntur, committique, decerni & exequi necessaria, opportuna, omni meliori modo *&c.* Qui rev. dominus Angelus electus vicarius *&c.* ea omnia admisit *&c.* & successive dictos Baptistam del Boscho & Benedictum de Marzocco *&c.* in testes admisit *&c.* ac eos monuit de veritate dicenda *&c.* Qui *&c.* testes antedicti *&c.* jurarunt ad sancta Dei evangelia manibus tactis Scripturis se veritatem dicturos *&c.* Et successive per me notarium infrascriptum examinati & interrogati dicti testes dixerunt, deposuerunt & testificaverunt, ut infra. Tenor autem relationis dictorum peritorum talis est *&c.*

In Christi nomine, amen. *Noi Vincenzo Allicorno, alias Montalbano, & M. Giulio dalla Torre eletti questo dì* XIII. *di settembre* M. D. LXXI. *da Monf. Illustr. & Reverendiss. card. Paleotto vescovo di questa città di Bologna siamo stati di commissione di sua signoria illustriss. e rev. a vedere una chiesa ovvero oratorio delle rev. monache di santa Cristina della Fondazza dell' ordine Camaldolese, posta nel contà di Bologna nel comune di Stifonti, qual più volte è stata reparata, come espressamente si vede, e noi maturamente e diligentemente veduto il loco e sito, dov' è posta, dicemo, ed affermemo, che detta chiesa ovvero oratorio al presente è irreparabile, e questo rispetto alle acque sutterranee e lavine, quale sono d' intorno ed appresso detta chiesa ovvero oratorio, che fanno al tutto irreparabile, e così per tale acque sotterranee e lavine affirmamo e dichiaremo sopra la conscientia nostra, esser ruinosa ed irreparabile, ma si potrebbe in una parte di detta chiesa ovvero orato-*

oratorio alquanto più ſicura laſſarli e reparli una celletta di piedi dieci in circa per ogni verſo con un altare per memoria, benchè ſia per durare poco tempo, riſpetto alle occaſioni dette di ſopra; e dicemo e judicamo, ed in fede della verità abbiamo fatto la preſente, quale ſarà ſottoſcritta da tutti doi di noſtra propria mano, di e milleſimo ſopraſcritto.

Io Vincenzo de li Allicorni detto el Roſſo Monte-albano dico &c. *affermo quanto in queſto ſi contiene per mio parere.*

Io Julio dalla Torre muradore dico &c. *affermo quanto in queſto ſi contiene per mio parere.*

Tenor autem dictorum & atteſtationum teſtium &c. talis eſt.

Baptiſta quondam Johannis *del Boſco* terrarum cultor in communi Stiphunti &c. ejus juramento medio teſtificando reſpondit & dixit, ut infra videlicet: *La verità è, che la chieſa di ſanta Lucia, ch' è nel comun di Stifonte, qual' è delle ſore de ſanta Criſtina della Fondazza di Bologna è ſenza cura,* &c. *è una chieſa vecchia, e ſta in mal termine per la vecchiezza, e li appreſſo della chieſa, gli ſono, e ſe gli è venuto li vicino delle lavine, dico, di ſorte che gli è dubbio che la ruini, e chi non gli provede, la caſa caſcherà, ed ancora che più altre volte ſe gli ha lavorato dentro e in la caſa, nientedimeno per riſpetto delle lavine non ſe gli fa intiera proviſione, ed io gli ho dato alle volte della calcina per lavorarli dentro, e detta chieſa è poſta in loco ſolitario diſcoſto dalle caſe e li non gli è ſenon delle lavine e boſchi, e più volte li banditi vi ſono ad alloggiarvi per eſſer luogo ſicuro* &c. *eſſer la alla foreſta; ed io ho trovato ſuſo il feno ſotto la caſa, alle volte di borſelli con delli ballini da archibuſi, ch' è ſegno gli erano ſtati li ſgherri e banditi a dormire.* Et dixit: *A' miei dì in detta chieſa e caſa non gli è ſtato prete ad ufficiarla e dirli Meſſa; ſolo li vanno li preti il giorno di ſanta Lucia a dirli Meſſa, ed in tal di vengono e ſgherri e banditi in gran numero con arme ed archibuſi, e le portano in chieſa di ſorte che ſono impedimento, e dano paura a chi gli va per divozione; e me ricordo, che una volta il fattore delle ſore in ſimil dì avea fatto fare da mangiare per li preti, ch' erano ſtati li a dir Meſſa e li ſgherri volſono e gli tolſono il deſinare, e lo mangiorono per loro, e biſognò che il fattore aveſſe pazienza con li preti; e certo è più preſto ſcandolo che divozione.* Et etiam dixit interrogatus: *Signor sì, ch' è vero, che gli ſono in detta chieſa delle reliquie, come ſi dice, di ſanta Lucia, ma in vero ſono li in loco non convenevole, e non condecente a reliquie de' Santi; e non ſe l' tiene lume acceſo, e non ſe gli fa, nè ſe gli ha ed uſa reverenza alcuna per eſſer li in abbandono, e in quella chieſa vecchia, e che non ſe gli va.* Et dixit: *Chi levaſſe via quelle reliquie di quella chieſa, e le portaſſe alla chieſa di ſant' Andrea nel comune di Ozano, qual' è pure di dette ſore, o le accomodaſſe in loco oneſto e condecente, pare a me e così tengo che ſeria bene fatto, oneſto e di più riverenza, perchè la chieſa di ſant' Andrea ha cura, e ſempre gli ſta il prete, e ſe gli tiene ſempre il lume acceſo, e ſe gli dice Meſſa le feſte ed anco delle volte in dì di lavoro; con queſto però che in luogo di detta chieſa vecchia ſi faceſſe una chieſina piccola a minor forma ed in luogo più ſicuro dalle lavine, che foſſe poſſibile.* Et dixit interrogatus: *Io mai ho udito dire che a quella chieſa di poi che ſi partì le ſore, che ſono più di duſento anni gli ſia ſtato prete alcuno ad ufficiarla, ſenon il dì de ſanta Lucia.* Qui teſtis in cauſa ſcientiæ prædictis ſe ſcire dixit per ea, quæ ſupra dixit, quia natus fuit in commune Ozani confinante cum communi Stiphunti, & ſemper habitavit, modo in communi Ozani, & modo Stiphunti, prædicta dixit, audivit, credit & judicat, quæ fuerunt, ut ſupra locis & temporibus, præſentibus ſe teſte, vicinis, & aliis. Eſt ætatis annorum ſexaginta vel circa, habens in bonis valorem librarum quingentarum Bononienſium vel circa. Super aliis generalibus recte reſpondit.

Benedictus alias Bedinus quondam Franciſci Marzochi de la Botte de Fraſſineta diœceſis Bononienſis habitans in communi Ozani ſuperioris ejuſdem diœceſis alius teſtis, ejus juramento medio teſtificando reſpondit & dixit, ut infra &c. *Poſſono eſſere cinquanta anni, che io ſo ed ho conoſcenza della chieſa ſenza cura di ſanta Lucia poſta nel comune di Stifonte contà di Bologna, la qual' è una chieſa vecchia, mal' andata, e che ſtà per caſcare, ed è poſta in luogo, dove ſono aſſai lavine, e gli ſono appreſſo, di ſorte che gli fanno male ſervizio, e gli fa più preſto pericolo, che non; ed ancora che detta chieſa ſia ſtata più volte reparata* &c. *acconcia, nientedimeno per eſſer tanto vecchia, e per eſſerli tanto vicine le lavine, è difficile tenirla ſuſo, e gli è più preſto pericolo che la caſchi, che duri lungamente.* Et dixit: *Detta chieſa è là alla foreſta in li boſchi, e non gli è vicino, nè caſe, nè caſoni, ed è, come ſaria a dire, più preſto*

sto un loco da sgherri e banditi, ed alle volte se gli sono trovate delle balle e delli ballini da archibusi. Et dixit: *Io per me non mi ricordo, nè manco mai ho udito dire che 'l sia stato nè prete, nè frate alla detta chiesa di santa Lucia; è ben vero, che le sore di santa Cristina della Fondazza qui di Bologna, perchè detta chiesa è la soa, gli fanno il dì della festa de santa Lucia dire delle Messe, ma per il resto dell' anno non se gli dice nè Messa, nè uffizio*. Et dixit: *In quel dì della festa de santa Lucia gli concorre e gli viene tanta gente a detta chiesa, che l' è una compassione, e gli vengono de' sgherri e de banditi con arme ed archibusi, e le vogliono portare sino in chiesa e fanno tanto rumore e tanto insulto e furia, che quelli che gli vanno per divozione, più presto anno paura e se ne vanno, che stare alla perdonanza, quanto fariano, se non gli fosse quelli sgherri e banditi, e se vedesti quello che fanno, vi maravigliaresti; e tutto viene per esser là alla foresta, ed in li boschi, che gli sbirri non se attentano di andarli, e certo è più presto, e danno più scandalo ed impedimento che altro; e mi ricordo, che alle volte gli sgherri hanno tolto il desinare, ch' era fatto per li preti, e se l' hanno ora mangiato, ora portato via, e li poveri preti è bisognato, che vadano a mangiar altrove*. Et dixit: *Signor sì, l' è vero, che in detta chiesa, come ho udito a dire, gli sono delle reliquie di santa Lucia, ma io non gli ho mai viste; so bene ed ho veduto che non gli ne pare, perchè non sono tenute da reliquie, nè si conosce, se gli ne sono, o non. E in detta chiesa non gli è mai lume, senon in quel dì della festa, cosa molto brutta, essendogli dette reliquie, che doveriano pure tenere con qualche onore e riverenza*. Ac etiam dixit: *Dette sore de santa Cristina hanno nel comune di Ozano di sopra una chiesa curata, che si chiama sant' Andrea, dove gli sta di continuo un prete, e se gli tiene il santiss. Sacramento, e se gli dice Messa ogni festa, ed anco tra la settimana, e sempre se gli tiene la lampada appesa, ed in loco domestico e vicina alle case; ed io per me son certo e credo, che ognuno diria così, che abbia notizia ed informazione di quelli paesi, che se gli togliesse via quelle reliquie di quella chiesa vecchia trista e mal tenuta, e si portassero in quella di sant' Andrea, e si mettessero in loco bello, onesto e reverente, che 'l saria una bella opera ed un bello fare*, & stringendo in simul manus dixit: *Le sore non ferno mai così bella cosa, come seria questa, a fare portare quelle reliquie in sant' Andrea, perchè seriano più onorate, e non gli è dubbio di sgheri e di banditi, com' è là fra quelli boschi, ed io per me pagheria della mia povertà un paro de scudi, che 'l si facesse. E' ben vero, che il staria bene, che le sore lassassero lì in quel luogo, dov' è la chiesa medesima vecchia almanco una celletta con un' altare, in memoria di quell' altra grande, ma che si facesse in loco più sicuro, che non è quella vecchia. E Dio voglia che si faccia*. Qui testis in causa scientiæ prædicta se scire dixit, per ea, quæ supra dixit, quia natus fuit in communi Frassinetæ confinante cum communi Stiphuntis & semper per totum tempus ejus naturalis vitæ habitavit modo in communi Frassinetæ, modo Ozani, modo Stifunti, propterea prædicta vidit, audivit, credit, judicat, tenet, & de eis recordatur, quæ fuerunt supra, præsentibus se teste vicinis & aliis. Non attinet producenti; est ætatis annorum octuaginta-quatuor vel circa habens in bonis valorem librarum quadringentarum vel circa. Super aliis generalibus recte respondit.

Die mercurii x. decembris coram suprascripto rev. domino Angelo Perutio electo Cæsariensi *&c.* comparuit domnus Johannes-franciscus de Lendenaria *&c.* procurator *&c.* iterum præsentavit, produxit & reproduxit Breve apostolicum, relationem peritorum, ac dicta & attestationes testium, ut supra, receptorum & examinatorum in parte & partibus ad ejus dictis nominibus, & dictarum rev. dominarum ejus principalium favorem facientibus; successiveque non recedendo a quacumque alia petitione & instantia per eum facta, institit & petiit per præfatum rev. dominum vicarium judicem commissarium apostolicum antedictum ad totalem executionem dictarum literarum apostolicarum procedi & deveniri, sibi dictis nominibus, & seu dictis dominabus ejus principalibus licentiam dari & concedi ad contenta in dictis literis apostolicis deveniendi, decernique & mandari in omnibus & per omnia, juxta vim, formam, continentiam & tenorem earumdem, & superinde sententiam ferri, dari, promulgari & publicari omni meliori modo, via *&c.* Qui rev. dominus Angelus electus, vicarius & commissarius, pro tribunali ut supra sedens pro jure reddendo, & hora juris, visis & auditis prædictis ea omnia & singula admisit, si & in quantum de jure & ex forma sacrorum canonum admittenda forent, & prout tenetur & debet. Et successive visis per eum, ut ipse dixit, literis apostolicis in forma Brevis, relatione & attesta-

testationibus prædictis ac omnibus & singulis in eis contentis diligenter consideratis, solum Deum præ oculis habens, invocatoque divini numinis suffragio talem in causa & negotio executionis dictarum literarum protulit, dedit & promulgavit sententiam in hunc, qui sequitur, modum & formam, videlicet:

Christi nomine repetito &c. Quia nobis legitime constitit & constat narrata exposita, petita & supplicata sanctiss. domino nostro papæ, & nobis in literis apostolicis in forma Brevis commissa pro parte & nomine rev. dominarum abbatissæ & monialium monasterii sanctæ Christinæ de Fundacia Bononiensis diœcesis ordinis Camaldulensis vera fuisse & esse, idcirco auctoritate apostolica nobis in hac parte commissa dicimus, sententiamus, pronunciamus & declaramus dictis dominabus abbatissæ & monialibus ecclesiam seu oratorium sub vocabulo beatæ Luciæ, quod super earum prædio rustico in communi Stifunti diœcesis Bononiensis sito habent in illius vetustiori & magis ruinosa & periculosa parte destruere, & residuum, prout melius & securius fieri poterit, cum uno altari reparare & reaptare, & ita reparatum relinquere, & perpetuo manutenere, ruderaque & cæmenta, si quæ (facta dicta reparatione) supererint, ad aliam ipsarum dominarum abbatissæ & monialium ecclesiam sub vocabulo sancti Andreæ in communi Ozani superioris sitam, & pro illius servitio deferre, ossaque & reliquias in dicta ecclesia beatæ Luciæ in loco etiam deformi et non bene accommodato existentes ad dictam sancti Andreæ ecclesiam securiorem, & a personis magis frequentatam, ubi perpetuo permanere debeant, devote transferre licuisse et licere, prout sic auctoritate apostolica præfatis dominabus abbatissæ et monialibus præfatis præmissa omnia et singula, et alia desuper necessaria et opportuna faciendi et fieri curandi plenam licentiam et liberam facultatem concedimus et impartimur, dictasque dominas abbatissam et moniales super præmissis per quoscumque quavis auctoritate præfata decernimus, non obstantibus omnibus his, quæ prælibatus summus pontifex in dictis suis literis voluit non obstare, et ita dicimus &c. omni meliori modo &c. Præsente dicto domno Johannefrancisco nominibus, quibus supra, et dictam sententiam acceptante, et gratias agente de bona justitia; ac etiam præsentibus domino Camillo de Faba presbytero Bononiensi, magnifico equite domino Antonio de Paltronibus nobile Bononiensi, et ser Andrea Ghirardatio cive et notario Bononiensi testibus ad prædicta vocatis et adhibitis.

Et ego Cæsar quondam Herculis de Belliossis, alias Ghisilerius Bononiensis civis publicus apostolica et imperiali, ac communis, curiæque episcopalis Bononiensis auctoritatibus notarius præmissis omnibus et singulis interfui, et dum sic agerentur et fierent de eis rogatus extiti, illaque omnia in hanc publicam formam redegi ac signo, nomine et cognomine meis solitis subsignavi in fidem et testimonium præmissorum rogatus et requisitus.

LXXI.

Traditio monasterii S. Mariæ de Fullina monachis Camaldulensibus.

Anno 1573. Idibus januarii.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Gregorius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In apostolicæ sedis specula &c. Sane dilectus filius noster Ptolomæus tituli sanctæ Agathæ presbyter cardinalis Comensis nuncupatus, qui monasterium sanctæ Mariæ de Fullina Cenetensis diœcesis Cisterciensis ordinis ex concessione apostolica in commendam obtinet, tam suo, quam dilectorum filiorum abbatis generalis et visitatorum ordinis et congregationis Camaldulensis nominibus nuper exposuit, quod cum ipse Ptolomæus cardinalis zelo devotionis accensus summopere cuperet in dicto monasterio, licet cura careat, divinum cultum continue vigere, et inibi religiosos sub regulari observantia cum odore bonæ famæ degere, et ad dictum Camaldulensem ordinem, cujus protector existit, et ad illius monachos propter eorum exemplarem vitam, singularem gereret devotionis affectum, cum abbate generali et visitatoribus præfatis habito desuper diligenti tractatu, tandem ad infrascriptam conventionem sponte et deliberate, ac ex certa scientia, sub nostro, et sedis apostolicæ beneplacito devenit; videlicet, quod abbas generalis et visitatores dictæ congregationis pro tempore existentes teneantur in perpetuum assignare decem monachos dicti Camaldulensis ordinis in presbyteratus ordine constitutos ad perpetuo habitandum in dicto monasterio, qui ab omni superioritate pro tempore existentis abbatis dicti monasterii sint exempti, sed prior per capitulum ipsius congregationis ad illorum regimen pro tempore deputandus ha-

habeat plenam jurisdictionem seu superioritatem in ipsos, & qui ad alia loca ad libitum superiorum dictæ congregationis juxta formam suarum constitutionum & laudabiles consuetudines hactenus observatas transferri valeant, dummodo loco eorum alii sufficiantur seu substituantur, ita quod dictus numerus decem monachorum, eodem priore in hoc numero computato, nullo unquam tempore minuatur. Quod dicti monachi teneantur horas canonicas juxta regularia instituta dictæ congregationis in ecclesia dicti monasterii horis & temporibus congruis celebrare, legenda legendo, & cantanda cantando; pro quibus omnibus commode adimplendis, & ut dicti monachi possint sustentari, idem Ptolomæus cardinalis tam suo, quam successorum suorum in dicto monasterio nominibus promisit quolibet anno in perpetuum ex fructibus dicti monasterii solvere *&c.* abbati generali & visitatoribus dictæ congregationis pro tempore existentibus, seu priori, ut præfertur, deputando ducatos quadringentos monetæ Venetiarum, centum videlicet quolibet trimestri anticipata solutione, primo solutionis termino incipiendo, cum primum dicti decem monachi ad dictum monasterium accesserint, ut præfertur, qui ducati quadringenti ab omni quarta, media, & alia quavis fructuum dicti monasterii parte, necnon subsidio etiam caritativo, & alio quovis tam ordinario, quam extraordinario onere quomodolibet nuncupato, quavis etiam apostolica vel ordinaria seu alia auctoritate, etiam & quacumque urgentissima & necessaria ac necessario exprimenda causa, etiam pro fabrica basilicæ principis apostolorum de Urbe, cruciata, sancta expeditione contra infideles, & ecclesiastico puerorum seminario, & classis triremium substentatione, etiam ad imperatoris, regum, dominii Venetorum & aliorum principum instantiam, seu etiam motu proprio, & alias quomodolibet canonice vel de facto nunc & pro tempore impositis & imponendis *&c.* quam ratam dictus Ptolomæus cardinalis tam suo, quam successorum præfatorum nominibus de suo & eorum proprio ære solvere promisit, ac omne & totum id, quod propterea solverit vel solverint, quod præfatam ratam pro tempore contingeret dictæ congregationi, & tunc irrevocabiliter donavit & generose concessit & remisit, etiam donatione pura, perpetua & irrevocabili, quæ dicitur inter vivos, perpetuo valitura, necnon belli, pestis, grandinis *&c* & quibusvis aliis etiam inexcogitabilibus & eventuum insolitis casibus & eventibus pro tempore contingentibus aliis, in omnibus omnino immunes & exempti existant, pro quorum solutione, ut præfertur, facienda sint hipothecata omnia & singula ipsius monasterii bona, illorumque fructus, redditus *&c.* quodque liceat abbati generali & visitatoribus seu priori præfatis, non facta sibi dictorum centum ducatorum in aliquo trimestri debita solutione, per se vel alium seu alios propria auctoritate, ordinarii loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, tot ex fructibus dicti monasterii percipere, exigere & levare, quot summam sibi debitam constituant *&c.* Ac insuper Ptolomæus idem cardinalis promisit abbati generali & visitatoribus præfatis assignare, & assignavit ex tunc, salvo beneplacito prædicto, ecclesiam ad inibi in divinis deserviendum, sacristiam ad illam gubernandam, regendam & manutenendam cum omnibus paramentis, tobaleis, sacris vestibus, calicibus, crucibus *&c.* Ac præterea dictus Ptolomæus cardinalis promisit dare & assignare, prout dedit & assignavit abbati generali & visitatoribus præfatis, salvo dicto beneplacito, pro monachorum prædictorum habitatione domos, clausuram, dormitorium, refectorium, coquinam & alias quascumque officinas & cameras per monachos dicti monasterii olim teneri solitas, & quæ sunt a domibus & officinis per abbates dicti monasterii habitari solitis per parietem & ostium separatæ, reservando sibi & successoribus suis domos & coquinam *&c.* ac officinas, quas usque in præsentem diem dicti monasterii abbates seu commendatarii præfati tenuerunt & possederunt, pro usu ipsius Ptolomæi cardinalis & abbatis seu commendatarii dicti monasterii pro tempore existentis, quæ in hujusmodi donatione minime comprehendantur, sed eidem Ptolomæo cardinali & successoribus præfatis omnino & integre reservata intelligantur, necnon eleemosynas, oblationes & quæcumque funeralia, legata & alia quæcumque emolumenta & bona tam mobilia & immobilia eidem ecclesiæ tam elargitione & pia fidelium devotione quam alias, sive inter vivos, sive ex testamento quomodolibet pro tempore provienentia, pacto inter eos inito, quod abbas generalis & visitatores præfati domos & officinas, ut præfertur, pro habitatione dictorum monachorum assignatas dumtaxat, abbas vero seu commendatarius dicti monasterii pro tempore existens ecclesiam ipsam ac domos pro habitatione dictorum monachorum assignatas dumtaxat, abbas vero seu commendatarius dicti monasterii

pro

pro tempore existens ecclesiam ipsam ac domos pro habitatione ipsius reservatas in suis structuris manutenere & reparari facere suis sumptibus respective teneantur, prout in instrumento publico seu privata scriptura desuper forsan confecto seu confecta dicitur contineri. Quare idem Ptolomæus cardinalis primo dictis nominibus nobis humiliter supplicavit, ut conventionibus prædictis pro illarum subsistentia firmiori robur apostolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmissis opportune providere de bdnignitate apostolica dignaremur. Nos igitur *&c.* conventiones prædictas apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus & confirmamus, illisque perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adjicimus; supplentes omnes & singulos tam juris quam facti defectus *&c.* Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis *&c.* Nulli ergo *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M. D. LXXIII. idibus januarii pontificatus nostri anno secundo.

LXXII.

Ejusdem breve pro Corona Dominica.

Anno 1573. XIV. februarii.

Ex edito Privilegiorum libro pag. 88.

GRegorius papa XIII. universis Christi-fidelibus præsentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem. Cum sicut accepimus, alias felicis recordationis Leo papa X. prædecessor noster per suas literas Orationis genus, Coronam Domini nuncupatam, confirmaverit, & illam modis & formis tunc expressis recitantibus certas indulgentias concesserit, prout in dictis literis plenius continetur; nos pro nostri pastoralis officii sollicitudine cupientes ea, quæ ad Dei honorem & Christi-fidelium animarum salutem tendunt, frequentius ab eisdem fidelibus recitari & ad id faciendum amplioribus indulgentiis per nos invitari, precibus quoque dilecti filii nostri Ptolomæi tituli sanctæ Agathæ presbyteri cardinalis ordinis Camaldulensis apud nos & sedem apostolicam protectoris, nobisque super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi ultra indulgentias prædictas per eumdem Leonem prædecessorem dictam Domini Coronam, ut præfertur, recitantibus concessas, ipsis Christi-fidelibus, qui prædictam Coronam Domini legitimo cessante impedimento per totum annum quotidie dixerint, confessis & contritis, in Paschatis Resurrectionis Dominicæ festivitate quolibet anno plenariam omnium & singulorum pecatorum suorum indulgentiam & remissionem tenore præsentium misericorditer in domino concedimus. Præterea iis, qui ad extremum usque vitæ diem, dicto cessante impedimento, eamdem domini Coronam recitaverint, confessis etiam & contritis, seu si confiteri non potuerint, contritionis signum ostendentibus plenariam pariter indulgentiam in mortis articulo elargimur, contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam impressis, sigillo sacri eremi Camaldulensis obsignatis, ac manu alicujus eremi ejusdem eremitæ subscriptis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XIV. februarii M. D. LXXIII. pontificatus nostri anno primo.

LXXIII.

Traditio monasterii S. Gregorii de Urbe facta Camaldulensibus.

Anno 1573. XII. kal. octobris.

Ex exemplo S. Michaelis de Muriano.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. archipresbytero basilicæ sancti Johannis Lateranensis de Urbe, & sancti Pauli ac sancti Sebastiani prope et extra muros dictæ Urbis sancti Benedicti et Cistercienfis respective ordinum monasteriorum abbatibus salutem et apostolicam benedictionem. Hodie a nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis. Gregorius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ejus disponente Clementia *&c.* Exhibita sane nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, tam Hieronymi abbatis monasterii sanctorum Andreæ et Gregorii de Urbe ordinis sancti Benedicti, quam modernorum abbatis generalis et visitatorum congregationis Camaldulensis ordinis petitio continebat, quod ipse Hieronymus abbas considerans monasterium præfatum religiosorum conventu esse destitutum .... difficile sit, monachos

nacho juxta priscum ejusdem monasterii institutum conquirere, ac in eo continere; cupiensque pro necessitate temporis cultum ecclesiarum quoquo pacto inibi conservari, invicem cum abbate generali ac visitatoribus præfatis sub nostro et sedis apostolicæ beneplacito nuper tractavit, ut monachis dicti ordinis Camaldulensis, qui regulam sancti Benedicti profitentur, tam dictum monasterium, quam illius ecclesiam, quæ sub invocatione ejusdem sancti Gregorii est, una cum sacrario, paramentis, Crucibus, calicibus, sanctorum reliquiis, ornamentis, libris, ceterisque rebus cultus divini causa in eis et in eo existentibus et ad dictum monasterium pertinentibus in inventario a notario publico conficiendo describendis assignetur, ad effectum ut monasterium ipsum modo infrascripto regatur. Quare pro parte eorumdem Hieronymi, ac generalis abbatum et visitatorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis modo infrascripto consulere de benignitate apostolica dignaremur. Nos, qui dudum inter alia volumus, quod petentes beneficia &c. hujusmodi supplicationibus inclinati, ab ipso monasterio, cujus fructus, redditus et proventus ad centum quinquaginta Florenorum auri in libris cameræ apostolicæ taxati reperiuntur, etiamsi de illo consistorialiter disponi consueverit seu debeat, dignitatem ac mensam abbatialem et ecclesiam sancti Andreæ necessario palatium ab ipso Hieronymo abbate instauratum, atque horrea, cellæ vinariæ omnes, alias tam sacrarum, quam prophanarum etiam mansionum et ædificiorum eidem ecclesiæ sancti Andreæ adhærentium et prope dictam ecclesiam sancti Gregorii, seorsum tamen a prædicto monasterio existentes partes, fœnile quoque subtus scalas eidem ecclesiæ sancti Gregorii effossum, ac superiorem partem vineæ infradicendæ; insuper omnia et quæcumque, credita et loca eidem monasterio in Monte Sacerdotum Urbis constituta et assignata, ceteraque bona, proprietates, census, regalia, decimas, laudemia, fructus, redditus, proventus et emolumenta tam ex dictis creditis dicti Montis provenientia, quam in quibusvis aliis rebus consistentia et cujusvis qualitatis existentia necessario, præeminentias, jurisdictiones, actiones, aquas, aquarum decursus & facultates etiam conferendi beneficia quæcumque cum cura vel sine cura qualitercumque qualificata ubivis locorum existentia ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, institutionem & quamvis aliam dispositionem abbatis pro tempore dicti monasterii quomodolibet communiter vel divisim spectantia & pertinentia, ac alias de illis quovis modo disponendi necessario ecclesias & bona quæcumque eidem monasterio etiam perpetuo unita & annexa, & alia quæcumque jura ubilibet & cujusvis qualitatis existentia, exceptis tamen illis omnibus ut infra eisdem monachis assignandis, ad præfatum monasterium pro tempore spectantia & pertinentia ac devolvenda, ipsius Hieronymi abbatis ad hoc expresso accedente consensu, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo dividimus & separamus, necnon in ipsa abbatiali dignitate cum primum illa per cessum vel decessum aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem dicti Hieronymi abbatis vacare contigerit, ex nunc prout ex tunc, & e contra ordinem ipsum sancti Benedicti omnemque statum & essentiam regulares etiam perpetuo supprimimus & extinguimus, eamque ad statum secularem reducimus, & perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum, abbatiam deinceps secularem nuncupandam, a prædictis ordine & conventu prorsus divisum instituimus, ac ex tunc tam dignitati abbatiali, quod postquam, ut præfertur, ad secularitatem reductum fuerit, quam beneficio præfatis ecclesiam præfatam sancti Andrææ pro ecclesia, & palatium præfatum pro habitatione, omnesque & singulas proprietates & alia, ut præfertur, a dicto monasterio divisa & separata pro ejus fructibus & dote similiter perpetuo applicamus & appropriamus. Quodque ipse Hieronymus abbas eamdem dignitatem abbatialem cum omnibus & singulis bonis, rebus &c. quoad vixerit, ut prius retinere, illiusque antiquam possessionem continuare, & de eisdem fructibus, redditibus & proventibus in omnibus & per omnia disponere valeat, commodaque & privilegia quæcumque annualis, triennalis, decennalis aut diuturnioris possessionis ejusdem monasterii, quæ adhuc habet, & sibi quomodolibet competunt, etiam quoad eamdem abbatiam plenarie suffragentur, & quotiescumque ipsum beneficium vacabit, clerico seculari, tamquam beneficium simplex seculare curam animarum non habens a congregatione hujusmodi prorsus divisum, expressis tamen illius fructibus, ut in libris cameræ hujusmodi taxati reperiuntur, per Romanum tantum pontificem conferri & assignari debeat, & tam præfatus Hieronymus abbas, quam ejus quicumque in dicto beneficio successores etiam in quibusvis libris & privilegiis apostolicis ceterisque documentis & scripturis publicis vel privatis se abbates monasterii sanctorum Andreæ & Gre-

& Gregorii etiam de Urbe denominare , & inscribere , ac ab aliis denominari & inscribi , omnibusque facultatibus , jurisdictionibus, privilegiis &c. dicto monasterio & illius hucusque abbatibus & personis quomodolibet competentibus , & per quoscumque Romanos pontifices ac imperatores, reges ac alios principes concessis , ut illis, quibus de jure, statuto , consuetudine ac alias quomodolibet utuntur , potiuntur & gaudent, uti, frui, potiri & gaudere possint & debeant , perpetuo statuimus . In dicto monasterio vero unum prioratum & conventum ordinis & congregationis Camaldulensis cum mensa conventuali, sigillo & arca communibus, ac aliis conventualibus insigniis perpetuo instituimus, ecclesiamque sancti Gregorii & monasterium hujusmodi cum eorum sacrario, paramentis aliisque supradictis in eisdem ecclesia sancti Gregorii & sacrario quomodolibet existentibus, & ad illud pertinentibus , necnon claustro , refectorio , dormitorio , cellis , officinis ac cæteris ædium & mansionum dicti monasterii integris partibus eidem ecclesiæ sancti Gregorii contiguis ex nunc præfati ordinis Camaldulensis congregationi juxta illius & aliorum ejus prioratuum ac monasteriorum laudabiles usus, ritus , mores ac instituta regularia reformanda & deinceps tenenda, possidenda, regenda & gubernanda auctoritate & tenore predictis perpetuo unimus , annectimus & incorporamus ac subjicimus . Et pro prioris atque conventus ibidem introducendorum atque onerum substentatione oblationes, jura sepulturæ , funeralia, eleemosynas, legata & alia quæcumque emolumenta , tam ex largitione , & pia fidelium devotione aut alias eidem ecclesiæ sancti Gregorii quomodolibet pro tempore provenientia , necnon quingenta scuta annua juliis decem pro quolibet scuto computatis ex fructibus & emolumentis , quæ monasterium ipsum percipit ex creditis sibi in dicto Monte Fidei constitutis , a pro tempore existente depositario fructuum , reddituum & proventuum hujusmodi per dictos priorem & conventum in perpetuum percipienda, ac singulo bimestri , ut moris est , exigenda mensæ conventuali prefatæ. Insuper eisdem priori & conventui commodioris usus eorum causa inferiorem dumtaxat partem vineæ eisdem ecclesiæ sancti Gregorii & monasterio pariter adhærentem viali medio , ad quod ingressus porta ferrea monasterii habetur , a reliqua dictæ vineæ parte superiore divisam cum vase vivario, *Vasca* nuncupato, fonte ac arundineto pro illius indivisa medietate tantum in illa existentibus, reliqua hujus vineæ parte superiore dumtaxat Hieronymo abbati & successoribus præfatis libere perpetuo & pleno jure absque communione aliqua, vase vivario autem fonte & arundineto tam ipsorum , quam prioris & conventus communibus usibus & commoditatibus etiam perpetuo deservituris , ac libero tam eundo , quam redeundo, quoties opus fuerit, ad vas vivarium & fontem hujusmodi pro Hieronymo abbate & successoribus præfatis atque eorum agentibus per hanc vineæ inferiorem partem itinere remanentibus, & quoad vas vivarium, fons & arundinetum communibus impensis conservari , & quoties opus fuerit reparari & purgari , ac loco & tempore congruis coli, arundinesque ac alios fructus ex eodem arundineto provenientes æqualiter inter eos dividi , & dicta pars vineæ inferior a superiore adeo limitibus marmoreis , ac alias etiam scripturarum publicarum confectione distingui & terminari debeat, ut omnis penitus occasio tollatur , per quam unus alteri respective in usu ipsorum inferioris & superioris partium ejusdem vineæ incommodo esse vel jura unius alter confundere & usurpare ullo unquam tempore possit , similiter perpetuo concedimus. Ita quod ex nunc liceat congregationi prædictæ per se vel alium seu alios , & propria auctoritate corporalem possessionem ecclesiæ sancti Gregorii & monasterii hujusmodi ac aliorum, ut præfertur, assignatorum, applicatorum & concessorum libere apprehendere & perpetuo retinere . Ipsaque quingenta scuta annua , ac fructus & alia emolumenta supradicta in prioris & conventus ibidem pro tempore existentium dicti monasterii usus & utilitatem , aliorumque onerum infrascriptorum sustentationem convertere licentia alicujus minime requisita . Quodque capitulum generale ejusdem congregationis seu ab illo pro tempore deputati priorem pro tempore ipsius monasterii, qui illum tam in spiritualibus, quam in temporalibus juxta ritus, mores & instituta supradicta regat, dirigat & gubernet, necnon religiosos , qui ibi resideant, & in divinis deserviant , & quorum cura & correctio ad eumdem priorem spectet, eligere & constituere, & ad nutum suum eum , & eos a regimine & monasterio hujusmodi amovere toties quoties , & quo voluerit transferre , ac alium & alios loco sic amotorum subrogare possit , monasteriumque præfatum unum & idem corpus indivisibile & inseparabile cum ordinis Camaldulensis congregatione perpetuo ex se tamen existens, nulli alteri ejusdem congregationis monasterio, sed ipsius

con-

congregationis abbati generali, ac aliis superioribus subjectum; & propterea quascumque provisiones, commendas et alias dispositiones de illius prioratu sic erecto, aliter quam per dictam congregationem etiam apostolica auctoritate præfata quomodolibet faciendas, nullas et invalidas fore et esse ordinamus. Et ut omnis dissensionis materia tollatur, ecclesiam sancti Gregorii et monasterium hujusmodi illiusque conventum, personas, mensam conventualem, omniaque et singula alia ipsis ut supra assignata et concessa cum omnibus et singulis suis juribus, actionibus, bonis et rebus præsentibus et futuris ab omni jurisdictione, dominio, potestate, visitatione, correctione et superioritate præfati Hieronymi abbatis ac successorum præfatorum penitus et omnino, ita quod nulla communio inter abbatem et sanctorum Andreæ & Gregorii priorem & conventum præfatos existat, nullave auctoritas vel superioritas abbati in priorem & conventum hujusmodi, nec e contra competat, eximimus & liberamus. Ad hæc, quod in eodem monasterio decem saltem religiosi perpetuis futuris temporibus esse debeant, quorum octo in presbyteratus ordine constituti, & eorum unus prior & prælatus sit, titulumque & denominationem prioris conventualis hujus monasterii habeat. Reliqui vero duo conversi ipsum ordinem Camaldulensem expresse professi omnes sint, qui ibidem Altissimo famulatum exhibentes in divinis laudabiliter deserviant, & apud eamdem ecclesiam sancti Gregorii resideant. Quodque congregatio, & prior ac conventus præfata ecclesiam sancti Gregorii atque illius sacrarium cum paramentis, Crucibus, calicibus, libris, luminaribus, ornamentis & aliis ad divinum cultum necessariis instructa, illaque & omnia monasterii ædium, mansionum & aliorum, ut supra assignatorum partem atque ædificia sarta tecta manutenere & quoties opus fuerit in suis structuris reparare; necnon Missas & alia divina officia in ea celebrare, & alias in divinis laudabiliter deservire. Suffragia & ceteras pias preces tam pro expiatione præfatorum Christi-fidelium viventium, quam defunctorum animarum, quæ abbates præfati monasterii pro tempore existentes tenentur exsolvere, & incessanter Altissimo effundere, absque eo quod ipse Hieronymus abbas ejusque successores præfati aliquid propterea contribuant, sibive directe vel indirecte quidquam retinere possint; immo eos ab omni impensa & incommodis, quæ præmissorum occasione ipsis provenire quomodolibet possent, indemnes penitus conservare, pariterque Missas & alia divina officia in dicta ecclesia sancti Andreæ pro tempore celebrare in eorum paramentis, calicibus, libris & aliis ad celebrationem hujusmodi, cultumque divinum necessariis perpetuo astricti sint, atque pro illius servitio Hieronymus abbas & successores prædicti in nihilo teneantur. Quodque præmissorum & singulorum occasione, ac etiam congruæ portionis pretextu, quæ ipsis assignata non fuerit, seu alias ex fructibus, redditibus & proventibus dictæ abbatiæ suppleri debeat, prior & conventus dicti monasterii pro tempore existentes, atque personæ & congregatio prædictæ, aliive quicumque superiores, etiam ex officio vel alias procedentes contra Hieronymum & successores præfatos, nullo unquam temqore agere, conqueri, officium judicis & superiorum implorare, aut alias eum vel eos directe vel indirecte, in judicio vel extra quovis modo molestare, inquietare seu perturbare possint, sed portioni & ceteris, ut supra assignatis, applicatis & concessis stare & acquiescere, ac Hieronymus abbas & successores, necnon prior & conventus ac abbas generalis & visitatores, prælati, superiores, religiosi & aliæ personæ particulares dictæ congregationis, aut ipsa congregatio, ac alii omnes & singuli, quos in presentibus contenta directe vel indirecte concernunt, & concernere quomodolibet in futurum possint, ad eorumdem contentorum perpetuam & inviolabilem observationem in universum & singulariter obligati sint, & ab eis quovis prætextu numquam resilire. Immo ad observationem hujusmodi censuris & pœnis ecclesiasticis & aliis juris & facti opportunis remediis compelli possint perpetuo etiam statuimus. Ceterum ipsi monasterio sancti Gregorii, ac illius priori & conventui, personisque in eo pro tempore existentibus, quod omnibus & singulis privilegiis, exemptionibus, indultis, immunitatibus, præeminentiis, prærogativis, libertatibus, gratiis & favoribus eidem monasterio & illius ecclesiæ, & pro tempore abbati hucusque competentibus & concessis, dummodo ordini & congregationi Camaldulensi præfatis non repugnent, ac etiam aliis quibusvis, reliqua dictæ congregationis monasteria *&c.* gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere libere & licite possint, indulgemus. Necnon quod abbas generalis & visitatores, qui nunc sunt seu pro tempore erunt ejusdem congregationis, & seorsum & unus divisim ab altero atque per diversa tempora per se vel alium seu alios, etiam nomi-

nomine ejusdem congregationis aliorum, quam ejus abbatum, prælatorum, superiorum, & omnium particularium personarum præsentibus quomodolibet contentis consentire, & assensum validum præstare pro eorumdem omnium & singulorum perpetua & inviolabili observatione, se ipsos, ac illam eos, bonaque sua præsentia & futura etiam in ampliori forma dictæ cameræ cum juramento & aliis in simili forma, & juxta stylum noviter introductum obligare & hypothecare possint &c. Non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Marcum anno incarnationis Dominicæ M. D. LXXIII. XII. kalendas octobris pontificatus nostri anno secundo. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos &c. has præinsertas &c. solemniter publicantes &c. faciatis auctoritate nostra illos divisione, separatione, suppressione, extinctione &c. aliisque præmissis juxta præinsertarum literarum earumdem continentiam & tenorem pacifice frui & gaudere &c. Contradictores &c. Datum Romæ apud sanctum Marcum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo-tertio, duodecimo kalendas octobris pontificatus nostri anno secundo.

LXXIV.

Indulgentiæ concessæ a Gregorio XIII. altari capellæ Gregorii IX. eremi Camaldulensis.

Anno 1577. VIII. octobris.

Ex edito Privilegiorum libro pag. 89.

GRegorius papa XIII. ad perpetuam rei memoriam. Salvatoris Domini nostri Jesu Christi æterno Patri consubstantialis & coæterni, qui pro redemptione generis humani de summo cœlorum solio ad hujus mundi infima descendere, & carnem nostram ex utero virgineo assumere dignatus est, vices licet immeriti gerentes in terris, & ejus exempla sectantes, animabus Christi-fidelium defunctorum in Purgatorio existentibus, quæ per caritatem Deo unitæ ab hac luce decesserunt, & piorum suffragiis juvari meruerunt, opportuna de thesauris ecclesiæ subsidia subministrare studemus, ut illæ, quantum divinæ bonitati placuerit, adjutæ ad cœlestem patriam facilius pervenire valeant. De divina igitur misericordia confisi, precibus etiam dilecti filii nostri Antonii sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis, Carafæ nuncupati, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tenore præsentium perpetuo concedimus, ut quoties quicumque sacerdos sive secularis, sive regularis Missam ad altare capellæ felicis recordationis Gregorii IX. situm in eremo Camaldulensi pro liberatione unius animæ in purgatorio existentis suo vel alieno arbitrio celebraverit, ipsa anima per hujusmodi celebrationem easdem indulgentias & peccatorum remissiones consequatur, & ad ipsius liberationem, pro qua celebrabitur, dicta Missa operetur, quas consequeretur & operaretur, si prædictus sacerdos hac de causa Missam ad altare situm in ecclesia sancti Gregorii de Urbe ad id deputatum celebraret. Non obstantibus nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, & aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. octobris M. D. LXXVII. pontificatus nostri anno sexto.

Cæ. Glorierius.

LXXV.

Aliæ indulgentiæ concessæ Altaribus plurium ecclesiarum Camaldulensium.

Anno 1578. idibus aprilis.

Ex eodem libro pag. 90.

GRegorius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Omnium saluti paterna caritate intenti inter tam multa pietatis officia, quæ nos pro munere nostro convenit exercere, sacra interdum loca spirituali privilegio insignimus, ut inde fidelium defunctorum saluti amplius consulatur. Quocirca, ut ecclesia monasterii Camaldulensis Arretinæ diœcesis simili usque adhuc privilegio minime decorata, & in ea altare situm in capella Nativitatis Domini nostri Jesu Christi hoc speciali dono illustretur, auctoritate nobis a Domino tradita concedimus, ut quoties Missa ad prædictum altare celebrabitur pro anima cujuscumque fidelis, quæ Deo in caritate conjuncta ab hac luce migraverit, ipsa de thesauro ecclesiæ indulgentiam consequatur, quatenus ejusdem Domini nostri Jesu Christi, & beatæ Virginis Mariæ, beatorum apostolorum Petri & Pauli aliorumque Sanctorum omnium meritis suffragantibus a purgatorii pœnis liberetur. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ

minicæ M. D. LXXVIII. idibus aprilis pontificatus nostri anno sexto.

Cæ. Glorierius.

Gregorius &c. Omnium saluti &c. Quocirca ut ecclesia monasterii sancti Michaelis de Murano Venetiarum Camaldulensis ordinis Torcellanensis diœcesis simili usque adhuc privilegio minime decorata, ac in ea altare situm in capella sanctæ Crucis hoc speciali dono illustretur, auctoritate nobis a Domino tradita &c. Datum &c. *ut in superiori bulla ejusdem, anno, die &c.*

Gregorius &c. Omnium saluti &c. Quocirca ut ecclesia monasterii sancti Apollinaris de Classe Camaldulensis ordinis Ravennatensis diœcesis simili usque adhuc privilegio minime decorata, ac in ea altare situm in capella sancti Gregorii hoc speciali dono illustretur, auctoritate nobis a Domino tradita &c. Datum Romæ &c. *Ut in prima.*

Gregorius &c. Omnium saluti &c. Quocirca ut ecclesia monasterii beatæ Mariæ Carcerum nuncupata Camaldulensis ordinis Paduanæ diœcesis simili usque adhuc privilegio minime decorata, ac in ea altare situm in capella sancti Petri hoc speciali dono illustretur, auctoritate nobis a Domino tradita &c. Datum Romæ &c. *ut in prima superiori.*

Gregorius &c. Omnium saluti &c. Quocirca ut ecclesia monasterii sancti Blasii de Fabriano Camald. ordinis Camerinensis diœcesis simili usque adhuc privilegio minime decorata, ac in ea altare situm in capella sancti Blasii hoc speciali dono illustretur, auctoritate nobis a Domino tradita &c. Datum &c. *ut superius.*

Gregorius &c. Omnium saluti &c. Quocirca ut ecclesia monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia diœcesis similis Camald. ordinis usque adhuc privilegio minime decorata, ac in ea altare situm in capella sancti Jacobi hoc speciali dono illustretur, auctoritate &c. Datum &c. *ut supra.*

LXXVI.

Gregorius XIII. supprimit plures titulos abbatiarum & prioratuum Camaldulensium.

Anno 1579. VIII. aprilis.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

GRegorius papa XIII. ad perpetuam rei memoriam. Ab ipso primum die, quo fuimus ad regimen universalis ecclesiæ divina pietate vocati, sollicitudinem perpetuam habuimus in reparanda sacrarum religionum disciplina, ac tollendis incommodis, quæ in eis irrepsissent, ut illis nostra opera & auctoritate quamprimum sublatis, religiones ipsæ fructus in agro Domini proferant ampliores. Pium igitur hoc & salubre institutum prosequi annuente Domino intendentes, ad venerabilem familiam Camaldulensem olim a beato Romualdo institutam, eremi sanctitate & religionis zelo florentem perspeximus, & animadvertentes ejusdem ordinis monachos numero adeo exiguo esse, atque ordinem ipsum sic angustis prope finibus circumscribi, ut ad ipsius dignitates, regendaque monasteria inhabiles & minus idonei vel literarum ignari plerumque necessario sint eligendi, eosdemque ad eas dignitates assumptos se ipsos non agnoscentes, ac propriis viribus nimium confidentes in dies majoribus administrationibus ac officiis assequendis studere, eaque cupiditate ductos, aut spe elatos, quod æquum ab iniquo discerni plene non patitur, illorum electioni, qui vita & morum sanctitate, scientiarumque cognitione præ ceteris eo in ordine clarent, aperte adversari, ac aliis novarum rerum auctoritatibus & conditione, rerumque agendarum usu inferioribus favere, suppressione, & extinctione nonnullarum dignitatum abbatialium monasteriorum dicti ordinis, illarumque ad minorem numerum reductione, ut ad illas imposterum viri eligantur magis idonei, aliisque salutaribus remediis, vel novarum constitutionum editione prospicere decrevimus. Itaque de apostolicæ potestatis plenitudine omnes dicti ordinis monachos, qui sancti Nicolai in Forbitoribus nuncupati de Urbe, ac de la Rosa Senensis, ac sancti Michaelis Aretinæ, necnon sancti Nicolai Burgi-sancti-Sepulcri, & sanctæ Margaritæ de Borsellis & de Tosina Fesulanæ, ac plebani de Cellulis, ac sanctissimæ Trinitatis Feretranæ, ac sanctæ Crucis Eugubinæ civitatum vel diœcesum monasteriorum seu prioratuum regimina & administrationes obtinent, vel eorum regimini subquocumque etiam plebanorum nomine præsunt iisdem, prorsus absolvimus, & ab illorum possessione amovemus, ac pro absolutis & amotis a regiminibus & administrationibus prædictis prorsus haberi debere decernimus, nonnullisque justis de causis adducti in eisdem monasteriis, prioratibus & ecclesiis dignitatem abbatialem vel prioratus aut plebanatus vel alio quovis nomine nuncupatam penitus & omnino supprimimus, extingui-

tinguimus & abolemus, ac eorumdem monasteriorum, prioratuum & ecclesiarum fructus, redditus, proventus, jura, res, bona quæcumque, sancti Nicolai de dicta Urbe monasterio sancti Gregorii etiam de Urbe, quo ex eisdem monachos dicti ordinis eodem in monasterio sancti Gregorii benigno hospitio excipi valeant, ac *de l' Arco* monasterio *de la Rosa* dignitate abbatiali instituta, ac prioratus & prioris illius dignitate ac nomine & denominatione prorsus abolitis, ac sancti Michaelis monasterio de Agnano, necnon sancti Nicolai Burgi-sancti-Sepulcri monasterio sanctæ Mariæ de Trivio Sarsinatensis, ita tamen quod ejusdem monasterii sanctæ Mariæ pro tempore abbas in civitate ejusdem Burgi-sancti-Sepulcri, ut est moris, resideat, ac sanctæ Margaritæ monasterio Angelorum Florentiæ juxta antiquam ejus ordinis privilegiorum dispositionem, quam potiori pro cautela per præsentes confirmamus, ac ad augendum literarum & liberalium artium scientiarumque studium in monasterio sancti Salvatoris prope & extra muros Volaterrarum proximis temporibus institutum plebis de Cellulis, ac sanctissimæ Trinitatis Feretranæ monasterio sanctæ Mariæ Angelorum Pisaurensis, & sanctæ Crucis Eugubinæ monasterio sanctæ Mariæ etiam Pisaurensis juxta ordinationem alias a sede apostolica emanatam, quam hac in parte etiam confirmandam duximus, perpetuo concedimus, applicamus & appropriamus, mandantes in virtute sanctæ obedientiæ monachis, ut præfertur, ab eorum administrationibus absolutis, ut cum primum præsentium literarum ad eos notitia pervenerit, ecclesiarum & monasteriorum, necnon fructuum *&c.* possessionem vacuam, liberam & expeditam dimittant, ita ut liceat dictorum monasteriorum, quibus illa concessa & applicata sunt, ut præfertur, abbatibus & conventibus corporalem possessionem ecclesiarum, ædificiorum *&c.* libere apprehendere *&c.* Ac ad magis obviandum abusum introducendi in eo ordine majorem numerum abbatum & prælatorum, qui pluribus ab hinc annis in eodem ordine inolevit, quod impostertum abbas sanctorum Quatuor Coronatorum similiter de Urbe, qui nudo tantum nomine utitur, dum in ædificiis dictæ ecclesiæ numquam monasterium dicti ordinis aut status, aut essentia regularis illius institutum fuerit, verum superioribus annis brevi tantum tempore, cardinale, qui eidem ecclesiæ tunc præerat, ac ejus titulus cardinalatus dicta ecclesia tunc erat, permittente, aliquot monachi Camaldulenses prope dictam ecclesiam sanctorum Quatuor inhabitaverint, nec apud eam ecclesiam resederint, aut inde aliquos fructus perceperint, nequaquam eligatur, expresse prohibemus; ac regimini & administrationi monasterii sancti Hippolyti de Faventia quo tempore ejus ordinis generalis præest, eum, qui vice generalis eodem in monasterio fungitur, nullam vocem in capitulo generali ejus ordinis tamquam dicti monasterii sancti Hippolyti abbatem sibi vendicare valere, verum ad ejusdem generalis arbitrium ibidem poni & amoveri posse declaramus, necnon quod justus monachorum & ministrorum numerus, inter quos conventualitas servari possit, in monasteriis dicti ordinis alatur, pauciorem numerum duodecim monachis eisdem in monasteriis educandum non esse censemus; id si secus evenerit, ac in monasteriis minor numerus duodecim monachis fuerit, ne conventuales, quos appellant monachos, qui numero duo sunt, & ad generale capitulum accedunt, causa certiorandi capitulum de statu singulorum monasteriorum, eligere possint, interdicimus. Ac generalem pro tempore dicti ordinis, cujus munus triennii spatio absolvitur, tertio ejus magistratus anno sindicatui monachorum duorum ætate graviorum, qui ad id per definitores electi fuerint, subjacere debere statuimus. Ac postremo de probitate & prudentia dilecti filii Antonii de Pisis, nunc ipsius ordinis generalis plurimum in Domino confidentes, ut hac vice dumtaxat, si opus fuerit, idque expedire illi videbitur, omnes dicti ordinis definitores eligere valeat, facultatem impartimur; ac omnia & singula, quæ prudenti & maturo judicio dilecti filii nostri Ptolomæi tituli sanctæ Agathæ presbyteri cardinalis Comensis nuncupati, dicti ordinis apud nos & sedem apostolicam protectoris ad ejusdem ordinis reformationem statuta & ordinata sunt, quibusque ejus propria manu idem Ptolomæus cardinalis subscripsit, quorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis ac de verbo ad verbum insertis habemus, approbamus & confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus; omnesque & singulos tam juris, quam facti defectus supplemus *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die VIII. aprilis M.D.LXXVIIII. pontificatus nostri anno septimo.

Cæ. Glorierius.

LXXVII.

Indulgentiæ visitantibus ecclesias Camaldulenses diebus festis Titularium & S. Romualdi.

Anno 1582. xxv. februarii.

Ex edito Privilegiorum libro pag. 93.

GRegorius papa XIII. universis Christi-fidelibus præsentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem & animarum salutem cœlestibus ecclesiæ thesauris pia caritate intenti, omnibus utriusque sexus Christi-fidelibus vere pœnitentibus, confessis ac sanctissima Communione refectis, qui ecclesias monasteriorum tam monachorum, quam monialium totius congregationis & ordinis Camaldulensis in earumdem ecclesiarum Titulorum, ac etiam sancti Romualdi ipsius congregationis & ordinis fundatoris festivitatibus a primis vesperis usque ad occasum Solis earumdem festivitatum singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, sanctæque matris ecclesiæ tranquillitate pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id fecerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus & elargimur, præsentibus perpetuo valituris. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxv. februarii M. D. LXXXII. pontificatus nostri anno decimo.

Cæ. Glorierius.

LXXVIII.

Gregorius XIII. facultatem facit Majori eremi promovendi ad ordines Minores suos subditos, eremitis autem recipiendi ordines Majores a Cardinalibus S. R. E.

Anno 1584. VII. januarii.

Ex eodem Libro pag. 94.

A Tergo: Dilecto filio priori, Majori nuncupato, eremi Camaldulensis Aretinæ diœcesis nunc & pro tempore existenti.

Gregorius papa XIII. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Cum interna quies fratrum eremitarum eremi Camaldulensis, ad quam consequendam ipsi fratres eremitæ deserti loca petierunt, non parum soleat perturbari, quando ad ordines sacros suscipiendos foras exeunt; Nos huic incommodo providere volentes, tibi, ut quando expedire videbitur, quatuor minores, necnon S. R. E. cardinalibus, qui ad dictam eremum pro tempore accesserint, si episcopi fuerint, ut omnes sacros, etiam presbyteratus ordines, etiam extra tempora a jure statuta, & non servatis interstitiis, fratribus eremitis prædictis, dummodo ad id judicio tuo idonei existant, super quo conscientiam tuam oneramus, conferre, ipsisque fratribus eremitis illos recipere libere & licite valeatis, apostolica auctoritate tenore præsentium facultatem concedimus; non obstantibus synodalis, provincialis & generalis conciliorum ac quibusvis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die VII. januarii M. D. LXXXIV. pontificatus nostri anno duodecimo.

Cæ. Glorierius.

LXXIX.

Idem tradit Camaldulensibus monasterium S. Marci de Mantua.

Anno 1584. kalendis aprilis.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano.

GRegorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Amerinensi & Mantuano ac Veronensi episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Hodie a nobis emanarunt literæ tenoris subsequentis. Gregorius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In supereminenti militantis ecclesiæ specula &c. Cum itaque, sicut ex dilecti filii nobilis viri Guilielmi Mantuæ ducis insinuatione accepimus, congregatio sancti Marci de Mantua nuncupati ordinis sancti Augustini canonicorum regularium in unum dumtaxat monasterium sub invocatione ejusdem sancti Marci Mantuan. redacta, & proprii superioris cura & gubernio destituta sit, in ipso autem monasterio, cujus prioratum dilectus filius Albertus Caprianus clericus ex concessione apostolica in commendam ad ejus vitam obtinet, non ultra sex canonici dictæ congregationis mensam conventualem a dicti prioratus proprietatibus, bonis & fructibus

bus ad valorem annuum septingentorum ducatorum auri de camera vel circa secundum communem extimationem ascendentibus separatam & distinctam habentes ad præsens degant, nec ulli studio ad ecclesiæ Dei utilitatem, proximique ædificationem & salutem proficienti incumbant, sed tamquam . . . . capite mutuis odiis & diffidiis assidue exagitati laxiorem & dissolutam, ac institutis regularibus ordinis & congregationis hujusmodi parum conformem, non sine animarum suarum pernicie, religionisque opprobrio ac plurimorum scandalo sequantur, ac desuper sæpius correpti nullum futuræ correctionis aut reformationis specimen, præseferant; quin etiam ipsis per visitatorem apostolicum in illis partibus deputatum expresse injunctum fuerit, ne deinceps aliquem ad ipsius congregationis habitum, ac professionem regularem ibidem recipere & admittere audeant, itaut dictis canonicis numero declinantibus, nec ullos regularis instituti prædictæ congregationis sectatores habentibus, Dei, religionisque cultus in ipso monasterio sensim minuatur. Nos, qui dudum inter alia decrevimus ac declaravimus intentionis nostræ esse, quod deinceps per quamcumque gratiam seu literas apostolicas a nobis etiam motu proprio emanatas nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tolleretur, ac etiam voluimus, quod semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interesset, cupientes pro nostri pastoralis officii debito prolapsum ejusdem monasterii statum, ac in eo regularis observantiæ normam restitui, perpetuisque futuris temporibus conservari, ac sperantes congregationem monachorum Camaldulensis ordinis, quam præfatus Guilielmus dux in dictum monasterium introduci desiderat, ob illius bonæ famæ odorem, multiplicesque fructus ex ea sacro Dominico dietim provenientes hinc munere obeundo plurimum utilem & idoneum fore, abbatem generalem & singulares personas dictæ congregationis Camaldulensis, a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis &c. absolventes &c. motu proprio, non ad ejusdem congregationis Camaldulensis, vel alterius pro ea nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de mera deliberatione & ex certa scientia nostra de apostolicæ potestatis plenitudine, tam in monasterio quam prioratu præfatis, ipsiusque monasterii ecclesia, congregationem sancti Marci & ordinem sancti Augustini hujusmodi, omnesque illorum statum, essentiam & dependentiam regulares apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo supprimimus & extinguimus, ac prioratum ad secularem statum, ita quod deinceps dictus Albertus illum uti secularem & tamquam beneficium seculare sine cura, personalemque residentiam non requirendo, in titulum absque alia sibi desuper facienda provisione obtineat, & de illo quoties vacabit, clerico seculari per Romanum pontificem pro tempore existentem & sedem apostolicam dumtaxat provideri debeat, auctoritate & tenore præfatis etiam perpetuo reducimus; eique pro sua ecclesia altare sancti Marci ejusdem situm in dicta ecclesia ipsius monasterii, ac ædes ejusdem prioratus extra septa dicti monasterii positas pro Alberti prædicti ac pro tempore existentis ejusdem prioratus prioris habitatione assignamus. Monasterium vero hujusmodi præfatæ congregationi Camaldulensi ex nunc per unum ex illius abbatibus ad instar aliorum monasteriorum ejusdem congregationis Camaldulensis ac juxta illius ritus, mores, consuetudines & regularia instituta absque spolii & attentatorum vitio, ac cujuscumque judicis decreto vel ministerio cum illius ecclesia, claustro, dormitorio, refectorio, ædificiis, hortis & officinis, necnon mensa conventuali, ac sanctæ Mariæ Terræ-arsæ, & ejusdem sanctæ Mariæ de Succursu, alias *il Capitello* nuncupatæ, villæ Sarmazzæ Paduanæ diœcesis, ac forsan aliis annexis & membris, ceterisque bonis, proprietatibus & pertinentiis ad dictam mensam conventualem & canonicos monasterii hujusmodi communiter spectantibus & pertinentibus, eorumque fructibus, redditibus &c. necnon quacumque sacra & communi suppellectile perpetuo habendum, tenendum &c. in quo monachi ejusdem congregationis Camaldulensis residere, & ibidem conventum constituere, ac ipsi monasterio illiusque ecclesiæ in divinis laudabiliter deservire debeant, eisdem auctoritate & tenore similiter perpetuo concedimus, unimus, annectimus & incorporamus. Præterea cum dictæ mensæ conventualis & illi annexorum hujusmodi fructus, redditus & proventus, qui, ut accepimus, tercentorum & quinquaginta ducatorum similium vel circiter secundum extimationem prædictam valorem annuum non excedunt, angustiores sint, quam ut ipsius monasterii abbas & conventus hujusmodi commode sustentari, & fabricæ & sacristiæ, ceteraque onera eis incumbentia perferri possint, a dicto prioratu tot ex illius proprietatibus & bonis stabilibus commodioribus & vicinioribus ab ordinario loci seu

ejus

ejus in spiritualibus vicario generali discernendis & specificandis, quot illorum annuus valor ad ducenta scuta auri in dicta civitate cursum habentia ascendat, omnibus tamen & singulis fructibus, redditibus & proventibus ex eis provenientibus prædicto Alberto ad ejus vitam dumtaxat, salvis & remanentibus, ex nunc auctoritate & tenore similibus pariter perpetuo separamus & dismembramus; illaque sic separata & dismembrata eidem mensæ conventuali pro ejus augmento ac commodiori abbatis & conventus hujusmodi sustentatione, onerumque ipsius incumbentium supportatione, ac aliis suis necessitatibus, auctoritate & tenore prædictis itidem perpetuo applicamus & appropriamus, ita quod liceat ipsius monasterii abbati pro tempore existenti & conventui per se, vel alium, seu alios corporalem, realem & actualem possessionem proprietatum & bonorum separatorum ac dismembratorum hujusmodi propria auctoritate, & dicto Alberto vivente, apprehendere, & perpetuo retinere, necnon post ejusdem Alberti obitum illorum fructus, redditus, proventus *&c.* percipere, exigere & levare, ac in suos communes, necnon monasterii illius, ecclesiæ, fabricæ & sacristiæ hujusmodi usus utilitatem ac necessitatem convertere, dioecesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, prædictis sex canonicis, ut ad dictæ congregationis vel alia monasteria seu regularia loca, in quibus benevolos habuerint receptores, se transferre, ac in illorum habitu & regularibus institutis conformare, vel etiam in seculo sub ordinariorum locorum obedientia & correctione, habituque regulari retento, absque apostasiæ nota, aut inhabilitatis seu irregularitatis vel cujusvis alterius censuræ & pœnæ incursu, assignata eorum cuilibet annua portione viginti-quinque scutorum similium ipsis, quoad vixerint, vel donec eis aliquo modo in aliis redditibus annuis usque ad summam quadraginta scutorum similium pro unoquoque ascendentibus, per nos vel locorum ordinarios aut alios provisum fuerit, annis singulis per abbatem pro tempore existentem & conventum prædictos ex ejusdem mensæ conventualis fructibus *&c.* persolvendam, degere & permanere, ac parochialibus & aliis ecclesiis . . obtinentium, seu ibidem præsidentium, ac dictorum ordinariorum licentia in divinis deservire libere & licite valeant, eisdem auctoritate & tenore de speciali gratia indulgemus. Decernentes suppressionem, extinctionem, reductionem, concessionem, unionem, annexionem & incorporationem hujusmodi, ac præsentes literas nullo unquam tempore & ex eo quod Albertus & canonici prædicti vel alii interesse habentes ad hoc vocati, & causæ, propter quas emanarunt, coram dicto ordinario & tamquam dictæ sedis delegato verificatæ, examinatæ & approbatæ non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostræ aut quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari valeant *&c.* Non obstantibus *&c.* Nulli ergo *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo-quarto kalendis aprilis pontificatus nostri anno duodecimo. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus vestrum per vos vel alium seu alios præinsertas literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dictæ congregationis Camaldulensis fueritis requisiti, sollemniter publicantes, eique in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciatis auctoritate nostra præinsertas literas & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ac congregationem Camaldulensem hujusmodi illis pacifice frui & gaudere *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo quarto kalendis aprilis pontificatus nostri anno duodecimo.

LXXX.

Idem vetat eremitis, ne ad alias Religiones transeant.

Anno 1585. IV. januarii.

Ex Libro Privilegiorum edito pag. 83.

A *Tergo:* Dilecto filio priori generali monachorum ordinis Camaldulensis nunc & pro tempore existenti.

Gregorius papa XIII. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Ea est eremi Camaldulensis Arretinensis dioecesis antiquitas, & monachorum in aspera illa solitudine Deo assidue famulantium religio, ac morum vitæque innocentia & sanctitas, quæ omnia non solum ab aliis sæpe audivimus, sed etiam nostris oculis aliquando vidimus & admirati sumus, ut merito sacrum illum locum & ordinem dignum semper, qui præcipuis privilegiis ful-

fulciatur, judicemus; itaque omnes gratias, indulta & privilegia eidem ordini & eremo a Romanis pontificibus prædecessoribus nostris super recipiendis quibuscumque quarumvis religionum & ordinum Mendicantium fratribus religiosis ad ipsos transire volentibus concessa, rata & firma esse volentes, & quatenus opus sit, auctoritate apostolica tenore præsentium innovantes, tibi, qui ex illis unus es, ac omnibus tecum in eadem eremo Altissimo famulantibus districte præcipimus & inhibemus, ne ad alium ordinem & religionem, nec etiam ad aliam, quæ Montis-coronæ vocatur ejusdem ordinis Camaldulensis, sine expresso consensu & licentia superioris ipsius eremi, qui Major appellatur, in scriptis obtenta transire audeant; & si qui contrafecerint, excommunicationis apostolicæ, & aliis congruis & arbitrio tuo & successorum tuorum infligendis & declarandis pœnis subjacere decernimus, itaut contrafacientes capi, puniri, & ad redeundum cogi possint, ad quæ omnia facienda, decernenda & exequenda, & ubi opus sit, brachium seculare invocandum, plenam & liberam tibi & successoribus tuis eadem auctoritate damus & concedimus facultatem. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon indultis, privilegiis, exemptionibus, aliis religionibus & ordinibus quocumque modo concessis, approbatis & innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xv. januarii M.D.LXXXV. pontificatus nostri anno XIII.

Cæ. Glorierius.

LXXXI.

Sixtus V. facultatem facit Generali Camaldulensi absolvendi ab excommunicationibus, & dispensandi ab irregularitatibus suos Monachos.

Anno 1585. v. Decembris.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe fasc. LXVI. num. 26.

SIxtus Papa V. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Quæ ad animarum salutem, conscientiarum purificationem, spiritualemque consolationem religiosorum ac religiosarum ordinis tui Camaldulensis, te pro officii tui debito suggerente, pertinere cognoscimus, ea paterno affectu libenter concedimus; itaque, ut semel tantum quoscumque prælatos, patres eremitas, monachos, moniales, conversos & conversas, ac oblatos dicti Ordinis Camaldulensis a quibusvis irregularitatibus, interdictis, suspensionibus, excommunicationibus, necnon ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, per quemlibet ipsorum incursis, injuncta eis pro modo culpæ salutari pœnitentia, absolvere, ac super irregularitatibus prædictis dispensare, & ad quascumque dignitates, officia, & prælaturas habilitare, necnon eamdemmet auctoritatem pro una vice tantum omnibus confessariis monialium, & aliis religiosis ejusdem Ordinis subdelegare valeas, auctoritate Apostolica tenore præsentium tibi facultatem concedimus. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis ac Monasteriorum & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die v. decembris M.D.LXXXV. anno primo.

Jo. Baptista Canobius.

LXXXII.

Sixtus V. restituit titulos abbatiarum & prioratuum Camaldulensium.

Anno 1585. XXI. decembris.

Ex Libro Privilegiorum pag. 95.

SIxtus papa V. ad perpetuam rei memoriam. Usus quandoque docet ea, quæ utilia fore credebantur, mutata deinde temporum & rerum conditione, minus experiendo prodesse, aliaque nova remedia de novo emergentibus incommodis magis opportuna quærenda esse, sicut nuper compertum est. Cum enim felicis recordationis Gregorius XIII. prædecessor noster certis de causis adductus inter alia in monasteriis sancti Nicolai in Forbitoribus nuncupati de Urbe, ac de Arcu Senarum, & sancti Michaelis Arretinen. & sancti Nicolai Burgi sancti Sepulcri, & sanctæ Crucis Eugubinen. ac sanctissimæ Trinitatis Feretran. ac sanctorum Quatuor Coronatorum etiam de Urbe, & sancti Hippolyti Faventinen. civitatum seu diœcesum Camaldulensis ordinis & congregationis, quæ per monachos ejusdem ordinis pro tempore existentes illorum abbates,

bates, priores, & illorum plebanos antea regi & obtineri solebant, dignitatem ac denominationem abbatialem vel prioratus vel plebanatus, seu alio quovis nomine nuncupatam penitus & omnino suppressisset, extinxisset & abolevisset, ac in monasterio de la Rosa Senen. antea per priorem gubernari consueto, dignitatem abbatialem ibi a se institutam tantummodo adesse & retineri voluisset, reliquorum monasteriorum fructus, redditus vel proventus, jura & bona quæcumque certis aliis tunc expressis monasteriis & usibus applicando, prout in ejus literis in forma Brevis latius continetur. Idem postea prædecessor mutato consilio dicta sancti Nicolai de Urbe & sanctæ Crucis Eugubinen. monasteria etiam quoad dignitatem, nomina & titulos abbatiales seu prioratuum adversus dictas literas in pristinum statum restituit, reposuit & reintegravit, prout in posterioribus literis ipsius prædecessoris sub plumbo expeditis etiam continetur. Verum cum sicut nobis nuper innotuit, in eadem congregatione numerus monachorum literarum scientia, necnon vita ac morum probitate & religionis zelo insignium, juvante Domino, auctus fuerit, ac propterea manifestum sit valde expedire, si iisdem monachis plures pro cujusque meritis & idoneitate distribuantur dignitatum gradus & tituli, atque hac ratione tollatur occasio contentionum & pravarum emulationem, quæ inter ipsos monachos, si paucissimi dumtaxat sint in dignitatibus constituti, reliquis compluribus etiam honore dignis ab omni spe dignitatum prorsus exclusis, facile interdum exoriri possent; Nos, qui paterna caritate religiosorum & claustralium quieti præcipua sollicitudine intendimus, supplicationibus dilecti filii Stephani monasterii sancti Hippolyti de Faventia, ac totius prædictæ congregationis generalis abbatis nobis suo & ejusdem congregationis nominibus humiliter porrectis inclinati, his & aliis rationabilibus de causis adducti, primo, dictas literas prædecessoris nostri hujusmodi, quarum tenorem præsentibus pro expresso habere volumus, quoad reliqua omnia, & quæcumque in illis contenta approbantes & innovantes, & in hoc dumtaxat moderantes, in monasteriis sancti Michaelis Arretinen. & de Arcu Senarum, & sancti Nicolai sancti Sepulcri, & sanctissimæ Trinitatis Feretran. & sanctorum Quatuor Coronatorum de Urbe, & sancti Hippolyti Faventinen. hujusmodi, necnon in monasterio sancti Angeli de Massaccio nuncupati Æsin. diœcesis dicti ordinis, in quo alias similiter abbatialis dignitas auctoritate apostolica suppressa fuisse dicitur, & illorum quolibet singulas & easdem dignitates abbatiales, prioratus & plebanatus, sive alias sic, ut præfertur, suppressas, abolitas & extinctas, illarumque nomina & denominationes, titulos & insignia cum omnibus eisdem præeminentiis, juribus, & vocis activæ & passivæ in generalibus, & aliis capitulis, honoribus & privilegiis, antelationibus & prærogativis, prout singulæ & propriæ in unoquoque monasterio, prioratu & ecclesiis prædictis ante suppressiones prædictas vigere & in usu esse dignoscebantur, in pristinum, & eum, in quo ante prædictam suppressionem, extinctionem & abolitionem quomodolibet erant statum, adversus easdem prædecessoris prædicti, & alias quascumque contrarias literas, aut dispositiones apostolicas tenore præsentium restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus, ac ex nunc ipso facto restitutas, repositas, ac plenarie reintegratas esse decernimus, easdemque prioris dicti prædecessoris literas ac processus habitos per easdem, ac inde sequuta quæcumque & cetera contenta, alias in suo robore permansura, quoad suppressionem dignitatum & denominationum, ac titulorum hujusmodi tantum abrogamus, cassamus, irritamus & annullamus, prout ipsas suppressiones & extinctiones irritas ac nullius roboris vel momenti esse & censeri auctoritate earumdem præsentium volumus & declaramus, perinde ac si prioris prædecessoris literæ hujusmodi & inde sequuta ceteraque contraria quæcumque non emanassent. Ceterum statuimus & declaramus, ut eædem ipsæ sic per nos restitutæ dignitates tam nunc, quam imposterum quovis modo & quotiescumque vacaverint, monachis ejusdem congregationis idoneis & tali honore dignis juxta laudabilia statuta & consuetudines ipsius ordinis, & prout ante suppressionem prædictam de illis disponi consueverant, similiter conferantur seu concedantur, aut alias ipsi monachi ad eas eligantur & assumantur, qui tamen monachi de ipsis dignitatibus provisi, & ad illas electi seu assumpti suarum provisionum & perfectionum, aut restitutionis, irrepositionis per nos factæ, vel alio quovis prætextu in regimine & administratione bonorum aut jurium, aut in perceptione quorumcumque fructuum, redditunm & proventuum & emolumentorum ad dicta monasteria, prioratus, plebanias seu ecclesias legitime spectantium, & perpetuo dictas prædecessoris ejusdem literas certis aliis monasteriis & usibus tunc expressis perpetuo applicatorum & assignatorum se intromittere, aut ali-

aliquid super illis petere aut prætendere nullo modo possint, sed tantum nomine & honoris gradu & dignitatis titulo, prærogativa & insignibus, necnon facultatibus & juribus prædictis contenti esse debeant. Appellationes vero, concessiones de dictis bonis, proprietatibus, fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus & emolumentis universis per dictum Gregorium prædecessorem, aut alias auctoritate apostolica in favorem quorumcumque monasteriorum, aut ad alios usus ejusdem congregationis factas, & inde secuta quæcumque per prædictas literas, ac restitutionem, repositionem aut reintegrationem prædictas non intendimus in aliquo lædere, aut illis derogare, sed eas volumus in suo robore permanere, prout ad præsens possidentur. Decernentes præsentes literas de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostræ, vel quovis alio defectu, etiam ex eo quod hi, quorum interest, vocati & auditi, causæque, propter quas emanarunt, legitime probatæ & verificatæ non fuerint, aut alio quovis prætextu, notari vel impugnari, aut in controversiam revocari, vel ad terminos juris reduci non posse, sed semper validas & efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri debere, sicque per quoscumque judices & commissarios in quavis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari & definiri debere, irritumque & inane, si secus super his a quovis quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Præterea cum ex ipsis monasteriis dictæ congregationis alia per abbates regantur, alia per priores, multaque absurda controversiarum, & dissensionum occasiones in capitulis generalibus aut aliis actibus inde sortiri facile contingat, quæ evitari commode queunt, si uniformes sint omnium, qui monasteriis dignitates & denominationes, & quorum par & æqualis est auctoritas & facultas, eorum etiam eadem sit denominatio & dignitas. His & aliis justis rationibus, ac exemplo etiam monachorum aliarum congregationum & ordinum recte institutorum permoti, in prædictis & aliis omnibus & quibuscumque monasteriis ordinis & congregationis prædictorum per priores hactenus gubernari solitis, ac illorum quolibet dignitates, nomina & denominationes prioratuum, & priorum prorsus abolentes & supprimentes, loco illorum in eisdem monasteriis ac eorum unoquoque dignitatem abbatialem, nomenque & denominationem abbatis sine alicujus præjudicio instituimus, itaut deinceps perpetuis futuris temporibus per abbates, non autem per priores ipsa monasteria regantur & gubernentur, quicumque nunc præsunt & pro tempore præerunt eisdem monasteriis, veri abbates, non autem priores existant, ac se ipsos abbates, non autem priores inscribere, appellare, & ab aliis denominari & nuncupari, & ut veri abbates tractari, & honorari debeant, iisdemque abbatibus sic per nos institutis, antea prioribus, quod universis & singulis privilegiis, indultis, facultatibus, honoribus, præeminentiis, prærogativis, insignibus & gratiis, quibus priores, qui hactenus extiterunt, ac quibus alii abbates aliorum monasteriorum ejusdem congregationis & ordinis de jure, consuetudine vel privilegio, aut alias quomodolibet utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac nunc vel in futurum uti, potiri & gaudere possunt aut poterunt, non solum ad eorum instar, vel pariformiter, vel æque principaliter, nulla prorsus differentia, sine tamen illorum præjudicio, uti, potiri & gaudere libere ac licite valeant, auctoritate prædicta perpetuo concedimus & indulgemus. Per hoc tamen non intendimus alterare aut immutare statum, dignitatem aut denominationem priorum conventualium, qui conventibus monachorum sancti Gregorii de Urbe, & sanctæ Mariæ de Follina certis personis ecclesiasticis in commendam ad eorum vitam auctoritate apostolica concessorum, & sancti Hippolyti Faventiæ prædicti, quod caput totius congregationis existit, & per dictum Stephanum, & pro tempore existentem universæ congregationis generalem abbatem obtineri consuevit, nunc præesse dignoscuntur, aut pro tempore præerunt, sed ipsos tres priores conventuales ultimo dictorum monasteriorum adhuc etiam imposterum non abbates, sed ut antea priores denominari & existimare decernimus, neque illorum statum, dignitatem, denominationem per præsentes etiam in aliquo immutare. Mandamus quoque venerabilibus fratribus Ravennati & Florentino archiepiscopis, ac dilecto filio causarum curiæ cameræ apostolicæ generali auditori, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel per alium seu alios, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte quorumcumque abbatum, priorum, monachorum dictæ congregationis fuerint requisiti, præsentes literas & in eis contenta quæcumque sollemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant illos & illorum quemlibet restitutione, repositione, reintegratione,

ne, institutione, concessione, indulto, decretis aliisque prædictis facile frui & gaudere, non permittentes eos desuper a quocumque quomodolibet indebite molestari, contradictores auctoritate nostra prædicta appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstantibus præmissis & constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon in conciliis etiam generalibus editis, dictorumque ordinis, congregationis & monachorum seu prioratuum, juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis apostolicis illis quomodolibet concessis, approbatis, innovatis, quibus omnibus illorum tenores presentibus pro expressis habentes specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXI. decembris M. D. LXXXV. pontificatus nostri anno primo.

J. Ang. Papius. Marc. Ant. a Valle.

LXXXIII.

Idem confirmat Camaldulensibus privilegia prædecessorum Pontificum.

Anno 1586. VIII. januarii.

Ex libro edito Privilegiorum pag. 94.

Sixtus papa V. ad perpetuam rei memoriam. Religiosorum locorum & personarum indemnitati pastorali sollicitudine intendentes, ea, quæ a prædecessoribus nostris illis concessa fuerunt, cum a nobis petitur, confirmationis nostræ munimine libenter roboramus. Itaque supplicationibus dilectorum filiorum prioris & eremitarum eremi Camaldulensis nobis humiliter porrectis inclinati, omnia & singula privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, gratias, concessiones & indulta per felicis recordationis Sixtum IV. Leonem X. Clementem VII. Paulum III. Julium etiam III. Paulum IV. Pium etiam IV. Pium V. & Gregorium XIII. Romanos pontifices prædecessores nostros ipsis priori, eremitis & eorum domibus & bonis concessa, confirmata & innovata, & quæ præsertim eremitis congregationis sancti Romualdi, alias de Massaccio, in genere concessa fuerunt, & quibus dicti eremitæ sancti Romualdi potiuntur & gaudent, eorumdemque prædecessorum literas tam sub plumbo, quam in forma Brevis desuper confectas, quarum tenores, ac si ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis haberi volumus, auctoritate apostolica, tenore præsentium, quatenus sint in usu, & prout hactenus observata fuerunt, approbamus, confirmamus & innovamus, ac perpetua roboris firmitate subsistere, necnon eorum domibus, bonis & locis prædictis suffragari, ac ab omnibus inviolabiliter observari debere; sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; irritum quoque & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis, quæ prædecessores prædicti in suis literis voluerunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VIII. januarii M. D. LXXXVI. pontificatus nostri anno primo.

Jo. Bapt. Canobius.

LXXXIV.

Idem confirmat & ampliat privilegia concessa Coronæ Dominicæ.

Anno 1589. III. februarii.

Ex eodem libro pag. 101.

Sixtus papa V. Universis Christi-fidelibus præsentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem. De salute gregis Dominici divina dispositione nobis commissi cogitantes, ejusdem gregis fideles spiritualibus muneribus adjuvare non cessamus, ut eorum devotio ad omnipotentis Dei cultum & pietatis opera in dies magis augeatur. Ideoque annuentes precibus dilectorum filiorum congregationis fratrum Camaldulensium, Coronam Domini nostri Jesu Christi indulgentiis, atque aliis spiritualibus muneribus, quæ infra sequuntur, ad spiritualium fidelium consolationem & animarum salutem decoravimus. Qui pœnitens & confessus, seu firmum confitendi propositum habens unam ex dictis coronis recitaverit, quotiescumque id fecerit, ducentorum annorum, necnon quicumque coronam ejusmodi secum defe-

deferens, singulis Lunæ, Mercurii & Veneris, ac festivis de præcepto ecclesiæ servari solitis diebus recitaverit, dummodo confessus & communicatus fuerit, centumquinquaginta annorum: Qui autem solitus fuerit eam recitare quater in hebdomada, semel in anno, die per eum eligenda, si ea die confessus sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum sumpserit, & dictam coronam pariter recitaverit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem consequatur. Quicumque solitus fuerit saltem ter in hebdomada dictam coronam recitare, & in bello contra Infideles, hæreticos & S. R. E. hostes dimicaverit, si eo vel antecedente die dictam coronam recitaverit, & in actu dimicationis mentem ad Deum elevaverit, & peccatorum suorum pœnitens humiliter veniam postulaverit, si in dicta pugna occubuerit, plenariam indulgentiam consequatur. Item quicumque infirmus unam ex dictis coronis apud se habens eam prius hac intentione recitaverit, & illa infirmitate delictorum suorum pœnitens & confessus in articulo mortis sanctissimi Jesu nomen corde, & ore si poterit, sin autem, corde invocaverit, plenariam indulgentiam & omnium peccatorum remissionem in forma Jubilæi, si mors subsequatur, & si non subsequatur, indulgentiam ducentorum annorum lucretur. Qui secum deferens unam ex dictis coronis, nomen Jesu invocando, examen suæ conscientiæ fecerit, & ter orationem Dominicalem & toties salutationem Angelicam recitaverit, preces ad Deum pro tranquillo & felici statu S. R. E. effundendo, viginti dies indulgentiæ. Quique dicto examine peracto actualiter confessus fuerit, & post confessionem Deum optimum maximum pro augmento fidei catholicæ, hæresum extirpatione, & sanctæ Matris ecclesiæ exaltatione oraverit, viginti annos indulgentiæ assequatur. Qui solitus se exercere in aliqua ex operibus, quæ fiunt in religionibus, sit particeps omnium & singulorum operum, quæ fiunt in dictis religionibus, si intentione ejusmodi participationis illud opus exercuerit; Qui apud se habens unam ex prædictis coronis, & legitime impeditus Missæ sacrificio diebus festivis de præcepto ecclesiæ non interfuerit, si quinquies orationem Dominicalem, & toties salutationem Angelicam recitaverit, hujusmodi defectum suppleat. Et si dicto Missæ sacrificio interfuerit, dictam orationem Dominicalem & salutationem Angelicam recitando, quamcumque mentis vagationem similiter suppleat, dummodo dedita opera factum non sit. Quisquis secum deferens unam ex dictis coronis Missæ aut prædicationi interfuerit, vel sanctissimum sacramentum Eucharistiæ, dum ad infirmos, vel aliis sollemniter processionibus defertur, associaverit, vel aliquem a prava ad salutis viam reduxerit, ut puta ab hæresi, blasphemia, detractionibus, vel pacem cum inimicis composuerit, vel aliquod aliud tam spirituale, quam temporale opus, ad honorem Domini nostri Jesu Christi, vel gloriosissimæ virginis Mariæ, vel alterius Sancti pro cujuscumque devotione, vel ad temporalem aut spiritualem proximi salutem operatus fuerit, & ter Pater noster & totidem Ave Maria recitaverit, decem annorum indulgentiam consequatur. Qui diebus stationum ecclesiarum almæ Urbis & extra illius muros absens, ab illa confessus, & sanctissima Communione refectus, ac secum unam ex dictis coronis habens ecclesiam ab ipso pro sua devotione eligendam visitaverit, vel urgenti causa impeditus dictam coronam ac septem psalmos pœnitentiales cum Litaniis cum subsequentibus suffragiis recitaverit, ducentorum annorum indulgentiam consequatur. Ac eamdem etiam consequantur ii, qui in Urbe eadem opera peregerint, si legitime impediti easdem ecclesias visitare nequiverint. Præterea quod omnes supradictæ indulgentiæ applicari possint animabus defunctorum, si ea intentione pro eis oretur, vel supradicta opera peragantur. Volumus autem quod supradictæ Coronæ nemini possint vendi, nec accomodari, & si secus fiat, supradictæ indulgentiæ cessent, nullius sint valoris vel momenti. Datum apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die III. februarii M. D. LXXXIX. pontificatus nostri anno quarto.

Jo. Ang. Dapius.

LXXXV.

Idem permittit translationem corporum SS. Maglorii & Paschasii ex veteri in novam Uranensem ecclesiam.

Anno 1589. XV. septembris.

Ex autographo hujus monasterii.

SIxtus papa V. ad perpetuam rei memoriam. Venerandas Sanctorum reliquias magno, quo decet, prosequimur honore, atque ad earum venerationem Christi-fideles, quantum possumus, per cælestium gratiarum largitionem excitare sedulo procuramus. Sane, cum nuper audiverimus dilectos filios monachos congrega-

gregationis Camaldulensium quamdam ecclesiam sub invocatione Nativitatis beatæ Mariæ Virginis in abbatia Urani prope & extra muros civitatis nostræ Britonoriensis noviter extruxisse, cupereque ipsos monachos corpora sanctorum Maglorii & Paschasii ex veteri ecclesia eorumdem monachorum extra dictam civitatem existente sub invocatione ejusdem ad hanc novam sollemni cultu & ritu transferre. Nos pio ipsorum desiderio benigne annuere, ac ut translatio hujusmodi majori cum veneratione fiat, providere volentes, eorumdem monachorum supplicationibus inclinati, ipsis monachis, ut cum interventu alicujus catholici episcopi corpora & ossa eorumdem sanctorum Maglorii & Paschasii ex ipsa ecclesia veteri ad hanc novam devote & reverenter, solemnique cum ceremonia transferre libere & licite valeant, apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam & facultatem concedimus. Ut autem Christi-fideles eo libentius translationi hujusmodi interesse studeant, quo ex hoc cælestium gratiarum donis uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi-fidelibus vere pœnitentibus & confessis, ac sacra communione refectis, qui translationi hujusmodi pie & devote interfuerint, & ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem misericorditer in Domino concedimus & elargimur. Iisdem vero Christifidelibus, qui pariter contriti, confessi ac sanctissimo Eucharistiæ sacramento refecti anniversario hujusmodi translationis die a primis vesperis usque ad occasum Solis novam ecclesiam præfatam devote visitaverint, & ibi, ut præfertur, oraverint, decem annos & totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino annuatim perpetuo relaxamus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ in monte Quirinali sub annulo Piscatoris die xv. septembris M. D. LXXXIX. pontificatus nostri anno quinto.

M. Vestrius Barbianus.

LXXXVI.

Gregorius XIV. confirmat Camaldulensibus privilegia prædecessorum Pontificum.

Anno 1591. XXIV. septembris.

Ex edito privilegiorum libro pag. 103.

GRegorius papa XIV. ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper apostolicæ servitutis officio ad ea, quæ a prædecessoribus nostris pro ecclesiasticarum, præsertim regularium personarum, quæ sub suavi religionis jugo Altissimo famulantur, directione & tranquillitate statuta & concessa fuerunt, conservanda & augenda libenter inducimur, ut apostolicis gratiis & favoribus circumsepti & muniti, cum majori quiete & devotionis fervore sub regularis vitæ observantia, ac monastica disciplina vivere, ac Deo Opt. Max. preces fundere liberius valeant. Sane pro parte dilectorum filiorum generalis & visitatorum ac prioris eremi, necnon congregationis ejusdem eremi & sancti Michaelis de Muriano Camaldulensis ordinis nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias felicis recordationis Leo X. Clemens VII. Paulus III. Julius etiam III. Gregorius XIII. & Sixtus V. ac alii etiam Romani pontifices prædecessores nostri, tunc existentibus generali & visitatoribus, ac priori eremi, necnon congregationi ejusdem eremi & sancti Michaelis de Muriano diversa privilegia, facultates & indulta ac gratias spirituales & temporales concesserunt, omniaque & singula privilegia, indulta, facultates & gratias ac concessiones ipsis ac personis, domibus & bonis eorumdem eatenus tam apostolica, quam ordinaria, imperiali vel regia auctoritatibus quomodolibet concessa & consuetudine legitime præscripta, acquisita, apostolica auctoritate certis modo, & forma confirmaverunt, ac inter alia statuerunt & voluerunt, quod monasteria, prioratus, ecclesiæ, hospitalia, capellæ & loca dicti ordinis & congregationis tunc & pro tempore existentia, ac eorum quodlibet, necnon abbates, priores, abbatissæ, fratres & sorores, ac personæ in eis degentes in jus & protectionem beati Petri & sedis apostolicæ, ac sub eorum ac sua protectione essent, eademque monasteria, ecclesiæ, prioratus & loca manualia, granciæ, possessiones & bona, ac prælati & personæ congregationis prædictæ ab omni impositione, exactione, collecta, decima, cari-

caritativo ſubſidio, ac alio quocumque reali & perſonali mixto munere vel gravamine omnino immunes eſſent & exempti. Statuto præterea, quod omnia & ſingula monaſteria, hoſpitalia, prioratus, & beneficia eccleſiaſtica & loca eidem congregationi unita & aggregata, ſeu impoſterum aggreganda per quoſcumque, cujuſvis dignitatis fuerint, in titulum vel commendam obtenta, cum primum per ceſſum vel deceſſum illa obtinentium vacarent, ad eumdem ordinem effectualiter reverterentur, & congregationi prædictæ hujuſmodi pleno jure & cum effectu aggregarentur, poſſentque prælati & alii, qui beneficia & loca aliqua dicti ordinis in titulum vel commendam haberent, titulo & adminiſtrationi dictorum locorum in manibus generalis & capituli cedere, qui poſſeſſiones hujuſmodi admittendi poteſtatem habere intelligerentur, ad hoc ut eidem congregationi unirentur & effectualiter aggregarentur, ita tamen ut loca, quæ ſic applicari contingeret, monachis dictæ religionis juxta eorum inſtituta concedenda, debitis propterea non fraudarentur obſequiis, ſed per prælatos monaſteriorum vel locorum, quibus applicata forent & annexa, onera & officia conſueta implerentur. Inſuper ſtatuerunt & ordinarunt, quod & ejuſdem, & ordinis prælatorum numerus augeri non poſſet, nec plures eſſent, quam ſeptem, qui eſſent ejuſdem monaſterii profeſſi, excepto tamen generali, qui in dicto numero non comprehenderetur. Ac præterea eidem generali pro tempore exiſtenti, ut monachos & moniales dictæ congregationis a quibuſvis etiam majoris excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, & quibus pro tempore irretiti forent, etiamſi illorum abſolutio dictæ ſedi ſpecialiter vel generaliter reſervata foret, ſatisfacto tamen iis, ad quorum inſtantiam cenſuræ ipſæ forſan emanaverant; ac a quibuſvis irregularitatibus tam de jure, quam ex ipſius eremi conſtitutionibus & regularibus inſtitutis quomodolibet provenientibus, & quibuſcumque aliis peccatis, criminibus, exceſsibus & delictis quantumcumque gravibus & enormibus, etiam talibus, quod de illis eſſet ſedes prædicta merito conſulenda, & dictæ ſedi qualitercumque reſervatis (exceptis contentis in bulla in die Cœnæ Domini legi conſueta) quoties opportunum foret, eorum confeſſionibus diligenter auditis abſolvere, & eis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungere, ac ſe ipſum etiam a quocumque alio prælato vel eremita ſacerdote vices ſuas illi committendo abſolvi facere, libere & licite poſſet, facultatem conceſſerunt. Eidemque priori & eremitis eremi hujuſmodi, quod honoribus & ſingulis privilegiis, indultis, conceſſionibus, indulgentiis, & gratiis, eremitis ſancti Romualdi, alias de Maſiaccio, in genere quomodolibet conceſsis, approbatis & innovatis, ac quibus eremitæ congregationis ſancti Romualdi hujuſmodi utebantur, potiebantur & gaudebant, ac uti, potiri & gaudere poterant quomodolibet in futurum, uti, gaudere & potiri libere & licite poſſent. Et quod quidquid dubii in dictis privilegiis, conceſſionibus & gratiis emerſerit, id data verborum ambiguitate, ac juriſperitorum interpretatione, in favorem congregationis & locorum particularium ejuſdem interpretari deberet, ſtatuerunt & ordinarunt, prout in diverſis dictorum prædeceſſorum deſuper confectis literis & ordinationibus vivæ vocis oraculo factis plenius continetur. Quare pro parte generalis & viſitatorum, ac prioris eremi, necnon congregationis ejuſdem eremi & ſancti Michaelis de Muriano hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſingulis prædictis ceteriſque in eiſdem literis contentis robur noſtræ approbationis adjicere & alias in præmiſſis opportune providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem generalem & viſitatores, ac priorem eremi, necnon congregationem ejuſdem eremi & ſancti Michaelis de Murano, ac ſingulares perſonas monaſteriorum & locorum eorumdem ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, precibus etiam venerabilis fratris noſtri Ptolomæi epiſcopi Tuſculanen. S.R.E. cardinalis, Comenſis nuncupati, ejuſdem ordinis & religionis Camaldulenſis protectoris inclinati, eoſdemque generalem, & viſitatores prædictos a quibuſvis excommunicationis & cenſuris abſolventes ac ſingularum literarum prædictarum veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, ceſſiones, uniones, aggregationes & incorporationes ſingulorum monaſteriorum, eccleſiarum, hoſpitalium, beneficiorum & locorum quorumcumque in eiſdem prædeceſſorum literis, & præſertim Leonis X. expreſſorum, eidem veſtræ congregationi vigore eorumdem indultorum apoſtolicorum & facultatum hujuſmodi hucuſque factas, & quæ effectum ſortitæ ſunt, ratas & validas, ac efficaces exiſtere decernimus & declaramus, necnon uniones & aggregationes hujuſmodi, & omnia & ſingula privilegia, facultates

cultates & indulta præmissa, prout expressa sunt, necnon omnia & quæcumque alia privilegia, indulta, concessiones, exemptiones, immunitates, facultates & gratias tam spirituales, quam temporales generali, visitatoribus, priori & congregationi ac ordini prædicto, necnon monasteriis, ecclesiis, domibus, & locis, illorumque singularibus personis tam per dictos prædecessores, quam alias quomodolibet dicta auctoritate apostolica concessa, necnon singulas dictorum prædecessorum literas, ac omnia & singula in illis contenta, & inde secuta quæcumque, quatenus sint in usu, & prout hactenus observata fuerunt, apostolica auctoritate prædicta ex certa nostra scientia tenore præsentium approbamus, confirmamus & innovamus, illisque perpetuæ, ac inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulas tam juris quam facti, ac sollemnitatum quarumcumque quomodolibet omissarum, aliosque defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus. Unionesque & aggregationes, ac omnia alia & singula præmissa, & in eisdem literis contenta & comprehensa, ac superius expressa, eisdem generali, visitatoribus, priori & congregationi ac ordini prædictis, eorumque personis & ministris, & cuilibet eorum, auctoritate & tenore prædictis, etiam de novo, etiam Motu proprio & ex certa scientia nostra, & de apostolicæ potestatis plenitudine perpetuo concedimus & indulgemus. Ac districtius præcipiendo mandamus quibusvis archiepiscopis, episcopis ac locorum ordinariis quibuscumque ut super privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, facultatibus & gratiis hujusmodi tam spiritualibus, quam temporalibus eosdem generalem & abbates, etiam ratione visitationis, correctionis, aut alio quovis prætextu, etiam respectu monasteriorum monialium ejusdem ordinis sub cura & gubernio generalis & abbatum prædictorum existentium, ullatenus molestare, inquietare vel perturbare audeant vel præsumant. Ac præterea volentes eosdem generalem, visitatores, priorem eremi, necnon congregationis ejusdem eremi ac sancti Michaelis de Muriano, ac ordinem prædictum Camaldulensem amplioribus favoribus & gratiis prosequi, eisdem generali, visitatoribus, priori, monasteriis, domibus & locis ordinis & congregationis prædictæ omnia & singula privilegia, prærogativas, concessiones, jurisdictiones, cautelationes, favores, facultates, declarationes, depositiones, immunitates, exemptiones, indulta cujuscumque generis existentia, necnon indulgentias etiam plenarias ac peccatorum remissiones, ceterasque gratias spirituales & temporales quibusvis aliis regularium congregationum ordinibus eorumque monasteriis tam virorum, quam mulierum, eorumque generalibus, abbatibus, aliisque superioribus & personis eorumdem, in quibuscumque Mundi partibus existentibus alias quomodolibet concessa ac concedenda, ac quibus de jure, usu, consuetudine vel privilegio, aut concessione apostolica, regia, imperiali, archiepiscopali, episcopali, in genere vel in specie, tam conjunctim quam divisim, etiam per viam communicationis & extensionis alias quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere quomodolibet possint, & poterunt in futurum, & si talia sint vel fuerint, quæ specialem & individuam requirerent mentionem, seu in præsentibus de verbo ad verbum insertionem, & seu particularem concessionem eisdem auctoritate & tenore perpetuo communicamus, extendimus & concedimus, ita quod iidem generalis, visitatores, monasteria & loca prædicta, ut præfertur, ac eorum prælati, fratres & personæ prædictæ ac eorum res & bona sub eorum cura & secundum ejusdem congregationis instituta nunc & pro tempore viventes & existentes, præmissis omnibus & singulis, æque, pariformiter & absque ulla penitus differentia, perinde ac si illis & eorum singulis personaliter & specialiter, & expresse ac nominatim, necnon ad instar concessa essent, in quantum eidem congregationi expediat, dummodo ejusdem congregationis regularibus ordinibus ejusque gubernio, privilegio, constitutionibus, & definitionibus non adversentur, uti, frui, potiri & gaudere libere & licite possint & valeant. Insuper cum ejusdem ordinis & congregationis prælati, qui sint ejusdem monasterii professi, plures quam septem, excepto generali, qui in dicto numero non computatur, ordinationibus apostolicis minime esse valeant, tenore præsentium eadem apostolica auctoritate numerum prælatorum dictæ congregationis augemus, ita quod futuris temporibus octo prælati ejusdem monasterii professi (excepto generali, quem in dicto numero volumus non comprehendi) esse possint & valeant, ac præsertim in his dictæ suæ congregationis monasteriis & ecclesiis, videlicet sanctæ Mariæ de Puteo Stratæ Taurinensis, sancti Viti in Carubio Mediolanensis, sanctorum Catharinæ & Romualdi Cremonensis, necnon sancti Augustini de Bassiano de Aprutio, & etiam sancti Nicolai de Cornu ejusdem provinciæ Aprutii

tii Pennensis suos abbates & prælatos eligere, deputare ac instituere, ut & in aliis suis monasteriis dictæ congregationis possint & valeant. Decernentes sic, & non aliter per quoscumque judices, quavis auctoritate fungentes, etiam locorum ordinarios, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, sedis apostolicæ nuncios, & causarum palatii apostolici auditores, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, irritum quoque & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus eidem venerabili fratri nostro Ptolomæo episcopo Tusculanensi S. R. E. cardinali, Comensi, ejusdem congregationis & ordinis protectori nunc & pro tempore existenti, ac dilecto filio curiæ causarum cameræ apostolicæ generali auditori per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se, vel alium seu alios præsentes literas ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem generalis, visitatorum, prioris eremi & congregationis prædictæ, aut alicujus eorum fuerint requisiti, sollemniter publicari, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque inviolabiliter observari, ac plenum effectum sortiri, necnon generalem, visitatores, abbates, priores & monachos prædictos & eorum singulos omnibus præmissis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos, & eorum quemlibet desuper contra præsentium tenorem sub quovis prætextu, etiam subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, etiam defectu intentionis nostræ, per quoscumque quomodolibet molestari, perturbari vel impediri. Contradictores quomodolibet & rebelles etiam per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus sententias, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Non obstante nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. prædecessoris nostri de una, & in concilio generali edita de duabus dietis, aliisque apostolicis, & in provincialibus & synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, declarationibus, inhibitionibus & decretis, privilegiis quoque, indultis & literis apostolicis, legatis, nunciis, & ordinariis & congregationibus & ordinibus prædictis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis & decretis irritantibus, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos pontifices prædecessores nostros, ac nos & sedem apostolicam, etiam motu simili & consistorialiter, aut alias quomodolibet concessis, & etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus & formis specialis, specifica, expressa & individua, ac si de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, etiamsi in eis caveretur expresse, quod illis nullatenus, aut nonnisi sub certis modo, & formis derogari possit, illorum omnium & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie ad effectum præmissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, ut præsentibus nostris literis per quascumque revocationes seu apostolicas constitutiones sub quibuscumque verborum formis, etiamsi Motu proprio & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine emanaverint, derogari non possit, nisi eorumdem privilegiorum & præsentium totus tenor de verbo ad verbum inseratur, ac de omnibus & singulis dictæ congregationis monasteriis nominatim specifica mentio fiat, quodque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus prælati dicti ordinis, aut protectoris ac notarii publici subscriptis, & sigillo dictæ congregationis aut alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides adhibeatur in judicio & extra, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXIV. septembris

bris M. D. XCI. pontificatus nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

LXXXVII.

Innocentius IX. confirmat Camaldulensibus ecclesiam S. Angeli de Apiro.

Anno 1591. . . . . . .

Ex archivo ejusdem ecclesiæ in Historia MS. Apiri Parte II.

INnocentius papa IX. Cum sicut accepimus, alias felicis recordationis Eugenius papa IV. prædecessor noster monasterium, abbatia nuncupatum, sancti Urbani de Apiro de Asinante ordinis Camaldulensis Camerinensis diœcesis cum parochiali ecclesia sancti Angeli de Apiro, ac aliis ipsi monasterio annexis, juribusque & pertinentiis suis universis, monasteriis abbatiis etiam nuncupatis sanctis Salvatoris & sancti Blasii terræ Fabriani ejusdem ordinis Camaldulensis & diœcesis Camerinensis apostolica auctoritate per suas de anno Domini M. CCCC. XXXI. pontificatus sui anno primo confectas literas univerit, annexuerit & incorporaverit, & deinde unio prædicta spatio centum annorum vel circiter suum debitum sortita fuerit effectum, & postquam ordo prædictus ad conventualitatem reductus fuit, & demum recolendæ memoriæ Leo decimus & prædecessor noster in reformatione & reductione dicti ordinis ad regularis vitæ & disciplinæ observantiam eidem ordini amplissima privilegia & indulta concessisset, attendens plurima ipsius ordinis monasteria, ecclesias, membra, annexa & alia beneficia partim in titulum, partim in commendam per particulares personas seculares & regulares obtineri & possideri, voluerit & ordinaverit, ut omnia loca & singula beneficia cum cura & sine cura, ordinis & religionis hujusmodi, sive in ordine, sive extra ordinem forent, & per quoscumque cujusvis dignitatis in titulum sive commendam obtenta, cum primum per decessum vel cessum illa vacarent, aut illorum commendæ cessarent, ad prædictum ordinem & religionem cum effectu reverterentur, & ei pleno jure aggregarentur, prout in dictis Leonis X. literis apostolicis plenius contineri dicitur, & successive de anno Domini M. D. LXIII. quondam Contuccius Aquacotta, cui alias tunc ob paucitatem monachorum dicti ordinis parochialis ecclesia prædicta sancti Angeli tamquam membrum & annexum primo dicti monasterii per tunc existentem dictorum unitorum monasteriorum commendatarium regenda & gubernanda concessa fuit, ex certis causis animum suum moventibus eamdem parochialem ecclesiam cum illis annexis, ac omnibus juribus & pertinentiis suis vigore privilegiorum & indultorum apostolicorum dicto ordini concessorum in manibus existentis ordinis prædicti generalis abbatis sponte & libere resignavit, idemque generalis eorumdem indultorum & privilegiorum vigore illam resignationem hujusmodi admissam per eamdem resignationem vacantem eidem ordini & religioni Camaldulensi restituerit, univerit & incorporaverit, ac deinde dicta religio Camaldulensis spatio viginti annorum vel circiter in pacifica possessione parochialis ecclesiæ prædictæ extiterit. Et propterea licet stantibus præmissis omnibus non debuerit super eadem parochiali ecclesia turbari & molestari, nihilominus quondam Franciscus Contucius, sub pretextu, quod ipsa parochialis vacaverit per obitum prædicti Contucii, qui, ut præfertur, illam de dicto anno M. D. LXIII. resignaverat, obtinuerit, seu potius extorserit, de illa sibi apostolica auctoritate provideri, demumque provisionis hujusmodi prætextu sese in ejus possessionem intruserit, & propterea inter religionem prædictam conquerentem, se pacifica sua possessione indebite turbatam, ac de parochiali ecclesia spoliatam esse ex una, ac prædictum Franciscum ex altera partibus lis & causa in nostro Romæ auditorio coram dilecto filio magistro Francisco Mantica illius auditore introducta fuerit, & tandem cum in eadem causa ad nonnullos actus citra tamen illius conclusionem deventum extitisset, multis tamen dubiis in eadem Rota in favorem dictæ religionis resolutis, prædictus Franciscus de mense septembris proxime præterito extra Romanam curiam diem clauserit extremam, & propterea dicta religio dictæ parochialis ecclesiæ possessionem recuperans, in illa continuet de præsenti. Nos qui religiosarum personarum quietem & tranquillitatem, ut eo liberius Deo omnipotenti inservire possint, sincero desideramus affectu, ut dicta religio & longioribus litium & causarum molestiis & vexationibus eximatur, & laboribus & expensis parcat, quodque suum est, consequatur, providere volentes, motu simili & ex certa scientia & de apostolicæ potestatis plenitudine unionem, annexionem, & incorporationem de dicta parochiali ecclesia, illiusque membris, juribus & pertinentiis suis universis per dictum tunc exi-

existentem generalem, vigore indultorum & privilegiorum apostolicorum ipsi religioni factas, ut præfertur, cum inde secutis quibuscumque illas concernentibus, necnon etiam post obitum dicti Francisci captam ejusdem parochialis ecclesiæ per dictam religionem possessionem, ac etiam hactenus continuatam, necnon omnes & singulos tam juris, quam facti, & etiam sollemnitatum, etiam quantumvis necessariarum, aliosque defectus, qui forsan intervenerunt in eisdem, supplemus, &c. perpetuum desuper silentium imponimus & os claudimus &c. Non obstantibus &c.

LXXXVIII.

Clemens VIII. Hieronymum Perusinum eremitam Coronensem constituit Generalem Congregationis Montis-Virginis, & confirmat IX. maji 1597.

Anno 1594. XXX. junii.

Ex archivo Montis-coronæ.

Clemens papa VIII. dilecto filio Hieronymo Perusino eremitæ Camaldulensi Montis-coronæ congregationis Montis-virginis ordinis sancti Benedicti abbati generali. Dilecte fili, salutem & apostolicam benedictionem. Apostolici muneris nobis divinitus injuncti ratio postulat, ut sacrarum religionum prospero regimini & felici directioni opportune prospiciamus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Cum itaque officium abbatis generalis congregationis monachorum Montis-virginis ordinis sancti Benedicti, quod, ut accepimus, ad triennium durare consuevit, quodque dilectus filius Decius Rugerius superiori triennio obtinuit, ob lapsum ejusdem triennii expirare & vacare dignoscatur, nos cupientes ut congregatio præfata, si forsan aliquo pacto a primævo regularis disciplinæ & monasticæ vitæ instituto, quod certe minime vellemus, hactenus defecit, quam primum benedicente Domino restituatur, vel si in ejusdem regularis disciplinæ & vitæ monasticæ observantia hucusque mansit, divina favente clementia in ea perseveret, unde ipsius congregationis religiosi posthac in via mandatorum Domini progrediantur, & justis & rationabilibus causis animum nostrum moventibus, quas diu examinavimus, munus abbatis generalis ex persona dicti Decii ab hujusmodi triennii lapsu expirare & vacare decernentes & declarantes, ne congregatio præfata generalis superioris gubernio diutius careat; cum tu multorum fide dignorum relatione commenderis, ac ven. fratris nostri Ptolomæi episcopi Tusculani cardinalis Comensis nuncupati dictæ congregationis apud nos protectoris testimonio, si ad hujusmodi munus eligaris, valde comproberis, de tua pietate & in administrando prudentia plurimum in Domino confisi, motu proprio &c. te in præfatæ congregationis Montis-virginis abbatem generalem cum auctoritate, facultatibus, privilegiis, prærogativis, gratiis & indultis abbatibus generalibus ejusdem congregationis pro tempore canonice electis & confirmatis competentibus, ad triennium proximum creamus, facimus, eligimus & deputamus, tibique ut unum, vel duos aut etiam tres, si ita tibi videbitur, ejusdem ordinis Camaldulensis Montis-coronæ religiosos dicto durante triennio in tuos socios, qui tibi assistant, & in exercendo dicto ministerio operam suam præstent, assumere valeas, licentiam & facultatem concedimus & indulgemus. Mandantes præterea in virtute sanctæ obedientiæ dilectis filiis prædictæ congregationis Montis-virginis abbatibus, præpositis, conventibus & religiosis universis, ut te, durante triennio præfato, generalem abbatem eorum congregationis præfatæ juxta tenorem præsentium accipiant, & ea, qua decet, reverentia prosequantur, tibique obedientiam & reverentiam debitam & devotam humiliter præstent, tuaque salubria monita & mandata recipiant, atque adimpleant & exequantur. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXX. junii M.D. LXXXXIIII. pontificatus nostri anno tertio.

M. Vestrius Barbianus.

Idem eidem.

Clemens papa VIII. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Cum pro reformatione congregationis Montis-virginis, ejusque monachorum & religiosorum prospera directione, te ob tuam pietatem, prudentiam & religionis zelum in ejusdem congregationis abbatem generalem præficiendum duxerimus, prout in nostris in forma Brevis expeditis literis plenius continetur. Nunc pro utilitate dictæ congregationis, ac ejus reformationis progressu te in eodem abbatis gradu manere adhuc continuari expediat, nos te in abbatem generalem dictæ congregationis ad nostrum & sedis apostolicæ beneplacitum auctoritate apostolica tenore præsentium con-

confirmamus, tibique, ut omnia & singula, quæ abbates generales pro tempore dictæ congregationis professi circa regimen & gubernium præfatæ congregationis facere, gerere, mandare & exequi, præcipue vero ea, quæ circa dictæ congregationis reformationem nos facienda injunximus &c. præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ &c. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die IX. maji M.D.XCVII.

M. V. Barbianus.

LXXXIX.

Idem copiam facit Abbatibus Camaldulensibus conferendi IV. ordines minores suis subditis.

Anno 1594. III. augusti.

Ex Libro edito Privilegiorum pag. III.

Clemens papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Officii nostri debitam prosequimur actionem, cum ea, quæ a sede apostolica concessa sunt, & dubia esse videntur, ita declaramus, ut piis Christi-fidelium mentibus nulla dubitandi occasio relinquatur. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii abbas generalis & visitatores congregationis eremi & sancti Michaelis de Muriano Camaldulensis ordinis, quod dudum felicis recordationis Leo papa X. prædecessor noster in confirmatione privilegiorum eidem eremo & congregationi antea concessorum inter alia specialiter & expresse sancivit, quod electi seu nominati ad monasteria & prioratus eremi & congregationis hujusmodi, absque alicujus sedis apostolicæ vel alterius provisionis seu dispensationis adminiculo, etiam præter hoc, quod eis munus benedictionis impenderetur, ipsis monasteriis & prioratibus præesse, ac illa in spiritualibus & temporalibus regere & gubernare, ac omnes actus ibidem exercere, & insignia deferre valerent, ac si munus benedictionis hujusmodi suscepissent, dictaque privilegia deinde piæ memoriæ Clemens VII. Paulus III. Julius etiam III. Gregorius XIII. Sixtus V. & novissime Gregorius XIV. prædecessores nostri approbaverunt & confirmaverunt, ipseque Gregorius papa XIV. eidem congregationi, ut omnibus & singulis privilegiis & indultis, quibus alii ordines in quibuscumque Mundi partibus existentes utuntur, uti libere & licite valerent, indulsit, prout in diversis dictorum prædecessorum desuper confectis literis plenius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, a nonnullis revocetur in dubium, an abbates & priores hujusmodi sic electi & nominati possint conferre quaatuor minores Ordines suis subditis regularibus, quemadmodum alii abbates aliorum ordinum, præsertim sancti Benedicti, suis subditis regularibus conferre consueverunt & conferunt; nos omnino in præmissis dubitandi occasionem tollere volentes, ac dictorum privilegiorum tenores, perinde ac si de verbo ad verbo insererentur, præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus abbatis generalis & visitatorum hujusmodi inclinati, attenta maxime communicatione privilegiorum eidem congregationi per dictum Gregorium XIV. prædecessorem concessa, harum serie declaramus, abbates, & priores sic electos & nominatos quatuor minores Ordines prædictos suis subditis regularibus conferre juxta decreta Concilii Tridentini libere & licite posse. Et nihilominus, quatenus opus sit, & pro majori cautela eisdem abbatibus & prioribus sic electis & nominatis Ordines prædictos eisdem subditis conferendi facultatem per præsentes concedimus, sicque per quoscumque quavis auctoritate fungentes, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique judicari & definiri debere, necnon irritum & inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die III. augusti M.D.XCIV. pontificatus nostri anno tertio.

M. Vestrius Barbianus.

XC.

Traditio ecclesiæ S. Mariæ in Campanea Veronæ facta Camaldulensibus a Clemente VIII.

Anno 1596. VII. kal. julii.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano.

Clemens episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. vicario venerabilis fratris nostri episcopi Veronensis in spiritualibus generali salutem & apostolicam benedi-

nedictionem. Sedis apostolicæ circumspecta benignitas piis devotarum personarum desideriis consuevit favorabiliter annuere, ac illos in his potissimum, per quæ divini cultus ac religionis cum animarum salute succedit incrementum, liberaliter exaudire. Sane pro parte dilectorum filiorum Garciæ de Ilva moderni abbatis generalis congregationis monachorum Camaldulensis ordinis, ac rectorum & consilii, necnon communitatis & hominum Veronensium exhibita nobis nuper petitio continebat, quod cum ipsi rectores, consilium, communitas & homines prædicti provide considerarent quamplurimos eorum concives sub habitu monachorum sancti Benedicti congregationis Camaldulensis præpotenti Deo perpetuum exhibuisse, & adhuc circa quinquaginta exhibere famulatum, & ex eis sex magna in ordine & congregatione hujusmodi auctoritate esse, ac abbatis honore decorari, nullumque in dicta civitate prædicti ordinis & congregationis monasterium aut regularem locum, in quo monachi prædicti eorum vota Altissimo reddere, ac suis concionibus ac spiritualibus exercitiis patriæ opitulari possint, adesse ecclesiam vero sine cura beatæ virginis Mariæ Miraculosæ Campaniæ nuncupatæ, extra burgum Veronensem de jure patronatus ipsorum communitatis & hominum ex fundatione, necnon in titulum perpetui beneficii ecclesiastici erectam existere, ac illi per quatuor capellanos extraneos & ad eorum nutum amovibiles, qui tamquam mercenarii, in ejus servitio satis negligenter se gerunt, in divinis deserviri, ut pietatem & caritatem, qua in dictos ordinem & congregationem, eorumque concives semper fuerunt affecti, hoc speciali necessitudinis signo patriæ exhibere possint, in dictam ecclesiam ordinem & congregationem prædictorum monachorum introduci cupiant, & propterea si dicta ecclesia quoad illius usum & habitationem tantum eisdem ordini & congregationi, illiusque monachis nunc & pro tempore existentibus perpetuo concederetur, ac prope dictam ecclesiam unum monasterium eorumdem ordinis & congregationis pro unius abbatis & decem monachorum, uniusque conversi numerum, duodecim in totum conficientium perpetuis usu & habitatione etiam perpetuo erigeretur & institueretur, ex hoc profecto rectoris, consilii, communitatis & hominum prædictorum spirituali consolationi, ac ordinis & congregationis hujusmodi propagationi satis opportune consuleretur; quare pro parte Garciæ, necnon rectorum, consilii, communitatis & hominum prædictorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus præmissis annuere, ac alias desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem &c. hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si & postquam vocatis, qui fuerint evocandi, de præmissis nobis expositis tibi legitime constiterit, & sine alicujus præjudicio ecclesiam prædictam una cum illius sacristia, & sacra & prophana suppellectili atque paramentis & ornamentis ecclesiasticis, necnon ædificiis & habitationibus, aliisque bonis ei adjacentibus quoad illorum omnium usum & habitationem tantum eisdem ordini & congregationi, illorumque monachis nunc & pro tempore existentibus, ita tamen quod in dicto monasterio erigendo, ultra abbatem & conversum hujusmodi, decem ad minus monachi ordinis & congregationis hujusmodi pro divinis officiis peragendis continuo residere; & si ullo tempore ordo & congregatio hujusmodi, quod Deus avertat, extinguatur, tunc ecclesia, sacristia, suppellectilia, paramenta, ornamenta, ædificia, habitationes & bona adjacentia hujusmodi, necnon structuræ, ædificationes & aliæ fabricæ per dictos ordinem & congregationem in circuitu dictæ ecclesiæ pro tempore faciendæ absque ullius pretii solutione ad ipsam ecclesiam spectare debeant, & casu quo aliquis dictorum ordinis & congregationis prælatus majores in dicta ecclesia præeminentias & prærogativas, quam per præsentes eis sunt concessæ, impetrare tentaret, tunc ipse abbas & monachi prædicti usu & habitatione priventur, & privati esse censeantur, auctoritate nostra perpetuo concedas & assignes, ac prope ecclesiam eamdem unum dictorum ordinis & congregationis monasterium cum conventu, claustro, dormitorio, refectorio, cellulis, hortis, hortalitiis, aliisque officinis & fabricis necessariis & opportunis pro unius abbatis ac decem ad minus aliorum monachorum & unius conversi ordinis & congregationis hujusmodi numerum, duodecim insimul conficientium, qui juxta regularia eorum instituta perpetuo Altissimo famulari, dictæque ecclesiæ in divinis deservire, & in ea singulis diebus divina officia etiam juxta eorum regularia instituta celebrare, ac Christi-fidelium confessiones sacramentales, si ad id ab ordinario loci approbati fuerint, audire, & eis sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum ministrare, & quoties ali-

aliqua in dicta ecclesia celebranda convocare debeant & teneantur, perpetuis usu & habitatione etiam perpetuo erigas & instituas. Illoque sic erecto & instituto pro ejus dote, dictorumque abbatis, monachorum ac conversi sustentatione quingenta scuta monetæ Romanæ, tercentum videlicet ex eleemosynis & oblationibus, quæ in dicta ecclesia a Christi-fidelibus erogatur, quorum libera administratio & omnimoda dispositio ad prædictos rectores, consilium, communitatem & homines remaneat, necnon centum ex de Carceribus Paduanæ diœcesis, ac quinquaginta ex sancti Michaelis, & trigiata ex sancti Mathiæ de Murano Torcellanensis diœcesis, & decem ex sancti Johannis de Judaica, reliqua vero decem scuta ex sancti Marci Mantuanensis monasteriorum ordinis & congregationis hujusmodi fructibus & redditibus, juribus, obventionibus & emolumentis universis per eorum abbates nunc & pro tempore existentes ac conventus quotannis concedenda & assignanda. Et eventu in quem dictæ oblationes & eleemosynæ ita deficerent, ut quolibet anno ad dictam summam trecentorum scutorum non ascenderent, tunc prædicti rectores, consilium communitas & homines ad residuum dictæ summæ persolvendum minime teneantur, nec ad id a quoquam cogi aut compelli queant; & Abbas & monachi erecti monasterii hujusmodi aliud præter illud, quod ex dictis oblationibus & eleemosynis pro tempore provenerit, a prædictis rectoribus, consilio communitate & hominibus petere aut pretendere non possint, sed abbates nunc & pro tempore existentes, ac conventus dictorum monasteriorum de Carceribus, ac sancti Michaelis & sancti Mathiæ, necnon sancti Johannis & sancti Marci illud, quod pro tempore ex dicta summa trecentorum scutorum prædictis oblationibus & eleemosynis ad eam ascendere nequeuntibus deficeret, ea prædictorum eorum monasteriorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus & emolumentis universis, etiam juxta ratam partem dictorum ducentorum scutorum eos tangentem, & seu aliorum dictorum ordinis & congregationis abbates & conventus id quod, ut præfertur, deerit, arbitrio prædicti & pro tempore existentis dictorum ordinis & congregationis abbatis generalis & prædictorum eorum monasteriorum fructibus & emolumentis universis concedere & assignare debeant & teneantur, ac de præmissis omnibus obligati sint & esse censeantur, dicta auctoritate simili perpetuo applices & appropries. Ita quod liceat prædicti sic erecti monasterii abbati & conventui per se vel alium seu alios eorum, ac dicti illorum monasterii nomine seu nominibus prædicta quingenta scuta percipere, colligere, levare ac in suos communes & dicti sic erecti monasterii usus & utilitatem convertere, diœcesani loci nunc & pro tempore existentis vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita. Et insuper eidem sic erecto monasterio, illiusque abbati, conventui, novitiis, conversis & ceteris personis nunc & pro tempore existentibus, quod omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, prærogativis, antelationibus &c. gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus prædictis ordini & congregationi, illorumque monasteriis, ecclesiis & regularibus locis, ac abbatibus, superioribus, conventibus, monachis, religiosis, novitiis, conversis, familiaribus & personis concessis hactenus & imposterum concedendis, & quibus prædicti ordo & congregatio, illorumque monasteria, ecclesiæ & alia regularia loca, eorumque monachi & religiosi quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti potiri & gaudere possint & valeant, eadem auctoritate pariter perpetuo concedas & indulgeas, illaque & illas eis perpetuo communices. Præsentes quoque de subreptionis vel obreptionis vitio &c. notari nequeant, &c. sed ab omnibus &c. observari debere &c. Non obstantibus &c. Volumus autem, quod si contingat dictos monachos usu & habitatione prædictis in eventum præmissum privari, eo casu abbates pro tempore existentes & conventus de Carceribus, & aliorum monasteriorum prædictorum omnes & singulos fructus, redditus & proventus seu bona quæcumque per eos & eorum in dictis monasteriis prædecessores pro alimonia, ut præfertur, assignatos & relicta, quæ tunc superarunt, dictoque sic erecto monasterio applicata & appropriata, seu in ejus, illiusque abbatis & monachorum utilitatem, & alimoniam & commodum designata pro tempore reperirentur, juxta eorum ratam partem per eos, ut præfertur assignatam reassumere, eamque in hujusmodi eorum monasteriorum usum & utilitatem convertere possint & valeant in omnibus & per omnia, perinde ac si illi seu illa prædicto sic erecto monasterio numquam applicata seu appropriata, vel in ejus illiusque abbatis & monachorum utilitatem & commodum assignata fuissent; per præsentes autem non intendimus jus-patronatus hujusmodi in aliquo approbare. Datum Romæ apud sanctum Marcum anno incarnationis

tionis Dominicæ M.D.XCVI. VII. kalendas julii pontificatus nostri anno V.

XCI.

Idem bullam edit contra ambitiosos monachos Camaldulenses.

Anno 1596. III. septembris.

Ex Lib. edito Privileg. pag. 114.

CLemens papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Ambitiosam honorum & dignitatum cupiditatem ecclesiasticos omnes, sed religiosos præsertim, qui in humilitatis spiritu Deo servire tenentur, ita evitare decet, ut ipsi prælaturas minime requirere, sed eas vocati, ut Aaron, obedienter suscipere & humiliter administrare studeant. Hujus siquidem ambitionis malum ex ordine Camaldulensi, in quo apud nonnullos, qui propriis religiosarum virtutum, ut deceret, ex meritis inniti non valentes, ad ordinis ejusdem dignitates, & gradus etiam majores iis, quos forsan obtinent, per mendicatos S. R. E. cardinalium & principum etiam secularium favores assumi procurant, vigere, non sine animi nostri dolore accepimus, quantum cum Domino possumus evellere cupientes: Motu proprio ac de apostolicæ potestatis plenitudine omnes & singulos monachos prædicti ordinis & congregationis Camaldulensis cujuscumque ætatis, gradus, conditionis, præeminentiæ & literaturæ existentes, qui nimirum pro quibuscumque prælaturis, dignitatibus, muneribus & officiis, etiam iis, quæ obtinent, majoribus in dicta congregatione consequendis, sive pro remissione pœnarum eis impositarum, aut aliis quibuscumque gratiis impetrandis, ad principum quorumcumque tam ecclesiasticorum, etiam S. R. E. cardinalium, quam secularium ac prælatorum de gremio dictæ congregationis non existentium favores recurrerint, eosque requisierint, vel iis etiam sponte delatis, aut ab aliis, etiam ipsis insciis, procuratis usi fuerint, vel etiam pactis, pollicitationibus, aliisque viis directe vel indirecte, palam vel occulte ad dignitates seu officia in congregatione prædicta obtinenda aspiraverint, vel aliis minus legitimis & honestis rationibus ea obtinere procuraverint, illorumque complices & fautores ad quascumque prælaturas, dignitates, gradus, honores & officia, tam spiritualia, quam temporalia, & præsertim in ipsa congregatione obtenta vel obtinenda perpetuo inhabiles declaramus, ac obtentis prælaturis, dignitatibus, administrationibus vel officiis eo ipso privamus, ac privatos voce activa & passiva carere, pœnasque hujusmodi a nobis tantum & Romanis pontificibus successoribus nostris remitti posse decernimus & declaramus, omnes & singulas supradictas pœnas ad eos etiam extendentes, qui ne ex aliquo monasterio removeantur, seu ut in alterius monasterii familia deputentur, contra capituli seu superiorum voluntatem supradictas literas seu favores exquirere & obtinere præsument. Quocirca in virtute sanctæ obedientiæ ac indignationis nostræ, aliisque omnibus prædictis pœnis dilectis filiis generali, visitatoribus, definitoribus, aliisque prælatis quocumque titulo nuncupatis, præsentibus & futuris præcipimus ac districte mandamus, ne aliquos ullo unquam tempore, precibus, literis vel favoribus adducti, seu alias ad instantiam, requisitionem vel contemplationem principum ecclesiasticorum vel temporalium, etiam S. R. E. cardinalium, aut aliorum quorumcumque extra gremium dictæ congregationis existentium ad cujusvis generis prælaturas, dignitates, officia, administrationes & gradus promovere vel pœnas aliquas remittere, aut aliam quamcumque gratiam, ut præfertur, facere audeant vel præsumant, immo promovendorum meritis & virtutibus tantum inspectis, quod Dei causam agant, memores sint, quo magis puro & sincero corde nulla privata aut mundana affectione commoti in electionum negotio procedant. Decernentes electiones & promotiones ad monasteria seu ad quæcumque alia officia dicti ordinis sic literis aut aliis favoribus principum & prælatorum quorumcumque, vel aliorum extra gremium, ut præfertur, existentium, eorumque precibus ac pollicitationibus injuste ac indebite extortas, seu alias quandocumque faciendas, & pro tempore obtentas nullas prorsus, invalidasque fore & esse, & adversus eos, qui his minus legitimis rationibus ad regenda monasteria, seu ad alia quæcumque officia se eligi aut assumi obtinuerint, per ejusdem congregationis superiores quandocumque procedi, & rei veritate cognita condignis pœnis, tamquam publicæ dictæ congregationis quietis perturbatores affici posse & debere; & ita per quoscumque judices & commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate judicari & definiri debere. Irritum

rum quoque & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in provincialibus & synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac dictorum congregationis & ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & literis apostolicis, illis & illorum superioribus sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis concessis & confirmatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice motu & scientia similibus latissime derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si prædictis congregationi & monachis vel quibuscumque aliis communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ac ut harum literarum notitia ad omnes dictæ congregationis monachos facilius deveniat, volumus illas in generali dictæ congregationis capitulo quotannis publice legi, ibique lectas omnes sic arctare, ac si legitime unicuique intimatæ fuissent; illorumque exemplis vel impressis manu scribæ dicti capituli vel notarii publici subscriptis, & sigillo generalis ipsius congregationis vel alterius in dignitate ecclesiastica constituti obsignatis, eam prorsus fidem haberi, quæ præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die III. septembris M. D. XCVI. pontificatus nostri anno V.

XCII.

Consecratio ecclesiæ Vincareti.

Anno 1596. XVIII. novembris.

Ex Memoria in monasterio S. Jo: baptistæ de Faventia.

M.D.XCVI. die festo Dedicationis Basilicæ SS. Apostolorum Petri & Pauli, decimo-octavo novembris. Ego Johannes-andreas episcopus Brittonorii consecravi Ecclesiam & Altare hoc in honorem Annuntiationis beatæ Mariæ Virginis, & reliquias Sanctorum Stephani protomartyris, & Mauri Abbatis in eo inclusi; singulis Christi Fidelibus hodie unum annum, & in die anniversario consecrationis hujusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma ecclesiæ consueta concedens.

XCIII.

Clemens VIII. approbat augmentum Prælatorum Camaldulensium factum a Gregorio XIV.

Anno 1597. XIX. aprilis.

Ex Actis Capitularibus anni 1594.

CLemens papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Cum sicut accepimus, licet in statutis & constitutionibus congregationis Camaldulensis inter alia disponeretur, ut ejusdem congregationis prælatorum numerus augeri non possit, ac illius prælati non essent plures, quam septem ejusdem monasterii professi, excepto generali, qui in dicto numero non comprehendatur, nihilominus felicis recordationis Gregorius papa XIV. prædecessor noster in literis super confirmatione privilegiorum, & concessione aliarum gratiarum ipsi congregationi facta sub Datum Romæ die XXIV. septembris 1591. pontificatus sui anno primo expeditis, inter alia numerum præfatum prælatorum dictæ congregationis auxerit, itaut deinceps futuris temporibus extent octo prælati ejusdem monasterii professi, exepto generali, quem in dicto numero comprehendi noluit, prout in ejus literis, quarum tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum sicut etiam accepimus, in dieta ejusdem congregationis de anno 1594. in civitate Faventiæ habita religiosi vocales ejusdem congregationis & in ea præsentes, inhærendo eorum constitutionibus, augmento dictorum prælatorum contra dictas Gregorii literas, in quibus etiam, decreto irritante, aliter ac in ipsis literis dispositum est, judicandi & interpretandi cuique facultas sublata fuit, renunciaverint, nos propter præmissa, ne confusio vel perturbatio aliqua in prædicta congregatione suboriatur, providere volentes, declaramus præfatam dietam seu religiosos, qui in illa præsentes fuerunt, renun-

renuntiationem ipsam facere minime potuisse, ac propterea dictam renuntiationem nullam & invalidam, ac nullius valoris & momenti fuisse & esse, ac augmentum prælatorum a Gregorio prædecessore factum in ejus robore perpetuo manere, sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XIX. aprilis 1597. pontificatus nostri anno sexto.

XCIV.

Idem concedit aliquot Nobilibus mulieribus ingressum in eremum Camaldulensem.

Anno 1598. XVII. augusti.

Ex Memoriis Eremi Camaldulensis.

CLEMENS PP. VIII.

Christinæ Lotharingiæ M. Ducissæ Etruriæ.

Dilecta in Christo filia nobilis mulier salutem, & Apostolicam benedictionem. Nobilitatis tuæ, ac dilectarum in Christo filiarum nobilium mulierum, Mariæ Medices bo: me: Francisci Magni Ducis natæ, ac Flaviæ Perettæ Ursinæ Ducissæ Brachiani nominibus nobis nuper expositum fuit, Vos pietatis, & devotionis causam ecclesiam S. Salvatoris Eremitarum S. Romualdi Congregationis Camaldulensis; necnon sacram Eremum Camaldulensem, & illius Hospitium Fontis-boni Camaldulense nuncupatum in Hetruria intra fines Arretinæ, seu alterius Diœcesis existent. simul personaliter visitare, & intra septa clausuræ Eremi, ac Hospitii prædictorum ejusdem pietatis, & devotionis studio ingredi, necnon etiam ibidem refectionem corporalem sumere, ac pernoctare posse, summopere desiderare; & ideo nominibus vestris hujusmodi nobis humiliter supplicatum fuit, ut opportunam ad hoc licentiam vobis concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur tuæ, ac dictarum Mariæ, & Flaviæ spirituali consolationi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ac vos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, piis, ac devotis vestris supplicationibus inclinati, eidem Nobilitati tuæ, ac præfatis Mariæ, & Flaviæ, ut a vestris Matronis, & mulieribus, seu ancillis ad numerum quindecim, seu viginti ad summum, vestro arbitrio eligendis, modesto habitu indutis associatæ ad Ecclesiam S. Salvatoris, ac Sacram Eremum, & Hospitium Fontis-boni hujusmodi personaliter accedere, & illa visitare, & intra Eremi, ac Hospitii hujusmodi clausuræ septa ingredi, necnon etiam ibidem refectionem corporalem sumere, & si extra clausuras præfatas alibi commodum hospitium habere non potueritis, in præfato Hospitio Fontis-boni, non autem in Eremo pernoctare, ac manere per unum, aut alterum diem integrum ad summum, & hac vice dumtaxat libere, & licite valeatis, auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam concedimus, & indulgemus. Mandantes propterea in virtute S. Obedientiæ dilectis filiis Majori, Vicemajori, & Eremitis dictæ Sacræ Eremi, ac Hospitii Fontis-boni Monachis, & cæteris Officialibus quibuscumque, ut in præmissis nullo mo o se opponant, sed Vos juxta præsentium tenorem illuc accedentes benigne recipiant, & in dicta Loca prompte introducant, & hospitentur. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac dictæ Congregationis Eremitarum Camaldulensium, ejusdemque Eremi, & Hospitii, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Ferrariæ sub annulo Piscatoris die XVII. augusti M. D. XCVIII. Pontificatus nostri anno septimo.

M. Vestrius Barbianus.

Ancora che sia piacciuto alla Santità S. di suo motu proprio concederci di potere visitare l' Eremo, come appare di sopra, ci siamo resolute di non ce ne valere, per non aprire la strada a disturbare la quiete di quel Santo Luogo, e perciò abbiamo scritto di nostra propria mano questo dì primo di settembre 1598. in Camaldoli.

Christina di Lorena G. D. di Toscana.
Maria Medici.
Flavia Peretti Orsina.

XCV.

XCV.

Clementis VIII. literæ ad priorem eremi Camaldul. pro pace eremi.

Anno 1599. XXII. aprilis.

Ex Brevibus Clementis VIII. Tom. 43. pag. 164.

DIlectis filiis fratri Paulo Eremitæ, Majori nuncupato, & aliis Eremitis sacræ Eremi Camaldulensis.

CLEMENS PP. VIII.

Dilecti filii salutem & Apostolicam benedictionem. Gravi nos antea molestia affecerant dissensiones vestræ, sic enim sollicitudo nostra pastoralis & paternus amor postulabat, quo vos in Christo complectimur. Nunc autem delectarunt nos valde literæ vestræ, quibus significastis Ven. fratrem Archiepiscopum Sipontinum nostrum apostolicum Nuntium, qui jussu nostro ad vos venit, Deo ducente Angelum pacis fuisse, ac vobis pacem & concordiam attulisse. Agnovimus prius astutias & dolos satanæ, qui semper circuit quærens, quem devoret, nec ulla re magis excruciatur, quam fratrum unione, quos inter se dividere omni molitione conatur. At nunc vicissim illius clementiam perspicimus, qui est pax nostra, qui facit utraque unum, qui veluti pastor bonus stetit in medio ovium suarum dissipatarum, & visitavit vos, & congregavit, & reduxit intra septa caritatis, ut irascatur peccator, & fremat, & tabescat, quia Deus omnipotens ex malis bona elicuit, & fecit cum tentatione proventum. Itaque gaudemus in Domino, & vobis gratulamur, quod quemadmodum scribitis, unanimes habitatis in Domo Dei, & ambulatis cum consensu, sic agite filii, conservate donum Dei, & rebus ipsis comprobate, quod scribitis pacem istam in cordibus vestris firmas radices egisse, ac deinceps sperare vos, Domino auxiliante, omnia quieta fore, & tranquilla. Idem & nos speramus, divina adjutrice gratia, præsertim si attente consideretis vocationem vestram, & quia positi estis tamquam signum ad sagittam, & facti estis spectaculum mundo & Angelis & hominibus, quod si actiones vestræ malæ sunt, & ab ejus vitæ instituto alienæ, quam professi estis, & Dei iracundiam provocatis & in hominum præsertim bonorum gravem offensionem & scandalum incurritis; quapropter hortamur vos etiam atque etiam, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, & conservetis hæreditatem majorum vestrorum, hæreditatem pacis & sanctitatis, Deo servientes in unitate spiritus, in omni humilitate, patientia, & caritate, ut sitis bonus Christi odor, vitæ ad vitam, non autem mortis ad mortem. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis, orate etiam eum pro nobis, ut infirmitatem nostram Deus propitius respiciat, & nos Apostolicam benedictionem nostram benigne vobis impartimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII aprilis 1599. Pontif. nostri an. VIII.

XCVI.

Idem unit ecclesias SS. Vincentii & Germani & S. Petri in Mazzola & S. Georgii monasterio S. Mariæ Angelorum Pisauri.

Anno 1599. pridie nonas augusti.

Ex tabulario hujus monasterii.

CLemens episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Exigit incumbentis nobis apostolicæ solicitudinis officium &c. Sane exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum abbatis generalis ac visitatorum, & aliorum superiorum congregationis Camaldulensis, necnon modernorum gubernatorum, administratorum & deputatorum hospitalis pauperum mendicantium ad pontem Syxti de Urbe petitio continebat, quod cum abbatia forsan nuncupata sanctorum Vincentii & Germani, ac sancti Petri in Mazzola nuncupati, & sancti Georgii Pisaurensis civitatis vel diœcesis sine cura ecclesiæ, quæ alias per felicis recordationis Sixtum papam Quintum prædecessorem nostrum eidem hospitali pro ipsorum pauperum subventione perpetuo unitæ, annexæ & incorporatæ fuerunt, earumque bona in locis ab ipsa Urbe per multas dietas remotis consistant, & propterea exactio & recuperatio fructuum, redituum & proventuum ipsarum ecclesiarum præsertim a pluribus & diversis bonorum hujusmodi conductoribus facienda eidem hospitali, illiusque pro tempore existentibus gubernatoribus, administratoribus ac deputatis valde incommoda & difficilis existat, ac pro ministrorum & agentium ad id necessariorum salariis, necnon earumdem ecclesiarum frequentibus restaurationibus, aliisque rebus ad illarum servitium & divini cul-

tus

tus usum pro tempore occurrentibus graves impensas, quæ bonam fructuum, reddituum & proventuum hujusmodi partem absorbent, obire necessarium sit. Unde si unio, annexio & incorporatio hujusmodi perpetuo dissolveretur, ipsæ ecclesiæ monasterio sanctæ Mariæ de Angelis nuncupatæ Pisaurensis ordinis sancti Benedicti dictæ congregationis, quod ab ecclesiis earumque bonis præfatis non longe distat, perpetuo unirentur, annecterentur, unirentur & incorporarentur, ex hoc profecto Hospitale illiusque pro tempore existentes gubernatores, administratores & deputati ab impensis, difficultatibus & incommodis præfatis relevarentur, ac ecclesiarum & bonorum hujusmodi exactioni, gubernio, curæ & administrationi, divinique cultus in ipsis ecclesiis incremento, ac Christifidelium circumvicinorum spirituali consolationi, necnon tam hospitalis, quam monasterii hujusmodi utilitati & comoditatibus plurimum consuleretur, pro parte eorumdem abbatis generalis ac visitatorum, & aliorum superiorum, necnon gubernatorum, administratorum & deputatorum suprascriptorum asserentium dictarum sine cura ecclesiarum insimul, & illis forsan annexorum fructus, redditus, & proventus ducentorum & quadraginta ducatorum auri de camera secundum communem existimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus unionem, annexionem & incorporationem prædictas dissolvere, ac ipsas sine cura ecclesias dicto monasterio perpetuo unire, annectere & incorporare, aliisque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur; nos igitur, qui dudum in alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem &c. huiusmodi supplicationibus inclinati, unionem, annexionem & incorporationem prædictas, prædictorum modernorum gubernatorum, administratorum & deputatorum hospitalis hujusmodi ad hoc expresso accedente consensu, apostolica auctoritate harum serie perpetuo dissolvimus, ipsasque sine cura ecclesias &c. cum annexis hujusmodi ac omnibus bonis, membris, proprietatibus, decimis, censibus, juribus, obventionibus & emolumentis suis universis eidem monasterio, ita quod liceat abbati pro tempore existenti & dilectis filiis conventui dicti monasterii per se vel alium, seu alios corporalem, realem & actualem possessionem ecclesiarum sine cura, juriumque & pertinentiarum præfatorum, eorum, & dicti monasterii nominibus propria auctoritate libere apprehendere & perpetuo retinere, illarumque fructus, redditus &c. in suos communes, necnon ecclesiarum sine cura & monasterii, ac etiam congregationis hujusmodi usus & utilitatem convertere, diœcesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, dicta auctoritate tenore præsentium perpetuo unimus, annectimus & incorporamus &c. Non obstantibus &c, Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M. D. XCIX. pridie nonas augusti anno VIII.

XCVII.

Indulgentia concessa altari S. Gregorii de Urbe.

Anno 1601. v. aprilis.

Ex exemplo ap. Minium in Hist. Camald. ms. T. II. pag. 203.

Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Omnium saluti paterna caritate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animæ Domini nostri Jesu Christi ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adjutæ ex purgatorii pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam transmeare valeant. Volentes igitur capellam sub invocatione sancti Gregorii per dilectum filium nostrum Antonium-mariam tituli sanctæ Mariæ Transtyberim presbyterum cardinalem Salviatum nuncupatum in ipsamet ecclesia sancti Gregorii de Urbe congregationis Camaldulensis nuper extructam, simili hucusque privilegio minime decoratam, hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis Missam defunctorum pro anima cujuscumque fidelis, quæ Deo in caritate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictam capellam celebrabit, anima ipsa de thesauro ecclesiæ per modum suffragii eamdem indulgentiam consequatur, quam consequeretur, si dictus sacerdos Missam hujusmodi in aliquo ex altaribus in ecclesia prædicta sancti Gregorii jam erectis celebraret, itaut ejusdem Domini nostri Jesu Christi, ac beatissimæ Mariæ virginis, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii pœnis liberetur, sicut liberaretur, si in aliquo ex dictis altaribus Missa celebraretur, concedimus & indul-

indulgemus. Non obstantibus nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quinta aprilis anno M. DC. I. pontificatus nostri anno decimo.

M. Vestrius Barbianus.

XCVIII.

Clemens VIII. facultatem facit Definitoribus Capituli eligendi Majorem eremi.

Anno 1601. XXVIII. aprilis.

Ex archivo S. Michaelis.

CLemens papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis &c. Cum itaque, sicut accepimus, in constitutionibus sacræ eremi Camaldulensis inter cetera habeatur, ut Major dictæ sacræ eremi a definitoribus capituli generalis congregationis Camaldulensis singulis annis eligatur, sed felicis recordationis Clemens papa VII. prædecessor noster in confirmatione quarumdam conventionum inter eremitas dictæ eremi, ac superiores prædictæ congregationis Camaldulensis anno Domini M. D. XXXII. initarum ordinaverit, ut prædicta electio non a præfatis definitoribus, sed a capitulo dictæ sacræ eremi deinceps fieret, prout in eisdem Clementis prædecessoris literis desuper expeditis plenius continetur; & ex eo postea eligendi modo plurimæ in dicta sacra eremo discordiæ ac dissensiones exortæ fuerint. Nos quieti & tranquillitati præfatæ sacræ eremi consulere cupientes, ac ut omnium discordiarum ac dissensionum radices ex ipsa omnino tollantur, auctoritate apostolica harum serie perpetuo decernimus, ut deinceps prædicti Majoris electio juxta primodictas constitutiones a definitoribus capituli seu dietæ congregationis Camaldulensis fiat, hac tamen forma servata, videlicet ut ante celebrationem capituli seu dietæ congregationis, sacerdotes omnes eremitæ vocem in capitulo habentes simul congregati eos tantum eremitas sacerdotes, qui ad minus per decennium a die emissæ professionis in eremitica observantia permanserunt, ad nominationem pro prædicta electione facienda admittant, & per occulta suffragia nominent, & eorum trium, qui plura vota habuerint, notam ad definitores capituli generalis seu dietæ præfatæ congregationis Camaldulensis transmittant, qui unum ex ipsis tribus, sicut præfertur, nominatis, per triennium in Majorem dictæ sacræ eremi omnino eligant, quem magis idoneum judicaverint. Si autem infra triennium hujusmodi extra tempus capituli vel dietæ electio, vel per obitum Majoris, vel quacumque alia de causa fieri contigerit, generalis ac visitatores pro tempore existentes unum ex prædictis tribus nominatis in vicarium seu vicemajorem usque ad proxime futurum capitulum generale seu dietam eligant; sicque & non aliter omnino servari, ac ita per quoscumque judices ordinarios & delegatos judicari & definiri debere &c. decernimus. Præterea quoad visitationem præfatæ sacræ eremi a generali ac visitatoribus dictæ congregationis singulis annis fieri solitam statuimus & ordinamus, ut si aliquis ex prædictis eremitis a sententia seu correctione dictorum generalis & visitatorum appellare voluerit, visitatio & processus desuper formati tamdiu conserventur, quamdiu causa terminata fuerit, ac postea juxta formam præfatarum conventionum comburantur; appellatio autem interposita vim & effectum habeat devolutivum tantum, non suspensivum; ac ita pariter observari debere &c. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXVIII. aprilis M. DC. I. pontificatus nostri anno X.

XCIX.

Idem Alexandro Cevæ copiam facit erigendi eremum Taurini.

Anno 1601. XIV. maji.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe.

CLemens VIII. dilecto filio Alexandro a Ceva eremitæ Camaldulensi. Dilecte fili, salutem & apostolicam benedictionem. Pietati dilecti filii nobilis viri Caroli Emmanuelis Sabaudiæ ducis, quantum cum Domino possumus, satisfacere cupientes, ac de tua prudentia, integritate ac religionis zelo plurimum in Domino confisi, supplicationibusque pro parte dicti Caroli Emmanuelis ducis nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, ut una cum duobus aliis eremi Camaldulensis eremitis, quos venerabilis frater noster Ptolomæus episcopus Portuensis cardinalis Comensis nuncupatus congregationis Camaldulensis apud nos & apostolicam sedem protector ex quinque aut sex per te nominan-

nandis elegerit, ad fundandum in monte Taurini, aut alio loco a præfato Carolo Emmanuele duce designando unam eremum instituti eremitici Camaldulensis ad instar eremi Camaldulensis prædictæ accedere, ac eremum ipsam fundare, ac in illa institutum prædictum eremiticum sub eisdem regula, constitutionibus & ordinationibus, quæ in eremo Camaldulensi prædicta servatur, introducere libere & licite valeas, auctoritate apostolica tenore præsentium licentiam & facultatem concedimus & impertimur. Ac prædictæ eremo per te fundatæ ejusque futuris priori & eremitis, ex tunc prout ex tunc, postquam fundata & stabilita fuerit, ut omnibus & singulis gratiis, indultis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus & privilegiis, quibus supradicta eremus Camaldulensis, ejusque prior & eremitæ frui, potiri & gaudere solent & possunt, ac poterunt, quomodolibet in futurum sine aliqua differentia frui & gaudere possint & valeant, concedimus & indulgemus. Volumus tamen, ut eremus fundata hujusmodi, ejusque prior & eremitæ pro tempore existentes visitationi & correctioni abbatis generalis & visitatorum pro tempore existentium congregationis Camaldulensis perpetuo subjaceant. Præterea te ex nunc in dictæ eremi fundatæ priorem ad triennium ab ejus fundatione numerandum auctoritate prædicta earumdem tenore præsentium facimus & deputamus; finito autem hujusmodi triennio, & de cetero in perpetuum ad electionem prioris ejusdem eremi juxta ordinationes & constitutiones eremi Camaldulensis procedi debere statuimus & ordinamus. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die XIV. maji M.DCI. pontificatus nostri anno decimo.

M. Vestrius Barbianus.

C.

Declaratio Decreti, quo prohibetur absolutio a casibus reservatis.

Anno 1602. XXVI. novembris.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe.

DEclaratio Decreti, quo prohibetur absolutio a casibus reservatis.

Editum fuit alias a S. C. S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcop. & Regul. præposita decretum super absolutione a casibus reservatis, ejus, qui sequitur tenoris.

Sacra Congreg. S. R. E. Cardin. negot. Episcop. & Regul. præposita, justis & gravibus causis id exigentibus, ac de S. D. N. Clementis pp. VIII. speciali mandato, vivæ vocis oraculo desuper habito, sacerdotibus omnibus tam secularibus quam regularibus per universam Italiam extra Urbem degentibus, ad Confessiones audiendas approbatis quorumvis ordinum, etiam Mendicantium, Militiarum aut Congregationum, etiam Societatis Jesu, & generaliter quarumcumque aliarum quovis nomine nuncupatarum, jubet & præcipit, ne quis eorum sub prætextu privilegiorum, indultorum aut facultatum generaliter vel specifice scripto, aut vivæ vocis oraculo, vel per communicationem, a sede apostolica, vel ejus auctoritate eorum ordinibus, congregationibus, collegiis vel societatibus aut archiconfraternitatibus secularium, aut singularibus personis seu alias quomodocumque sub quibuscumque tenoribus, formis & clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ad instantiam etiam Imperatoris, Regum aut aliorum Principum instantiam concessarum seu confirmatarum alicui cujusvis status, gradus & conditionis seu dignitatis, tam ecclesiasticæ quam secularis, etiam Regiæ vel Imperialis, ab ullo ex casibus clare vel dubie in Bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, vel alias quomodocumque sedi Apostolicæ reservatis, aut in futurum per Sanctitatem Suam ejusque successores pro tempore in eadem bulla vel aliter reservandis, nec etiam a casibus, quos ordinarii locorum hactenus reservarunt, vel imposterum sibi reservabunt, nullo casu, etiam necessitatis vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum nova & speciali Sanctitatis Suæ aut successorum suorum, vel Ordinariorum quoad casus ab ipsis tantum reservatos respective impetrata in scriptis licentia, Ordinariis locorum exhibenda, absolutionis beneficia de cetero impendere audeat vel præsumat, sed cum opus fuerit, pœnitentes ad superiores legitimosque judices suos accedere consulant, sub pœna contrafacientibus tam regularibus quam secularibus excommunicationis, privationis officiorum & dignitatum aut beneficiorum, inhabilitatis etiam audiendi confessiones, & ad quæcumque officia, prælaturas, beneficia imposterum obtinenda ipso facto, absque ulla alia declaratione incurrenda, super quibus a nemine, nisi a Romano Pontifice habilitatio, dispensatio aut absolutio, præterquam in mortis articulo possit impartiri. Sanctitas

Sua, quatenus opus sit, facultates & concessiones in hac parte, uti cassas & irritas haberi de cetero vult, non obstantibus quibuscumque.

Præterea declarat Pœnitentes absolutionem, si quam obtinebunt contra hujusmodi prohibitionem, esse nullam, nulliusque roboris & momenti, & ne locorum Ordinarii, quibus jus hoc reservandorum casuum competit, plurium, quam opus sit, reservatione subditis aut confessariis in animarum salute procuranda cooperatoribus sint onusti, monentur omnes, ut paucos, eosque tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem pro cujusvis diœcesis statu & qualitate necessario reservandos esse judicaverint, reservent. In quorum fidem *&c.* Datum Romæ die IX. mensis januarii 1601.

Cum autem dubia quædam & difficultates circa ejusdem Decreti interpretationem atque observationem emerserint, eadem Congregatio, ne ullus deinceps obscuritati, scrupulo ambiguitative locus relinquatur, & ut clarius appareat, in quibus casibus vigore ejusdem Decreti reservatis intelligatur prohibita absolutio, speciali mandato ejusdem Sanctissimi D. N. Clementis pp. VIII. vivæ vocis oraculo super ea re habito, ipsum Decretum ita moderatur, & declaratur, sub ejusdem prohibitione illos tantum imposterum comprehendi casus, qui in bulla Cœnæ Domini legi consueta continentur; ac præterea violationis immunitatis ecclesiasticæ in terminis Constitutionis fel. rec. Gregorii XIV. quæ incipit: *Cum alias*; violationis clausuræ monialium ad malum finem; provocantium & pugnantium in duello, juxta decretum sacri Concilii Tridentini, & constitutionem fel. rec. Gregorii XIII. incipientem: *Ad tollendum*; injicientium violentas manus in clericos, juxta Canonem: *Si quis suadente*, decreto 17. q. 4. & juxta juris dispositionem; simoniæ realis scienter contractæ atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus, quos ordinarii locorum sibi reservarunt, vel imposterum reservabunt, in quibus omnibus jam enumeratis casibus dumtaxat, & sublata etiam pœna inhabilitatis audiendi confessiones, eadem Sacra Congregatio vult & mandat dictum decretum in sua firmitate & pristino robore permanere, ac præterea declarat eos quidem sacerdotes tam seculares quam regulares, qui aliquibus ex privilegiis, indultis & facultatibus in prædicto decreto expressis suffulti fuerint, posse juxta eorum privilegia, indulta & facultates, usu ante idem decretum receptas, & quæ sub aliis revocationibus non comprehenduntur, tantum & non alias absolvere a casibus in præsenti declaratione non comprehensis, aliisque sacerdotibus vero hujusmodi privilegia non habentibus, nihil de novo concedi; sed ne locorum Ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, hac in re modum excedant, eadem sacra congregatio illos rursus magnopere admonendos censet, ut non passim sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum & graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad Christianam disciplinam retinendam conferat, in ædificationem, non autem in destructionem cedat, ne alioquin sacramenti Pœnitentiæ ministrorum coarctata potestate, sanctæ matris Ecclesiæ piæ mentis contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superflue reservent casus in bulla die Cœnæ Domini legi consueta contentos, neque alios sedi apostolicæ specialiter reservatos; facultatem vero & licentiam absolvendi a casibus reservatis, quæ in scriptis tantum concedi permittebatur, etiam sola viva voce concedi posse declarat. Ceterum ne quis sacerdotum secularium aut regularium sub prætextu, quod per primum dictum decretum non fuerit sufficienter eorum specialibus privilegiis derogatum, eidem decreto sic, ut præfertur, declarato contravenire audeat, Sanctitas Sua constitutionibus & ordinationibus Apostolicis omnibus in favorem quorumcumque ordinum seu institutorum regularium, aut sacerdotum tam secularium quam regularium editis, necnon eorumdem ordinum seu institutorum, ac etiam ecclesiarum & monasteriorum & aliorum secularium quam regularium locorum quorumcumque, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roborata, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, etiam Mari magno seu Bulla aurea aut alias nuncupatis, eisdem ordinibus seu Institutis, aut ecclesiis & monasteriis etiam secularibus, seu regularibus locis aut personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis, etiam motu proprio & ex certa scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet & per viam communicationis seu extensionis concessis, & etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus & formis specialis, specifica, expressa & individua

ac

ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita & observata forent, præsentibus pro expressis habens quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter & pro expresse derogat, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romæ die xxvi. novembris.

Alexand. Cardin. Florentinus episcopus Prænestinus.

Hieronymus Agucchius Secret.

CI.

Clementis VIII. Breve pro Quindeniis Camaldulensium.

Anno 1603. vii. januarii.

Ex archivo eodem.

Clemens papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Cum sicut accepimus, alias dilecti filii tunc existentes abbas generales, ac alii prælati & superiores & vocales congregationis Camaldulensis ex longa plurium annorum experientia attendentes, quod pro solvendis singulis quindecim annis quindenniis, quæ pro monasteriis & aliis beneficiis ejusdem congregationis cancellariæ officialibus solvi debent, depositio in capsis provinciarum pridem fieri solita sæpe ipsis monasteriis damnum & incommodum non modicum afferebat, quia prælati ad curam dictarum capsarum deputati, interdum pecunias ibi depositatas in alios usus, quam in solutionem quindenniorum convertebant: de anno M. D. XCVIII. in quadam dieta generali ejusdem congregationis Romæ habita quamdam constitutionem ediderint, quæ postea in capitulo generali ejusdem congregationis in civitate Ravennatensi anno M. DC. renovata fuit, per quam statuitur, quod pecuniæ prædictæ non amplius in capsis provinciarum deponerentur, sed singulis annis singuli prælati ad capitulum deferre seu ad dietam trasmittere ratam quindenniorum, quæ ad quodlibet eorum monasteriorum respective juxta novam taxam in supradicta dieta factam pertineret, tenerentur, quæ pecuniæ omnes in manibus procuratoris ejusdem congregationis consignari deberent, ipseque procurator generalis illas statim in emptionem tot locorum Montium non vacabilium Urbis investire teneretur, quæ loca Montium nullo tempore vendi possent, nisi ad effectum solvendi supradicta quindennia, quandocumque tempus illa solvendi deveniret; ac idem procurator generalis singulis annis fidem authenticam investimenti hujusmodi per eum facti ad capitulum seu dietam deferre teneretur. Cumque etiam ex eo, quia ex alio ejusdem congregationis antiquo usu seu statuto singulis annis quilibet prælatus, qui gubernium alicujus ejusdem congregationis monasterii habet, ad capitulum seu dietam unum pro centenario reddituum sui monasterii ad subveniendum publicis pro tempore occurrentibus congregationis necessitatibus deferre tenetur, quod etiam in capsis provinciarum depositabatur, sed sæpe in alios usus, quam pro publicis congregationis necessitatibus convertebatur, in primo dicta dieta anni M. D. XCVIII. & in capitulo generali anni M. DC. pariter ordinatum fuerit, ut supradictæ pecuniæ unius pro centenario reddituum monasteriorum non amplius in capsis provinciarum deponerentur, sed singulis annis consignarentur, prout pecuniæ quindenniorum, supradicto procuratori generali ejusdem congregationis, qui statim in emptionem locorum Montium similium, quæ nullo tempore, nisi ad subveniendum publicis ejusdem congregationis necessitatibus vendi possint, investire teneretur. Cum autem (sicut pro parte dilectorum filiorum moderni abbatis generalis & visitatorum, ac procuratoris generalis ejusdem congregationis nobis expositum fuit) quia cura recipiendi dictas pecunias ac illas investiendi, necnon de illis rationem reddendi soli procuratori generali congregationis tradita fuit, non videtur sufficienter provisum securitati dictarum pecuniarum, & exinde priora inconvenientia faciliter oriri possent. Propterea ut securitati dictarum pecuniarum magis prospiciatur, pro parte dictorum abbatis generalis, visitatorum & procuraris nobis fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis, ut infra, opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem abbatem generalem. visitatores ac procuratorem, a quibusvis excommunicationis *&c.* sententiis *&c.* absolventes *&c.* hujusmodi supplicationibus inclinati, volumus & auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo statuimus & ordinamus, ut de cetero cura recipiendi singulis annis sive in capitulo, sive in

dieta

dieta pecunias tam quindenniorum, quam unius pro centenario ad abbatem generalem, visitatores & procuratorem generalem ejusdem congregationis pro tempore existentes conjunctim pertineat, quodque ipsi omnes insimul sub pœna privationis dignitatum & officiorum, quæ obtinent, ac vocis activæ & passivæ eo ipso absque alia declaratione incurrenda teneantur ipsas pecunias investire aut investiri facere statim, in emptionem tot locorum Montium non vacabilium Urbis; quæ loca Montium numquam vendi possint, nisi ad effectum solvendi quindennia successive, prout tempus solutionis advenerit, aut subveniendi eidem congregationi in aliqua ejus publica & urgenti necessitate respective, ipsique abbas generalis, visitatores & procurator singulis etiam annis pariter in capitulo aut dieta hujusmodi investimenti facti rationem reddere, & fidem authenticam ostendere sub eadem pœna teneantur; quodque quilibet prælatus alicujus monasterii ejusdem congregationis, qui singulis annis ratam quindenniorum ad suum monasterium spectantem, juxta taxam novissime in dieta dictæ congregationis Romæ habita factam, necnon unum pro centenario redditu um sui monasterii ad capitulum seu dietam hujusmodi non detulerit aut transmiserit, eamdem privationis dignitatis & officii, quod quisque eorum obtinet, ac vocis activæ & passivæ pœnam eo ipso similiter incurrat. Decernentes præmissa perpetuo inviolate observari debere *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die VII. januarii M.DC. III. pontificatus nostri anno XI.

M. Vestrius Barbianus.

CII.

Indulgentiæ concessæ a Clemente VIII. capellis prope cœmeterium S. Gregorii de Urbe.

Anno 1603. IV. februarii.

Ex Minio T. II. pag. 232.

Clemens papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Ut insignium almæ urbis nostræ ecclesiarum ornamento ad Christi-fidelium devotionem excitandam prospiciamus, ea libenter concedimus, quæ fore conspicimus opportuna. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius noster Cæsar tituli sanctorum Nerei & Achillei presbyter cardinalis Baronius nuncupatus, qui monasterium sancti Gregorii de Urbe in commendam ad ejus vitam ex concessione & dispensatione apostolica obtinet, novum cœmeterium prope ecclesiam dicti monasterii in solo ad mensam abbatialem spectante suis sumptibus ædificari, atque cappellam sanctorum Andreæ & Gregorii prope dictum cœmeterium ornari curaverit; nos Christi-fidelium erga ipsum beatum Gregorium Magnum, hujus nominis primum, pontificem maximum, & ecclesiæ doctorem eximium, qui præter plurima sanctitatis merita, quibus almam Urbem patriam suam illustravit, primus Litanias majores, ac stationum ecclesiarum Urbis magnam partem instituit, devotionem augeri cupientes, supplicationibus ejusdem Cæsaris cardinalis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut feria Sexta post diem Cinerum, qua est statio ad ecclesiam sanctorum martyrum Johannis & Pauli prope dictam ecclesiam sancti Gregorii, visitantes, indulgentias, & gratias spirituales stationis ejusdem ecclesiæ sanctorum Johannis & Pauli in ipsa, & ecclesia sancti Gregorii consequantur, prout in ecclesia sanctorum Johannis & Pauli consequerentur, auctoritate apostolica præsentium tenore concedimus & indulgemus. Præterea harum serie statuimus & ordinamus, ut pro sepultura eorum, quos in eadem ecclesia humari contigerit, ex decreto etiam ejusdem sancti Gregorii, nihil exigi aut peti possit; si quid vero a sponte dantibus offeratur, accipere non vetamus; ita tamen ut id in usum ecclesiæ applicari debeat, atque in sanctuario seu presbyterio ejusdem ecclesiæ nullus sepeliri possit, & pro sepeliendis in ipsa ecclesia corporibus defunctorum antiquum pavimentum opere vermiculato, alias mosaico nuncupato, factum destrui, ac multo minus tituli seu epitaphia super sepulcris quibuscumque hactenus posita, ut ibidem alii tituli seu epitaphia de novo collocentur, amoveri nullo modo possint, decernentes irritum & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstante nostra de non concedendis adinstar, aliisque constitutionibus & ordinationibrs apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die IV. februarii M.DC.III. pontificatus nostri anno XI.

M. Vestrius Barbianus.

CIII.

CIII.

Nicolai Wolschii epistola Definitoribus Monte-coronensibus.

Anno 1603. xi. martii.

Ex Libro Fondazioni *pag.* 117.

ADmodum rev. in Christo patribus præsidi & definitoribus congregationis eremitarum ordinis Camaldulensis in capitulo generali Montis-coronæ congregatis patronis meis observandissimis.

Admodum rev. in Christo patres salutem plurimam & officia mea studiosissima.

Quod erat in votis meis, atque adeo in summo istius regni desiderio, ut religionis vestræ homines, quorum sanctimoniam vitæ in Italiæ partibus sæpius admirati sumus, in patria nostra aliquando intueremur, id me, summo Dei opt. max. beneficio, annuentibus vobis consequi posse, cum ex literis Reverendissimi domini Andreæ Prochciski internuntii regii in regno Neapolitano residentis non ita pridem intellexissem, dici non potest, quanta animi lætitia perfusus sum. Cujus quidem lætitiæ meæ, ut apud vos quoque extaret singularis quædam testificatio, hasce meas literas quamprimum ad vos dandas existimavi, quibus vobis gratias agerem, quod communibus suffragiis viros ordinis vestri idoneos domicilii in hoc regno constituendi causa ad me mittere decrevistis. Est sane, patres admodum rev. quod & vobis gratuler, & mihi ipsi gaudeam Deum opt. max. eam vobis mentem dedisse, ut pietatis vestræ fructus in hisce quoque septentrionalibus plagis suscipiantur, & in eos redundent potissimum populos, a quibus jam a multo tempore majorem in modum expetuntur. Ea est nostrorum hominum in vos religionemque vestram devotio, ea ex multorum sermonibus concepta sanctitatis opinio, ut nihil magis quam adventum vestrum expectare, nihil magis quam in complexum vestrum quamprimum coram ruere velle videantur. Neque est, quod loci intervallum vos absterreat, aut mittendi alios atque alios fratres difficultas; sponte sua ex nostris hominibus vestra crescet familia, in eamque certatim ruent viri magni & illustres. Erit igitur humanitatis vestræ, ut pari benevolentia huic animorum nostrorum propensioni respondeatis, & quod ex affectu charitatis semel apud vos statuere voluistis, id primo quoque tempore ad majorem vestri, Deique gloriam re ipsa præstare atque exequi properetis. Fautores, promotoresque habebitis plurimos; unum nominare sufficiat illustrissimum & rev. dominum episcopum Cracoviensem, qui suum erga hanc religionem studium & observantiam pluribus mihi sæpe declaravit. De me vero non est, quod pluribus agam; tantum a vobis etiam atque etiam peto, ut quam de mea in vos singulari voluntate spem concepistis, eam perpetuo conservetis. Dabo equidem operam, ut omnia, quæ ab homine vestræ religionis studiosissimo expectari debent, ea me vobis cumulatissime præstitisse luculenter cognoscatis. Mitto Patavium hunc familiarem meum generosum dominum Paulum Annickium militem Hierosolymitanum, qui patres huic negotio & itineri a vobis destinatos nomine meo excipiat, & ad me in Poloniam perquam commode fieri poterit, deducat. Quibus quam primum advenerint, omnia quæcumque ad futuram fundationem & commoda religionis instruendæ pertinebunt, abunde, summa fide & constantia, a me & ab illustriss. domino episcopo subministrabuntur. Quod superest, Deum immortalem supplex oro, ut ea, quæ ad immortalem ejus gloriam a nobis concepta sunt, & ad incrementum reipublicæ nostræ, felicissime ad exitum deducantur. Commendo me ferventibus precibus & sacris officiis rev. paternitatum vestrarum. Dat. Cracoviæ die xi. martii anno M.DC. III.

Servitor obsequentissimus Nicolaus Wolschi.

CIV.

Bernardi episcopi Cracoviensis epistola eisdem data.

Anno 1603. xiv. martii.

Ibidem pag. 118.

REv. in Christo patres. Intellexi nuper ab illustriss. domino curiæ regiæ marescallo, annuisse jam votis & desideriis ejus rev. paternitates vestras, mittendi huc ad nos coloniam religiosissimi ordinis sui decrevisse; quin & esse eam in procinctu, qui illam deducant. Quod dici vix potest, quanta voluptate, atque lætitia animum meum perfuderit, cum congregationis ipsius vestræ, quam continuis & in dies majoribus incrementis augeri exopto, tum patriæ nostræ causa, cui

cui laudatissimi ordinis hujus, & orationes sanctas maximo ad Deum præsidio, & sanctimoniam vitæ optimo ad omnem pietatem exemplo fore non ambigo, quod itaque faciunt hilaribus animis & quam celerrime faciant rev. paternitates vestræ; veniantque jam tandem ad nos in nomine Domini, eamdem hic omnium experturæ in se caritatem, quam plerisque nostrum Camalduli & alias prolixissimam exhibuerunt. Præsertim vero a me ea sibi omnia polliceantur, quæcumque ab amantissimo & studiosissimo ordinis vestri merito expectari vel possunt, vel debent. Cupio rev. paternitates vestras bene valere in Domino, meque orationibus & amori ipsarum commendo.

Dat. Cracoviæ die XIV. martii M. DC. III. Frater in Christo amantissimus Bernardus Marciensis episcopus Cracoviensis m. ppa.

CV.

Ejusdem Wolschii epistola Majori & Visitatoribus Coronensibus.

Anno 1603. XXI. julii.

Ibidem pag. 119.

Rev. patribus patri Rodulpho Majori & visitatoribus congregationis eremitarum Camaldulensium Montis-coronæ dominis & patronis meis observandissimis.

Quod in votis meis summoque nostræ reip. desiderio & expectatione fuit, id non solum vos animo jampridem concupisse, sed etiam post maturam deliberationem singulari vestra humanitate & benevolentia, cum incredibili lætitia re ipsa tandem agressos esse, est quod rerum omnium promotori, vobisque immortales gratias agam. Si enim magnum illud erat erga me beneficium, quo me ante biennium coram humanissime excepistis, si maximum quo petentem, ut vestra apud nos floreret religio & pietas clementer & benigne audistis; si infinitum denique, quo omnia mea desideria communi suffragio paulo ante approbastis; illud, quo jam incredibilem hunc animi vestri affectum, meumque ardentissimum desiderium re ipsa complevistis, adeout præsentes intueri liceat viros ordinis vestri præcipuos, qui religionis hujus semina & fructus in nostris hisce partibus longe lateque diffundant, quantum esse dixero? Nec est sane admodum rev. patres, quod vos suscepti itineris aut perpessi laboris pœniteat, cum illud singulari Dei beneficio sine ullo periculo & difficultate, annuente summa aeris clementia, brevissimo quoque tempore felicissime sit perfectum. Ad ipsos quoque patres quod attinet, hoc unum agam, ut rev. paternitates vestræ cognoscant, eos tantum mihi fore commendatos, quantum mihi cordi communis reip. nostræ salus, quæ infinitos ex religionis vestræ propagatione fructus est habitura. Ipsi vero me nihil, quod a vestri studiosissimo expectari potuit, unquam prætermisisse præsentes videant & intelligant. Detinentur interea propter mea privata negotia gravia in quibusdam meis castellis, quibus breviter expeditis, ad ipsum locum destinatum, præsensque fundationis negotium Deo volente propius accedemus, ut nihil, quod ad majorem Dei gloriam ac nostræ reip. emolumentum, vestræ denique religionis incrementum pertinet, desiderari omnino possit. Commendo me sanctis orationibus & sacrificiis rev. paternitatum vestrarum obsequentissimus filius & servus Nicolaus Wolschi marescallus curiæ regni Poloniæ m. ppa.

CVI.

Ejusdem Bernardi episcopi Cracoviensis epistola eisdem.

Anno 1603. XXI. julii.

Ibidem pag. 119.

Dici vix valeat, quanta me hic voluptate affecerunt, tum literæ rev. paternitatum vestrarum de data XII. nonas maji, tum exhibitorum eorumdem veluti alterius Josue & Chaleb præsentia. Ac optarem quidem, ut quod illi de terra Promissionis Israeli retulerunt, idem isti in spiritu saltem de nostra hac rev. paternitatibus vestris possent præscribere, terra, quam circuivimus, valde bona est, ut tamen invenient in jure hoc saltem acquisitæ jam nobis ex adventu huc illorum possessionis conservari nos & manu teneri a caritate rev. paternitatum vestrarum cupimus, & sane utcumque incultum & horridum vitiis desertum hoc nostrum appareat, translatam tamen & satam in eo religiosissimi ordinis vestri plantam pullulaturam bonitate sua, germinaturamque feliciter, adjuvante Deo, confidimus. Habebit hic autem plurimos fautores sancta hæc colonia, qui bonum illius sedulo promoveant. Daboque & ego diligenter operam,

ram, ne postremus fuisse inter eos videar. Cupio interea rev. paternitates vestras optime in Domino valere, meque & regnum hoc nostrum universum sanctis illarum orationibus commendo. Datum in monasterio Clari-montis die XXI. julii M. DC. III. Admodum rev. paternitatum vestrarum amantissimus frater Bernardus Marciensis episcopus Cracoviensis m. ppa.

CVII.

Clemens VIII. celebrationem Capitulorum ad triennium transfert.

Anno 1604. II. januarii.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

CLemens papa VIII. Ex injuncto nobis apostolici muneris debito ad ea libenter intendimus, per quæ regularium ordinum & congregationum utilitati consulitur, & a religiosis vagandi occasio removetur. Cum itaque, sicut accepimus, in congregatione Camaldulensi juxta dispositionem illius constitutionum capitulum generale singulis annis maxima cum omnium illius monasteriorum impensa, & ut plurimum parum necessario celebrari consueverit; cum enim electio abbatis generalis de triennio in triennium fieri soleat, celebratio capituli generalis quotannis vel superflua, vel parum necessaria existit. Propterea nos congregationem prædictam ab onere expensarum, quas ea de causa fieri oportet, eximere & illius prælatis ac monachis vagandi occasionem tollere, simulque utilitati & indemnitati monasteriorum ipsius congregationis consulere volentes, constitutionum dictæ congregationis tenores præsentibus pro expressis habentes, motu proprio &c. statuimus & ordinamus, ut deinceps in perpetuum capitulum generale nonnisi de triennio in triennium celebretur. Intra quod triennium anno quolibet in locis a generali ac visitatoribus deputandis Dieta fiat, ad quam generalis, visitatores, abbates sancti Michaelis de Muriano, sancti Apollinaris in Classe, sanctæ Mariæ de Carceribus, sancti Blasii de Fabriano, sancti Mathiæ de Muriano, sanctæ Crucis Avellanæ, sanctæ Mariæ Angelorum Florentiæ, ac procurator generalis ordinis conveniant, qui in quibuscumque negotiis ad congregationis regimen spectantibus pertractandis ac expediendis eamdem omnino auctoritatem habeant, quam juxta ordinis statuta habent definitores capituli generalis. Mutationes tamen prælatorum ex suis administrationibus ante expletum saltem triennium in ipsis Dietis, nisi ex causa legitima ac rationabili a definitoribus Dietæ optime cognita ac mature discussa omnino vitentur; eorumdemque etiam depositiones, & quodcumque crimen aut delictum, tam in capitulis generalibus, quam in Dietis, nisi prius auditis rationibus & defensionibus eorum, qui deponi merentur, non fiant. Quod si causa majorem ac longiorem requireret indaginem, ac propterea in capitulis & dietis expediri non posset, definitores facultatem tribuant generali ac visitatoribus pro tempore existentibus eamdem causam simul & conjunctim, prout juris fuerit, terminandi & expediendi. Illud autem omnino servetur, ut non plures duobus in eodem monasterio professis eodem tempore in prædictis Dietis (juxta id quod de definitoribus capituli generalis in prædictis ordinis statutis præscribitur) definitores existant. Ac propterea animadvertere debebunt definitores capituli generalis, ne plures duobus in eodem monasterio professis in prædictis officiis ac gradibus reperiantur. Si autem contigerit unum vel plures prædictorum abbatum ob gravem aliquam infirmitatem, seu ob privationem vocis activæ & passivæ, in quam fortasse ob aliquam alicujus constitutionis transgressionem, seu quomodolibet alias incurrissent, seu quacumque alia de causa prædictis Dietis interesse non posse; generalis ac visitatores, toties quoties id contigerit, possint alium vel alios eorum loco per occulta suffragia servatis omnibus in prælatorum electione juxta ordinis statuta servandis eligere, qui pro illa vice tantum definitoris partes exercere possint; sicque omnino observari, & ita per quoscumque judices ordinarios & delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda januarii M. DC. IV. pontificatus nostri anno XII.

M. Vestrius Barbianus.

CVIII.

Sigismundi regis Poloniæ Literæ ad Eremitas Coronenses.

Anno 1604. VIII. aprilis.

Ex Libro Fondazioni *pag.* 121.

FOris : Reverendis patribus generalique Majori ordinis Camaldulensium devote nobis dilectis.

Sigismundus III. Dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Livoniæ *&c.* necnon Suecorum, Gothorum, Vandalorum hæreditarius rex.

Reverendi patres devote nobis dilecti. Pergratum nobis fuit intellexisse magnificum Nicolaum Wolschi de Podhaice curiæ regni nostri Marschallum celebri instituti vestri sanctimonia permotum, eum ordinem assignata certa perpetuaque fundatione ad regnum hoc nostrum invitasse & asciviſſe, missosque huc fuisse a patribus vestris quosdam ex ordine viros, qui locum pro monasterio construendo, totamque fundationis ejus rationem cognoscerent, ac ad paternitates vestras referrent. Postulandum igitur a vobis duximus in hac congregatione vestra, quod ad catholicæ religionis in ditionibus nostris incrementum cedat, de vestro ordine in has quoque oras transferendum consentientibus suffragiis decernatis, omnemque rem pro eximio vestro divini cultus propagando studio, ex vestra Marschallique nostri sententia confectum velitis. Erit hoc vestra pietate dignum, nobis valde gratum, qui singulari etiam nostra benevolentia, gratia & patrocinio ordinem vestrum in regno nostro prosequemur, cui gratiam nostram benigne deferimus, prosperamque incolumitatem optamus. Datum Cracoviæ die VIII. mensis aprilis anno Domini M. DC. IV regnorum nostrorum Poloniæ XVII. Sueciæ XI.

CIX.

Clementis VIII. approbatio Constitutionum editarum in Capitulo generali Classensi.

Anno 1604. IX. aprilis.

Ex impresso.

CLemens papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis apostolici muneris debito religiosorum omnium reformationem & prosperum statum sincero desiderantes affectu, ea, quæ pro hujusmodi reformatione & recto gubernio ab ipsismet religiosis, eorumve superioribus provide facta fuisse dicuntur, ut perpetua firmitate subsistant, confirmationis apostolicæ robore libenter communimus. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum Johannis Ludovici abbatis generalis & visitatorum congregationis Camaldulensis nobis nuper expositum fuit, in capitulo generali ejusdem congregationis Ravennæ anno superiori M. DC. III. celebrato infrainsertæ constitutiones, seu major earum pars editæ, & deinde illis pro pleniori ejusdem congregationis reformatione nonnullæ aliæ ab ipsis generali & visitatoribus additæ fuerint: Nosque constitutiones easdem editas, & additas in congregatione Reformationis nostræ apostolicæ diligenter examinari fecerimus, atque pleniorem obtineant roboris firmitatem ea, quæ confirmationis apostolicæ præsidio fulciuntur; idcirco nos abbatem generalem & visitatores prædictos ac universos & singulos ejusdem congregationis religiosos a quibusvis excommunicationis *&c.* sententiis *&c.* absolventes *&c.* supplicationibus eorumdem abbatis generalis & visitatorum nomine super hoc nobis humiliter porrectis inclinati, constitutiones hujusmodi inferius ad verbum insertas auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo confirmamus & approbamus, illisque apostolicæ firmitatis robur adjicimus, omnesque & singulos defectus, si qui desuper in illis intervenerint, supplemus, ipsasque constitutiones in eadem congregatione perpetuo observari debere, sicque & non aliter per quoscumque judices ordinarios & delegatos judicari & definiri debere, ac irritum & inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Non obstantibus *&c.* Tenor autem earumdem constitutionum est, qui sequitur; videlicet.

Constitutiones in capitulo generali ordinis Camaldulensis Ravennæ anno M. DC. III. celebrato editæ, quibus pro pleniori dicti ordinis reformatione nonnullæ aliæ a generali & visitatoribus additæ fuerunt.

Quoniam ad optimum nostræ congregationis regimen potissimum spectat, ut non omnes ad habitum admittantur, nec cuilibet aditus pateat, sed optima voluntate & sufficienti eruditione, morumque probitate præditi deligantur, qui veterem Camaldulensis ordinis disciplinam ac splendorem instaurare, augere, ac perpetuo con-

conservare valeant, decreverunt patres, ut nullus deinceps quavis occasione seu sub quovis prætextu ad habitum admittatur, nisi prius a generali & visitatoribus fuerit examinatus & ab ipsis fuerit facta diligens inquisitio, an habeat omnes qualitates, quæ juxta decreta sanctissimi domini nostri super receptione novitiorum nuper edita, quæ incipit: Cum de omnibus ecclesiasticis ordinibus *&c.* in iis, qui ad habitum admitti postulant, necessariæ sunt, & fides aliasque scripturas authenticas, quas super dictis requisitis a præpictis habuerint, definitoribus capituli generalis vel dietæ ostendant, illisque omnia referant, quæ circa ipsos referenda sunt. Qui definitores auditis prædictis relationibus ac informationibus, ex omnibus, qui propositi fuerint, meliores ac magis idoneos eligant, & per occulta suffragia approbent, ipsosque sic electos & approbatos in monasteriis novitiorum educationi a sanctissimo domino nostro destinatis deputent. Statuerunt autem, quod nonnisi duo singulis annis pro quolibet monasterio novitiatus ad habitum admittantur, nec possit aliquis ad habitum admitti, nisi quintumdecimum annum excesserit. In ipsorum autem receptione ac educatione serventur in omnibus & per omnia decreta sanctissimi domini nostri desuper edita, ac etiam in ipsis tam ad habitum, quam ad professionem admittendis circa ipsos, qui decimum-sextum annum excesserint, prædicta bulla felicis recordationis Sixti papæ V. omnino servetur. Cum novitiis autem durante anno probationis super rigore regulæ ac constitutionum ordinis nullatenus dispensetur, sed prælati ac ipsorum magistri eos in regulari observantia ad præscriptum regulæ & constitutionum omnino instituant, nullamque auctoritatem ac facultatem habeant cum ipsis, ut præfertur, sub quovis prætextu aut quavis occasione dispensandi. Magistri autem novitiorum ii tantum eligantur, qui habeant omnes qualitates a decretis sanctissimi domini nostri desuper editis requisitas. Si quis autem ex superioribus in aliquo prædictorum deliquerit, & præscriptum ordinem non servaverit, statim eo ipso omni officio ac dignitate careat, nec ad ea habilitari possit, nisi a Romano pontifice pro tempore existente, illi autem, qui præter hunc ordinem, ac hujusmodi forma non servata habitum religionis susceperint, statim habitu exuantur, ac ex monasterio ejiciantur. Ut autem vitium & labes Simoniæ in recipiendis novitiis omnino exterminetur, decreverunt sub eisdem ac etiam gravioribus pœnis, ut nullus abbas tam in recipiendis novitiis, quam in ipsis ad professionem emittendis, de pecunia, de vestimentis, seu de qualibet alia re quantumvis minima cum ipsorum parentibus paciscatur, seu pro ipsorum ingressu accipiat, sed gratis singuli ad habitum & professionem recipiantur, nullo accepto precio, nec aliqua facta conventione seu aliqua positione. Si vero parentes novitiorum vel ipsimet novitii spontanea & libera voluntate aliquid monasterio elargiri voluerint, id capitulum generale dumtaxat possit pro amore Dei recipere. Non permittantur monachi de uno ad aliud monasterium sive ejusdem provinciæ, in qua commorantur, sive alterius vagari sine licentia abbatis generalis in scriptis obtenta, nec etiam ulla unquam occasione, seu sub quovis prætextu permittantur in domibus consanguineorum, affinium, aliorumque cujuscumque qualitatis & conditionis secularium pernoctare in civitatibus & locis, ubi sunt monasteria congregationis, nisi ex causa urgentissima a generali & visitatoribus approbanda, sub pœna privationis vocis activæ & passivæ ipso facto incurrenda, quam etiam incurrant prælati, si aliquem ex suis monachis absque prædicta licentia vagari permiserint. Excipiuntur tamen ministri monasteriorum, & tempora nonnullarum sollemnitatum, quæ in quibusdam monasteriis celebrari consueverunt, ad quas celebrandas possint prælati aliquot ex suis monachis absque licentia abbatis generalis destinare. Nullus etiam audeat in domibus secularium cujuscumque qualitatis & conditionis comedere absque licentia sui prælati sub eadem pœna. Neque etiam audeat aliquis solus incedere per civitates juxta decreta sanctissimi domini nostri. Abbates etiam sub eadem pœna non possint per monasteria vagari, nisi ob aliquam urgentem necessitatem, de qua semper seniores monasteriorum certiores faciant. Prohibuerunt etiam usum femoralium aut caligarum aliarumque vestium ex quibuscumque pellibus confectarum. Nullusque etiam deferat caligas & femoralia lanea ex gossypio seu bombacio acu elaborata ac contexta, & subuculas seu camisias laneas, ac vestes interiores rubeas alteriusve coloris, prætérquam albi. Nullus etiam globulis in manicis utatur, sed eas, quas lineas esse omnino prohibemus, usque ad summum clausas, vel cum solis uncinulis deferat. Si quis autem huic constitutioni non obtemperaverit, utraque voce ad libitum generalis & visitatorum privatus existat, subiturus etiam graviores pœnas, si in eadem transgressione diutius perseveraverit. Et ut monachi omni-

omnibus bono exemplo, nulli vero, quantum in ipsis erit, offendiculo sint, decreverunt, ut honesto prædecessorum suorum more non solis biretis aut pileis, sed capitibus cucullo seu caputio tectis extra clausuram incedant, sub gravioribus pœnis a generali & visitatoribus infligendis. Ut autem proprietatis vitium radicitus extirpetur, innovarunt constitutionem alias factam, ac a felicis recordationis Gregorio XIII. confirmatam, qua sub pœna excommunicationis latæ sententiæ cavetur, ne quis pecunias sub quovis prætextu aut colore, nisi sit minister monasterii, audeat apud se retinere aut quomodolibet possidere. Ac etiam decreverunt, ut nullus etiam prælatus possit equos tamquam proprios possidere, illisque tamquam propriis uti sub eadem pœna. Innovarunt etiam constitutionem alias factam, ne quis prælatus sub pœna suspensionis ab officio ad libitum generalis & visitatorum audeat pecunias pro vestimentis suis monachis exhibere. Visitationis munus quod ad corrigendos subditorum excessus, & ad monasticam disciplinam & regularem observantiam in monasteriis instaurandam ac retinendam, pie & sancte institutum est, a generali & visitatoribus singulis annis summa diligentia & alacritate exercendum est, ac præcipue curandum, ut quæ pro monasteriorum reformatione instituta sunt, inviolabiliter observentur. Statuerunt igitur & decreverunt, ut in visitandis monasteriis perpetuis futuris temporibus hic ordo servetur, videlicet: Postquam abbas generalis ac visitatores ad aliquod monasterium visitandum se transtulerint, congregatis tam prælato, quam monachis illius monasterii in capitulo intimata visitatione & monitis omnibus, ut omni caritatis affectu ea in visitatione patefaciant, quæ correctione & reformatione indigere cognoverint, generalis ac visitatores cum prælato ac monachis prædictis ad ecclesiam se conferant, & accensis infortitiis ad id præparatis sanctissimum Eucharistiæ sacramentum visitent, diligenterque inspiciant, an tabernaculum sit decenter ornatum; an sanctissimum sacramentum in pixide argentea conservetur; an in interiori parte dictæ pixidis sit aptatum & accommodatum corporale, & ea decernant & ordinent, quæ ut sanctissimum sacramentum decenter conservetur, decernenda & ordinanda cognoverint. Deinde Sanctorum reliquias, si quæ erunt, in ecclesia visitent, & videant, an in loco decenti & in vasis decenter ornatis & clausis honorifice conserventur. Postea altaria & sacrarium visitent, diligenterque inspiciant, an paramenta, linea corporalia & similia munda & nitida conserventur; an ornamenta ecclesiæ diligenter ac in loco tuto & decenti custodiantur; an calices, cruces & alia vasa argentea munda sint & decentia; an cetera sint recte disposita. Inquirant etiam, an ecclesia habeat onera ex piis defunctorum legatis, aut alias Missarum celebrandarum, & an illis satisfiat. Deinde tempore congruo singulos monasterii monachos incipiendo a prælato seorsum visitent. Ac prælatum interrogent de monachorum suorum qualitatibus & conditionibus, ac præsertim an prior claustralis suum officium diligenter circa divina officia exequatur; an divinum officium devote & distincte diu, noctuque debitis horis celebretur; an officium gloriosissimæ Virginis in choro, officiumque mortuorum statutis temporibus celebretur; an cellerarius ac alii deputati bona temporalia monasterii recte & fideliter administrent; an monachi regulam & ordinis statuta observent; an aliquis eorum quidpiam correctione dignum commiserit; an monasterium sit debitis gravatum, & de aliis hujusmodi rebus ipsum interrogent, quæ ad rectam vivendi normam in monasteriis observandam ac retinendam pertinent. Deinde singulos monachos interrogent de qualitate & moribus prælati; an frequentet divina officia; an ea omnia exequatur, quæ pro bono monasterii regimine exequenda sunt, & omnes & singulos benigne audiant, si quid voluerint eis exponere, quod correctionis & reformationis officio indigeat. Deinde diligenter videant, & examinent libros seu tabulas dati & accepti monasterii; curentque, ut juxta illud, quod in decretis sanctissimi Domini nostri definitum est, ii, qui ad curam seu regimen bonorum temporalium monasterii deputati sunt, rationem reddant suarum administrationum. Postremo visitent clausuram, cellas, omnesque officinas monasterii, curentque, ut cellæ omnes ad præscriptum decretorum prædictorum reformentur, ac si quid superfluum in dictis cellis repererint, statim in communi vestiario reponi jubeant. In monasteriis, in quibus novitii educantur, præcipuam curam & diligentiam adhibeant in visitando novitiatu, curentque, ut juxta formam in eisdem decretis traditam sit a communi dormitorio separatus; ac inquirant, an magistri eos in regulari observantia ad præscriptum regulæ & constitutionum ordinis instituant, & de aliis hujusmodi, & præsertim de observantia prædictorum decretorum tam magistrum novitiorum, quam singulos novitios & omnes

nes alios monachos diligenter interrogent ac examinent. Et postquam ea decreverint, quæ pro optimo regimine monasterii ac regulari observantia in ipso instauranda ac conservanda decernenda cognoverint, visitationem absolvant. Generalis ac visitatores cum ad monasterium aliquod visitandum applicuerint, post primam diem in refectorio comedant, nec aliquid aliud communi victui addatur, nisi ad summum unicum tantum ferculum. Ne autem monasteria visitanda nimiis expensis graventur, nullum seu prælatum, seu monachum præter cancellarium secum ducant, nec in monasteriis prædictis diutius quam necessitas ea visitandi ac reformandi exegerit, commorentur. In singulis monasteriis, in quibus novitii educantur, habeantur lectores in capitulis generalibus seu dietis pro hujusmodi munere obeundo approbati ac electi, qui juvenes Grammaticam, Logicam, Philosophiam ac etiam Theologiam, si opus fuerit, doceant, sub pœna privationis dignitatis & officii ab eorumdem monasteriorum superioribus incurrenda, si huic decreto non obtemperaverint, ac prædictos lectores sic, ut præfertur, electos ac approbatos hujusmodi munus in prædictis monasteriis exercere non procuraverint. Innovarunt etiam constitutionem alias factam, ut monachi, qui in Beneficiis monasteriorum vel alias extra monasteria commorantur, non possint in conventuales eligi. Non possint monachi ultra triennium in Beneficiis seu in quibuscumque aliis granciis & locis monasteriorum commorari; quo triennio expleto ad monasteria, in quibus regularis observantia exerceatur, omnino revertantur, nec possint iterum in Beneficiis seu locis prædictis deputari, nisi per annum, vel ulterius ad arbitrium capituli seu dietæ in prædictis monasteriis commorati fuerint. Statuerunt etiam, ut in capitulis generalibus quatuor, in dietis vero duo judices doctrina ac moribus præstantes a definitoribus eligantur, qui omnes querelas, processus & controversias sibi a visitatoribus vel aliunde delatas, timorem domini ac justitiæ zelum semper præ oculis habentes diligenter examinent, ac de sententiis in hujusmodi causis ferendis inter se deliberent, ac cum definitoribus communicent, qui eas, si id juris esse cognoverint, vel approbare, vel moderari debeant, ac promulgare. Decretis etiam ab illustrissimo ac reverendissimo domino cardinale Comensi protectore super solutione taxarum editis inhærentes, statuerunt, ut prælati omnes regimen ac administrationem monasteriorum habentes taxas quascumque singulis monasteriis impositas integre persolvant, ipsarum videlicet medietatem per totum mensem octobris, alteram vero medietatem per totum mensem februarii sub pœna privationis officii & dignitatis ipso facto incurrenda. Teneanturque generalis & visitatores ipsos statim removere a prælatura ac administratione, nec possint, qui retardaverint solutionem aut non solverint, ad prælaturas seu dignitates ab ullo restitui seu rehabilitari, præterquam a summo pontifice pro tempore existente. Decreverunt etiam, ut mutationes monachorum fiant tantum in capitulis vel dietis, aut a generali & visitatoribus intra annum ex causis tantum urgentissimis. Si quis autem prælatus aliquem monachum ex suo monasterio removere præsumpserit, ipso facto suspensionem ab officio ad libitum prædictorum patrum incurrat, & monachi, qui sic, ut præfertur, absque prædicta licentia ex uno ad aliud monasterium se transferrent, eo ipso voce activa & passiva careant ad arbitrium prædictorum patrum. Innovarunt etiam constitutionem alias factam sub eisdem pœnis, ut quilibet prælatus tempore celebrationis capituli tantum frumenti, vini ac pecuniarum in monasterio, a quo recedit, relinquat, quantum pro alenda dicti monasterii familia usque ad novos reditus possit sufficere, de quibus omnibus fidem a tribus ad minus ex senioribus monasterii subscriptam, ad capitulum afferat sub eisdem pœnis. Statuerunt etiam constitutioni alias factæ inhærentes, ut imposterum nullus ad habitum conversorum in congregatione admittatur, sed eorum loco commissi in monasteriis, in quibus novitii aluntur, recipiantur. Eorum autem habitus erit tunica tantum cum pallio usque ad dimidium cruris, & biretum, eademque tonsura utentur, qua hactenus conversi usi sunt, videlicet tonsa corona super aures, nec quamdiu in congregatione permanebunt, sive juniores, sive seniores erunt, barbam nutrient. Commissi autem hujusmodi nonnisi a definitorio vel capituli vel dietæ recipiantur, atque in monasteriis prædictis deputentur, in quibus a prælatis ac monachis capitulariter congregatis per occulta suffragia admittantur, & habitum juxta præscriptam formam suscipiant, & non recipiantur, nisi compleverint viginti annos. Completo probationis anno professionem sollemnem non emittant, sed cum prælato & senioribus monasterii visum fuerit, ac de concordia & consensu omnium ipsorum, qui quatuor saltem ultra prælatum esse debeant, vel duarum partium con-

ven-

ventus, si ipsi convenerint, ad stabilitatem recipiantur. Quæ receptio fiat in capitulo, datoque illis a prælato pallio sive mantello in signum receptionis & stabilitatis, ab ipso & a ceteris fratribus ad osculum pacis recipiantur. Declararunt autem & statuerunt, commissos prædictos, quamdiu in congregatione sub obedientia vixerint, in eorum numero computari debere, qui privilegiis congregationis adscripti, ac specialiter nominati, gratiis, indulgentiis & immunitatibus, sicut ceteri monachi plenissime gaudent, omniumque bonorum tam temporalium, quam spiritualium, quæ in congregatione fiunt, ac perpetuis fient temporibus, participes sunt, & eorum necessitatibus tam spiritualibus, quam temporalibus omni caritatis affectu & sollicitudine provideatur; fiantque post ipsorum mortem orationes & Missæ celebrentur, sicut fieri pro monachis consuevit; & donec in congregatione perseveraverint, teneantur servare castitatem, paupertatem & obedientiam. Et quia prætera debent, & ipsi aliquod pensum servitutis Deo persolvere, idcirco teneantur dicere in matutinis horis ter-decies orationem Dominicam & orationem Angelicam, & ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium pro qualibet hora septies, ad Vesperas autem duodecies. Commissi incorrigibiles & impœnitentes usque tertio capitulariter ab abbate corripiantur; si non resipuerint, certior fiat abbas generalis, qui cum consensu visitatorum in actu visitationis possit eos a congregatione expellere, nec unquam postea in congregatione recipiantur. Decreverunt autem, ut si qui commissi per decennium in congregatione laudabiliter vixerint, possint ad habitum conversorum assumi, ita tamen ut nonnisi in capitulis generalibus seu dietis post diligentem de ipsorum vita ac moribus inquisitionem factam pro hujusmodi conversorum habitu approbentur & tunc professionem emittant. Decreverunt etiam, ut nullus posthac ad sacros ordines suscipiendos mittatur, nisi prius a generali ac visitatoribus diligenter fuerit examinatus, qui nullum admittere possint, nisi ipsum quoad scientiam, ac ea, quæ ad statum ipsius juxta decreta sacrosancti concilii Tridentini pertinent, idoneum ac sufficientem cognoverint. Abbates seu quicumque alii monasteriorum ministri lites quascumque movere, seu motas componere non possint, nisi re diligenter a generali ac visitatoribus perspecta, atque ab ipsis licentia desuper habita sab pœna privationis vocis activæ & passivæ ipso facto incurrenda, & quicquid secus factum fuerit, irritum sit & inane. Excipiuntur tamen causæ summariæ & exequutivæ. Ad generalatus dignitatem ii tantum eligantur, qui ceteris doctrina, morum ac vitæ probitate, rerum experientia ac virtutum splendore præluceant. Ac propterea nullus deinceps ad hujusmodi gradum promoveatur, qui non sit saltem ætatis quadraginta annorum, & qui in regimine alicujus ex monasteriis, in quibus novitii educantur, aut visitatoratus, seu in procuratoris generalis officiis per aliquot annos laudabiliter sese exercuerit. Eremitæ tamen sacræ eremi Camaldulensis, qui juxta ordinis statuta ad generalatus dignitatem præscriptis temporibus eligi possunt, in hoc decreto quoad prædicta officia comprehensi minime intelligantur. Nullus tamen etiam ipsorum pro hujusmodi officio ac dignitate in congregatione exercenda vocetur, nisi vitæ ac morum integritate, regularis observantiæ zelo ac rerum experientia maxime commendetur. Quidquid autem secus factum fuerit, irritum sit & inane. In quibuscumque tamen electionibus servetur omnino decretum sanctissimi domini nostri super juramento ab electoribus præstando de melioribus ac magis idoneis eligendis. Mandata quæcumque generalia, quæ capitulariter a monachis suis prælatis, ac aliis monasteriorum procuratoribus fieri consueverunt, in quibus eisdem cum clausulis quibusdam generalibus facultas concedi solet, bona monasteriorum ad libitum quocumque modo locandi, in emphyteusim concedendi, illaque permutandi, obligandi ea pecuniis ad censum perpetuum vel vitalitium, vel ad commissionem accipiendi, nemini deinceps fiant; sed contractus omnes etiam locationum triennalium de quibuslibet monasteriorum bonis deinceps in capitulis eorumdem monasteriorum omnibus vocem habentibus proponantur, & ibi maturo tractatu ac colloquio examinentur & per occulta monachorum suffragia, itaut ex tribus partibus duæ saltem in unum conveniant, approbentur, habita tamen in primis in scriptis licentia a definitoribus capituli vel dietæ, & intra annum ab abbate generali ac visitatoribus super singulis contractibus faciendis, præterquam locationum triennalium, quæ per capitula monasteriorum terminentur. Et instrumenta manu publici notarii super singulis contractibus ac locationibus faciendis confecta in eisdem capitulis coram omnibus monachis publice stipulentur, atque in libro instrumentorum monasterii per ipsum met notarium authen-

authentice regiſtrentur. Prælati autem & Monachi huic decreto non obtemperantes per decennium omni dignitate, officio & utraque voce careant, nec habilitari poſſint, niſi in capitulo generali vel dieta per occulta omnium definitorum ſuffragia. Et nihilominus contractus ipſi & locationes, & quidquid contra decretum hujuſmodi factum fuerit, ipſo facto irrita ſint & nulla, nulliuſque roboris ac momenti. Nullus etiam prælatus vel miniſter monaſteriorum æs alienum contrahat, quod non valeat in fine cujuslibet anni, vel ſaltem in fine ſuæ adminiſtrationis extinguere. Quod tamen etiam non contrahatur, niſi ob urgentiſsimam monaſterii neceſſitatem, ac de conſenſu ſeniorum monaſterii, quod in libro reali debitorum & creditorum adnotetur, expreſſo nomine & cognomine illius, a quo pecunia accipitur, & qua de cauſa, ſub die, menſe & anno. Qui vero æs alienum a ſe contractum in fine ſuæ adminiſtrationis non extinxerit, eo ipſo ab omni regimine ac dignitate ſuſpenſus ſit, & impoſterum inhabilis, a qua ſuſpenſione & inhabilitate non poſſit abſolvi, niſi a ſanctiſſimo domino noſtro papa. In locationibus quorumcumque bonorum monaſteriorum nullus audeat quamcumque pecuniarum ſummam pro qualibet etiam urgentiſſima monaſterii neceſſitate, anticipata ſolutione in præjudicium ſucceſſorum accipere ſub pœna privationis vocis activæ & paſſivæque, ac cujuslibet officii ac dignitatis ipſo facto incurrenda. Nullus etiam audeat ſub quovis prætextu ac quæſito colore quamcumque pecuniarum ſummam ad cenſum perpetuum ſeu vitalitium abſque ſedis apoſtolicæ beneplacito, ac etiam definitorum capituli generalis ſeu dietæ licentia & conſenſu accipere. In quo etiam capitulo ſeu dieta determinentur bona, ſuper quibus cenſus erigendi erunt. Si quis autem huic conſtitutioni contrafecerit, ſtatim in pœnam privationis utriuſque vocis, dignitatis ac officii incidat, a qua non poſſit abſolvi, niſi a ſummo pontifice pro tempore exiſtente. Quoniam autem experientia compertum eſt nonnullos monachos etſi bona monaſteriorum proprio nomine ad affictum non conducant, alios tamen aut cognatos, aut amicos, ut ipſa ad affictum conducant, inducere, poſteaque prædictorum cognatorum aut amicorum nomine bona ipſa adminiſtrare, atque ita illicitis negotiationibus ſeſe implicantes in proprietatis vitium maximo animarum ſuarum periculo prolabi, ut huic malo, quantum fieri poteſt, opportuno remedio occurratur, ſtatuitur, ut nullus deinceps audeat in adminiſtrandis bonis cuilibet perſonæ locatis ſeſe ingerere, neque ipſa ſub quovis prætextu ac quæſito colore ad affictum ſive proprio, ſive alieno nomine conducere, ſub pœna privationis utriuſque vocis, ac cujuſcumque officii & dignitatis, ac perpetuæ inhabilitatis ab eo ipſo facto incurrenda. Quam pœnam etiam ſubeant prælati, qui monachis bona monaſteriorum, ut præfertur, locaverint, aut ipſos ea aliis locata adminiſtrare permiſerint. Generalis ac viſitatores præſtationes, quas ratione officiorum ſuorum a ſingulis monaſteriis pro ipſorum neceſſitatibus recipiunt, fideliter adminiſtrent, ac de ipſis in capitulo generali poſt ipſorum officium expletum rationem reddant. In quibuſcumque monaſteriis ſive locis congregationis id omnino ſervetur, quod in monaſteriis recte inſtitutis ſervari debet, nimirum ut nemini in ipſorum clauſuram ad libitum aditus pateat, ſed ipſorum januæ ſemper clauſæ permaneant, neque unquam niſi ex cauſis neceſſariis ac urgentibus aperiantur. Januæ autem cuſtodiendæ in præfatis monaſteriis janitor præficiatur, qui diligentia ac morum integritate maxime commendetur. Decretis ſanctiſſimi domini noſtri inhærendo ſtatuitur, ut nullus ex ſuperioribus monaſteriorum adminiſtrationem bonorum & aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum & redditaum ſui monaſterii, etiam nomine monaſterii, per ſe ipſum habere ſive exercere poſſit, ſed univerſum id onus tribus monachis a generali ac viſitatoribus ita demandetur, ut unus, qui exactor denominetur, rerum & bonorum, reddituumque colligendorum & exigendorum curam habeat, alter tamquam depoſitarius pecunias & cetera ab eo collecta & exacta fideliter aſſervet; alius vero, qui cellerarius appelletur, de pecuniis & rebus a depoſitario acceptis abbati & monachis ac monaſterio univerſo de neceſſariis, mandante ipſo abbate, non ſecundum proprium affectum, ſed juxta caritatis regulam, ac veluti bonus diſpenſator provideat, officiorum hujuſmodi confuſione penitus interdicta. Ceterum hi tres tam impenſi, quam accepti ſingulis menſibus abbati & omnibus monaſterii monachis ſimul congregatis, deinde ipſimet præſentibus abbate & monachis prædictis ſuperiori generali & viſitatoribus, cum advenerint; denique ipſe ſuperior generalis ac viſitatores in quolibet proximo capitulo generali ſaltem coram tribus judicibus ab ipſo capitulo ad hoc conſtitutis, illorum, ac etiam univerſæ adminiſtrationis ſuæ tam publicæ quam pri-

privatæ rationem reddere teneantur, cujus etiam exemplum authenticum ex actis capituli describatur, ad hoc ut ad omne mandatum sedis apostolicæ Romam transmitti possit. Ut autem in conficiendis extractis redditus ac expensarum monasteriorum, qui ad capitulum seu dietam juxta ordinis statuta pro solvendo uno pro centenario deferri debent, nulla deinceps fraus a prælatis monasteriorum committi possit, statuitur, ut nullus prælatus extractum hujusmodi sui monasterii, nisi cum assistentia trium ex senioribus monasterii conficere audeant, qui etiam diligenter & accurate ipsum cum libris monasterii conferant, ac postea subscribant, sigilloque monasterii obsignent. Generalis autem ac visitatores in visitationibus monasteriorum teneantur diligenter inquirere, an hujusmodi extractus ad capitulum delati sint veri & reales, & an in ipsis conficiendis fraudem aliquam prælati commiserint. Si quis autem in hujusmodi extractibus conficiendis fraudem aliquam commisisse, ac prædictum ordinem in ipsis conficiendis, ac ad capitulum seu dietam deferendis non servasse deprehensus fuerit, statim in pœnam privationis vocis activæ & passivæ, & cujuscumque officii & dignitatis per tres annos incidat. Quoniam autem prælati aliquando nimio ædificandi desiderio accensi ædificia in monasteriis vel inutilia vel minus necessaria maximo ipsorum monasteriorum damno erigunt, aliquando etiam ædificia necessaria ab aliis jam incepta prosequi nolunt, sed ea vel demoliuntur, vel ipsis sic imperfectis relictis, alia minus necessaria erigunt, statuitur ut nullus prælatus absque licentia generalis ac visitatorum in scriptis obtenta, ac consilio sui capituli antiqua ædificia demoliri vel nova erigere, aut etiam reparationes facere, exceptis necessariis, quæ dilationem non patiuntur, audeat. Antequam autem ædificium aliquod notabile, ut puta dormitorium, claustrum, refectorium vel simile incipiatur, fiat prius illius ædificii modulus de consilio peritorum, & cum approbatione generalis ac visitatorum, a quo nemini recedere liceat, sed juxta illum ædificium construatur ac perficiatur. Prælatus vero, qui in aliquo prædictorum deliquerit, statim ipso facto ab omni dignitate ac regimine per annum sit suspensus. Ceteri autem locorum administratores in hoc delinquentes utraque voce biennio careant, ac gravioribus etiam pœnis plectantur ad arbitrium definitorum capituli vel dietæ. Per hoc tamen Brevi sanctissimi domini nostri super fabricis in quocumque congregationis loco, donec æs alienum monasteriorum extinctum non fuerit, interdictis, nuper edito, nihil censeatur derogatum, sed in suo robore omnino remaneat. Constitutionibus ordinis alias editis inhærendo statuitur, ut nullus alterius cellam absque superioris licentia ingrediatur, nullusque aliquem secularem cujuscumque qualitatis & conditionis in cellam propriam absque eadem licentia introducat. Si quis autem in hoc deliquerit, pro qualibet vice in medio refectorii panem tantum & aquam comedat, atque gravioribus etiam pœnis plectatur ad arbitrium generalis & visitatorum. Decreto sanctissimi domini nostri super reservatione casuum nuper edito inhærendo statuitur, ut in singulis monasteriis a prælatis ipsorum aliquot ex sacerdotibus in ipsis degentibus, ceteris doctrina ac moribus præstantiores pro aliorum monachorum confessionibus audiendis deputentur. Si quis autem prælatus in hoc deliquerit, statim in pœnam privationis vocis activæ & passivæ, ac officii & dignitatis incidat, a qua non possit absolvi, nisi a summo pontifice pro tempore existente. Quoniam autem, ubi majus est periculum, ibi major cautio est adhibenda, statuitur, ut nullus monachus sub quovis prætextu aut quavis occasione ad monasteria monialium dicti ordinis accedere audeat, nisi in casibus permissis in decreto ab illustrissimis & reverendissimis dominis cardinalibus consultationibus episcoporum & regularium præpositis desuper edito, & juxta illius formam ac tenorem sub pœnis in eodem contentis ipso facto incurrendis. Generalis autem ac visitatores monialium visitationem cito expediant, nec apud ipsarum monasteria diutius commorentur, quam necessitas ipsa visitandi exegerit, sub pœna suspensionis ab eorum officiis ac dignitatibus ipso facto incurrenda, quam pœnam etiam incurrant, si cum ad ipsas moniales visitandas accesserint, alios seu prælatos seu monachos sub quovis prætextu aut quæsito colore secum duxerint. Non liceat iisdem abbati generali ac visitatoribus seu aliis quibuscumque monachis hospitari seu pernoctare in ædibus conjunctis dictis monasteriis, sed tantum in locis a monasterio sejunctis pro hospitio monachorum deputatis. Ubi autem sejuncta non essent, quamprimum fiant. Non liceat etiam superioribus ingredi claustra monasteriorum monialium pro monialibus vestiendis, ipsisque ad professionem admittendis, sed hujusmodi functiones ad crates seu ad aliquem alium locum in ecclesia existentem ad id deputatum omnino fiant. Abbates mona-

monasteriorum, quibus monialium cura imminet, non possint ad ipsa monasteria accedere, nisi ex causis tantum urgentissimis, atque cum ad ea ex causis prædictis accesserint, secum ducant socium ætatis annorum quinquaginta & moribus præstantem, quem tamen cum monialibus loqui non permittant, sub pœnis in prædicto decreto contentis. Ubi autem non adessent monachi illius ætatis, nullum alium secum ducant, quam confessarium. Abbates autem prædicti cum abbatissis seu aliis monasteriorum præfectis ad crates tantum, quæ in locis patentibus ac omnibus conspicuis sunt, colloquantur. Monachi, qui ad monialium ecclesias pro Missis seu divinis officiis celebrandis in ipsarum ecclesiarum sollemnitatibus, seu aliis temporibus accesserint, non possint cum monialibus sub quovis prætextu etiam ab ipsis petendi aliquid pro Missis celebrandis necessarium, loqui sub eisdem pœnis, sed earum dumtaxat confessarii ea omnia, quæ pro ipsis & aliis officiis in prædictis ecclesiis celebrandis necessaria erunt, præparent. Ii autem pro monialium confessionibus audiendis tantum eligantur, qui ceteris ætate provectiores existant, vitæque ac morum integritate maxime ab omnibus commendentur. Nec possint ultra triennium hujusmodi munus in eodem monasterio exercere. Confessarii autem prædicti intra monasterii clausuram ingredi, nisi pro administrandis sacramentis monialibus ægrotantibus non præsumant, nec tunc etiam, nisi cum cotta & stola. Nec audeant diutius intra ipsum commorari, quam necessitas administrandorum sacramentorum exegerit. Abbatissa autem ac duæ aliæ moniales ex senioribus semper confessarium, quamdiu intra clausuram permanserit, comitentur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die IX. aprilis M.DC.IIII. pontificatus nostri anno XIII.

M. Vestrius Barbianus.

CX.

Nicolai Wolschii epistola ad eremitas Monte-coronenses.

Anno 1604. x. augusti.

Ex libro Foudazioni pag. 122.

ADmodum rev. in Christo patribus præsidenti & definitoribus generalis capituli eremitarum Montis-coronæ dominis meis observandissimis.

Admodum rev. patres salutem plurimam & obsequia mea paratissima.

Cum potissimum id esset in votis meis, summoque universæ reipub. nostræ desiderio, ut devotissimus religionis vestræ ordo, quo sola hucusque lætatur Italia, in hanc quoque regionem nostram deduceretur, accidit, ut ad petitionem meam paternitates vestræ duos ex ordine suo præcipuos delegaverint, qui diligenti ratione habita accurate fundationis loca inspicerent, proventusque annuos considerarent, & inventa tam loci, quam proventuum commoda ratione paternitates vestras de omnibus certiores facerent, seque in proximo capitulo præsentes sisterent. His autem omnibus accurate perspectis & non improbatis, de reditu ad paternitates vestras dum illi cogitant, veniunt ab Urbe ad instantem petitionem meam literæ ab illustrissimo cardinali Comensi, quibus sub obedientiæ mandato illis injungitur, ut antequam paternitates vestræ de hoc negotio ulterius decernant, hinc non se moveant. Mitto itaque illorum literas, quibus & de re fusius, quod officium illorum postulat, perscribunt. Interim dum ego spe firma nitor, & ex comuni suffragio & decreto in generali capitulo acceptandæ possessionis resolutionem expecto, diplomata fundationis conficio, sociumque illustrissimum comitem in Wysnicz castellanum Woinicensem mihi adjungo, qui eadem ratione partem patrimonii sui meæ fundationi contiguam conjungit; eaque mitto authentica auctoritate serenissimi regis confirmata, supplex petens, ut qua omni promptitudine anno superiori meo desiderio in præmittendis ad me patribus annuistis, nunc ad majorem Dei gloriam vestræque religionis augmentum, consentientibus votis negotium hoc plenarie peragatis; offert majestas regia suum vobis patrocinium, virique principes, quorum maxima est in totum ordinem vestrum animi propensio, vos exoptant, suumque pollicentur studium. Reliquum est, ut fratres e medio vestri mittatis, dignitate & numero tales, quales & quot ordinis instituendi & promovendi ratio postulat, uti PP. VV. omnia dominus Paulus Hennick nomine meo coram exponet; idque ut quamprimum faciant, majorem in modum peto. Dabo equidem operam, ut quidquid mearum erit partium, id me bona fide & constantia vobis præstitisse cognoscatis. Commendo me sanctis orationibus paternitatum vestrarum. Cracoviæ die x. mensis aprilis M.DC.IV. Devotissimus servitor Nicolaus Wolschi Maraschalus curiæ regni Poloniæ manu ppa.

CXI.

Clemens VIII. tradit Camaldulensibus ecclesiam S. Andreæ de Tibure.

Anno 1604. Idibus decembris.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

CLemens episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio vicario ven. fratris nostri episcopi Tiburtini in spiritualibus generali salutem & apostolicam benedictionem. Ad apostolicæ dignitatis apicem *&c.* Sane dilectus filius noster Cæsar tituli sanctorum Nerei & Achillei presbyter cardinalis Baronius nuncupatus nobis nuper exposuit, exhibita pro parte dilectorum filiorum prioris claustralis & conventus monasterii sancti Gregorii de dicta Urbe Camaldulensis ordinis, necnon Johannis Dominici Coccanarii nuper rectoris parrochialis ecclesiæ sancti Andreæ diœcesis Tiburtinæ petitio continebat; quod ipsi prior & conventus compertum habentes ex illis, qui pro tempore in aliquam infirmitatem decidunt, seu adversa valetudine laborant, ob defectum alicujus loci opportuni & aeris salubritate commendati, ad quem hujusmodi infirmantes & valetudinarii recuperandæ & conservandæ sanitatis & valetudinis causa se conferre & recipere valeant, interire tantum religiosorum, qui in dicto monasterio inibi sub ejus & dicti ordinis institutis regularibus laudes Altissimo persolventes degunt, quorum non ita exiguus existit numerus, ac in loco angustiori & minus salubri sæpenumero nonnisi magna cum incommoditate & anxie languere, & hanc ob rem desiderantes de aliquo loco in hoc sibi opportuno provideri, præfato Cæsari cardinali, qui monasterium præfatum in commendam ad ejus vitam ex concessione & dispensatione apostolica obtinet, desiderio & necessitate patefactis; simulque exposito prædictam parochialem ecclesiam, quam dictus Johannes Dominicus obtinebat, cujusque, dum pro tempore vacat, collatio, provisio & omnimoda alia dispositio seu ad illam præsentatio personæ idoneæ ad pro tempore existentem abbatem seu perpetuum commendatarium monasterii hujusmodi, cessantibus reservationibus & affectionibus apostolicis, pertinet seu pertinere asseritur, aut ab eodem monasterio vel illius mensa abbatiali dependet, ac ejusdem parochialis situm, utpote in civitate aeris salubritate & loci amœnitate commendata monachis dicti monasterii in præmissis valde opportunum & commodum fore, necnon super ejusdem parochialis ecclesiæ, ad effectum unionis infrascriptæ faciendæ resignatione, & cum dicto Johanne Dominico, mediante, ac interveniente auctoritate dicti Cæsaris cardinalis, habito tractatu, tam Cæsar cardinalis, quam Johannes Dominicus præfati suum super hoc assensum præstare paratos se exhibuerint. Si igitur dicta parochialis ecclesia, ab ea dilectorum filiorum illius parochianorum cura animarum & ejusdem curæ exercitio perpetuo abdicatis, & ad sancti Blasii & sancti Vincentii, necnon sancti Bartholomæi parochiales ecclesias etiam Tiburtinæ, illarumque dilectos filios modernos & pro tempore existentes rectores translatis, mensæque conventuali dicti monasterii perpetuo uniretur & incorporaretur, ex hoc monachorum & monasterii pro tempore infirmantium hujusmodi commoditatibus opportune, dictorumque parochianorum curæ animarum satis commode provisum & consultum foret. Cum autem dictus Johannes Dominicus parochialem ecclesiam primo dictam ad effectum unionis faciendæ hujusmodi hodie in manibus nostris sponte & libere resignaverit, nosque resignationem ipsam duxerimus admittendam, & propterea primo dicta parochialis ecclesia per resignationem eamdem apud sedem apostolicam vacare noscatur ad præsens, nullisque de illa præter nos, pro eo quod nos dudum omnia beneficia ecclesiastica cum cura & sine cura, apud dictam sedem tunc vacantia & in antea vacatura collationi & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione & decreto obsistentibus supradictis. Pro parte Cæsaris cardinalis, ac prioris & conventus, necnon Johannis Dominici prædictorum asserentium primo dictæ parochialis ecclesiæ, & illi forsan annexorum fructus, redditus & proventus centum ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum non excedere, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus a primo dicta parochiali ecclesia omnimodam curam animarum perpetuo abdicare, illamque sic abdicatam cum dictis parochianis ad alias tres parochiales ecclesias prædictas, necnon præfatos illarum rectores respective etiam perpetuo transferre; ac primo dictam parochialem ecclesiam mensæ

sæ conventuali hujusmodi similiter perpetuo unire, annectere & incorporare, & alia desuper, ut infra, disponere de benignitate apostolica dignaremur. Nos, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum æstimationem prædictam etiam beneficii, cui aliud uniri peteretur; alioquin unio non valeret, monachorum monasterii hujusmodi pro tempore infirmantium commoditatibus, necnon ipsi Johanni Dominico, ne ex resignatione hujusmodi nimium dispendium patiatur, ac singulis ecclesiæ sancti Blasii & sancti Vincentii, necnon sancti Bartholomæi rectoribus hujusmodi de alicujus subventionis auxilio, atque alias in præmissis opportune providere volentes, ipsosque priorem & Johannem Dominicum &c. a quibusvis excommunicationis &c. sententiis &c. absolventes &c. hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis quoad infrascriptam unionem iis, qui fuerint vocandi, de præmissis nobis expositis diligenter informes, & si per informationem eamdem illa vera esse repereris, a primo dicta ecclesia parochiali &c. omnimodam curam parochianorum hujusmodi auctoritate nostra perpetuo abdices, curamque sic abdicatam cum parochianis prædictis, necnon jure & exercitio parochialibus ad prædictas sancti Blasii, sancti Vincentii & sancti Bartholomæi ecclesias & illarum rectores hujusmodi respective per se ac juxta tuam providam ordinationem, cuique illarum distribuendam, dividendam, ac committendam dicta auctoritate nostra etiam perpetuo transferas, & nihilominus primo dictam parochialem ecclesiam sic sine cura remanentem, tunc mensæ conventuali hujusmodi, ita quod liceat moderno & pro tempore existenti priori monasterii & conventui hujusmodi ex nunc corporalem, realem & actualem possessionem primo dictæ parochialis ecclesiæ, ac illius annexorum fructuum, redituum, proventuum, jurium, obventionum, emolumentorum, ædium, locorum & proprietatum quorumcumque suo & dictæ mensæ conventualis nominibus propria auctoritate, dicti Cæsaris cardinalis vel cujusvis alterius desuper minime requisita licentia, apprehendere & apprehensam perpetuo retinere, ipsosque fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, emolumenta, ac alia bona undecumque provenientia percipere, exigere &c. ac in suos usus & utilitatem convertere & erogare, auctoritate nostra præfata similiter perpetuo unias, annectas & incorpores, ac eisdem priori & conventui concedas & assignes. Præterea si abdicationem, translationem, unionem & alia tibi commissa prædicta per te vigore præsentium fieri contigerit, ut prædicitur, postquam ipsa facta fuerint, super omnibus & singulis tam mensæ conventualis hujusmodi, quam primo dictæ parochialis ecclesiæ fructibus, redditibus &c. unum censum sive canonem annuum vigintiquinque mensurarum, bocalium vulgo nuncupatarum, olei boni & receptibilis in territorio seu districtu dictæ civitatis, ac colligendi pro usu & manutentione lampadis in capella sanctæ Silviæ in claustris seu ambitu prædicti monasterii, ac illius ecclesiæ convertendi & exponendi, eadem auctoritate nostra perpetuo constituas &c. Contradictores &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M. DC. IV. idibus decembris pontificatus nostri anno XIII.

CXII.

Paulus V. Alexandro Cevæ confirmat facultatem condendæ eremi in monte Taurini.

Anno 1605. XXII. augusti.

Ex Libro Fondazioni.

PAulus papa V. dilecto filio Alexandro a Ceva eremitæ Camaldulensi. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Alias, sicut accepimus, felicis recordationis Clemens papa VIII. prædecessor noster supplicationibus dilecti filii nobilis viri Caroli Emmanuelis Sabaudiæ ducis inclinatus, ac de tua prudentia, integritate ac religionis zelo plurimum confisus in Domino, tibi, ut una cum duobus aliis eremi Camaldulensis eremitis, quos ven. frater noster Ptolomæus, tunc episcopus Portuensis, nunc vero Hostiensis cardinalis, Comensis nuncupatus, congregationis Camaldulensis apud nos & apostolicam sedem protector, ex quinque aut sex per te nominandis elegisset, ad fundandam in monte Taurini, aut alio loco a præfato Carolo Emmanuele duce designando unam eremum instituti eremitici Camaldulensis ad instar eremi Camaldulensis prædictæ accedere, ac eremum ipsam fundare, ac in illa institutum prædictum eremiticum sub eisdem regula, constitutionibus & ordinationibus, quæ in eremo Camaldulensi prædicta servantur, intro-

introducere libere & licite valeres, ad triennium ab ejus fundatione numerandum facultatem concessit, prout in ejusdem Clementis prædecessoris literis in simili forma brevis desuper expeditis, quarum tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, sicut nobis insuper exponi fecisti, prædicta eremus nondum perfecta existat, ac finis dicti triennii propediem exspiret, cupiasque concessionem prædictam ad aliud tempus nobis bene visum prorogari, ideo nobis humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. sententiis &c. absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, triennium prædictum nondum elapsum, & literas prædictas cum omnibus & singulis in illis contentis ad aliud triennium a fine primo dicti triennii computandum, auctoritate apostolica tenore præsentium extendimus & prorogamus, ac prædictæ eremo per te fundandæ, ut sit ad instar omnino eremi Camaldulensis, cui unitum est monasterium quondam Putei-stratæ Taurini ejusdem ordinis, ejusque futuro priori & eremitis ex nunc prout ex tunc postquam fundata & stabilita fuerit, ut omnibus & singulis gratiis, indultis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, concessionibus, gradibus, honoribus, dignitatibus & privilegiis, quibus supradicta eremus Camaldulensis, ejusque priores eremitæ frui, potiri & gaudere solent, & possent ac poterunt quomodolibet in futurum, sine aliqua prorsus differentia frui, potiri & gaudere possint & valeant, concedimus & indulgemus. Volumus tamen, ut eremus fundata hujusmodi cum dicto monasterio Putei-stratæ Taurini, ejusque prior & eremitæ pro tempore existentes visitationi & correctioni abbatis generalis & visitatorum pro tempore existentium congregationis Camaldulensis perpetuo subjaceant adinstar eremi prædictæ Camaldulensis. Præterea te ex nunc in dictæ eremi fundatæ priorem ad triennium a fine triennii a dicto Clemente prædecessore, ut præfertur, tibi concessi computandum, auctoritate & tenore præsentium facimus & deputamus. Finito autem hujusmodi triennio & de cetero in perpetuum ad electionem prioris ejusdem eremi juxta ordinationes & constitutiones eremi Camaldulensis procedi debere statuimus & ordinamus. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die XXII. augusti M.DC.V. pontificatus nostri anno primo.

M. Vestrius Barbianus.

CXIII.

Caroli Emmanuelis ducis Sabaudiæ declaratio pro eremo Taurinensi.

Anno 1606. ultima novembris.

Ex collectione monumentorum ad Alexandrum Ceva spectantium pag. 60.

CArlo Emmanuel per grazia di Dio duca di Savoja, Chablais, Auosta e del Genevese, principe e vicario perpetuo del sacro Romano Impero, Marchese in Italia, principe di Piemonte, Marchese di Saluzzo, conte di Geneva, Romont, Nizza, Asti e di Tenda, baron di Vaud e di Faucignì, signore di Vercelli, del Marchesato di Ceva, Oneglia, Marro, e del Cocconato ecc.

A tutti sia manifesto, che ritrovandosi del mille cinquecento novantanove infestati questi nostri stati d' atrocissimo morbo e contagioso, quale per il gran progresso, che in essi fece, rese molti luoghi quasi inabitati, e desolati, e tra gli altri la ben amata città nostra di Torino, e dopo avere sperimentato tutti gli umani rimedj e provisioni, conoscendo non essere stati bastanti, procurassimo più potente ed efficace rimedio, con aver raccorso all' infinita clemenza del Salvatore nostro Gesù Cristo, offerendogli in voto di edificar un eremo dell' ordine di Camaldoli a similitudine di quello di Toscana, e dotarlo per il valore, che da noi gli sarà stabilito, sotto il titolo e nome del Salvatore a perpetua memoria della grazia, che mediante questo divino rimedio sperassimo conseguire della liberazione di detta città dal morbo suddetto dalla misericordiosissima sua mano, e così restasse servita sua divina Maestà farci vedere incontinente l' effetto di questo nostro voto, cominciando a cessare il male, ed indi in pochissimo spazio di tempo rimaner essa città ed altri luoghi infetti liberi affatto, e conciosiachè sendo noi informati delle lodevoli ed onorate qualità, integrità, prudenza, antichità di famiglia è divozione del molto reverendo padre don Alessandro de' Marchesi di Ceva eremita del sacro eremo di Camaldoli, l' abbiamo perciò come ottimo mezzo chiamato per erezione, regola ed istituzione di detto eremo;

mo; indi a nostra istanza ottenuto da sua Santità Breve, per il quale si è compiacciuta conceder ed ordinare al detto reverendo padre, eletto poi da noi in confessore nostro, d' erigere ed introdurre ne' monti di Torino e nelle fini del luogo nostro di Peccetto in luogo ritrovato assai comodo per tal effetto, l' instituzione eremitica di detto ordine di Camaldoli, commettendogli e rimettendogli la cura, governo e reggimento di essa e di detto eremo, ed anco di unire il beneficio della sacrestia con suoi beni e membri del monastero di san Solutore di Torino dell' ordine di san Benedetto, il che si è procurato, acciò li padri ed eremiti potessero più comodamente vivere, star nell'eremo, pregar e lodar il Salvator nostro, ed indi seguendo noi la medema intenzione, e per fondazione di detto eremo avendo per mezzo del magnifico consigliero e senatore nostro M. Filiberto Sandri conservatore del medemo eremo da noi deputato, e per far accomprar special procuratore da noi parimente constituito. Avendo accomprato il suddetto luogo con onesto territorio attorno, il possesso del quale sì per dotazione, come per fabbrica della chiesa e celle necessarie già tempo fa l' avessimo rimesso al suddetto reverendo padre eremita priore e maggiore di esso eremo, e non apparendo sin al presente scritto di questa nostra disposizione e volontà. Ecco però, che per tenore delle presenti, di nostra certa scienza e libera volontà, moto proprio, animo deliberato, non istante persona alcuna, e di nostra piena, assoluta e suprema possanza, per noi e successori nostri, a lode e gloria del Salvatore nostro Gesù Cristo, e della gloriosissima sua madre vergine sempre Maria, e del glorioso san Romualdo primo istitutore della vita eremitica in occidente, soddisfacendo al nostro voto, come sopra fatto, per titolo di pura, mera, sempre ed irrevocabile donazione tra vivi, e giammai per alcun tempo, nè per qual si voglia causa, eziandio d'ingratitudine, da rivocarsi, ma da rimanere per sempre ferma ed inviolabile, abbiamo donato, ceduto, rimesso, doniamo, cediamo e rimettiamo, applichiamo ed incorporiamo al detto eremo ed agli eremiti, come sopra, dell' ordine di Camaldoli di presente e all' avvenire tutti i beni, cioè case, cassine, prati, vigne, campi e boschi, del danaro da noi a questo effetto, e che si darà comprati, e si compraranno sì dalli paticolari di Pecetto, Revigliasco e da altri, la maggior parte de' quali sono specificati, nominati e coerenziati negl' instromenti ricevuti per Alessandro Barr[a] nodaro di Peccetto, quali instromenti insieme con gli altri, che di dette compre ed acquisti si faranno, vogliamo che siano registrati uno per uno ne' registri della camera nostra de' conti di quà da' monti, per avergli raccorso in ogni bisogno, al qual effetto ne carichiamo detto conservatore presente e futuri, con una casa in Torino per ospizio di detto eremo comprata da Melchior e Carlo fratelli di Reviglione con tutte le ragioni, azioni, pertinenze, accessi, ingressi e regressi di detti beni e casa respettivamente, che gli autori di essi aveano e si trovavano avere in essi e per essi sotto le loro coerenze, e ciò per fondazione, dote e stabilimento di detto eremo, ed in ajuto e sostentamento del detto rev. padre don Alessandro, suoi successori ed altri, come sopra, dell' ordine e regola predetti; dichiarandosi però sin al presente per noi, che in detto eremo non vi abbino ad entrare, nè introdurre persone di qualsivoglia grado e condizione si siano, eziandio dell' istesso ordine e sotto l' istessa regola di Camaldoli, senza espressa licenza, autorità e disposizione del detto rev. priore e maggiore don Alessandro suddetto, sua vita natural durante. Dando parimente facoltà ed omnimoda possanza a' detti rev. padri eremiti presenti e futuri di godere tutti essi beni, tenergli, coltivargli, affittargli, cavarne a beneficio loro ed utile di detto eremo li frutti e proventi di essi, il tutto sotto la custodia e libera disposizione del detto rev. padre maggiore e priore presente, e de' suoi successori in detto eremo. Dando libera ed ampia facoltà e licenza al detto rev. padre don Alessandro di prender il possesso di tutti li detti beni fino al presente, e sempre che buono gli parerà, con approvazione e ratificazione, e confirmazione del già per il medemo rev. padre preso, e transferendo in detto eremo ogni e qualunque dominio utile, diretto e pieno; e constituendo signore e padrone, e detto rev. padre procuratore come in cosa propria a nome di detto eremo. Promettendo in fede e parola di principe a detto rev. padre maggiore ed a' successori suoi in detto eremo di detti beni donati per fondazione, come sopra, non averne, nè esserne per noi stato fatto contratto, nè distratto alcuno al presente pregiudiciale, nè di farlo parimente all' avvenire, quali avremo rimesso, e di nuovo, ove sia di bisogno, rimettiamo con l' evizione in ogni più ampia e valida forma di ragione per il fatto nostro proprio solamente, e riducen-

cendo sin al presente, temporalmente ed in perpetuo sotto la protezione e salvaguardia nostra e de' nostri successori. Dichiarando, che vogliamo ed intendiamo, che detti beni ed altri per noi applicandi al detto eremo sino al numero di ducento giornate solamente, e non più, sieno liberi ed esenti dalli pagamenti, e da tutti li carichi nostri patrimoniali, ordinarj, e straordinarj, come sono gl' altri beni, che sono stati donati a' monasterj, e della medesima maniera, come ancora dal pagamento de' pedagj, daciti, e gabelle in ogni luogo tutte le vettovaglie e robe di qualsivoglia sorte per ragione di dominio mero, uso o destinazione appartenenti e spettanti al detto eremo ed eremiti, sì da estraersi dal detto eremo, come da introdursi nel medesimo e suoi ospizj e luoghi, il tutto senza abuso, sì e come ne sono e saranno altri religiosi de' monasterj esistenti nei nostri stati. Mandando perciò a chi sia spediente di levare tali beni dalli cattastri e registri comuni, dove sono allibrati, ed alla camera nostra de' Conti di diffalcare alle comunità, quali aveano tali beni registrati il Tasso ed altri carichi per quella parte, a' quali essi beni erano. Volendo, come per le presenti dichiariamo, che detto eremo ed eremiti loro agenti e massari, fattori, e procuratori e negociatori gioiscano di tutti li privilegj, immunità, grazie, esenzioni, libertà, concessioni ed ogni altro bene dalla santità di papa Leone X. concessi nella sua bolla delj M. D. XIII. li IV. di luglio primo anno del suo pontificato al sacro ordine ed eremo di Camaldoli. Patto, condizione e legge alla presente nostra donazione e dotazione nel principio, mezzo e fine apposti da valere per sempre in infinito, talmente che essa donazione e dotazione restino più tosto nulli, e di niun valore ed effetto, o rivocato espressamente, che detti condizione, patto e legge siano oziose o invalide. Che venendosi detto eremo in qualunque tempo all' avvenire per qualunque causa pensa, pensata o impensata, eziandio per moto proprio di sua Santità o in qualsivoglia altra maniera o caso ad annullarsi, (che Dio non voglia) o a ridursi in comenda, o sotto altra forma o regola, o potendo essere sinora de jure patronato laicale d'alcuno, che in tale caso sia, e s' intenda essere, come noi sinora come allora, ed all' incontro dichiariamo, vogliamo ed intendiamo, che sia e s' intenda essere de jure patronato nostro e de' nostri serenissimi successori. Riservando a tal' effetto a noi, ed a' nostri suddetti per sempre all' avvenire la collazione, nominazione, elezione e presentazione, eziandio per vacanza di esso in qualunque modo appresso la sede apostolica, o in corte, o in qualsivoglia altra maniera, nonostante la disposizione del capitolo II. e III. *de præbendis* nel V. ed ogni altra cosa in contrario, insieme con tutti gli altri diritti e ragione a padrone spettanti e pertinenti, sì di ragione, che di fatto, e per qualunque special privilegio in e sopra qualunque patronato, e non altrimente, nè in altro modo. Dichiarando parimente, che la licenza e facoltà concessa dal detto papa Leone X. agli eremi ed eremiti suddetti di eleggersi un conservatore, s' intenda per le presenti confermata, con questo però che il conservatore da eleggersi sia suddito nostro ed abitante ne' nostri stati ed in Piemonte, e non altrimente. Dichiarando ancora, che non vogliamo, che il generale, visitatore e congregazione di Camaldoli, nè altri abbiano o possino giammai avere, o pretendere dominio, autorità o giurisdizione temporale nel detto nostro eremo e beni suoi presenti e futuri, ma vogliamo, che l' intiero governo ed assoluta amministrazione di essi sia e resti sempre in arbitrio, e piena e libera facoltà del maggiore presente e suoi legittimi successori in detto ufficio col suo capitolo, e che non possa detto generale, visitatore, o qualsivoglia altra persona rimover dal detto nostro eremo o luoghi ad esso per ogni tempo uniti ed annessi alcuno degli eremiti tanto novizj, che in esso legittimamente professi e stabiliti, senza il consenso di quel tal novizio o professo e del capitolo suddetto; nemmeno possino diputarvi alcuno di famiglia, o per qualsivoglia altro effetto, sia religioso o secolare senza il libero consenso di detto maggiore e suo capitolo, come di tutto questo dispongono li privilegi e costituzioni dell' eremo di Camaldoli, adinstar del quale e senza alcuna minima differenza, come nel breve di Nostro Signore, questo nostro è fondato. Con che averà carico ed obbligo detto padre maggiore e priore presente ed altri di avvenire di dire o far dire ogni giorno in perpetuo una Messa in esso eremo o sia chiesa sua in suffragio della nostra anima, e de' serenissimi nostri predecessori e successori; quali cose tutte sopra promesse diciamo e di nuovo in parola di principe promettiamo voler osservare, ed esser vere, e quelle voler attendere e non contravenirgli, nè di ragione, nè di fatto, ancorchè di ragione e fatto potessimo; ma avere e tenere per ratta, grata,

ta, valida e ferma la presente dotazione &c. A tal' effetto mandiamo e comandiamo alla camera nostra de' conti di quà da' monti di dover interinare, ammettere ed approvare le presenti, senza mutazione, nè modificazione alcuna e senza difficoltà, nè opposizione; nonostante ogni ordine, decreto, costituzione e considerazione, ed altra qualsivoglia cosa che facesse o disponesse in contrario; che tal' è la nostra mente. Dat. in Torino l'ultimo di novembre mille seicento sei

C. EMANUEL.

V. Provana. V. Mignata. Registrata Sicardo.

Sottoscritto Roncas.

CXIV.

Definitores concedit monasterio Avellanensi Paulus V.

Anno 1607. XI. januarii.

Ex Actis Capitularibus anni 1594.

PAulus papa V. ad futuram rei memoriam. Expositum nobis nuper fuit pro parte procuratoris generalis Camaldulensium nomine ipsius congregationis, quod in capitulis generalibus dictæ congregationis novem definitores hactenus deputari consueverunt, sex nimirum ex numero prælatorum, & tres ex numero conventualium, & ex iis definitoribus de numero prælatorum eligi soliti fuerunt juxta dispositionem constitutionum regularium, pater abbas generalis, & post illum alii quinque, unus ex qualibet professione, præterquam ex monasterio Avellanæ, quod ideo contigit, quoniam monasterium prædictum paucis ab hinc annis dictæ congregationi aggregatum fuit, quo tempore loca definitorum prædictorum jam erant inter alia monasteria distributa. Cum autem, sicut eadem exceptio subjungebat, in capitulo generali dictæ congregationis in monasterio Camalduli anno superiori celebrato mature consideratum fuit, monasterium prædictum Avellanæ dignum esse, ut adinstar aliorum monasteriorum tali honore decoretur, hoc vero fieri non possit, ejusdem congregationis constitutionibus obstantibus, absque nostro ac sedis apostolicæ indulto. Propterea idem procurator generalis dictæ congregationis nomine nobis humiliter supplicari fecit, ut super hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus, ut imposterum definitores capituli generalis dictæ congregationis novem, ut hactenus fuerunt, existant, sed ex his septem ex prælatis, reliqui vero duo ex conventualibus; ex septem vero, qui ex prælatis erunt, unus ex prædicto monasterio Avellanæ eligatur, firmis in reliquis dictæ congregationis constitutionibus & consuetudinibus remanentibus &c. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XI. januarii 1607. pontificatus nostri anno 2I.

Scipio Cobellutius.

CXV.

Paulus V. transfert indulgentiam S. Romualdi ad diem VII. februarii.

Anno 1607. XXIX. januarii.

Ex archivo S. Hippolyti de Faventia.

PAulus papa V. ad perpetuam rei memoriam. Cum sicut accepimus, alias fel. rec. Gregorius XIII. prædecessor noster per suas literas in simili forma Brevis sub dat. die XXV. februarii M.D.LXXXII. expeditas omnibus utriusque sexus Christi-fidelibus vere pœnitentibus & confessis, ac sacra communione refectis, qui ecclesias monasteriorum tam monachorum, quam monialium totius congregationis & ordinis Camaldulensis in earumdem ecclesiarum titulorum, & etiam sancti Romualdi ipsius congregationis & ordinis fundatoris festivitatibus a primis vesperis usque ad occasum Solis festivitatum hujusmodi devote visitassent, & ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ matris ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem perpetuo concesserit, & elargitus fuerit, prout in literis prædictis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cumque tempore concessionis hujusmodi festum dicti sancti Romualdi die XIX. junii celebrari soleret, & postmodum auctoritate & permissu rec. mem. Clementis papæ VIII. similiter prædecessoris nostri ad diem VII. februarii translatum fuerit, dilectorum filiorum abbatis generalis & monachorum congregatio-

gationis supradictæ per dilectum filium Michaelem Leonardellum Cæsenatensem ejusdem congregationis procuratorem generalem nomine nobis expositum & supplicatum fuit, ut indulgentiam hujusmodi ad diem VII. februarii etiam transferre de benignitate apostolica dignaremur. Nos eorumdem votis benigne annuentes indulgentiam per eumdem Gregorium prædecessorem, ut supra concessam, ad festum sancti Romualdi die VII. februarii, ut præfertur, nunc celebrari solitum, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo transferimus & translatam esse volumus, itaut quilibet utriusque sexus Christi-fidelis præmissa peragens eamdem indulgentiam consequatur, quam consequeretur, si a principio per eumdem Gregorium ad secundum dictum diem concessa fuisset, eadem auctoritate decernimus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIX. januarii M.DC.VII. pontificatus nostri anno secundo.

Scipio Cobellutius.

CXVI.

Idem dividit Congregationem Camaldulensem in quatuor Provincias.

Anno 1607. XXIX. aprilis.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano.

PAulus papa V. ad perpetuam rei memoriam. In summi apostolatus specula, ut universæ superintendamus ecclesiæ, licet nullo nostro merito a Domino constituti, convenit regularis vitæ & disciplinæ, quæ magno usui & ornamento eidem ecclesiæ semper extitit, præcipuam curam habere, ut scilicet collapsa restituantur, & ne collabantur imposterum, pastorali sollicitudine provideatur, prout a nobis conspicitur in Domino salubriter expedire. Sane, cum, sicut accepimus, congregatio ordinis Camaldulensium non æquo jure, & prout recti regiminis, præsertim personarum Christi solis justitiæ servitio adscriptarum ratio postulat, sed magna inæqualitate gubernetur, multaque inde disciplinæ damna & monachorum injuriæ & oppressiones existant, ne malum hujusmodi longius serpat, opportuno remedio subveniendum duximus. Igitur motu proprio, & ex certa nostra scientia & matura deliberatione, deque apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, ut imposterum universa Camaldulensis congregatio in quatuor provincias dividatur, in ecclesiasticam seu Romanam, in Thusciæ, Venetiarum, & Urbinatensem. Prima vero provincia, quæ erit Romana, ex omnibus monasteriis in statu ecclesiastico existentibus constituatur, videlicet ex monasterio Classis Ravennatensis, ubi novitiatus habetur; sanctæ Mariæ Urani Brittonoriensis; sancti Johannis Faventinæ, sancti Hippolyti item Faventinæ; sancti Salvatoris Foro-liviensis; sancti Johannis Balneo-caballensis, sancti Gregorii Urbis, sancti Nicolai item Urbis, sancti Martini Privernatis, sancti Blasii Fabrianensis, sancti Severi Perusinæ, sancti Damiani Bononiensis una cum titulo sanctorum Quatuor Coronatorum prædictæ Urbis, sancti Angeli de Massaccio, omnibusque & singulis aliis monasteriis in dicto statu nostro ecclesiastico existentibus, si eidem congregationi uniri in futurum contigerit, quæ ex nunc prout ex tunc ejusdem provinciæ Romanæ esse volumus. Secunda provincia nempe Thusciæ ex eremo constet Camaldulensi, quæ eremus gubernabitur in futurum, sicut antea, juxta literarum in forma brevis fel. recor. Clementis VII. & Clementis VIII. Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum de conventionibus inter ipsam eremum & congregationem Camaldulensem, & de electione Majoris eremi prædictæ formam & tenorem, & ulterius ex omnibus monasteriis, quæ sunt in toto statu Magni-Ducis Etruriæ sibi subjecta, dictæ congregationis Camaldulensis, quæ sunt hæc: monasterium Angelorum Florentiæ, in quo est novitiatus, sanctorum Justi & Clementis Volaterranensis, sancti Michaelis de Pisis, Rosæ Senarum, Agnani seu sanctæ Mariæ in Gradu Aretinæ, sanctæ Mariæ de Vertilio Montis-sancti-sabini, sanctæ Mariæ de Balneo, sancti Nicolai de Burgo-sancti-sepulcri, una cum subsequentibus ecclesiis & domibus, videlicet Arcus Senarum, sancti Michaelis de Arretio & sanctæ Mariæ de Trivio seu Montis-cornarii, & si quæ alia monasteria in futurum dictæ congregationis fuerint unita, quæ sicut in dicto statu Magni-ducis Etruriæ ex nunc prout ex tunc ejusdem provinciæ Thusciæ esse volumus & decernimus. Tertia provincia, quæ vocabitur Veneta, omnia monasteria dictæ congregationis Camaldulensium, quæ sunt in toto statu Veneto, complectatur, videlicet sancti Michaelis, in quo est novitiatus, sancti Mathiæ, in quo pariter est novi-

novitiatus de Murano, ſanctæ Mariæ de Carceribus, in quo ſimiliter eſt novitiatus, ſancti Johannis de Judeca Venetiarum, ſanctæ Mariæ in Campanea Veronæ, ſanctæ Luciæ Vicentiæ, ſanctæ Mariæ de Follina Vallis-mareni, cui provinciæ adjicimus monaſterium ſanctæ Mariæ Putei Taurinenſis, ac ſancti Marci Mantuan. quæ nunc in provincia Lombardiæ & Pedemontii exiſtunt, ac in quibus non eſt novitiatus, una cum ſequenti eccleſia & domo, videlicet Montis-chriſti in inſula ſtatus Plumbini. Si quæ vero alia monaſteria in futurum dictæ congregationi fuerint unita, quæ ſint in eodem ſtatu Veneto, & ex nunc prout ex tunc & e contra ejuſdem provinciæ Venetæ eſſe volumus. Quarta provincia, quæ vocabitur Urbinas, ex omnibus monaſteriis, quæ ſunt in ſtatu Urbini & aliis ſequentibus conſtituatur, denominationem vero a ſtatu Urbini habebit monaſterium antiquiſſimum ſanctæ Crucis Fontis-avellanæ. In ipſo ſtatu cum monaſteria ſint pauciora, provinciæ Urbinatenſi monaſteria & eccleſias & domos in ſtatu regis catholici exiſtentia adjungimus. Monaſteria vero hujus provinciæ ſunt hæc: ſanctæ Crucis Fontis-avellanæ ſupradictum, in quo eſt novitiatus, ſanctæ Mariæ Piſaurenſis, ſanctæ Agathæ, ſancti Romualdi Cremonenſis & ſancti Viti in carrubio Mediolanenſis, una cum ſubſequentibus eccleſiis & domibus, videlicet ſancti Nicolai de Cornu, & ſancti Auguſtini de Baſiano Aprutinæ, & ſi quæ alia monaſteria in futurum dictæ congregationi fuerint unita, quæ ſint in eodem ſtatu Urbini, & ex nunc prout ex tunc, & e contra ejuſdem provinciæ Urbinatis eſſe volumus. Præterea apoſtolica auctoritate perpetuo ſtatuimus & ordinamus, ut in futurum quælibet provincia habeat dumtaxat tot abbates, quot habebit monaſteria ſibi aſſignata, nec plures, nec pauciores, & tot monachos, converſos & commiſſos, quot per ſeipſam alere & manutenere poteſt, nec plures, nec pauciores, juxta numerum jam de ordine noſtro cuilibet monaſterio præſcriptum. Inſuper ut in ſingulis monaſteriis educationi novitiorum deſtinatis ii tantum recipiantur, qui ex eadem provincia ſint oriundi, in qua monaſteria prædicta reperiuntur; ſi qui autem recipientur, qui ſint aliarum provinciarum, in quibus non adſint monaſteria dicti Camaldulenſis ordinis, ii ad habitum recipi in qualibet provincia poſſint, dummodo numerus præſcriptus ejuſdem provinciæ ſervetur. Ad hæc, ut officia principalia dictæ congregationis, nempe generalatus, procuratoris generalis, & amborum viſitatorum ſic diſtributa conferantur, ut quælibet provincia ſemper habeat unum ex ipſis officiis tantum, itaut ex eadem provincia ex dictis officialibus eodem tempore eſſe minime poſſint; officium vero generalatus hoc ordine conferatur, ut quælibet provincia ſuis loco & tempore habeat generalem, itaut non poſſint ex eadem provincia eſſe duo generales immediate ſubſequentes, & poſt duos generales cœnobitas tertius ex numero eremitarum immediate aſſumatur, prout nunc ſervatur in eadem congregatione. Definitorium capituli generalis, nonniſi ex novem prælatis ſeu abbatibus deinceps conſtet, nimirum ex abbate generali, qui juxta ordinis conſtitutiones ſemper capitulo & definitorio præſidebit, & ex aliis octo prælatis ſeu abbatibus ex quatuor provinciis prædictis deſumendis, ita tamen ut nonniſi duo ex qualibet provincia eligantur. Dieta celebretur juxta formam a fel. rec. Clemente papa VIII. prædeceſſore noſtro præſcriptam in omnibus, præterquam ad tollendam inæqualitatem in provinciis, numerus undecim definitorum redigatur, ut antea præſcriptum a nobis eſt, in quo numero ſemper ſint quattuor officiales principales congregationis, nempe generalis, procurator generalis, & ambo viſitatores, ſintque etiam vicarii provinciarum, videlicet abbas monaſterii Claſſenſis Ravennæ, abbas Angelorum Florentiæ, abbas ſancti Michaelis Venetiarum, & abbas ſanctæ Crucis Avellanæ tamquam principales prælati prædictarum provinciarum, & pro complendo numero novenario abbas ſancti Blaſii Fabriani. Si generalis infra annum obierit, ſeu privatus fuerit, electio protrahatur ad tempus capituli, quo tempore capitulum generale celebretur, quamvis alias facienda eſſet dieta, ut generalis in conſpectu univerſæ congregationis eligatur. Interim vero ſit vicarius generalis primus viſitator, qui cum adhærentia ſecundi viſitatoris curam & adminiſtrationem dictæ congregationis habeat uſque ad tempus dicti capituli celebrandi, faciatque una cum alio viſitatore omnes illas functiones, quas generalis cum ambobus viſitatoribus faciebat, præterquamquod ſi aliquis abbas obiret, aut privatus foret, electio ipſius non poſſit ab ipſo fieri, ſed uſque ad futurum capitulum differatur a definitoribus facienda. Decernentes præmiſſa omnia & ſingula ab iis, ad quos ſpectat, & in futurum ſpectabit, obſervari debere, ac irritum & inane, quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel igno-

ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus &c. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die vigesima-quarta aprilis M. DC. VII. pontificatus nostri anno secundo.

CXVI.

Carolus Emmanuel constituit eremitas Taurinenses Oratores Capellæ Ordinis Equestris Annuntiatæ, Italice & Gallice.

Anno 1607. III. decembris.

Ex libro Monumentorum Cevæ pag. 5.

CArlo Emanuel per gratia di Dio Duca di Savoja, Chablais, Avosta o Genovese, Principe e Vicario perpetuo del sacro Romano Impero, Marchese in Italia, Principe di Saluzzo, Conte di Geneva, Romonte, Nizza, Asti, e di Tenda, Baron di Vaud e Faucigni, Signore di Vercelli, del Marchesato di Ceva, di Oneglia, del Maro &c. Capo e Sovrano dell' Ordine dell' Annunziata nostra Signora.

Fra tutti li più lodevoli ed onorati instituti de' serenissimi predecessori nostri di felice memoria introdotti e stabiliti a gloria d'Iddio, premio della virtù e splendore di questa corona a noi per dispposizione e legittima successione da molti secoli continuata, quello dell'antichissimo e nobilissimo Ordine dell' Annunziata di Nostra Signora tiene il primo luogo, nel quale avendolo noi con ogni sollecitudine non solo conservato, ma procurato di accrescere ed inalzare, senza risparmiarvi spesa, nè fatica, sì in tempo di pace, che di guerra, col risico della persona nostra. Restando nondimeno privo della provincia di Beugey per il trattato fatto col Re di Erancia, nella quale il monastero e chiesa di Pietra-chastelo è situato, e fondato ed eretto dall' invitissimo principe predecessore nostro il Conte Verde più di ducento e cinquant' anni sono, per chiesa e capella di detto Ordine, e dalli devoti Certosini servita, pregando per l' anime del fondatore e suoi successori Capi e Supremi di detto Ordine, e delli Cavalieri defonti a quella compagnia e confraternita chiamati ed aggregati. E sebbene crediamo, che per l'obbligo, pietà e buon zelo, che sempre han mostrato verso di questa casa, dalla quale hanno ricevuto molti benefizj, non lascieranno di continuare dette orazioni; tuttavia non potendo noi per le cose suddette, come Supremo di detto Ordine, nè manco li Cavalieri di esso, nè altre persone esercitarvi quelle opere di carità, a che per l' istituzione dell' Ordine sono obbligati, desiderosi di provvedere a questo santo Instituto, come cosa principale, e dalla quale dipendono li buoni successi delle cose Cavalleresche, ci è parso dopo matura considerazione e participazione nel capitolo di detti Cavalieri, di elegere e nominare per detta Capella, come per le presenti elegiamo, e nominiamo, la chiesa dell' Eremo Camaldolese fondata da noi nella montagna della presente Città dalla parte di Pecè, sotto titolo del Salvadore. Il che abbiamo fatto sì in considerazione delle cose sudette, che per essere detti eremiti divoti di Nostra Signora protettrice di detto Ordine, quali intendiamo siano d' ora avanti ed in perpetuo tenuti e riputati per religiosi ed oratori della Capella dell'Ordine nostro dell'Annunziata sovra detto di quà da monti; e che godano delle preeminenze e prerogative a detta Capella spettanti, nell'istesso modo, forma e maniera, che gli anno goduti li Certosini di Pietra-chastelo, e sono per godere all' avvenire conforme alli capitoli ed instituzioni di detto Ordine, de' quali a questo fine sarà dato estratto e copia segnata dal Graffier di detto Ordine al rev. padre Don Alessandro di Ceva nostro Confessore, e Maggiore di esso Eremo, per metterlo nell' archivio di detta Capella, e per avergli ricorso e valersene nelle occasioni conforme all'occasione nostra, che vogliamo esser osservata dalli successori nostri, che saranno Supremi di detto Ordine. Mandando perciò alli Cavalieri ed ufficiali d'esso presenti, ed altri d'avvenire, ch'abbiano d' osservare la presente nostra erezione, ed insieme riconoscere, stimare, nominare e riputare la Chiesa dell' eremo sudetto per Capella ed Oratorio di detto Ordine di quà da' Monti, e de' Cavalieri sudetti, facendo godere gli Eremiti ad essa servienti delli diritti e preeminenze a loro spettanti senz' alcuna difficoltà, che così piaccia. In fede di che abbiamo firmato le presenti di propria mano. In Torino alli tre di decembre M. DC. VII.

Sottoscritto CARLO EMMANUEL.

V. Provana.

Boursier.

Charles Emanuel per la grace de Dieu duc de Savoye, Chablois, Avoste & Genevois, prince & vicarie perpetuel du Sainct

Sainct Empire Romain, marquis en Italie, prince de Piedmont, marquis de Saluces, conte de Geneve, Bauge, Romont, Nice & Ast, baron de Vaud & Faucigny, seigneur de Verceil, du marquisat de Ceve, Oneille, Marro; chef & sovrain de l' ordre de l' Annonciation nostre Dame &c.

Entre les plus lovables & honorables actions faictes par nos serenissimes predecesseurs de tres-heureuse memoire, celle de l' institution & establisment du tres-nobles & tres-ancien ordre de l' Annonciation nostre Dame, est digne du premier lieu, comme chose dresée a l'honneur de Dieu & de sa tres-saincte mere, pour marque & splendeur de la vertù, & de suite pour l'ornement de la Coronne, qu' il à pleu a la divine disposition & bontè par une antique & legitime succession contineur en nostre maison, le quel ordre ayant des nostre evenement a l' imitation de nos ancestres de gloriose memoire non seulemente tasche de tout nostre pouvoir de conserver, maintenir & garder, mais aussi avec tout le soing possible voulu augmenter & accroistre, sans y rien espargner, voire jusque a y employer la propre personne, l' exposant les guerre passées, come a avons faicts toutes sortes de perils & hazards: des quelz nous ayant preservè & donnè grace de venir a but de tant de malheurs par le moyen d'un amaible traictè de paix ensuivi entre le Roi de France Henry quatriesme de ce nom, & nous, que pour le bien d'icelle & repos de nos suietz luy avrions remis la Province du Beugeis, dans la quelle est située l' eglise & monastere de Pierre-castel fondè par tres haut, tres-puissant, tres-victoireux & vaillant prince moinsegneur Amede sixiesme, pour chapelle du dict ordre, servie par nos devots orateurs le peres Chartreux, aux fins de prier Dieu pour le repos de l' ame du fundateur, de ses successeurs, chefz & souverains du dict ordre & de leurz confreres & chevalliers d' iceluy. Au quel lieu encoresqu' a present il n' esoit a nostre disposition, estimants neantmoins qu' ils ne laissent d'y rendre leur devoir conforme a leur obligations, pitiè & bon zele, que tousjours il zons monstrè envers nous & nostre coronne, de la quelle ils ont receu tant de biens faictz. Et toutes fois estant raisonable, que ce que par l' institution du dict ordre est porte touchant le devoir, que les dits chevalliers ont a la dicte eglise, soit observè, gardè & entretenu; ce qu' a l'occasion susditte ils ne peuvent faire en pays estranger, jusque a ce qu' il plaise a Dieu nous y reintegrer. Desirants par ce in attendant sa saincte volontè, apporter a cette devote institution le remede convenable, come chose principale, de la quelle dependent les bons succes des chevalliers & personnes bien intentionées: avons aux fins que dessus par ces presentes de nostre certaine science, plaine puissance & authoritè, apres en avoir partecipè au chapitre tenu pour cet effect avec les dicts chevalliers confreres du dict ordre de l' Annonciation nostre Dame, nommè & declairè, nommons & declairons pour chapelle d'icelus en la place & lieu du dict Pierre-castel, l' eglise de l' ermitage Camaldolense de nostre fondazion assize sur la montagne de Turin de la part & territoire de Pecè, sub le titre & nom du Sauveur. Ce qu'avons faict tant en consideration des choses susdictes, que pour estre les dits ermites devots de Nostre Dame, de la quelle le dict ordre porte le nom. Voulants & entendant, que d' orsencasant & a jamais les dicts ermites soient tenus nomès & reputés pour religieux & orateurs de la chapelle de nostre dict ordre de l' Annonciade de ça le monts, e que ilz jovisent des pertinences & prerogatives a la dicte chapelle appertenants a la mesure forme & maniere, qu' en jovissoient an paravant lesdictz Chartreux du monastere & eglise de Pierre-castel, & sont pour jouyr a l' advenir a la forme de l' ancienne institution du dict ordre & fondation de la dicte eglise, desquelz à ces fins sera donnè extraict & copie signèe de la main du Greffier di dict ordre au reverend pere en Dieu Don Alexandre de Ceve nostre confesseur & prieur du dict ermitage pour le mettre avec la presente dans l' archive d' iceluy, pour y avoir recours & s'en servir aux occasions, qui s'en presenteront, conforme a nostre intention, que voulons estre observée par nos successeurs, chefz & souverains du dict ordre & par les chevalliers confreres d' iceluy, ainsy qu' a chacun d'eux appartiendra, ausquels mandons d' ainsi le faire & de recognoistre, estimer, nommer & reputer l' eglise du dict ermitage soub le titre du Sauveur, comme dessus pour chapelle de l'ordre de l' Annonciade nostre Dame ça les monts, comme dessus faisant jouyr les prieur & ermites Camaldolense servans à icelle, des ammosnes, drois, e preminences a eux appertenants à la forme des statuts & institutions du dict ordre, ainsi & comme les chevalliers di celuy sont tenus de faire en consideration de la dicte election,

ſaus aucune difficultè ny contradiction, tout anſy qu'ils feroint à Pierre-chaſtel, car tel eſt noſtre vouloir. En foy de quoy nous avons ſignè les preſentes de noſtre main, & icelles faict ſeelles de noſtre ſeel. A Turin ce troiſieſme de decembre annèe courante mil ſix cens & ſept.

C. EMANUEL.

V. Ph. Millet.

Bonrſier.

Articls contenants ce que les Chevaliers de l'ordre de l'Annonciade doiveent des livrer a la chappelle du dict ordre, comme eſt portè au livre des ſtatutz d'icelluy.

Article LIII. Primierement les chevalier, ſoudain qu'ilz ſeront receus en l'ordre, ou trois mois apres pour le plus tard donneront à la chappelle de ſuſdict ordre de l'Annonciade pour reparation & entretenement d'icelle cent florins monnoye de Savoye.

Article LV. Voulons & ordonons, que chacun des dictz chevaliers, qui pourteront le dict ordre, ſoient tenus de donner ſoudain apres leur reception, ou pour le plus tard trois mois apres icelle a la dicte chappelle calice, chazuble & parementz tous entiers pour un chappellain a dire Meſſe, armoyè des ſes armes en memoyre de lui apres ſa mort.

CXVIII.

Idem cenſus inſtituit pro eremitis Taurinenſibus.

Anno 1610. xv. junii.

Ibidem pag. 69.

CArlo Emmanuel per grazia di Dio duca di Savoja, Chablais, Auoſta e del Geneveſe, principe e vicario perpetuo del ſacro Romano Impero, Marcheſe in Italia, principe di Piemonte, Marcheſe di Saluzzo [1], conte di Geneva, Romont, Nizza, Aſti e Tenda, baron di Vaud e del Faucignì, ſignore di Vercelli, marcheſato di Ceva, Oneglia, Marro ec.

Devono i religioſi e buoni ſervi di Dio, quali ſono utili per l'orazioni, ſanta vita ed altri loro ajuti ſpirituali, eſſere in venerazione e cura dei divoti popoli e del pio principe loro; onde avendo noi in effetto provato di quanta utilità ci ſiano i reverendi eremiti dell'ordine di Camaldoli, che per ottenere ogni bene e felicità dalla divina clemenza a' noſtri ſtati e ben amati popoli, e procurare che dalla divina giuſtizia non ſiano con flagelli e caſtighi afflitti, ſeſteſſi affigono, negletta ogni loro cura di guſto, voluttà terrena, nonoſtante l'auſterità e parſimonia della loro religione, vanno in tanto numero creſcendo ogni giorno nel ſacro eremo, il quale per mezzo del molto reverendo padre fratre Aleſſandro Ceva ora maggiore di eſſo ſacro eremo e diletto noſtro confeſſore [1], abbiamo fondato nei monti della preſente città e fini di Pecetto, che ne le molte celle già fatte baſtano a capirli, nè li proventi ſtabiliti a trattenerli. Perciò volendo noi, che reſtino di giorno in giorno meglio proviſti di vivere ed altri loro biſogni, di noſtra certa ſcienza, proprio movimento e deliberata volontà per noi, noſtri eredi e ſucceſſori facciamo pura, mera, ſemplice ed irrevocabile donazione tra' vivi d'annuo cenſo o ſia reddito di ducatoni cinquecento da fiorini tredici l'uno moneta di Piemonte ora corrente, il qual reddito s'intenda cominciare al principio del preſente anno mille ſeicento dieci, e continuare annualmente in perpetuo da pigliarſi ſopra li redditi di Racconiggi, Migliabruna, Pancalieri e loro dipendenze, e ſopra altri redditi e luoghi, sì e come in tale caſo ſi verrà a ſtabilire dalle mani delli fittajoli e maneggiatori di detti redditi a quartieri, o vero a'ſuoi tempi, come meglio tornerà commodo ad eſſo ſacro eremo. Dando autorità e facoltà ad eſſo ſacro eremo per sè o ſuoi legittimi procuratori di prender, eſigere e riſcuotere dalle mani, non da alcun teſoriere, ma da eſſi fittajoli, maſsari e maneggiatori preſenti e futuri detto perpetuo reddito di ducati cinquecento ogni anno ed in tutto, come ſopra, e di poter eſſi compellere al pagamento di detta ſomma come di coſa propria e particolare di detto ſacro eremo, e a modo di debitori noſtri patrimoniali avanti a qualunque magiſtrato, miniſtro ed uffiziale, eziandio conſervatore di detto ſacro eremo, mandando ad eſſi ſotto pena di pagargli un altra volta del proprio di così pagargli ad eſſo ſacro eremo, ovvero a'ſuoi legittimi procuratori, le quittanze de' quali vogliamo che ſiano valide, come ſe foſsero fatte da loro teſorieri. Proibiamo perciò al generale di noſtre finanze, al teſoriere noſtro generale, e ad ogni altro che ſia ſpediente,

te, presente e futuri d' impedirsi od intromettersi in modo alcuno in detta esazione, sotto pena di nullità ed altra arbitraria. Promettendo in fede e parola di principe per noi, nostri eredi e successori dell' evizione di detto reddito annuo di ducatoni cinquecento in buona e valida forma di ragione verso detto sacro eremo &c. Mandiamo in oltra e comandiamo a tutti nostri Magistrati, ministri ed uffiziali di osservare, e far sempre inviolabilmente osservare le presenti, ed in particolare alla camera nostra de' conti di esse interinare, ammettere ed approvare in tutto e per tutto secondo la loro forma e tenore &c. Dato in Torino li 15. di giugno M.DC.X.

C. EMANUEL.

V. Provana. V. Coardo. Registrata per Sicardo. Traversagna. *Bareti.*

Carlo Emanuel per grazia di Dio duca di Savoja, di Chablais, d' Avosta e del Genevese, principe e vicario perpetuo del S. R. I. marchese in Italia, principe di Piemonte, marchese di Saluzzo, conte di Geneva, Nizza, Asti e Tenda, baron di Vaud, e Faucignì, Signore di Vercelli, del marchesato di Ceva, di Oneglia, del Marro ec.

Poichè non solamente i beneficj, ma le promesse, anzi la mera pietà stimola ogni magnanimo e pio principe di far opere ad onore e gloria di S. D. M. noi, che da i gran progressi che la contagione, nonostante l' essersi usato ogni umano rimedio, l'anno 1599. nelli stati nostri e ben amati popoli, e particolarmente nella presente nostra città di Torino faceva, conosciamo la grandezzza del benefizio, che ci fece la divina misericordia, quando a tal effetto fu da noi fatto il voto di edificare un sacro eremo dell' ordine di Camaldoli a similitudine di quello di Toscana sotto titolo di nostro Salvatore, a gloria e onore di essa divina maestà e del beato san Romoaldo, e di dotarlo per lo valore, che da noi gli sarà stabilito. E sebben perciò abbiamo comprato il sito, e procuratone la fondazione sopra i monti di questa città nelle fini di Pecetto per mezzo del molto rev. padre don Alessandro Ceva maggiore di esso sacro eremo e carissimo nostro confessore, sicchè già vi resta edificata la chiesa e molte celle, pure non resta ancora al tutto edificato, nè provisto. Mossi parimente dallo stimolo di pietà ed affezione, che a simili opere ci han lasciato i nostri gloriosi e beati parenti e predecessori, vogliamo ad ogni modo esso sacro eremo non solamente ornare di privilegj ed immunitadi, ma dotar ancora ogni dì meglio di redditi sufficienti, perchè si riduca a sua ultima e totale perfezione, conforme ad essa fondazione instituto, mente e religione di essi reverendi eremiti, i quali in quel santo luogo attendono di continuo a pregare per noi e per gli stati nostri la divina bontà. Onde di nostra certa scienza, proprio movimento e deliberata volontà per noi, nostri eredi e successori facciamo pura, mera, semplice e irrevocabile donazione tra vivi a detto eremo, di un censo annuo perpetuo di ducatoni due mila effettivi, qual censo comincii a correre al principio del presente mese di giugno mille seicento dieci, e continui in perpetuo annualmente a quartieri, da prendersi sopra gli emolumenti, redditi e proventi, che potranno venire, proveniranno e spettaranno a noi ed alla camera nostra del Tabellionato, o sia insinuazioni e registrazioni de' contratti e disposizioni, a beneficio de' nostri ben amati popoli, eretto ed ordinato negli stati nostri di quà da' monti, e particolarmente delle poste o sia segretarie perciò stabilite in questa Città di Torino, e nel luogo e mandamento di Chieri dalle mani degli Accensatori o siano segretarj di detto Tabellionato, e da chiunque altro sia spediente; e caso che il danaro, che si cavarà da dette poste e segretarie non basti per intiero pagamento di essi ducatoni due mila annui, come sopra, si possano pigliare in qualunque altro luogo di dette poste e segretarie torni più comodo ad esso sacro eremo. E in caso anche, che esso Tabellionato venisse ad estinguersi ed annullarsi, vogliamo, che detto censo annuo sopra i medesimi beni per altre nostre al medesimo sacro eremo sopra li beni, proventi e redditi nostri di Racconiggi, Migliabruna, Pancalieri e loro dipendenze, membri, o sopra altri redditi o luoghi, si e come in tal caso si verrà a stabilire, sicuri del patrimonio nostro, oltre un' altro annuo reddito di cinquecento ducatoni detti altri membri e luoghi assignato, senza che sia bisogno di nuovo atto, nè ordine. Dando autorità e facoltà ad esso sacro eremo per sè o suoi legittimi procuratori di prender, esigere, riscuoter dalle mani non di alcun tesoriere, ma da essi accensatori o siano segretarj, oppure deputati presenti e futuri detto censo perpetuo di ducatoni due mila effettivi ogni anno a quartieri, e di poterli compellere al pagamento di quello, come di cosa propria e particolare di detto eremo, ed a modo di debitori nostri pa-

tri-

trimoniali avanti qualunque magistrato, ministro ed ufficiale, eziandio conservatore di detto eremo. Promettendo ancora in fede e parola di principe per noi, nostri eredi e successori della evizione di detto censo annuo di ducatoni due mila in buona e valida forma di ragione verso detto eremo, e di aver sempre grata, valida e ferma la presente donazione &c. Dato in Torino li xv. di giugno M.DC.X.

C. EMMANUEL.

V. Provana. V. Registrata per Sicardo. Augiero. *Bareti.*

CXIX.

Paulus V. permittit Majori Coronensi, ut licentiam possit concedere eremitis transeundi ad alios Ordines Regulares mitiores.

Anno 1611. VI. octobris.

Ex tabulario Montis-coronæ.

PAulus papa V. dilecto filio majori eremitarum sancti Romualdi ordinis Camaldulensis congregationis Montis-coronæ. Dilecte fili salutem & apostolicam benedictionem. Cum sicut nobis nuper exponi fecisti, nonnulli tuæ congregationis austeritatem illius sufferre nequeant, & propterea ad aliud laxioris vitæ institutum, quo valetudinem suam conservent, transire posse desiderent, nobis propterea humiliter supplicare fecisti, ut super præmissis opportune providere, tibique, ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos te specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. sententiis &c. absolventes & absolutos fore censentes, ac de dilecti filii nostri Scipionis tituli sancti Chrysogoni S. R. E. presbyteri cardinalis Burghesii nuncupati, nostri secundum carnem ex sorore germana nepotis, ordinis Camaldulensis & congregationis tuæ apud nos & sedem apostolicam protectoris prudentia & integritate peculiarem in Domino fiduciam habentes, supplicationibus tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati, tibi & pro tempore existenti eremitarum Montis-coronæ Majori, ut prædictis eremitis, qui austeritatem & rigorem dictæ congregationis absque evidenti suæ sanitatis periculo sufferre nequiverint, ut ad aliquem ex approbatis a sede apostolica mitigatum ordinem, ubi benevolos invenerint receptores, de prædicti Scipionis cardinalis protectoris consensu transire libere & licite possint & valeant, licentiam tribuentes apostolica auctoritate tenore præsentium plenam, liberam & amplam facultatem & auctoritatem concedimus & impartimur. Non obstantibus &c. Præsentibus postquam prædicti Scipionis cardinalis munus cessaverit, minime duraturis. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die VI. octobris M.DC.XI. pontificatus nostri anno septimo.

S. Cobellutius.

CXX.

Traditio monasterii Saxo-ferrati facta Camaldulensibus.

Anno 1612. IX. kal. februarii.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

PAulus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Super eminenti &c. Sane dilectus filius Scipio tituli sancti Chrysogoni presbyter cardinalis Burghesius nuncupatus nobis nuper exposuit tam suo, quam dilectorum filiorum modernorum superiorum congregationis Camaldulensis nominibus, quod monasterium sanctæ Crucis de Saxo-ferrato ordinis sancti Benedicti, Camerinensis diœcesis, quod dictus Scipio cardinalis in commendam ad ejus vitam ex concessione & dispositione apostolica obtinet, vitæ monasticæ disciplina & religiosorum conventu jampridem destitutum existit, illique aut ejus ecclesiæ per quatuor presbyteros seculares ad nutum ejusdem monasterii pro tempore existentis abbatis sive perpetui commendatarii amovibiles ad præsens deservitur, seu onera illius per presbyteros ipsos supportari consueverint; quare pro parte dictorum Scipionis cardinalis ac superiorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus dicti monasterii felici successui, ac illius ecclesiæ hujusmodi servitio, necnon religionis, divinique cultus inibi incremento consulere, regularis quoque observantiæ disciplinam ad publicam utilitatem & animarum salutem in dicto monasterio introducere vel restituere, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur pium & numquam satis laudandum, & religiosum dicti Scipionis cardinalis propositum plurimum in Domino commendantes, ac superiores prædictos, & eo-

& eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, &c. absolventes, ac absolutos fore censentes, ac instrumenti seu instrumentorum vel aliarum scripturarum aut conventionum & transactionum super præmissis forsan confectorum & irritorum veriores & totos tenores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, in præfato monasterio quatuor ad minus monachos in presbyteratus ordine constitutos, quorum unus prior, & aliorum inibi pro tempore existentium caput existat, & unius conversi ordinis & congregationis præfatorum ex monasterio de gremio ejusdem congregationis existentium per superiores & præsidentes ipsius congregationis pro tempore existentes juxta regularia ipsius instituta & consuetudines ponendorum & amovendorum, ita tamen quod semper quatuor ad minus ex monachis congregationis, & unus conversus hujusmodi inibi existant & præsideant, quique mensam conventualem a pro tempore existentis abbatis seu perpetui commendatarii monasterii hujusmodi mensa prorsus distinctam habeant & separatam; ac Missas & Horas canonicas tam diurnas, quam nocturnas, ceteraque divina officia in ecclesia ejusdem monasterii dietim, juxta ritus, mores & consuetudines dictæ congregationis, & modo & forma in publico instrumento transactionis & conventionum super his & aliis infrascriptis, ac illorum occasione per Scipionem cardinalem, ac superiores seu præsidentesque præfatos forsan factarum vel faciendarum, præscriptas celebrent, & alias eidem ecclesiæ in divinis laudabiliter deserviant, atque regularibus institutis congregationis hujusmodi se conforment, jurisdictioni quoque superiorum congregationis, visitationi, correctioni & reformationi pro tempore existentium superiorum & præsidentium congregationis hujusmodi dumtaxat subjiciantur, & inter quos quatuor saltem presbyteri existant, apostolica auctoritate tenore presentium perpetuo instituimus, seu monasterium præfatum cum illius ecclesia, sacristia, paramentis, claustro, refectorio, dormitorio, coquina, campanili, campanis, hortis, hortalitiis, cellis vinariis, ædificiis aliisque officinis & ad divinum cultum necessariis, & cultui ipsi dicatis, aliisque rebus, facultatibus, usibus & commoditatibus per dictum Scipionem cardinalem ad id concessis & instrumento præfato confecto, vel conficiendo designatis, seu concedendis & designandis, necnon omnibus & singulis paramentis, ornamentis, crucibus, calicibus, thuribulis, libris, & quacumque alia sacra etiam quantumcumque pretiosa suppellectili ad ecclesiam & sacristiam hujusmodi pertinentibus & spectantibus & ibidem existentibus, & sub inventario super hoc conficiendo & consignando, exceptis domo, sive palatio & habitationibus procuratorum seu agentium vel negotiorum gestorum Scipionis cardinalis, & pro tempore existentis abbatis & perpetui commendatarii monasterii prædicti in instrumento prædicto forsan etiam describendis & exprimendis, in monasterio prædicto, ordine & congregatione prædictis pro usu & habitatione unius prioris ac trium ad minus monachorum, uniusque conversi, ut prædicitur, sine alicujus præjudicio etiam perpetuo, eisdem auctoritate & tenore erigimus & instituimus, ipsique priori & monachis, & converso, ac conventui, vel pro eis congregationi aut superioribus hujusmodi ecclesiæ dicti monasterii, necnon syndicariam & laudemia, ex novis investituris bonorum emphyteoticorum ipsi syndicariæ pro servitio ecclesiæ dicti monasterii ac illius sacristiæ destinari & applicari solita, necnon ex syndicaria provenientia ad sacristiam dicti monasterii seu illius ecclesiæ quæcumque redditus vel obventiones & emolumenta, necnon duos, unum videlicet cæmeterium nuncupatum prope chorum & sacristiam dictæ ecclesiæ, & alterum prope coquinam & stabula ejusdem monasterii versus illi proximum montem, seu eidem ecclesiæ & coquinæ & stabulis & respective contiguos & adjacentes hortos; præterea campum, hortum, & vineam seu vineolam, la Vignola vulgariter nuncupatam & respective prædicto monasterio concessos seu concessa, ac pratum in frontispicio ædificiorum dicti monasterii consistens quantitatis medii rubii vel circa mensuræ illarum partium, & usum lignorum ad comburendum in sylva ibidem cædendorum, suis confinibus & limitibus per priorem & monachos & conventum prædictum non transgrediendis, contenta & designanda pro usu & habitatione dictorum conventus similiter perpetuo concedimus & assignamus, eaque omnia & singula illis pariter perpetuo applicamus & appropriamus, illaque, quod opus sit, a dicta mensa abbatiali, ac illis, necnon abbatis seu perpetui commendatarii hujusmodi dominio & proprietate ibidem perpetuo dismembramus & separamus, domo tamen, palatio ac habitationibus abbatis commendatarii & cellavinaria, doliis & aliis vasis ad ejusdem cellævinariæ usum pertinentibus & spectan-

ctantibus, ac horto, & procuratoribus seu agentibus, vel negotiorum gestoribus Scipionis cardinalis, ac pro tempore existentis abbatis ac perpetui commendatarii hujusmodi ad inhabitandum necessariis habitationibus in instrumento prædicto etiam designandis, si videbitur, ac mensa abbatiali, & aliis bonis, proprietatibus, fructibus, redditibus, proventibus, juribus & pertinentiis universis mensæ abbatialis monasterii hujusmodi penitus exceptis, & salvis pro abbate aut commendatario præfato remanendis. Et insuper eidem conventui seu mensæ conventuali ecclesiam sanctæ Mariæ de Cerro, sanctæ Mariæ de Corbo, & sancti Stephani della Sementana & sancti Nicolai de Dolio invicem, necnon ejusdem sancti Clementis de la Genga cum duabus aliis illi annexis ecclesiis Camerinensis diœcesis, & ipsius sanctæ Mariæ de Almatano & sancti Johannis de Patrano etiam invicem, ac sancti Laurentii de Trenguello, ac sancti Sabini seu Savini, & ejusdem sancti Laurentii de Avenale, atque sancti Petri de Scorzano, necnon similiter invicem unitas sancti Martini de Collemedio, alias etiam vulgariter *Colle di mezzo*, & sancti Fortunati, ac sancti Angeli de Collepune, ac sanctæ Mariæ de Civita parochiales ecclesias Camerinensis seu alterius diœcesis ab ipso monasterio dependentes, & ad collationem, provisionem, & omnimodam dispositionem pro tempore existentis abbatis seu commendatarii hujusmodi, cessantibus reservationibus apostolicis pertinentes, quarum jurium & illis forsan annexorum fructus, redditus & proventus quadringentorum ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum, ut dictus Scipio cardinalis asserit, non excedunt, cum primum illos vel singulos aut aliquos eorum per cessum & ex causa permutationis vel decessum aut privationem, seu quamvis aliam dimissionem aut amissionem illos ad præsens obtinentium seu alio quovis modo etiam in aliquo ex mensibus, in quibus vacantium beneficiorum ecclesiasticorum collatio vel provisio nobis & sedi dictæ apostolicæ etiam per constitutiones apostolicas seu cancellariæ apostolicæ regulas reservata existit, vel pro tempore fuerit, aut etiam ordinariis collationibus, etiam per easdem constitutiones seu regulas vel literas alternativarum, aut alia privilegia & indulta concessis hactenus & imposterum concedendis aut vacare contigerit &c. ita tamen quod liceat præfato priori & conventui, donec illorum in dicto monasterio institutio hujusmodi duraverit, dumtaxat per se, vel alium, seu alios suo & dictæ eorum mensæ conventualis nomine corporaliter realem & actualem monasterii possessionem, ac ipsi mensæ conventuali concessorum, assignatorum, applicatorum & applicandorum ædium, habitationum, necnon ecclesiarum vel aliorum præfatorum cum vacaverint ac eorumdem omnium eis sic concessorum, assignatorum applicatorum & unitorum fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum & emolumentorum aliorumque bonorum, proprietatum, sacristiæ paramentorum sacerdotalium, calicum, librorum & sacrarum supellectilium ac sindicariæ, necnon inservientium ecclesiæ monasterii & sacristiæ hujusmodi, convertendi . . . laudemiorum præfatorum propria auctoritate libere apprehendere, & perpetuo retinere, ac mensæ conventualis illiusque proprietatis ac bonorum ac unitarum ecclesiarum syndicariæ & sacristiæ hujusmodi fructus, redditus &c. percipere, exigere &c. necnon ligna in silva vel in silvis illis assignanda ad dictum monasterium spectantia ad quotidiani ignis usum incidere & incidi facere, juxta concessionem & assignationem ipsas per Scipionem cardinalem faciendam, itaut nihil aliud quovis jure, causa & prætextu desuper prætendere queant. Possint nihilominus & teneantur & obligati sint respective dictis ecclesiis sic unitis per se vel per alios etiam seculares presbyteros, ad id tamen idoneos, & in talia ab ordinario prius approbandos, deservire & deserviri facere, ac animarum curam eisdem ecclesiis parochialibus imminentem exercere & gerere, necnon sacramenta ecclesiæ inibi administrare, ceteraque munia & officia parochialia subire & præstare libere & licite, ordinarii loci aut alterius cujusvis licentia desuper minime requisita. Teneantur præterea prior & conventus ita instituti & introducti ex tunc postmodum perpetuis futuris, quamdiu illorum hujusmodi institutio duraverit in dicto monasterio instituta ad luminariorum, ornamentorum, paramentorum & ecclesiasticarum suppellectilium, divinique cultus usui necessarias, ac onera & munia tam unitarum, quam monasterii ecclesiarum hujusmodi subire & præstare, necnon Scipionem cardinalem ejusque successores dicti monasterii abbates seu commendatarios ab hujusmodi expensis liberare, ipsique priori & conventui se in reliquis dicti monasterii proprietatibus, bonis & rebus ullo modo intromittendi & suggerendi auctoritate vel facultate & jure interdicto. Et si forte contingat conventum hujusmodi ex aliqua legi-

legitima causa dissolvi, aut illius monachos inde amoveri, ecclesiarum unio annexio & incorporatio hujusmodi eo ipso dissolutæ sint, ipsæque ecclesiæ unitæ, necnon alia concessa & applicata hujusmodi in suum pristinum & verum, in quo ante præsentes erant, statum, omnino & libere revertantur & restituta censeantur, ita quod pro tempore existens abbas seu perpetuus commendatarius hujusmodi de illis, ut prius & perinde ac si dismembratio, unio, incorporatio & assignatio ac alia præfata facta non fuissent, disponere libere & licite possint & valeant. Postremo Scipio cardinalis, necnon prior & conventus, ac superiores & præsidentes præfata cetera munia & singula in dicto forsan contenta seu in desuper conficiendo instrumento explicanda, sacris canonibus, maxime concilio Tridentino non contraria, prout quomodolibet convenerint perpetuis temporibus observare & adimplere *&c.* statuimus & ordinamus; eidem quoque monasterio, illiusque ecclesiæ conventui, priori, monachis, religiosis, conversis, ministris & personis pro tempore existentibus, ut quæcumque bona etiam immobilia, res & proprietates ecclesiarum & aliorum sic eis & eorum congregationi unitorum & concessorum, etiam viventibus earumdem ecclesiarum unitarum rectoribus & possessoribus, etiam non consentientibus, neque ad id requisitis, prout major exegerit necessitas, seu evidens utilitas apparuerit, vel quatenus in evidentem ecclesiæ, cujus bona fuerint, cessura, utilitatem, juxta ejusdem congregationis desuper concessa privilegia & secundum ea, & in reliquis etiam juxta privilegiorum eorumdem tenorem dumtaxat vendere, alienare, & in emphyteosim dare & concedere, seu conducere, & exinde pretia, laudemia & responsiones percipere, exigere & levare, & in suos usus, ut præfertur, convertere, omnibusque & singulis, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, præeminentiis, prærogativis, indultis, indulgentiis etiam plenariis, etiam in forma jubilæi, ac aliis etiam peccatorum remissionibus, ac etiam pro refrigerio animarum defunctorum altari privilegiato in ecclesia monasterii hujusmodi concessis, hactenus tamen non revocatis, aliisque facultatibus, concessionibus, aliisque gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alia ordinis & congregationis monasteria, prioratus & regularia loca quæcumque, ac illorum ecclesiæ, conventus, monachi, religiosi, conversi, ministri & personæ pro tempore existentes de jure vel de consuetudine, seu ex privilegio apostolico, vel alias quomodolibet in futurum uti, frui, potiri & gaudere libere & licite valeant, concedimus & indulgemus. Decernentes præsentes literas nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio *&c.* Quocirca ven. fratri episcopo Camerinensi, & dilectis filiis curiæ causarum cameræ apostolicæ generali auditori, & magistro Aluisio Gallo in utraque signatura nostra referendario per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios easdem præsentes literas & in eis contenta hujusmodi, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Scipionis cardinalis, & pro tempore existentis abbatis seu perpetui commendatarii dicti monasterii, & superiorum congregationis, ac prioris & conventus hujusmodi seu alicujus eorum fuerint requisiti, sollemniter publicantes, eisque & eorum singulis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra easdem præsentes ac in eis contenta prædicta ab omnibus, ad quos spectat, quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, ac Scipionem cardinalem & abbatem seu commendatarium, & superiores & priorem pro tempore existentes, necnon conventum hujusmodi eorumque singulos illis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos vel aliquem ipsorum desuper per quemcumque quomodolibet indebite molestari, perturbari *&c.* Si quis autem *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M. DC. XII. nono kalendas februarii pontificatus nostri anno VIII.

Scipio Cobellutius.

CXXI.

Roberti Cardinalis Bellarmini epistola pro Officio & Missali O. S. Benedicti.

Anno 1612. xxv. februarii.

Ex archivo S. Michaelis.

ADmodum Reverende Pat. Ex mandato Sanctissimi Domini Nostri Pauli Papæ Quinti congregati sunt a me hic Romæ Procuratores Generales totius Ordinis Sancti Benedicti, ut inter se tractarent de Breviario ita accommodando, ut commune esse posset omnibus Religiosis, qui militant Domino Deo nostro sub vexillo Sanctissimi Patris Benedicti, & quoad fieri posset, ad Breviarium Romanum acce-

cederet. Prædicti Venerabiles Patres Procuratores in hoc opus diligenter incumbunt, & brevi ad felicem exitum rem perducent. Quare optimum erit, ut Reverenda Paternitas Vestra non permittat interim excudi Breviaria, vel Diurnalia, vel etiam Missalia, donec de perfectione hujus operis, & de voluntate Sanctissimi Domini Nostri certior fiet. Spero autem gratissimum futurum admodum Reverendæ Paternitati Vestræ, ut sicut uno quasi ore, & uno spiritu in diversis regionibus Deum assidue laudant universi, qui Sanctissimi Patris Benedicti regulam sequuntur; ita etiam uno, atque eodem Breviario in Dei laudibus utantur, & juxta ejusdem Missalis directionem Sacrificium corporis, & Sanguinis Domini altissimo Patri offerant. Valeat Reverenda Paternitas vestra, mei memor in sanctis, & Deo nostro gratis orationibus suis. Romæ die xxv. februarii 1612.

Admodum Reverendæ Paternitatis Vestræ.

Uti frater
Robertus Cardinalis Bellarminus.

Foris: Admodum Reverendo Patri domno Aloysio de Bagnacavallo Congregationis Camaldulensis Abbati Generali.

Ravennam.

CXXII.

Epistola Aloysii Gorii Abbatis Camald. pro Novitiatibus servandis.

Anno 1617. xv. junii.

Ex MS. asservato in monasterio S. Michaelis.

Foris: All' Illustrissimo Signor Cardinale Rivarola.

Intus vero: Illustrissimo e Reverendissimo Signore.

Il motivo del Serenissimo Gran Duca è causato dalla relazione, che gli è stata fatta, credo io, da Prelati e Monaci di questa Professione, avendo inteso, che si tratta di fare un solo Noviziato in tutta la Congregazione, e distruggere gli altri. E temendo, che questo disegno non si vada effettuando, poichè chi l'ha mosso, vi ha interessato l'Illustrissimo Signor Protettore, persuadendolo, che questo sia buon' ordine, & si è continuato questo pensiero, da che io uscii di Generale, ma la costituzione non è mai passata, poichè io tra tutti gli altri hò ostato sempre, non mi piacendo novità, e perchè sò, che chi tratta questo negozio, non ha l' altro fine, se non di alzare la sua Professione, e distrugger le altre, la qual cosa non pare giusta e honesta, ne che possa piacere a Principi & alle Repubbliche, mentre si tratta di levare i Noviziati, che hanno continuato già più di quattrocento anni, e che può causare negli animi de Monaci un' odio immortale, e mettere in necessità i Principi di far sollevamento, stimando io, che nessuno vorrà, che il suo Stato resti privo di Noviziato. E ciò muove quest' Altezza, perchè li suoi Antecessori hanno avuto in venerazione questo Monastero per la grande osservanza, che vi si è fatta, e che di continuo vi si fa, e perchè i due Pontefici Lione e Clemente hanno privilegiato notabilmente non solamente questo Monastero, ma tutta la Congregazione, come si vede in molti privileggi. Tralascio Cosimo e Lorenzo primi benefattori, de quali se ne veggono memorie insigni, e ultimamente le gloriose memorie dei Serenissimi Cosimo, Francesco e Ferdinando, i quali hanno sempre favorita la Congregazione, & in questi Chiostri non hanno sdegnato di venire a far co' Monaci li giorni della settimana Santa con molta devozione e consolazione de Padri di quel tempo, tra quali vivo io. Per tutti questi rispetti, e perchè non s'abbia a reclamare alla Santità di N. S. alla quale non piacciono novità, supplico V. S. Illustrissima, che s' interponga col Padre Reverendissimo Generale e con l' Illustrissimo Protettore, a fine che non s' innovi cosa alcuna, e che si compiacciano, che si vestano giovani, poichè quì in quattro anni non sene sono vestiti se non due, che quando così si andasse continuando, l' osservanza sarebbe affatto destrutta. Ma alcuni troppo interessati vorrebbano, che si vestissero soli Fiorentini, il che non solo sarebbe di danno alli altri luoghi della Toscana di questa Professione, ma ancora segno di poca carità religiosa, contrario all' unione della Congregazione, all' uso antico, & allo splendore di questo Stato ripieno di persone di ogni paese e nazione così secolari come regolari. Di tutto ho voluto dar parte a V. S. Illustrissima, se bene una volta a bocca piacendo a Dio, le darò megliori relazioni, pregandola a scusar la mia lunghezza causata dal debile mio intelletto, che non ha saputo chiudere in manco versi, e facendoli pro-

profonda riverenza li prego da Dio continua felicità

Di Firenze li 15. di Giugno 1617.

Di V. S. Illustrifs. e Reverendissima.

Umilissimo Servitore
D. Luigi Abate delli Angeli.

CXXIII.

Instrumentum emptionis factæ per eremitas Taurinenses de prioratu Buschæ.

Anno 1617. xi. decembris.

Ex autographo eremi Belli-montis.

INstrumentum emptionis factæ per eremitas Camaldulenses eremi Taurinensis a monialibus S. Mariæ Magdalenæ ordinis S. Dominici Albæ-Pompejæ de prioratu & bonis stabilibus sitis in finibus Buschæ diœcesis Fossanensis.

In nomine Domini amen. Anno nativitatis ejusdem Domini M. DC. XVII. indictione xv. & die lunæ xi. mensis decembris actum in civitate Albæ, videlicet in audientia monasterii multum rev. dominarum monialium S. Mariæ Magdalenæ ad cratem ferream, præsentibus ibidem domino Michaele Angelo Vallara cive Albæ, & rev. Jo. Francisco Marchesio loci Burgismali sacrista ecclesiæ cathedralis præsentis civitatis testibus notis & idoneis ad infrascripta omnia & singula vocatis, adhibitis & rogatis, in quorum quidem testium meique publici & infrascripti notarii præsentia ibidem præsentes & personaliter constitutæ, convocatæ & capitulariter congregatæ multum rev. moniales infrascriptæ præfati monasterii sono campanellæ præcedente, ut moris est, ordine & mandato multum rev. matris sororis Catharinæ Bellæ abbatissæ dicti monasterii, & quarum rev. monialium nomina & cognomina sunt hæc, videlicet primo præfata rev. mat. soror Catharina Bella abbatissa, rev. mat. sor. Petronilla Cumiana priorissa, rev. mat. sor. Bona Hieronyma Costa, mat. sor. Dominica de Ceva, mat. sor. Maria Benza, mat. sor. Julia Gonzaga, mat. sor. Veronica Languilia sindica, mat. sor. Anna Camilla Simeonia, mat. sor. Margarita Provana, soror Maria Vincentia Carretta, soror Maria Catharina Brolia, soror Angela Maria Benza, soror Maria Hyacintha Sanguiri, soror Maria Elisabeth Carretta, soror Maria Magdalena Bertoni, soror Anna Paula Benza, soror Margarita Vagnona, soror Anna Roviera sive Rotaria, soror Johanna Hieronyma Carretta, soror Lodovica Benza, soror Margarita Hyacintha Benza, soror Luciana Quarena, soror Angela Gabriela Cocita, soror Maria Costanza Asinara, soror Blanca Margarita Riccia, soror Johanna Margarita Provana, soror Angela Margarita Rovèra, sive Rotaria, & soror Victoria Catharina Benza omnes moniales dicti monasterii professæ, & ibidem existentes, vocemque habentes in capitulo, ac numerum monialium dicti monasterii, cum aliæ non adsint in dicto monasterio, quæ possint, ac debeant præsenti instrumento præsentes adesse, nisi aliæ duo, scilicet soror Violans Antonia Asinari, & soror Angela Deodata Picha, quæ tamen interesse non possunt, attenta earum adversa valetudine, & quæ in lecto detinentur, prout verum esse ipsa multum rev. mater abbatissa & aliæ multum rev. moniales dixerunt & attestatæ sunt verum esse, & per quas omnia negotia dicti monasterii salubriter pertractari & geri solent, & quæ omnes moniales superius descriptæ & notatæ unanimes & concordes, ipsarum nemine discrepante, non vi, dolo, metu, fraude ductæ, nec aliqua alia machinatione circumventæ, sed sponte & ex casu & cujuslibet ipsarum certa scientia, ac animis deliberatis per se & earum successorum, cum præsentia & assistentia & consensu multum rev. patris F. Hippolyti Mariæ Ballochi de Alba ordinis Prædicatorum lectoris & confessoris dictarum rev. monialium, ac vicarii dicti monasterii S. Mariæ Magdalenæ præsentis, ut supra, infrascriptæ venditioni consentientis, vigore licentiæ obtentæ & sibi datæ & concessæ a multum rev. patre F. Baptista Baccarino de Placentia sacræ theologiæ magistro, & provinciæ Lombardiæ priore provinciali, datæ Mediolani sub die XXI. mensis octobris anni M. DC. XV. ibidem visis & mihi notis infrascriptis dimissis, in pede præsentis instrumenti inserendis, dederunt, vendiderunt, tradiderunt & cesserunt, ac dant, vendunt, tradunt ac cedunt pure, libere, nullo jure penitus in se retento multum rev. patribus Honufrio a Vercellis primo professori & priori eremi S. Mariæ Belli-montis loci Buschæ, & Paulo de Ciriaco ordinis Camaldulensis ibidem præsentibus stipulantibus & acceptantibus nomine sacræ eremi fundati & existentis supra finibus & montibus Taurino, salvo tamen in præmissis beneplacito, quatenus expediat, summi pontificis, & non aliter,

aliter, petias decem & novem terræ elaboratæ & boscariciæ, & quatuor vineas in pluribus petiis sitas in loco & super finibus loci Buschæ dominii serenissimi domini ducis Sabaudiæ, & omnia alia bona & jura, quæ habent ipsæ rev. moniales & monasterium præfatum tenent & possident cum dependentiis in dicto loco & territorio Buschæ, qualiacumque & quantacumque sint, & ad eas & dictum monasterium spectant & pertinent, sub quibuscumque cohærentiis & nominibus existentia & ubicumque reperiri poterint, cum domo sive ecclesia sub vocabulo prædictæ sanctæ Mariæ Belmontis membrum sanctæ Mariæ de Gratia, ad habendum, tenendum, &c. per dictos rev. emptores & eorum successores, & quicquid eisdem emptoribus & aliis rev. fratribus dictæ sacræ eremi deinceps & perpetuo de dictis rebus, ut supra emptis, placuerit faciendum & disponendum, cum omnibus & singulis, quæ intra præfatos prædictarum rerum, ut supra venditarum, continentur confines, accessibus & egressibus suis usque in vias publicas, omnibus juribus & actionibus &c. pro pretio & nomine pretii Ducatonum quinque-centum sexaginta argenti de Florentiis quatuordecim Sabaudiæ pro singulo Ducatono, quod quidem pretium, sive Ducatones DLX. dictæ rev. moniales venditrices confessæ sunt habuisse a prædictis rev. emptoribus modis infrascriptis, videlicet Ducatonos centum-sexaginta ante rogitum præsentis instrumenti, & Ducatonos quatuorcentum similes in Duplis viginti-septem auri Hispaniarum, Duplis triginta-quinque auri Italiæ, Cechinis Venetiarum sexaginta-uno, Hungaris tribus nuncupatis Santaroli, & Florenis sexaginta-tribus in tot monetas facientes dictam summam Ducatonum quatuorcentum ibidem realiter numeratis, & quos ad se traxerunt ipsæ rev. moniales venditrices a prædictis rev. emptoribus & exbursatis, videntibus suprascriptis testibus, rev. P. Confessore & me notario infrascripto, renuntiantes rev. ipsæ moniales venditrices exceptioni dicti pretii &c. vocaverunt sese tacitas & contentas &c. constituentes eosdem rev. emptores, ut in res eorum proprias, ponentes eos in locum & universum jus proprium ipsarum rev. monialium &c. cedentes ipsæ rev. moniales prædictis rev. emptoribus &c. omnia & singula jura omnesque rationes & actiones, reales & personales &c. & si quo tempore lis aut quæstio aliqua aliquo quovis modo moveretur dictis rev. emptoribus & eorum successoribus in, de, pro & super dictis bonis & rebus, ut supra venditis, promiserunt ipsæ rev. moniales venditrices per se, & earum & dicti monasterii successores omnem litem in se suscipere, & liti assistere tam in prima, quam in secunda, & alias ulterius instantias, omnibus ipsarum rev. monialium & monasterii, & earum successorum laboribus & expensis &c. sub refectione & restitutione omnium damnorum, expensarum & interesse litis & extra per ipsos rev. emptores & eorum successores quomodocumque & qualitercumque patientes & supportantes in defectum præmissorum, pro quibus ipsæ rev. moniales venditrices stari & credi volunt soli & simplici verbo & assertioni ipsorum rev. emptorum & eorum successorum, sine testibus jurantibus, judicis taxatione, aut aliqua alia probatione, renuntiantes exceptioni doli mali &c. Et de prædictis omnibus & singulis prædictæ rev. moniales venditrices & prædicti rev. emptores rogaverunt me notarium infrascriptum publicum fieri debere instrumentum &c.

Ego Dominicus Ferrerius filius quondam Johannis Vincentii civis Albæ publicus imperiali auctoritate notarius, curiæque episcopalis dictæ civitatis cancellarius vocatus & rogatus &c. ss.

CXXIV.

Capitulum Senatus Veneti in epistola ad suum Oratorem in Urbe.

Anno 1619. prima februarii.

Ex archivo S. Michaelis.

Copia di un Capitolo contenuto in Lettere dell' Eccellentissimo Senato Veneto all' Ambasciatore a Roma de primo febraro 1619.

PEr li uffitii fatti prima da voi per servitio della Congregatione Camaldolese, che si trova nello Stato nostro, mentre si trattava di privarla di duoi Noviziati con grandissimo loro pregiuditio, si lasciò intendere il Protettore di essa inclinatione di rimettere il negotio al loro futuro Capitolo. Ma perchè pare dimostri diverso pensiero, con metter in compromesso quello, ch' è antico & approbato dal Pontefice, e dubitano questi Padri, che si voglia fare il detto Capitolo nello Stato Ecclesiastico, per indurli a fare a loro modo, come più particolarmente sarete informato dalla quì aggiunta copia del loro Memoriale; Vi commettemo perciò

ciò col medesimo Senato, che dobbiate con li vostri uffitii coadjuvare l' interesse di detta Congregazione, così per quello spetta al negotio de loro Novizziati, come anche per la riduzione del loro Capitolo, acciò l' anno presente sia tenuto nello Stato nostro, conforme al privilegio già loro concesso, e riuscirà di nostra sodisfatione tutto quello verrà operato da voi nella presente materia.

CXXV.

Urbanus VIII. Indulgentiam concedit eremitis recitantibus psalmum Exaudiat.

Anno 1623. XXIII. decembris.

Ex tabulario Fontis-boni.

URbanus papa VIII. universis & singulis eremitis congregationis sancti Romualdi Camaldulensis ordinis præsentes literas inspecturis salutem & apostolicam benedictionem. Salvator noster Jesus Christus Dei filius, cujus licet immerito vices gerimus in terris, ad hoc nobis ligandi & solvendi potestatem tradere voluit, ut super ejus gregem excubantes illius saluti paternæ incumbamus. Hinc est, quod nos animadvertentes eremitas congregationis sancti Romualdi Ordinis Camaldulensis propria voluntate ductos in desertis locis vitam gerere, ac solitudini se devinxisse, ac plerosque ex eis senes, valetudinarios, & sponte cellis inclusos existere, & minime expedire eisdem, causa consequendi indulgentias & alias gratias spirituales, vagari, & ad loca hominum conversatione frequentia se contra eorum institutum (qui in solitudine se receperunt) conferre. Eorum tamen animarum saluti prospicere paterne volentes, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri & Pauli apostolorum auctoritate confisi, omnibus & singulis dictæ congregationis fratribus eremitis, qui confessi & sacra communione refecti fuerint, psalmum, cujus initium est: *Exaudiat te Dominus* cum orationibus pro Romano Pontifice, & sancta matre ecclesia recitaverint, & qui illa recitare ignoraverint, ejusdem psalmi & orationum loco, ter orationem Dominicam, & salutationem Angelicam dixerint, ac simul pro unione, & pace inter principes christianos, ac fidei catholicæ exaltatione oraverint, eas omnes indulgentias, ac peccatorum remissiones consequantur & consequi possent, si quadragesima & aliis anni temporibus, & diebus ecclesias, & loca quæcumque tam in alma Urbe nostra, quam extra eam, & alibi ubique locorum, terrarum & gentium in orbe christiano existentia, in quibus Stationes essent indictæ, ac Christi-fidelibus illa visitantibus indulgentiæ, & aliæ gratiæ spirituales sunt propositæ, personaliter visitarent, ac ad illa se conferrent. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXIII. decembris M.DC.XXIII. pontificatus nostri anno primo.

CXXVI.

Decretum S. Congregationis Concilii de rebus Regularium non alienandis.

Anno eodem VII. septembris.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum rerum experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium & pretiosorum mobilium distractionibus, quas crebro faciunt Regulares, Apostolicis privilegiis innixi, ac proinde operæ pretium putans illorum facilitatem aliqua ratione compescere, speciali Sanctissimi D. N. jussu Generalibus & Provincialibus Capitulis vel Congregationibus, Abbatibus Generalibus & quibuscumque aliis Superioribus Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis vel Instituti intra fines Europæ existentibus, omnium rerum & bonorum immobilium & pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transferatur, census perpetuos seu Vitalitios, Hypothecam vel emphyteusim, præterquam in casibus a jure permissis, fieri perpetuo prohibet atque interdicit, absque ipsius Congregationis Concilii expressa licentia in scriptis & gratis concedenda, sub pœna privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant, sublata etiam Generali & Protectori illam moderandi aut relaxandi facultate, pœnis nihilominus Apostolicarum Constitutionum & præsertim felic. record. Pauli II. quæ incipit: *Ambitiosæ*, in suo robore permansuris. Alienationes vero, pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones ipso jure nullas atque irritas decernit. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apo-

Apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque ordinum tam Mendicantium quam non Mendicantium, Militiarum etiam sancti Johannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum & cujusvis alterius instituti etiam necessario & individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, domorum ac locorum Regularium quorumcumque, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis & privilegiis sub quibuscumque tenoribus & formis & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio & ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis & iteratis vicibus approbatis & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ac formis specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda & aliqua alia exquisita forma servanda esset; tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, quibus, illis alias in suo robore permansuris, specialiter & expresse Sanctitatis Suæ authoritate derogat, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ die VII. septembris 1624.

Cosmus Cardinalis de Torres.

Loco ✠ Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Secret.

Cum post editum Decretum de Rebus Regularium non alienandis, compertum sit Regulares, qui eodem decreto prohibentur census imponere super bonis ad sua Monasteria pertinentibus, loco Censuum hujusmodi pecunias ad Cambium vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis & damni emergentis; Cumque ex hujusmodi contractu eludatur mens Sacræ Congregationis, cui in primis in votis fuit consulere Religionum indemnitati, quæ ex impositione censuum hujusmodi plurimum læduntur, Sanctissimo D. N. approbante, decrevit ac declaravit hujusmodi contractum esse contra mentem decreti ut supra editi; ideoque non licere Regularibus pecunias, ut proponitur, accipere, ac si acceperint, in ipsius Decreti pœnas ipso facto incidere. Datum Romæ die XXI. martii 1626.

Cosimus Cardinalis De Torres.

L. ✠ S.

P. Fagnanus Secret.

CXXVII.

Aliud de Conservatoribus Regularium eligendis.

Anno eodem.

Ex eodem archivo.

DEcretum EE. & RR. DD. Cardinal. Sacr. Concilii Tridentini Interpretum, quo declaratur per Constitutionem Gregorii XV. non esse sublatam Regularibus facultatem eligendi Conservatorem, sed tantummodo designatum modum & personas eligendas.

In Constitutione de Conservatoribus edita a sanctæ mem. Gregorio XV. ex sententia Sacræ Congregationis Concilii inter cetera statutum est, ut coram Conservatoribus Regulares conveniri quidem aut trahi debeant, sed alios convenire aut trahere non possint, ita ut memorati Conservatores in causis, in quibus Regulares & alii actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant, sed in iis tantum, in quibus rei extiterint.

Dubitatur nunc, an per hæc verba sublata sit facultas, quam habent Conservatores defendendi Regulares & alios a manifestis injuriis & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, & propriis bonis uti & frui impediuntur.

Sacra Congreg. Card. Concilii Tridentini Interpretum ejusmodi verbis minime sublatam fuisse facultatem, quam habnte Conservatores defendendi Regulares a manifestis injuriis ac violentiis, dummodo observent formam præscriptam in Constitutionibus Innocentii IV. & Bonifacii VIII. relatis in Capite primo & fine de Officio Delegatorum.

C. Card. De Torres.

L. ✠ S.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Secret.

CXXVIII.

Confirmatio Urbani VIII. reunionis eremi Camald. cum Congregatione.

Anno 1626. XXX. aprilis.

Ex impresso.

URbanus papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Gregis Dominici cura *&c.* Sa-

&c. Sane pro parte dilectorum filiorum Ægidii Maraccini abbatis generalis, necnon Desiderii de Mantua procuratoris generalis monachorum congregationis Camaldulensis, ac Antonii de Florentia Majoris sacræ eremi Camaldulensis de Etruria, & Felicis de Partina dictæ eremi procuratoris nobis nuper expositum fuit, quod ipsi pro feliciori ipsius sacræ eremi statu, in vim facultatis sibi ab eremitis dictæ sacræ eremi attributæ, dictam sacram eremum & eremitas olim eidem congregationi unitos, postea vero ab eadem canonice dismembratos eidem congregationi reunierunt & reincorporarunt, congregationem ac monachos, necnon eremum & eremitas hujusmodi in unum reduxerunt, certis modo & forma, ac nonnullis conventionibus & pactis desuper initis, prout plenius continetur in instrumento desuper celebrato tenoris subsequentis, videlicet: In Dei nomine, amen. Præsenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter & sit notum, quod anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi M. DC. XXVI. indictione IX. die vero XXVI. mensis martii pontificatus autem &c. Urbani divina providentia papæ VIII. anno III. in mei notarii publici infrascripti, testiumque infrascriptorum, ad hæc omnia & singula specialiter vocatorum atque rogatorum præsentia, præsentes & personaliter constituti admodum illustr. & rev. pater domus Ægidius Maraccinus Romanus abbas generalis totius congregationis & ordinis Camaldulensis, & admodum rev. domnus Desiderius de Mantua monachus professus & abbas sancti Nicolai de Forbitoribus de Urbe ac procurator generalis totius dictæ congregationis ad infrascripta peragenda in dieta facta Ravennæ de anno M. DC. XXIII. seu in ven. monasterio Classis ordinis Camaldulensis specialiter deputati, prout ex decreto inserto in regesto actorum capituli & dietæ prædictorum, quod in medio exhibuerunt, illiusque decreti copiam collationatam penes me &c. dimiserunt, prout in folio tenoris sequentis videlicet. Decretum patrum definitorum dietæ celebratæ Ravennæ in monasterio Classis ordinis Camaldulensis anno M. DC. XXIII. perlectæ fuerunt literæ Majoris sacræ eremi Camaldulensis patribus definitoribus transmissæ, quibus exposcit instanterque flagitat pro restitutione ac unione dictæ eremi nostræ Camaldulensi congregationi, patres definitores mutuo inter se habito colloquio ac discusso, statuerunt rev. adm. patres domnum Desiderium de Mantua visitatorem ac domnum Ægidium de Roma ordinis procuratorem generalem, qui simul & conjunctim hujusmodi negocium cum Majore sacræ eremi vel quocumque alio vel aliis ab eo, vel a sacræ eremi capitulo constitutis diligenter pertractent. Dantes eis amplam & omnimodam facultatem super hujusmodi unione pacta quæcumque & conditiones proponendi & acceptandi, ac pro eorum prudentia & consilio super hujusmodi negocio ultimo concludendi, & demum a sanctissimo domino nostro Breve super confirmatione prædictæ unionis, quatenus sequatur, obtinendi ex una, & admodum illust. & rev. pater domnus Antonius de Florentia Major sacræ eremi Camaldulensis in Etruria & adm. rev. domnus Felix de Partina Arretinæ diœcesis &c. dictæ sacræ eremi procuratores a rev. patribus eremitis ejusdem sacræ eremi ad effectum dictam eremum cum supradicta congregatione Camaldulensi reuniendi & reaggregandi, & alia, ut infra, peragendi, & specialiter deputati, prout ex chirographo eorum deputationis ab eisdem eremitis, seu illorum majori parte, ut apparet, subscripto & firmato, ac solito ejusdem eremi sigillo munito, quod in medio exhibuerunt, mihique notario tradiderunt, prout in folio tenoris sequentis videlicet: In Dei nomine, amen. Anno M. DC. XXVI. die vero XXVII. januarii. *Noi infrascritti eremiti del sacro eremo di Camaldoli vocali, e rappresentanti non solo il capitolo del sacro eremo, ma tutto il corpo di esso sacro eremo considerando gl' inconvenienti, che sono nati, e che tuttavia nascono con molto nostro danno e pregiudizio, dall' esser disuniti dalla congregazione de monaci Camaldolesi, e desiderando di ovviare, quanto sia possibile, per l' avvenire a maggiori disordini, che potessero accadere, per il qual effetto giudichiamo non esser mezzo più proporzionato, che il riunire questo sacro eremo alla suddetta congregazione. Pertanto in vigore della presente, ed in ogni miglior modo, che potiamo, diamo facoltà, ed espressamente deputiamo il rev. padre don Antonio da Firenze nostro Maggiore, ed il molto rev. padre don Felice da Partina procuratore in Roma a poter trattare congiontamente con il padre Generale della suddetta congregazione, e con altri, che avranno facoltà necessaria sopra ciò, il sopradetto negozio della riunione del nostro sacro eremo con la medesima congregazione, e di poter proporre ed accettare sopra questa reunione qualsivoglia patti, condizioni e capitoli, che con la loro prudenza e consiglio stimaranno necessarj ed opportuni, ed inoltre di poter concludere, e pren-*

e prender risoluzione nella sopradetta reunione, come meglio parerà alle paternità loro, e finalmente li diamo facoltà di poter dimandare ed ottenere qualsivoglia confermazione dalla santa Sede apostolica, e di consentire alla spedizione di qualsivoglia Breve o altra grazia, che sarà necessaria ed opportuna, ed in fede della verità abbiamo sottoscritta la presente di nostra mano ec. Io don Roberto eremita e priore del sacro eremo mi contento quanto di sopra. Io don Odoardo eremita e visitatore ec. Io don Ottavio eremita e visitatore ec. Io fra Leonardo eremita soppriore ec. Io don Agostino eremita e camerlengo ec. Io don Maldolo eremita e sagrestano ec. Io don Arsenio eremita e cellerario ec. Io don Ambrosio eremita ec. Io don Elia eremita ec. Io don Giambenedetto eremita ec. Io fra Teofilo ec. Io don Romoaldo ec. Io don Innocenzio ec. Io don Niccolò eremita ec. Io fra Gabriello eremita e sagrestano di Camaldoli ec. Jo don Jacopo eremita ec. Io don Alessandro eremita ec. Io don Samuele eremita ed al presente procuratore del sacro eremo in Firenze ec. Et quod chirographum prædictæ deputationis, ac subscripiones manus, literas, personas & sigillum dictæ eremi & eremitarum, necnon decretum in prænarrata dieta, ut supra, factum, & facultates eis respective appositas & ipsis quomodolibet attributas medio juramento tactis pectoribus more sacerdotali recognoverunt in forma partibus ex altera, invocato & implorato prius divino auxilio, flexis genibus ante altare privatum in camera supradicti rev. patris domni Ægidii abbatis generalis dictæ congregationis Camaldulensis in ven. monasterio sanctorum Nicolai & Antonii dictæ congregationis unanimiter, concorditer & nemine discrepante, Spiritu sancto cooperante, & prævio hymno: Veni creator spiritus &c. per eos recitato, ac etiam reservato imprimis & ante omnia consensu & beneplacito sedis apostolicæ, & non alias &c. de quo &c. impetrandi & obtinendi sumptibus & expensis communibus pro majori robore & firmitate hujusmodi reunionis sponte &c. omnibus &c. dictam sacram eremum & eremitas olim dictæ congregationi Camaldulensi unitam & deinde disunitam & dismembratam, reunierunt & integrarunt, dictasque congregationes & monachos, ac eremum & eremitas in unum reduxerunt & reducunt, pro reunitis & reintegratis haberi voluerunt &c. pactis, modis &c. in folio contentis &c. prout in folio tenoris infrascripti, videlicet: *Convenzioni, con le quali si devono riunire gli eremiti del sacro eremo di Camaldoli con li monaci Camaldolesi della congregazione di san Michele di Murano.* Prima, *che l'unione delli suddetti eremiti alli suddetti monaci s'intenda, e sia fatta in modo e maniera tale, che di tutti e di ciascheduno eremita professo, abiti in qualsivoglia luogo o nell'eremo, o in altro a quello annesso, o da quello dipendente, presente e futuro, ne resti formato un corpo solo ed una congregazione sola con i detti monaci, da nominarsi la congregazione Camaldolese del sacro eremo e di san Michele di Murano.* Secondo, *che capo e padre universale della detta congregazione sia e s'intenda esser l'abbate generale pro tempore, in modo che questi con i suoi visitatori, come tale abbi ogni autorità e giurisdizione ordinaria, solita e consueta sopra detto sacro eremo e tutti i luoghi e persone di esse, con facoltà di poterlo visitare* toties quoties, localiter & personaliter, tam in capite quam in membris, *riformare, correggere, castigare qualsivoglia tanto eremita, quanto converso o commesso indifferentemente, ancorchè novizio; rimovere da ogni obbedienza ed officio, ed istituire altri in luogo delli rimossi; e finalmente ordinare e provedere quanto vedrà esser espediente per il buon governo di detto eremo sì in spirituale, come in temporale, nel modo stesso e con la medesima autorità, come fa in tutti gli altri monasteri di detta unita congregazione, il tutto però conforme alle costituzioni ed ordini del medesimo sacro eremo.* Terzo, *che il transito sia reciproco tra gli eremiti e i monaci con le infrascritte condizioni e non altrimenti. E prima, che i monaci possino passare all'eremo a far la vita eremitica, con licenza però in scriptis del generale o visitatori pro tempore e col consenso del maggiore di detto eremo in scriptis, senza esser messo a ballotazione o a partito di sorte alcuna in capitolo del medesimo eremo, computandoseli il luogo della professione della età che si ricerca per quelli che vengono dal secolo a farla nel detto eremo, e non da quella che hanno fatta la professione tra' monaci. E stati poi che saranno diciotto mesi nell'eremo vivendo vita eremitica, come gli altri, s'intendino annessi ed incorporati cogli altri eremiti, o siene fatti capaci di voce attiva e passiva, e di ogni uffizio ed onore come gli stessi eremiti. Similmente che gli eremiti possino ancor loro passare alla vita monastica, purchè abbino la licenza in scriptis del generale e visitatori e con il consenso del Maggiore in scriptis; e quando ne fussero entrati tra monaci al numero di sei, e de monaci tra gli eremiti al numero*

mero di tre, non se possino mandar altri, sia che non muore uno del numero suddetto. E che gli eremiti venendo tra monaci, come di sopra, abbino il luogo, che conviene tra monaci professi, da computarseli dal tempo, che furono professi nel sacro eremo, e siano capaci di voce attiva e passiva come gli altri monaci. Quarto nell' elezione del generale renunziano gli eremiti ad ogni ragione, che abbino avuta o potessero avere nel tempo passato nella detta congregazione per qualsivoglia condizione o patto, o decreto di qualsivoglia capitolo generale dalla detta congregazione celebrato o confermato anco dalla santa sede, o da quella derivato con qualsivoglia Breve, o privilegio, o costituzione, che disponesse in particolare, che di ogni tre generali il terzo si abbia da eleggere dal numero degli eremiti. Alle quali tutte e singole costituzioni apostoliche o capitolari concernenti la elezione del generale essi eremiti rinunziano, dichiarando però che sieno detti eremiti capaci a poter esser nominati ed eletti nel medesimo modo, che gli altri abati della congregazione. Quinto, che il primo luogo dopo il generale in qualsivoglia luogo e tempo l' abbia il Maggiore sopra ogni altro prelato anco provinciale, eccetto che ne' proprj monasterj di ciascheduno, ed anco sopra i visitatori, eccetto che nel tempo della visita. Sesto, che al capitolo, che si farà nel sacro eremo per l' elezione del Maggiore ed altre ubbidienze possa intervenire il generale co' suoi visitatori, o non potendo tutti insieme, debbino almeno intervenirvi i due visitatori, ed in evento che per qualche legittimo impedimento non vi potesse andare se non un solo visitatore, in tal caso debba il Generale della congregazione eleggere e deputare in luogo del visitatore impedito un' abbate, che assista al suddetto capitolo per secondo visitatore, ed intervenendo il generale ad esso capitolo sia presidente, e mancando il generale il primo visitatore, e tanto il generale quanto i visitatori intervenendo al detto capitolo, come sopra, abbino il voto in detto capitolo per ovviare ai disturbi, ed acciocchè le cose del capitolo passino con quiete e felicemente, e non passando alcun eremita per Maggiore, in tal caso si possa metter a partito qualche abbate della congregazione, e passando quello a suffragi secreti conforme alle costituzioni dell' eremo, sia l' elezione valida, e s' intenda quel tale eletto esser Maggiore con le medesime facoltà e prerogative, che sogliono avere gli altri Maggiori. Settimo, il Maggiore con un altro eremita sacerdote da esser eletto per conventuale dal capitolo dell' eremo, e del numero del medesimo capitolo possa intervenire ad aver voto nel capitolo generale della unita congregazione; e morendo il generale fra l' anno, il Maggiore solo possa aver voto nell' elezione del nuovo generale, ma non s' intenda però escluso il procurator generale della congregazione, qual deve intervenire ed aver voto nella detta elezione, non ostante qualsivoglia cosa in contrario. Ottavo, ed acciocchè il generale e i visitatori possino intervenire al capitolo dell' eremo, come di sopra, il capitolo non si possa fare senon in tempo da esser prefisso, di consenso del generale e visitatori, e del Maggior dell'ereme, qual deve esser intimato dalli suddetti per un anno avanti, acciò si possa accomodare una parte con l' altra. Nono, che gli eremiti ed il sagro eremo diano ogni anno per colletta e provisione al generale piastre Fiorentine cinquanta, a ciascun visitatore piastre simili dieci, ed al procuratore generale piastre quaranta. Decimo, che ciascuna delle due parti, cioè eremiti e monaci debbino continuare conforme alle loro costituzioni ed osservanza propria sì nel vivere e vestire, come anco nelli riti e cerimonie, e si governino, e conservino i loro luoghi, che di presente ritengono e governano, o che per l' avvenire acquistaranno, nè alcuno possa intromettersi o amministrare beni mobili, nè immobili, ovvero entrate dell'altro sotto qualsivoglia pretesto, senon nelli casi detti di sopra, nemmeno sia astretto a pagar i debiti, o esigere crediti dell' altra parte, nemmeno l' una all' altra di esse possa mettere aggravio, ancorchè fosse in istraordinario bisogno. Undecimo, ciascheduna delle due parti rinuncia ad ogni ragione o benefizio, che potesse pretendere di qualsivoglia unione o respettivamente disunione fatta per i tempi avanti in qualsivoglia luogo e tempo, ed accettata di comun consenso nel capitolo generale della detta congregazione o del sacro eremo, o per qualsivoglia patto e convenzione passata per qualsivoglia capitolo generale tra le due parti suddette, ed anco confermata o derivata dalla santa sede con qualsivoglia Breve, privilegio o costituzione, non ostante qualsivoglia altra cosa in contrario. Duodecimo, che li suddetti capitoli si debbino osservare inviolabilmente da una parte e dall' altra, nè possino esser mutati, nè alterati o in tutto, o in parte senza il consenso delli loro capitoli generali, nè si possa senza il consenso suddetto comune impetrare dalla santa sede alcuna derogazione, mutazione o alterazione, nè in tutto, nè in parte, e facendosi il contrario, il tutto s' intenda, e sia surretizio e di

e di niun valore, come se fatto non fosse, e li contrafacienti sieno privi ipso facto di voce attiva e passiva in perpetuo, e castigati con pene maggiori ad arbitrio del definitorio del capitolo generale della congregazione, siccome anco s' intenda e sia di nessun valore, e come se fatta non fosse qualsivoglia mutazione, e innovazione, o alterazione delle suddette capitolazioni, che fusse fatta o impetrata a favore degli eremiti dal capitolo generale della congregazione o altri, mentre fosse generale della congregazione, o altri, mentre fosse generale della congregazione un' eremita: e similmente s' intenda e sia di nessun valore e come se fatta non fosse, qualsivoglia condizione aggiunta o levata, o mutata a favore della congregazione dal capitolo del sacro eremo, mentre fosse Maggiore un' abbate della medesima congregazione. Io don Egidio Romano abbate generale Camaldolese deputato dalli nostri padri definitori della Dieta celebrata nel monastero di Classi di Ravenna sotto li VII. *di maggio* M. DC. XXIII. & omni meliori modo &c. *accetto e prometto quanto di sopra questo dì* XXV. *di marzo* M. DC. XXVI. *nel nostro monasterio de' santi Niccolò ed Antonio di Roma mano propria. Io don Antonio da Firenze Maggiore ec. accetto e prometto quanto di sopra ec. Io don Desiderio da Mantova ec. accetto e prometto ec. Io don Felice da Partina ec. acceto e prometto ec.* Quæ pacta *&c.* recognoverunt in forma *&c.* Actum Romæ in regione Trivii in loco & stantiis prædictis, præsentibus ibidem audientibus & intelligentibus dominis Emmanuele de Quintares presbytero Lusitano, & Antonio Fornoli Amerino testibus *&c.* Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, tam Ægidius & Desiderius, quam Antonius & Felix prædicti plurimum cupiant præinsertum instrumentum, ac omnia & singula in eo contenta apostolicæ confirmationis robore communiri, Nos eorum votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis *&c.* sententiis *&c.* absolventes *&c.* præinsertum instrumentum cum omnibus & singulis in eo contentis apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus *&c.* Decernentes *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die XXX. aprilis M. DC. XXVI. pontificatus nostri anno III.

V. Theatinus.

CXXIX.

Urbani VIII. Brevia de Missis ecclesiæ S. Gregorii de Urbe celebrandis intra Religionem, & de duobus Anniversariis menstruis.

Anno 1626. IX. decembris.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

URbanus papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Cum sicut nobis innotuit, quamplures eleemosynæ & quamplura onera perpetua pro Missis in ecclesia monasterii S. Gregorii de Urbe Congregationis Camaldulensis pro animarum Christi-fidelium defunctorum refrigerio & salute celebrandis eidem ecclesiæ hactenus erogatæ & respective injuncta & suscepta fuerint, innumeræ vero Missæ, quæ propterea in ecclesia prædicta celebrari debebant, celebratæ adhuc non sint, & vix fieri possit, ut de cetero illis satisfiat. Nos, qui omnium saluti paterna charitate intendimus, piæ Christi-fidelium intentioni, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, Motu proprio & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, onus Missarum celebrationis, quæ ratione eleemosynarum & onerum hujusmodi, in dicta ecclesia celebrari debebant & celebratæ non sunt, ad duo anniversaria singulis mensibus per monachos dicti Monasterii in eadem ecclesia perpetuis futuris temporibus celebranda tenore præsentium reducimus, quodque duo anniversaria singulis mensibus, ut præfertur, celebranda, animabus eorum, pro quibus eleemosynæ hujusmodi erogatæ, & qui onera prædicta imposuerunt, suffragentur, & suffragari debeant, Apostolica authoritate earumdem tenore præsentium concedimus & indulgemus, voluntatesque ipsorum Christi-fidelium in & quoad præmissa, quatenus opus sit, sufficienter commutamus. Non obstantibus præmissis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod eleemosynæ a Kalendis novembribus anni proxime præteriti M. DC. XXV. usque ad præsentem diem pro Missis celebrandis erogatæ seu elargitæ in præsenti reductione nullatenus comprehendantur, sed eis integre satisfiat; alias præsentes nullæ sint in eo ipso. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo Pi-

Piscatoris die IX. decembris M.DC.XXVI. Pontificatus nostri anno IV.

V. Theatinus.

Urbanus papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus, quamplures eleemosynæ pro Missis in ecclesia monasterii S. Gregorii de Urbe congregationis Camaldulensis pro Animarum Christi-fidelium defunctorum refrigerio & salute celebrandis eidem ecclesiæ in dies erogentur, omnes vero Missæ hujusmodi ob nimiam eorum quantitatem in dicta ecclesia celebrari nequeant. Nos, qui omnium saluti paterna charitate intendimus, piæ Christi-fidelium intentioni atque desiderio, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere volentes; Motu proprio & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dilecto filio moderno & pro tempore existenti dicti monasterii Priori in virtute sanctæ obedientiæ per præsentes præcipimus & mandamus, ut satisfactis prius oneribus perpetuis Missarum sive Anniversariorum, quibus monasterium hujusmodi obnoxium est, pro satisfactione eleemosynarum manualium, in eadem ecclesia de cetero ad effectum prædictum elargiendarum sive erogandarum, majorem, quam poterit, diligentiam adhibeat, ut debito eleemosynarum hujusmodi numero in ecclesia prædicta satisfiat, pro illis autem, quibus satisfacere non poterit, in Urbe per Sacerdotes seculares, vel cujusvis Ordinis regulares, de Superiorum suorum licentia, alteri Missarum celebrationis oneri non obnoxios, vel eas Monasteriis Congregationis hujusmodi, ut in eorum ecclesiis celebrentur, distribuendo satisfieri omnino curet, quæ monasteria nulli Missarum celebrationi, quæ distributionis vigore præsentium faciendæ executionem non impediant, sint obligata, dictusque Prior sexto quoque mense notulam peractæ distributionis ac satisfactionis, dilecto filio nostro in Alma Urbe vicario in spiritualibus generali, vel ab eo speciali deputato consignet, quodque de cetero eleemosynæ pro Missis in eadem ecclesia S. Gregorii celebrandis, quæ infra modicum tempus ibi celebrari non poterunt, illic minime recipiantur, nisi sacrista vel alius minister Missarum numero describendo atque oblationibus recipiendis, vel præfatus Prior admoneat singulos, qui eleemosynas offerunt de tempore, intra quod Missæ ab iis requisitæ probabiliter celebrari poterunt. Præterea quod pecuniæ, quæ ad præsens in deposito ex eleemosynis Missarum conflatæ reperiuntur, per alias ejusdem Congregationis, seu almæ Urbis nostræ ecclesias arbitrio Abbatis Generalis ejusdem Congregationis, & dicti ordinis Prioris, vel Sacerdotibus nulli pariter alteri celebrationis Missarum oneri obnoxiis, prævio consensu & approbatione ejusdem Vicarii nostri, vel ejus deputati quamprimum distribuantur, ad hoc ut totidem Missæ pro fidelibus defunctis quamprimum celebrentur, & infra sex menses proximos eidem Vicario nostro, vel ejus deputato notula tam peractæ distributionis, quam celebrationis Missarum per eumdem Priorem consignetur. Insuper ecclesiis seu Altaribus, in quibus Missæ pro eleemosynis dictæ ecclesiæ S. Gregorii elargitis, ut supra celebrabuntur, easdem Indulgentias, quæ ipsi ecclesiæ S. Gregorii a Sede Apostolica concessæ reperiuntur, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi earumdem tenore præsentium concedimus. Decernentes præsentes literas & in eis contenta quæcumque semper & perpetuo valida firma & efficacia esse & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac per dictum Priorem, aliosque, ad quos spectat quomodolibet, & in futurum pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque ea non aliter per quoscumque judices ordinarios & delegatos etiam eorum, Palatii Apostolici auditores, ubique judicari & definiri debere, & irritum ac inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus ordinationibus & constitutionibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictæ Congregationis, illiusque monasteriorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alias roboratis, statutis & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris die IX. decembris M.DC.XXVI. pontificatus nostri anno quarto.

V. Theatinus.

CXXX.

Breve Uebani VIII. Petro Valerio Cardinali visitandi congregationem Camaldul.

Anno 1627. XXIV. aprilis.

Ex dicto tabulario.

URbanus PP. VIII. Dilecto filio nostro Petro tituli S. Marci presbytero Cardinali Valerio nuncupato. Dilecte fili noster salutem & Apostolicam benedictionem. Cupientes, ut in monasteriis monachorum Congregationis Camaldulensis regularis disciplinæ observantia conservetur, & ubi collapsa est, modis congruis, quantum fieri in Domino potest, restituatur, Motu proprio & ex certa scientia ac matura deliberatione nostris Tibi, qui ejusdem Congregationis apud Nos & Sedem Apostolicam Comprotector existis, de cujus pietate, prudentia ac religionis zelo plurimum in Domino confidimus, omnia & singula ipsius Congregationis monasteria & loca regularia quæcumque tam monachorum quam eremitarum ibidem existentia tam in capite quam in membris auctoritate Nostra visitandi, ac in illorum regulas & instituta, formam, ritus, mores, consuetudines & disciplinam, tam conjunctim quam divisim diligenter inquirendi, necnon evangelicæ & apostolicæ doctrinæ, sacrorumque Canonum, ac generalium Conciliorum, & præsertim concilii Tridentini decretis, Sanctorumque Patrum traditionibus & regularibus ipsius Congregationis institutis a sede prædicta confirmatis inhærendo, ac prout occasio rerumque qualitas exegerit, quæcumque mutatione, correctione, emendatione, revocatione, ac ex integro editione indigere cognoveris, reformandi, mutandi, corrigendi, revocandi, renovandi, ac ex integro condendi, condita sacris Canonibus & concilii Tridentini decretis regularibusque institutis prædictis non contraria confirmandi, abusus quoscumque tollendi, regulas, constitutiones & ecclesiasticam disciplinam, ubicumque illæ exciderint, modis congruis restituendi & reintegrandi, ipsasque personas ad debitum & honestum vitæ modum revocandi, ac quidquid inde statueris & ordinaveris, observari faciendi, inobedientes quoscumque per censuras & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna faciendi, dicendi, gerendi & exequendi plenam & amplam facultatem & licentiam apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus & impartimur. Mandantes propterea in virtute S. obedientiæ & aliis arbitrii nostri pœnis omnibus & singulis ipsius Congregationis, illiusque monasteriorum & locorum regularium prædictorum Superioribus quocumque nomine nuncupatis, ac monachis, ceterisque, ad quos spectat, ut tibi in præmissis omnibus & singulis prompti pareant & obediant, tuaque salubria monita & mandata suscipiant humiliter & efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam sive pœnam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctoritate nostra usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictæ Congregationis etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alias roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & literis Apostolicis eidem Congregationi, illiusque Superioribus & monachis ac aliis prædictis sub quibuscumque tenore & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum omnium tenore præsentium pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris die XXIV. aprilis M. DC. XXVII. Pontificatus nostri anno quarto.

CXXXI.

Idem eximit a Congregatione asceterium S. Christinæ de Bononia.

Anno 1627. II. junii.

Ex apographo ejusdem asreterii.

URbanus papa VIII. ad futuram rei memoriam. Ex debito pastoralis officii nostri, quo divina disponente clementia universalis ecclesiæ regimini præsidemus, ad ea sedulo intendimus, ut sanctimoniales, quæ relictis mundi illecebris divini numinis obsequiis sese manciparunt, prospere dirigantur & gubernentur. Cum itaque dilectos filios monachos congregationis Camaldulensis onere regendi monasterium sanctæ Christinæ Bononiæ, quod sub

sub

sub eorum gubernio existit, levandos in Domino duxerimus, idcirco monasterium prædictum, illiusque abbatissam & moniales & conventum ejus & bona universa ab omni & quacumque superioritate, jurisdictione, visitatione, correctione, cura & gubernio abbatis generalis, aliorumque superiorum & monachorum ejusdem congregationis in spiritualibus & temporalibus auctoritate & tenore præsentis perpetuo eximimus, atque superioritati, jurisdictioni, visitationi, correctioni, curæ & gubernio archiepiscopi Bononiensis committimus, subjicimus & supponimus, ejusdemque nunc & pro tempore existentibus abbatissæ & monialibus, ut sub dicti archiepiscopi Bononiensis cura obedientiam jurantes, omnibus & singulis gratiis indulgentiis, indultis & privilegiis, quibus aliæ ejusdem ordinis moniales de jure, usu, consuetudine vel alias quomodolibet utuntur, fruuntur & gaudent, ac uti, frui & gaudere possunt & poterunt quomodolibet in futurum; pari modo absque ulla prorsus differentia, exemptione, ac jurisdictione ordinarii prædicti exempta, uti, frui & gaudere libere & licite possint & valeant, perinde ac si sub abbatis generalis ac superiorum & monachorum prædictorum cura & gubernio, ac prius existerent, eisdem auctoritate & tenore concedimus & indulgemus. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ abbati generali aliisque superioribus & monachis prædictis, necnon abbatissæ & monialibus dicti monasterii, quatenus abbas generalis aliique superiores & monachi hujusmodi sese minime impostérum quovis quæsito colore, prætextu vel ingenio, curæ & gubernio monasterii, illiusque abbatissæ, monialium, conventus earum, & bonorum prædictorum, quoquomodo se immiscere, aut in eo jurisdictionem, superioritatem, visitationem & correctionem aliquam exercere audeant vel præsumant. Abbatissa vero vel moniales prædictæ modernum & pro tempore existentem ecclesiæ Bononiensis præsulem in earum monasterii & earum conventus & bonorum prædictorum pro superiore, reformatore, correctore habeant & recognoscant, illiusque monitis & mandatis salubribus prompte pareant & obediant, illaque suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent. Decernentes irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus constitutionibus &c.

Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die secunda junii M.DC.XXVII. pontificatus nostri anno quarto.

V. Theatinus.

CXXXII.

Ferdinandi II. imperatoris Præceptum pro eremo Camaldul. Viennensi.

Anno 1628. III. julii.

Ex collectaneis Cl. V. Jo: Georgii de Schwandner JC. Viennensis.

IN nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis feliciter, amen. Nos Ferdinandus secundus divina favente clementia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. rex, archi-dux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Lucemburgæ, Wirtembergæ, superioris & inferioris Silesiæ, princeps Sueviæ, marchio sacri Romani imperii, Burgoviæ, Moraviæ, superioris & inferioris Lusatiæ, comes Habspurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ &c. Landgravius Alsatiæ, dominus marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & salinarum &c. Ad perpetuam rei memoriam tenore præsentium significamus, quibus expedit, universis, complacere divinæ majestati uberrime, & animæ nostræ saluti quamplurimum consuli non ambigimus, dum temporalia bona in thesaurum immarcescibilem & spem æternæ retributionis commutamus. Quod profecto salubrius & commodius efficere nequimus, nisi in fundatione & exstructione insignium claustrorum, aliorumque devotorum locorum & ecclesiarum, in quibus religiosæ personæ degere possint, quæ fluidis seculi postpositis deliciis, pia sanctorum patrum imitantes exempla, suave Domini jugum per aspera vitæ in assiduis orationibus, jejuniis, prædicationibus, confessionibus, aliisque piis operibus suscipiunt, & susceptum sub innocentiæ puritate tam fructuose percurrunt, ut divinam misericordiam tranquillo corde pro nobis possint devotius exorare. Hinc est, quod nos ad frugiferum sancti Romualdi religiosorum patrum eremitarum Camaldulensium, de Monte-corona nuncupatorum, ordinem (ut qui sub nostro regimine prius in hisce Germaniæ regnis & provinciis nostris a nobis ex Italia vocatus sui laudabilis instituti sub regula sancti Benedicti fundamenta posuit) singularem

larem gerentes affectum & amorem, montem vulgo Schvvinberg vocatum, dioecesis Passaviensis non procul a cœnobio Claustro-Neoburgense situatum, una cum silvis & vineis in eo contentis (terminis undique erectis lapidibus per fidelem cameræ nostræ aulicæ præfectum silvarum positis) prædictis ordinis patribus ad construendum in illo eremitorium gratiose assignavimus, donavimus & concessimus, prout in perpetuum possidendum assignamus, donamus & concedimus, & una cum conjuge nostra clarissima, serenissima & augustissima principe & domina Eleonora Romanorum imperatrice, Hungariæ & Bohemiæ regina, archiducissa Austriæ, nata ducissa Mantuæ, ad laudem & gloriam sanctissimæ Trinitatis, & gloriosissimæ virginis Mariæ, signanter vero in honorem sancti Josephi, pia devotione, maxime autem dictorum patrum Camaldulensium pietate, christianæ & catholicæ fidei zelo, ac sacrarum literarum præstanti doctrina, vitæque imprimis ac morum sanctitate, tum etiam humilitate, paupertate, nuditate, abstinentia, jejuniis, silentio, solitudine & austeritate ipsorum ducti, in salutem & refrigerium tam nostrarum ambarum conjugum, quam omnium etiam prædecessorum nostrorum inclytæ domus Austriacæ animarum assignatis, maxime pro emendis bonis in mobilibus, triginta-sex millibus florenorum in usum dictorum patrum Camaldulensium, eremum in prædicto monte instituimus, ereximus & fundavimus, prout instituimus & erigimus, & tamquam Romanorum imperator & archi-dux Austriæ fundamus præsentium per tenorem, itaut Admodum venerabilis ipsorum in præsentiarum procurator pater Sylvanus a Venetiis eremita ejusdem congregationis Montis-coronæ ejusque successores una cum deputatis & deputandis prioribus, superioribus, eremitis, patribus & fratribus, atque conversis, seu novitiis & servientibus suis omnibus & singulis prædictum montem & hanc ipsam structuram, monasterium seu eremum, quam nos partim in proprio nostro fundo, partim etiam permutato loco & silva devoti nobis dilecti Andreæ præpositi dicti cœnobii Claustro-neoburgensis propriis expensis exstruximus, & exstruere intendimus, perpetuis temporibus inhabitare, ibidemque pias ad Deum preces fundere, ac alia christianæ caritatis officia, prædicando Christi evangelium, & ecclesiastica sacramenta administrando exercere & tam fidelium animarum saluti consulere, quam etiam hæreticorum & aliorum peccatorum ac infidelium conversioni operam præstare, non minus etiam pro sustentatione sua juxta normam & regulam sui ordinis præscriptam bona stabilia emere, ubicumque & a quocumque hominum nullo excepto, similiter etiam ubi necessitas postulaverit, eleemosynas tam hic in Austria, quam in sacro Romano imperio, ac aliis nostris hæreditariis regnis & provinciis absque omni impedimento colligere possint ac valeant. Decernentes insuper, ut prædictus mons seu locus Schwinberg imposterum mutato eo nomine S. Joseph-berg nuncupetur, & ab omnibus ita semper vocetur, nominetur & reputetur; & ut dicti patres Camaldulenses omnipotenti Deo tanto devotius possint famulari, quanto exterioribus curis, molestiis & vexationibus fuerint absoluti, ita hanc nostram a nobis & dicta nostra carissima conjuge fundatam eremum una cum omnibus confratribus, aliisque personis, ministris & servientibus suis in nostram, hæredumque ac successorum nostrorum specialem tuitionem ac protectionem recipimus, volentes eos ab omni violentia, invasione & injuria gratiose protegere, libertando & eximendo illos, ac ipsam eremum, vineas, montem, sylvas, fundum & locum ipsis a nobis gratiose donatum cum omnibus pertinentiis de præsenti vel futuris temporibus ad illud spectantibus & spectaturis, insuper & omnia bona immobilia, quæ sunt pro hac fundatione ipsi patres empturi, vel defacto emerunt, ab omnibus gravaminibus & molestiis, exactionibus, impositionibus, teloniis, collectis, steuris, censibus, ac demum omnibus & singulis oneribus tam realibus, quam personalibus, civilibus & militaribus, quæ eis quomodolibet inferri & imponi possent. Statuentes ac firmiter tenore præsentium præcipientes, ut hoc monasterium seu eremitorium & sacra Dei domus, ac ipsi patres Camaldulenses, eorumque ministri servientes, & familia tota in omnibus & per omnia universis & singulis gaudeant, fruantur ac potiantur privilegiis, exemptionibus, libertatibus, juribus, prærogativis, immunitatibus ac beneficiis, quibus alia monasteria religiosorum, sacræ domus & loca, Deoque sacrati viri & religiosi sub regulis in monasteriis seu conventibus viventes in sacro Romano imperio & nostris hæreditariis regnis, & provinciis ac ditionibus gaudent, fruuntur, utuntur & potiuntur, ac insuper quidquid de eleemosyna vel aliis rebus in suorum sustentationem ac totius eremitorii conservationem collegerint & conquisiverint, id illis

ubi-

ubique locorum terra & aqua libere, tuto & expedite sine omni prorsus exactione, & quovis alio impedimento cedat & permittatur. Dantes illis præterea & concedentes hanc facultatem & licentiam, ut si aliquis hominum cujuscumque sexus, status aut ordinis pia intentione ductus aliquid de bonis suis ac prædiis aut in parata pecunia, aut per testamentum seu ultimam voluntatem prælibatæ eremo legaverit, vel etiam donaverit, dicti patres Camaldulenses id libere accipere, possidere, eoque in bonum & commodum eremi uti & frui, ac insuper pro legata sive donata pecunia bona aliqua stabilia in utilitatem eremitorii emere possint ac valeant, quæ etiam bona omnibus iis privilegiis, gratiis & indultis gaudere, frui atque potiri sancimus, quibus alia eremitorii propria bona de præsenti seu successivis temporibus ad id spectantibus seu spectaturis gaudent, fruuntur & potiuntur, nemine prorsus contradicente, aut in contrarium faciente, de quo etiam omnes successores nostros obligatos volumus, expresse illos adhortantes, ut hanc piam fundationem nostram firmiter & inviolabiliter futuris perpetuo temporibus manuteneant atque defendant, ipsumque monasterium & eremitorium, ejusque patres, fratres, ministros, servitores ac totam denique familiam vigore hujus fundationis tueantur, nec quemquam cujuscumque status, ordinis vel conditionis is sit, eamdem impune transgredi vel violare permittant. Mandantes superinde universis & singulis nostris principibus ecclesiasticis & secularibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militibus, præfectis, præsidentibus, capitaneis, locumtenentibus, vicedominis, gubernatoribus, castellanis, ac urbium, civitatum, oppidorum ac quorumcumque locorum & communitatum rectoribus, burgi-magistris &c. consulibus atque aliis subditis nostris firmiter & expresse, quatenus præfatos patres Camaldulenses, totamque ipsorum eremum in prælibata fundatione, privilegiis, exemptionibus, libertatibus, juribus, prærogativis, immunitatibus, ac aliis gratiis, beneficiis, & concessionibus non impediant, nec aliquam molestiam quovis modo eis inferant, quin potius ipsos ab omni malevolorum hominum impetitione protegant atque defendant. Non obstantibus quibuscumque statutis, consuetudinibus, legibus patriis seu civitatum, & quibuscumque aliis publicis & privatis, factis & fiendis, quibus omnibus in quantum prædictæ huic nostræ fundationi & protectioni contraire videntur, ex certa nostra scientia derogamus, easque in tali casu ex nunc, prout ex tunc, annihilamus præsentium per vigorem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ gratiæ paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, cujuscumque dignitatis, status existat, præter iram & ultionem justi Dei vindicis, quam scire potest quilibet ex alto contra violatores sacrarum domorum provenire, etiam nostram, hæredum & successorum nostrorum gravissimam indignationem & pœnam centum marcharum auri purissimi pro medietate nostro, hæredum & successorum nostrorum ærario, reliquam vero partem præfati monasterii usibus applicandam. Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum, sigilloque nostro majori Cæsareo communitarum. Datæ in civitate nostra Viennæ Austriæ die tertia mensis julii anno Domini supra millesimum sexcentesimum vigesimum-octavum, regnorum nostrorum Romani nono, Hungarici undecimo, Bohemici vero duodecimo.

FERDINANDUS m. ppa.

Ad mandatum sacræ Cæsareæ majestatis proprium Tobias Quertinger.

Jo. Baptista liber baro de Verdenberg.

CXXXIII.

Urbani VIII. facultas Exgeneralibus Camald. eligendi sibi monasterium.

Anno 1632. XVI. aprilis.

Ex tabulario S. Hippolyti de Faventia.

URbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Nuper pro parte Dilectorum filiorum Monachorum Congregationis Camaldulensis Nobis expositum fuit, quod alias in Dieta dictæ Congregationis emanavit Decretum tenoris subsequentis; videlicet, ut Reverendissimi PP. Generales pro tempore existentes, peracto eorum officio congruo aliquo honore decorentur, ut animosius morum reformationi, & correctioni insistant; ac etiam, ut post labores peracti officii aliqua fruantur quiete, vel solatio, concedunt PP. Definitores omnibus Generalibus modo, & pro tempore existentibus, ut peracto eorum officio possint sibi unum ex Monasteriis, quæ ad Capitulum Generale socium Abbatis, vel Conventualem non transmittunt, ad eorum vitam, pro eorum arbitrio

bitrio eligere, exceptis Monasteriis S. Mariæ de Urani, S. Mariæ in Gradu, Rosæ Senarum, & S. Marci Mantuæ; ita tamen, ut electi sibi Monasterii bonorum administratores tantum censeantur, redditionique rationis eorum administrationis obnoxii, Visitationi, correctionique Generalis successoris, ac Visitatorum, prout cæteri Abbates triennales subjecti existant; sine tamen præjudicio eorum electionis ad majora, vel æqualia Monasteriorum regimina, aliaque Congregationis officia, si eorum consensus accedat, propterea que injunxerunt Admodum Reverendo patri Procuratori Generali, a Sanctissimo D. Nostro Breve super præmissis obtineat. Cumque autem, sicut eadem expositio subjungebat dicti exponentis, Decretum Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri, summopere desiderarent: Nos illos spiritualibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, Supplicationibus eorum nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, cum hoc tamen, ut qui Generales fuerint, ab electis Monasteriis prædictis ad libitum Superioris possint amoveri, Apostolica Auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, ac singulos, tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes juxta tenorem præsentium, ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, aut definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus a quocumque, quavis Auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictæque Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris die 16. aprilis 1632. anno nono.

M. A. Maraldus.

„ Nota supradictum Breve, sud die 16. „ aprilis ab Urbano Papa VIII. emana„ tum, publicatum fuisse in subsequenti „ Capitulo Generali celebrato de anno „ 1633. in Monasterio S. Crucis Fontis„ Avellanæ, & in ejusdem Actis insertum, „ ut habetur in lib. 2. Congregationis si„ gnato B. existente in Archivo Sancto„ rum Hippolyti, & Laurentii de Faven„ tia pag. 147.

CXXXIV.

Commutatio bonorum Ravennianæ cum ecclesia S. Franciscæ inter episcopum Foro-sempronienfem & monasterium Classense.

Anno 1632. XVII. kal. decembris.

Ex archivo Classensi.

URbanus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Apostolici muneris sollicitudo nobis licet immerentibus delegata requirit, ut circa religiosarum personarum quarumlibet statum assidua mentis cogitatione invigilantes ad ea, per quæ illarum opportunæ sublevationi & commoditatibus consulitur, propensius intendamus. Hinc est, quod nos, qui dudum inter alia voluimus & ordinavimus, quod literæ reservationis vel assignationis cujusvis pensionis annuæ super alicujus beneficii ecclesiastici fructibus expediri non possint, nisi de consensu illius, qui dictam pensionem persolvere tunc haberet, quique hodie certam honestam concordiam inter venerabilem fratrem nostrum modernum episcopum Foro-sempronienfem ex una, ac dilectum filium modernum abbatem monasterii Classensis nuncupati sanctorum Apollinaris & Severi Ravennat. Camaldulensis ordinis ex altera partibus super jurisdictione temporali & spirituali, seu illius exercitio in *de le Fratte* ac Montis-veteris, & Turris-camerini, & Montiroli, necnon sancti Viti castris nuncupatis *de la Ravegnana* in provincia Urbinatensi per quasdam sub nostræ & sedis apostolicæ beneplacito initam sub certis modo & forma tunc expressis confirmata, confirmanda & approbanda, & inter alia pro ejusdem concordiæ complemento eidem monasterio situm cum fundamentis cujusdam ecclesiæ sub titulo seu invocatione sanctæ Franciscæ in civitate Foro-sempronienfi inceptæ, & ad ipsius episcopi mensam episcopalem legitime spectantem mensuræ seu capacitatis tri-

triginta cannarum & septem pedum menſuræ illarum partium, monaſterio ſeu hoſpitio ordinis prædicti, ad cujus conſtructionem abbas dicti monaſterii ſeu ordo prædictus exiſtit inſervit... una cum quibuſdam legatis piis ad triginta ſcuta monetæ illarum partium vel circa annuatim, ut aſſerebatur, aſcendentibus a diverſis teſtatoribus cum onere nonnullarum Miſſarum eidem eccleſiæ ſanctæ Franciſcæ relictis, previa illorum a dicta menſa epiſcopali diſmembratione perpetuo concedi & appropriari mandavimus. Necnon prædicto monaſterio ultra unam triginta ſcutorum monetæ Romanæ jam ſuper parochialis eccleſiæ ſancti Viti caſtri hujuſmodi ipſi monaſterio apoſtolica auctorirate perpetuo reſervatam ſeu reſervandam, aliam decem ſuper Montis-veteris, & aliam aliorum decem ſuper Turris-camerini, ac reliquas penſiones annuas ac perpetuas, liberas, immunes & exemptas aliorum triginta ſcutorum ſimilium ſuper de la Fratta caſtrorum prædictorum parochialium eccleſiarum fructibus, redditibus & proventibus certis & incertis per diverſas alias noſtras literas ſub certis modo & forma etiam tunc expreſſis reſervavimus, conſtituimus & aſſignavimus, prout in ſingulis literis prædictis plenius continetur, eidem monaſterio, ut ejus onera facilius ſupportare valeant, de alicujus ſubventionis auxilio providere volentes, ac epiſcopum & abbatem modernum prædictos, necnon ſingulares perſonas conventus monaſterii hujuſmodi a quibuſvis excommunicationis *&c.* abſolventes *&c.* eidem monaſterio ex nunc prout ex tunc, poſtquam prædictam caſtris Monteroli eccleſiam per ceſſum vel deceſſum illam ad præſens obtinentis, vel alias quovis modo & ex alterius cujuſcumque perſonæ vacare contigerit, aliam penſionem annuam & perpetuam ab omni decima, quam, media & quavis alia fructuum parte, ſubſidio etiam caritativo & excuſato, ac quocumque alio tam ordinario, quam extraordinario onere quavis occaſione vel cauſa, etiam pro fabrica baſilicæ principis apoſtolorum de Urbe, cruciatæ ſanctæ & expeditione contra Turcas, & alios orthodoxæ fidei hoſtes, etiam pro ſubſtentatione ſeminarii puerorum eccleſiaſtici, & claſſis triremium manutentione, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, ducum & aliorum principum inſtantiam intuitum & contemplationem, necnon etiam ratione belli, peſtis, grandinis, tempeſtatis, incendii, alluvionis, inundationis, militum incurſus, devaſtationis agrorum & fructuum amiſſionis ac cujuſcumque alterius inſoliti caſus impoſiti & pro tempore imponendi, etiamſi in impoſitionibus hujuſmodi caveatur expreſſe, quod penſionarii quicumque pro rata penſionum ſuarum quantumvis exemptarum præmiſſis contribuere teneantur, quæ omnia & quæcumque alia onera prædictæ eccleſiæ caſtri Monteroli hujuſmodi rector pro tempore exiſtens omni tempore ſubire teneatur, ac alias in omnibus & per omnia liberum, immunem & exemptum viginti ſcutorum partium, quæ quatuordecim ducatos auri de camera vel circa conficiunt ſuper eccleſiæ caſtri Monteroli hujuſmodi fructibus, redditibus & proventibus certis & incertis ad centum & quadraginta ducatos ſimiles, ut dictus modernus abbas aſſerit, annuatim aſcendentibus eidem monaſterio ſeu pro tempore exiſtenti illius abbati vel conventui vel eorum procuratori legitimo per moderni prædictæ eccleſiæ caſtri Monteroli rectoris ſucceſſores eamdem eccleſiam caſtri Monteroli pro tempore quomodolibet obtinentis annis ſingulis, pro una videlicet in Domini noſtri Jeſu Chriſti, & altera medietatibus ultimo dictæ penſionis in ſancti Johannis-baptiſtæ nativitatum feſtivitatibus, vigore tamen præſentium, nec alias, alioquin præſens reſervatio nulla ſit eo ipſo, & dummodo ex fructibus dictæ eccleſiæ caſtri Monteroli illius rectori pro tempore exiſtenti centum ducati liberi remaneant annuatim integre perſolvendam. Ita quod in eventum, in quem tam prædicti Monteroli quam aliarum quatuor eccleſiarum prædictarum rectores pro tempore exiſtentes penſiones per eos debitas non perſolverint, facta contra eos diligentia in ſubſidium tam prædictus modernus epiſcopus, quam ejus ſucceſſores pro tempore exiſtentes ipſiuſque menſæ epiſcopalis Foroſempronienſis fructus & bona quæcumque pro ſecuritate ſolutionis ſingularum penſionum prædictarum etiam in ampliſſima forma cameræ apoſtolicæ penitus & omnino perpetuo obligata ſint & eſſe cenſeantur, reſervata epiſcopo Foro-ſempronienſi pro tempore exiſtenti facultate terminos earumdem penſionum per eumdem epiſcopum dicto monaſterio pro tempore ſolutos a rectoribus eccleſiarum hujuſmodi, qui in ſolutione terminorum ipſorum defecerint, tam ſuo, quam monaſterii hujuſmodi nominibus repetendi, illoſque juris & facti commodius ad id cogendi apoſtolica auctoritate etiam abſque ullo rectoris eccleſiæ Monteroli hujuſmodi deſuper habendo vel requirendo conſenſu, immo illo invito & reclamante, tenore præſentium perpetuo reſervamus, conſtituimus & aſſignamus, decernentes moderni

rectoris ecclesiæ castri Monteroli hujusmodi successores prædictos ad integram solutionem ultimo dictæ pensionis modo & forma præmissis faciendam juxta reservationem constitutionis & assignationis prædictarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes & eadem auctoritate statuentes, quod ille ex successoribus prædictis, qui in dictis festivitatibus, vel saltem infra triginta dies illarum singulas immediate sequentes ultimo dictam pensionem per eum monasterio seu illius abbati & conventui prædictis tunc debitam non persolverint cum effectu, lapsis diebus iisdem sententiam excommunicationis incurrat, a qua, nisi monasterio seu illius abbati & conventui vel procuratori prædictis de ultimo dicta pensione tunc debita integre satisfactum, aut alias cum abbate & conventu seu procuratore prædictis super hoc amicabiliter concordatum fuerit, præter quam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinere. Si vero per sex menses dictos triginta dies immediatos sequentes sententiam ipsam animo, quod absit, sustinuerint indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem dicta ecclesia castri Monteroli perpetuo privatus existat, illaque vacare censeatur, eo quod non obstantibus priori voluntate & ordinatione nostris prædictis & constitutionibus apostolicis *&c.* aut si pro tempore existenti rectori dictæ ecclesiæ castri Monteroli, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quoad præstationem vel solutionem pensionis alicujus minime teneri, & ad id compelli non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali *&c.* Nulli ergo *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ M.DC.XXXII. XVII. kalendas decembris pontificatus nostri anno decimo.

CXXXV.

Epistola Cardinalis S. Honofrii ad episcopum Foro-sempronienses.

Anno 1633. VIII. aprilis.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

F*oris*: All' Illustre e Molto reverendo Monsignore: come Fratello il Vescovo di Fossombrone.

Illustre e molto reverendo Monsignore: come Fratello. E' ordine della Sacra Congreg. che V. S. come Assistente Deputato da N. S. al Capitolo Generale de Monaci Camaldolensi da celebrarsi nel luogo dell'Avellana, facci fare dal medemo Capitolo gl'Infrascritti Decreti. Primo che in quanto bisogni, si rinovi l'esatta osservanza della Constitutione contra Ambitiosos. Secondo che si facciano due Professorij, uno nel Monastero di Classe, l'altro in quello delle Carceri, dove debbano andare i Novizzi di ciascun Novizziato subito fatta la Professione, secondo che ordinerà il Padre Generale. Terzo che nel ricever i Novizzi non si faccia distinzione de Luoghi, nè di Provincie, e non si ammettino all'habito, se non saranno prima esaminati, & approvati dal Generale, e Visitatori, quali non dovranno commetter mai tal' Esame, & approvazione à gli Abbati de Monasterij. Quarto si rinovino tutte le Costituzioni dell'Ordine, delle quali sia giudicata necessaria l'Osservanza, ancorchè al presente non siano in uso. Quinto si faccia Ordinazione particolare sopra la puntuale Osservanza del Decreto della fel. mem. di Clemente VIII. contro quei Superiori, che non pagano le Tasse. Sesto che nessun Abbate possa far fabriche senza licenza espressa del Generale, e Visitatori, quali non la dovranno dare, se non per fabriche da farsi alla Monastica, e considerato, che resti per pagare le Tasse, & altre spese necessarie; e se non le costi, che quel Monasterio haverà pagato le Tasse tutte dovute decorse. Settimo che gli Offizij e Governi finischino tutti ne Capitoli Generali da celebrarsi pro tempore, se però non saranno confermati da quello; & salvo sempre il Breve concesso da N. S., che li Generali possino in fine del loro Governo eleggersi ad nutum Superiorum uno de Monasterii nominati in detto Breve. Tanto dunque V. S. facci essequire per conformarsi in ciò con il senso della Sac. Cong. la quale in virtù della presente le dà tutta l'Auttorità necessaria; e Dio la prosperi.

Roma li 8. aprile 1633.

Di V. S.

Come Fratello
Il Cardinal S. Honofrio.

„ Vide omnia supradicta executioni mandata in Capitulo celebrato in Monasterio S. Crucis Fontis-Avellanæ de anno 1633.

CXXXVI.

CXXXVI.

Supplex libellus monialium S. Christinæ de Bononia ad S. Pontificem.

Anno 1633.

Ex tabulario ejusdem parthenonis.

BEatissimo Padre, Espongono umilmente alla Santità vostra l' Abbadessa e monache del Monastero di S. Cristina di Bologna della Regola Camaldolese di S. Romualdo, qualmente non ostante, che da seicento anni in circa sono state sotto il governo e amministrazione delli Monaci della detta Congregazione Camaldolese, della quale esse portano l' abito, nondimeno sei anni fa in circa senza alcuna causa ne occasione legitima, ma solo per particolari rispetti e disegni del già Signor Cardinale Ludovisio, e per aderire alle voglie di tre particolari monache malcontente e disgustate delle altre, per forza d'interdetti, di Scommuniche, di Carcerazioni, e di mille altri affronti, che saria cosa lunga a raccontarli, furono costrette a rinunziare alli detti Monaci e loro governo, e sottomettersi all' Arcivescovo e al governo de Preti Secolari da deputarsi per li tempi. E perchè Padre Santo, fino ch'è vissuto il detto Cardinale, per la sua potenza non hanno ardito le Oratrici di far richiamo, ne ricorso alcuno, dubitando d' irritarlo maggiormente, perciò riccorrono adesso umilmente alli piedi della Santità Vostra supplicandola a degnarsi di ordinare à chi più li piacerà, che siano prese le debite informazioni di tutto quel successo, che siano bene esaminate le cause, per le quali si pretese all'ora di fare, che le Oratrici renuntiasero al governo de Monaci, & i Monaci al governo loro, e che siano visitate, & esplorata la loro volontà, e che trovandosi, che non vi sia stata causa ne occasione alcùna legitima da sforzarle a far quella rinunzia, la supplicano a degnarsi di restituirle in pristinum sotto il governo della suddetta Congregazione; che il tutto si riceverà per grazia singolare della Santità Vostra.

CXXXVII.

Ludovici XIII. Galliarum regis Approbatio Congregationis Gallicanæ Camaldulensis in suis regnis.

Anno 1634. mense februario.

Ex eremi de Gros-bois tabulario.

LOvis par la grace de Dieu Roy de France & Navarre a tous presens & avenir salut. N'ayant rien de plus recommandable, que ce qui concerne la glorie de Dieu, aussi volons nous de tout notre possible favoriser l'etablissement en tous les lieux de notre Royame de nombre de personne de pieté, devotion, & Religieuse conversation, a fin que leurs oraisons continuelle attirant incessament sur cet état toute sorte de grace & de benedictions. Et d'autant que nous sommes duement avertis de l'utilité spirituelle & temporelle, qu'y a nos sujets les Religieux de l'ordre de Camaldoli sous le titre de Saint Romuald envoyé en notre Royaume depuis quelque anneés par leur superieurs pour nous supplier de permettre l'etablissement du dit ordre, qui est tres ancien y ayant plus de six cent ans, qu'il a eté approuvé de nos SS. Peres les Papes recu par toute l'Europe, meme en notre Royaume, ou ils ont recu depuis quelques anneés avec une si grade puretè de vie, que le S. Archeveque de Vienne informé des fondations faites en leur faveur leur avroit sous notre bon plaisir permis de s'etablir en l'etendue de son diocese: a quoi voulant contribuer de notre autorité par tout moyen convenable & necessaire, savoir faisons qu'inclinant liberalment a la supplication, qui nous a eté faite par le General du dit Ordre & pour donner plus de sujet & moyen aux dits Religieux de prier Dieu pour la manutention de cet etat, de l'avis de notre conseil, qui a vù le consentement du dit archeveque de Vienne du quatorzieme novembre mil six cent vingt neuf avec les certificats & fondations de sieurs de Murines, & marquis de la Baume par eux faits aux dits Religieux, cy attachez sous notre contrescel. De notre grace speciale, pleine puissance & auctorité Royale avons approvè & auctorisé, approuvons & autorisons par ces presentes signees de notre main le dit ordre de Camaldoli sous le titre de St. Romuald en nostre Royaume, & les maisons

maisons par eux déja recues, a scavoir le monastere de notre Dame de Grace au lieu .... & terre de Ruel en Viennois dans le Dauphiné, & celui de notre Dame de Consolation dans la terre de Botheon, ensemble l'hospice ou infirmerie du Val Jesus dependant du dit Botheon. Defendons à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, de leurs donner aucun trouble ou empechement a la construction & parachevement de leurs dittes maison sous quelque pretexte que ce soit: mettant iceux Religieux, lours biens & maisons en notre protection & sauvegarde, & voulons & nous plait, qu'ils jouissent de tels & semblables privileges, qu'il ont joui jusqu'a present, & dont jouissent les Religieux de pareil Ordre en notre Royaume, a la charge toute fois qu'ils ne pourron avoir aucun superieur, qui ne soit naturel François à peine de nullité de ces presentes. Si donnons en mandament a nos amez féaux Conseillers, le gens tenans nos cours de parlement de Paris, de Grenoble, Prevots, Baillifs, Senéchaux, leurs Lieutenans, Maries, soit ainsi qu'il appartiendra, que les presentes ils ayent a faire enregistres & du contenu en icelles faire souffrir & laisser jouir les dits Religieux pleinement, pluisiblement & perpetuellement. Cessant & faisant cesser tous troubles & empechements au contraire. Car tel est notre plaisir, & afin que ce soit chose ferme & stable a toujours avans fait mettre notre scel à ces presentes. Sauf en autre chose notre droit & celui d'autrui en tout. Donné a St. Germain en l'aye au mois de Fevrier l'an de grace mil six cent trente quatre, & de notre Regne le vingt quatrieme.

Signé LOUIS. & plus bas est ecrit ce qui suit.

Par le Roy Servien. Contentor. Le long, & scelle du grand Sceau de Cire verte.

CXXXVIII.

Decretum S.R.C. de Processionibus pro Canonicis & Monachis.

Anno 1634. XVII. septembris.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

DEcretum Sacræ Rituum Congregationis de Processionibus pro Reverendis Canonicis Regularibus Lateranensibus, Monachis Cassinensibus, & Olivetanis &c. Emanatum die 30. Julii anno 1616., & denuo renovatum die 17. septembris 1634.

Procurator Canonicorum Regularium Lateranensium Sac. Rituum Congreg. exposuit, nonnullos Episcopos cogere velle tam ipsos Can. Reg. Later., quam etiam Monachos Cassinenses, & Olivetanos, ut præter eorum consuetudinem accedant ad processiones Rogationum, & ad alias Processiones, ad quas juxta eorum privilegia, & declarationes factas in Congregationibus Sac. Congreg. Regularium, & Rituum, neque dicti Canonici Lateranen. neque Monachi prædicti accedere tenentur. Et Sacra Rituum Congregatio censuit, & declaravit decreta, & resolutiones supradictas alias in supradictis Congregationibus factas servandas esse, prout servari mandavit.

Datum die 17. septembris 1634.

C. Episcopus Portuensis Card. Pius.

Loco ✠ Sigilli.

Iulius Rospiliosius Secret.

CXXXIX.

Declarationes Urbani VIII. circa Novitios.

Anno 1636. mense januario.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

SAnctissimus D.N. Urbanus Papa VIII. ad occurrendum malis, quæ possunt evenire religionibus, occasione acceptionis Novitiorum & professionis per eos emissæ in conventibus non designatis contra formam decretorum Sanctæ memoriæ Clementis VIII. de Novitiis ad habitum regularem & professionem non admittendis nisi in Conventibus designatis, audita super hoc sententia Sacræ Congregationis Concilii declaravit ac decrevit hujusmodi receptos & professos contra formam dictorum decretorum, allegantes propterea nullitatem receptionis & professionis, non posse super hujusmodi nullitate post lapsum quinquennii quoquomodo audiri.

Quod si aliqui contra formam præfatorum decretorum recepti & professi e religione infra quinquennium exire, vel superiores extra eam respective illos ejicere voluerint, eadem Sanctitas Sua decrevit, ut tam ipsi professi quam superiores respective teneantur jura, quæ sibi favere visa fuerint, prius deducere coram eadem Sacra Congregatione, quæ ex spetiali etiam suæ Sanctitatis facultate super hoc concessa providebit.

Inhi-

Inhibetur præterea Primatibus , Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis , Abbatibus & Prælatis inferioribus juriſdictionem exercentibus ac quibuſcumque Judicibus ordinariis & delegatis etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditoribus , & S. R. E. Cardinalibus etiam de latere Legatis Sediſque Apoſtolicæ Nunciis, ne imposterum quoquomodo ſe ingerant, abſque ſpeciali ejuſdem Sanctitatis Suæ commiſſione, ſub pœna ipſo facto incurrenda quoad Epiſcopos Archiepiſcopos , Patriarchas & Primates interdicti ab ingreſſu eccleſiæ ; quoad Abbates, Prælatos inferiores & alios Judices prædictos excommunicationis latæ ſententiæ ; quoad vero Nuntios & S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos indignationis Sanctitatis Suæ & pœnarum arbitrio ejuſdem ponendarum.

Si vero iidem ut ſupra recepti & profeſſi juribus ſuis minime deductis coram ſacra Congregatione Concilii , & ſine illius expreſſa licentia , e Religione exire , vel Superiores Religionis eos ejicere auſi fuerint , ipſi recepti & profeſſi tamquam Apoſtatæ puniantur , pro talibus habeantur, necnon contra eoſdem juxta formam Decreti de Regularibus Apoſtatis & Ejectis, ejuſdem Sanctitatis Suæ juſſu ab eadem Sacra Congregatione ſub die XXI. decembris 1634. editi procedatur. Et Superiores , qui ejiciunt , pœnam ſuſpenſionis a divinis, necnon privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, & perpetuæ inhabilitatis, vociſque activæ & paſſivæ ipſo facto abſque alia declaratione incurrant.

Datum Romæ die ... januarii 1636.

Cardinalis Ueroſpius

Franciſcus Paulutius S. Concilii Congregationis Secret.

CXL.

Approbatio Superioris Congregationis Gallicanæ.

Anno 1636. XV. februarii.

Ex archivo eremi de Gros-bois.

NOs D. Cerbonius Major totius congregationis eremitarum Camaldulenſium. Rationi conſonum fore duximus, ut juxta creditum nobis auctoritatis officium ſubditorum commodis jugi (quantum nobis conceſſum eſt) ſollicitudinis ſtudio intendamus, & ut provide communi omnium utilitati conſulamus . Nos totius noſtræ congregationis regimini præſidentes , aſſidua meditatione urgemur , ut iis , quæ muneris noſtri ſunt, ſatisfaciamus. Quare de vitæ probitate aliiſque virtutibus Rev. D. Pauli Arlanenſis in Arvernia certiores facti , ut votis patrum noſtrorum Camaldulenſium, qui ſunt in Gallia, nobis per litteras eum in Superiorem poſtulantium ſatisfaciamus : cumque nobis conſtet præmiſſam electionem majori ex parte concordem & canonicam eſſe , juxtaque formam Concilii , Conſtitutionumque noſtrarum ordinationem factam , Nos de fratrum Viſitatorum conſilio, noſtraque certa ſcientia , virtute & tenore præſentium confirmamus hujuſmodi electionem , harumque ſerie litterarum volumus & declaramus, ut iiſdem privilegiis gaudeat , quibus aliis congregationis Priores gaudent. In quorum fidem has præſentes manu noſtra ſubſcriptas ſigillo noſtri officii muniri juſſimus.

Datum in ſacra Eremo Camalduli die decima-quinta-menſis februarii 1636. valituras uſque ad Capitulum generale anno venturo celebrandum.

Loco ✠ Sigilli.

D. Cerbonius Eremita Major.

Adhortatoria ejuſdem Majoris Coronenſis eidem Congregationi ad bene vivendum.

Eodem anno 1636. XVI. februarii.

Ex eodem archivo.

Nos D. Cerbonius Major totius Congregationis Camaldulenſium, Patribus, qui ſunt in Gallia , debitum ſinceriſſimæ dilectionis affectum.

Probatio dilectionis exhibitio eſt operis, læti veſtras recepimus litteras quas avide a multo tempore optaveramus, & gratulati ſumus zelo bono , quem in vobis eſſe D. Benedicti relatione didicimus ; & magnum eſt nobis gaudium , quod vos ad verum & perfectum gaudium velle tendere, & quæ Dei ſunt quærere comperimus, quod caletis igne Dei, convaletis de infirmitate & floretis in novitate ſancta inſtituti noſtri . Ex hoc jam nec falſum nomen , nec ſancti Romualdi vacuum habitum portabitis. Digitus Dei ſubtiliter operans , ſuaviter renovans , ſalubriter mutans, vos de bonis faciat meliores. Rerum veſtrarum ſtudioſi , veſtrique aman-

amantissimi curavimus, prout nobis concessum fuit, votis vestris satisfacere, & vos omni favore prosequi. Pro vobis scripsi patri Procuratori, qui adhuc non respondit, & mirum non est, cum tot suae cervici incumbant negotia, & tot ultro citroque curis agitetur, ut respirare vix valeat. Interim si quae venerint litterae & expeditiores, mittemus vobis securiori via.

....

.... Mittimus R. P. Vicario confirmationis litteras, quem hortamur, ut omnia, quae ad perfectam Constitutionum nostrarum observantiam, ceremoniarumque decorem pertinent, magna cura, studio, & sollicitudine vigilet, ut exequantur. Alterius Religionis viros ad habitum ne recipiatis, ne vos conturbent, & probate spiritus, utrum ex Deo sint. In Confessionibus audiendis observentur Constitutiones, flammigero enim igne percutiunt mulieres conscientiam Religiosorum, exuruntque fundamenta montium, & nobis credite, non potest toto corde cum Domino habitare, qui feminarum accessibus copulatur. Solitudinem maxime colite, ut sitis Deo & hominibus grati. Nolite anxie (si multa vobis desint) turbari, sanctus enim amor impatientiam non habet, & vere timentibus Deum nihil unquam deerit. Fratres diligite vos invicem; in sola enim dilectione omnium virtutum bona consistunt, & Deus Pacis & dilectionis sit cum omnibus vobis, amen. Orate pro nobis. Ex sacra Eremo Camaldulensi die XVI. mensis februarii 1636.

Frater in Domino D. Cerbonius
Eremita Major.

CXLI.

Ecclesia S. Mariae de Glarea Veronae data Camaldulensibus.

Anno 1638. xx. februarii.

Ex archivo S. Michaelis.

URbanus papa VIII. ad futuram rei memoriam. Nuper pro parte dilectorum filiorum abbatis generalis & monachorum congregationis Camaldulensis ordinis sancti Benedicti nobis expositum fuit, quod extincto per fel. rec. Pium papam quintum praedecessorem nostrum ordine fratrum Humiliatorum, ac praeposituris ordinis hujusmodi ad statum secularem redactis, idem Pius praedecessor, ut fratribus extincti ordinis hujusmodi tam in spiritualibus, quam in temporalibus provideretur, statuit, ut unicuique praepositurarum hujusmodi certus eorumdem fratrum numerus, & speciatim praepositurae ecclesiae beatae Mariae de Glarea Veronensis octo presbyteri & duo servientes assignarentur, qui donec viverent, aut ad alios ordines transferrentur, ecclesiae praedictae in divinis deservire deberent, ac pro eorum alimentis pensionem annuam quadringentorum & quinque scutorum super ejusdem praepositurae fructibus a pro tempore exercente praepositurae praedictae praeposito quotannis solvendam reservavit, ita tamen ut aliquo ex octo presbyteris ac duobus servientibus praedictis decedente, dicta pensio pro rata extingueretur, praepositus autem pro tempore existens alios sacerdotes in loco decedentium subrogaret, assignata pro singulis subrogatis hujusmodi annua scutorum quadraginta pensione, & alias, prout in dicti Pii praedecessoris nostri desuper die VIII. februarii M.D.LXXI. expeditis literis dicitur contineri. Quae quidem praedecessoris nostri hujusmodi literae suos effectus sortitae fuerunt. Verum succesu temporis in locum quorumdam ex octo presbyteris & duobus servientibus praedictis defunctorum, certis aliis fratribus de Pace nuncupatis, quorum ordo nondum a sede apostolica approbatus erat, subrogatis, felicis item record. Gregorius papa XIV. etiam praedecessor noster, cognito cultum divinum a fratribus de Pace hujusmodi negligi, illos ab ecclesia praedicta, cassato & annullato instrumento, vigore cujus possessionem illius adepti fuerant, amovit, & subinde clericis regularibus Theatinis nuncupatis eamdem ecclesiam cum illius sacra suppellectile, utensilibus domesticis, hortis & domibus per fratres Humiliatos praedictos habitari, non autem locari, solitis concessit, illosque in locum praedictorum octo presbyterorum & duorum servientium a pro tempore existente ecclesiae hujusmodi praeposito alendorum, ut praemittitur, subrogavit ea lege, ut quamprimum praedictum octo sacerdotum numerum in dictas domos pro servitio ejusdem ecclesiae introducerent. Ne autem quondam Horatius Mapheus ecclesiae hujusmodi tunc praepositus damnum aliquod ratione concessionis praedictae pateretur, idem Gregorius praedecessor noster eidem Horatio ejusque successoribus liberam dictae ecclesiae, omniumque ejus bonorum, fructuum, redditum, proventuum & jurium administrationem, necnon partem domorum & horti ecclesiae praedictae annexi juxta conventionem inter ipsum Horatium & dictos clericos regu-

regulares faciendam reservavit, ac insuper eumdem Horatium a servitio ecclesiæ prædictæ, necnon Missas & alia divina officia celebrandi, ac olei, ceræ, paramentorum & alterius supellectilis ecclesiæ dictam ecclesiam & domos illi contiguas resarciendi oneribus liberavit, voluitque ut decedente aliquo ex fratribus Humiliatis prædictis pensio annua illis, ut præmittitur, reservata & assignata ad commodum ipsius Horatii pro rata extingueretur, & alias prout in ejusdem Gregorii prædecessoris nostri die v. junii M. D. XCI. desuper expeditis literis plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, clerici regulares hujusmodi ecclesiam beatæ Mariæ de Glarea prædictam ab aliquo tempore citra dereliquerunt, & officiorum divinorum in ea celebrationem per octo presbyteros, ut præmittitur, faciendam omiserunt, ob cujus causam prædicti fratres, de Pace nuncupati, ab eadem ecclesia amoti, & ipsi clerici regulares a dicto Gregorio in eam introducti fuerant, ut præmittitur, exponentes autem prædicti eamdem ecclesiam & domos, ut divinus cultus & devotus populi concursus in ecclesia prædicta, ipsaque & domus hujusmodi sartæ tectæ conserventur, sibi auctoritate nostra apostolica concedi desiderent; Nos ipsos exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis *&c.* sententiis *&c.* absolventes *&c.* supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, exponentibus prædictis ecclesiam præpositura beatæ Mariæ de Glarea Veronen. illiusque domos per dictos clericos regulares derelictas, ut præmittitur, cum eisdem conditionibus, pactis, oneribus & obligationibus, cum quibus clerici regulares prædicti illas obtinebant & possidebant, dummodo tamen dilecti filii nostri Antonii sanctæ Agathæ diaconi cardinalis Barberini nuncupati, nostri secundum carnem ex fratre germano nepotis, qui dictam præposituram ex concessione & dispensatione apostolica obtinet, expressus ad id accedat assensus, ipsique Antonio cardinali salvis & illæsis remanentibus administratione, exemptionibus, juribus, commodis & emolumentis quibuscumque in concessione ecclesiæ prædictæ clericis regularibus hujusmodi facta, aut alias quomodolibet dicto Horatio Maphæo ejusque successoribus ejusdem ecclesiæ præpositis reservatis, & concessis, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, illosque quoad præmissa in locum & jus eorumdem clericorum regularium subrogamus; ipsisque exponentibus, ut ad sex annos proximos dumtaxat, nonnisi quatuor ordinis eorum prædicti presbyteros arbitrio dicti & pro tempore existentis abbatis generalis ordinis Camaldulensis prædicti introducendos, & prævia aliorum subrogatione mutandos & ammovendos, qui apud ecclesiam prædictam residere & commorari, Missasque & horas canonicas diurnas & nocturnas, aliaque divina officia in illa congruis horis & temporibus celebrare ac recitare, ac alias illi in divinis laudabiliter deservire debeant, in domos hujusmodi introducere, constituere & manutenere teneantur, ita tamen ut elapsis dictis sex annis octo ad minus ordinis hujusmodi presbyterorum numerus in illam ad præmissorum effectum introducatur, ac semper & continuo manuteneatur, quodque ipsi exponentes ecclesiæ & domorum prædictarum, earumque pertinentiarum & annexorum ipsis, ut præmittitur, concessorum corporalem, realem & actualem possessionem per se vel alium seu alios suo & eorum ordinis nominibus propria auctoritate libere apprehendere & retinere, diœcesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, possint & valeant, auctoritate & tenore præsentium concedimus & indulgemus. Decernentes præsentes literas *&c.* semper validas, firmas & efficaces existere *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xx. februarii M. DC. XXXVIII. pontificatus nostri anno XIV.

M. A. Maraldus.

CXLII.

Revocatum Breve, ne Prior S. Gregorii sit simul Procurator generalis in Curia.

Anno 1638. XXIII. octobris.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe.

URbanus VIII. ad futuram rei memoriam. Alias nos officium procuratoris generalis congregationis Camaldulensis priori monasterii abbatiæ nuncupati sancti Gregorii de Urbe dictæ congregationis, itaut statimatque quis in monasterii hujusmodi priorem eligeretur, etiam procurator generalis ipsius congregationis electus censeretur, & e converso apostolica auctoritate perpetuo univimus, & alias prout

prout in nostris in simili forma Brevibus de anno 1626. desuper expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem sicut dilecti filii abbas generalis & visitatores ejusdem congregationis nobis nuper exponi fecerunt, experientia compertum sit, non potuisse sine maximis incommodis & notabili regiminis dicti monasterii tam in spiritualibus, quam in temporalibus, vel publicorum ejusdem congregationis negotiorum detrimento præfatas nostras literas observari, ideoque unio hujusmodi numquam executioni demandata, nec effectum sortita fuerit, neque commode fieri possit, ut unus idemque monachus in præfato monasterio a communi habitatione remotus resideat, & publicis ejusdem congregationis negotiis vacet. Nobis propterea dicti exponentes universæ congregationis hujusmodi nomine humiliter supplicari fecerunt, ut istam unionem revocare, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictæ congregationis utilitati & commodis, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsosque exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis &c. absolventes &c. prædictam unionem officii procuratoris generalis congregationis hujusmodi cum illo prioris dicti monasterii sancti Gregorii de Urbe apostolica auctoritate tenore præsentium revocamus & annullamus, adeout in futurum electus in priorem prædicti monasterii sancti Gregorii non possit uti procurator generalis reputari, neque e converso, officiaque hujusmodi ad eumdem statum, in quo, antequam prædictæ nostræ literæ emanarent, reperiebantur, remittimus, itaut separatim unum ab altero exerceatur, ac respective exerceri mandamus, sicque inviolabiliter observari &c. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die XXIII. octobris 1638. pontificatus nostri anno decimo-sexto.

M. A. Maraldus.

CXLIII.

Statuta Thaddæi Tertii Generalis Camaldulensis.

Anno 1639. XVIII. junii.

Ex eodem archivo.

NOi D. Taddeo da Pesaro Abbate Generale della Congregazione de' Monaci Camaldolesi, D. Gabriele da Venezia, e D. Alessandro da Milano Visitatori della medesima Congregazione.

Alli Nostri Diletti in Cristo Fratelli e Figlj Abbati, Monaci e Conversi della nostra Congregazione Salute ec.

Essendo debito dell' ufizio nostro proccurare con ogni potere ed industria, che nella nostra Congregazione si mantenghi la santa osservanza, e si levino gli abusi ad essa contrarj, tanto più che dall' Eminentissimo Signor Cardinale Campori nostro Protettore ci è stato incaricato con molta premura, pertanto in esecuzione delli Decreti e Costituzioni fatte più volte nelli nostri Capitoli, strettamente ordiniamo e comandiamo.

Primieramente, che da tutti gli Abbati, Monaci e Conversi si rinovino gl' Inventarj di tutte le robe e danari, che si ritrovano avere sotto qualsivoglia titolo, e che con ogni fedeltà li consegnino rispettivamente alli loro Superiori, cioè gli Abbati al Padre Generale, e li Monaci e Conversi alli loro Abbati, sotto pena d' incorrere nel vizio della proprietà, e nelle altre pene contenute nel decreto già fatto in questo proposito.

Che dentro il termine delli quindici Luglio tutti gli Abbati abbiano finito di far le Mutazioni de'loro Monaci, e dentro lo stesso termine i Monaci si riducano alle loro ubbidienze, e che poi sotto le pene contenute nelle nostre Costituzioni nissuno ardisca far più mutazioni.

Che gli Abbati de'Monasteri di Professione senza nostra espressa licenza non possano levar i giovani fuori del Noviziato o Professorio, e si mantengano i Professorj.

Che ne' luoghi, ove sono Monache, nissuno ardisca accostarsi ai loro Monasterj, eccetto che ne' tempi soliti di celebrar feste e ufizj, sotto le pene contenute ne'decreti fatti più volte circa questo particolare.

Che nissuno tanto Abbate, quanto Monaco

naco attenda a traffichi o mercanzie sotto pena della privazione degli uffizj e voce attiva e passiva ad arbitrio nostro, e perdita di danari o robbe.

Che tutti si tosino egualmente il capo e la barba, e portino la Chierica o tonsura, e che nel vestire si levino tutte le superfluità e vanità, sotto pena della perdita de'vestimenti, ed altre pene ad arbitrio nostro.

Che nelle Città, dove i Monasterj hanno in famiglia sei Monaci almeno, vadano tutti fuori di casa con le Cocolle, e accompagnati, eccetto il Camerlingo e spenditore, sotto le pene poste altre volte contro i trasgressori.

Che nei luoghi di osservanza non si dispensi il rigore di levarsi di notte al Matutino, sotto qualsivoglia pretesto, eccetto ne'giorni e tempi permessi e consueti, sotto le pene da imporsi a nostro arbitrio.

Che nei monasterj di osservanza, e in quelli, che sono soliti tenersi dodici Monaci di famiglia, si legga conforme l'uso la lezione de'Casi di Coscienza, ovvero la Sacra Scrittura, sotto le pene contenute nel decreto fatto circa questo particolare nel Capitolo dell'Avellana.

Che nei Monasterj di Monache, lor case e poderi non si vada ad alloggiare ne anco per passaggio, ne si dia loro spesa alcuna, ne anco indirettamente, sotto le medesime pene imposte a quelli, che fuori dei tempi permessi ardiranno accostarsi alle loro Chiese.

Che in tutti i Monasterj si eleggano dagli Abbati i Depositarj, nel modo, che comandano le costituzioni di papa Clemente VIII. sotto le pene da imporsi alli medesimi Abbati ad arbitrio nostro.

Che in tutti i Monasterj si legga la Regola del nostro Padre S. Benedetto alla mensa, ovvero le nostre costituzioni sopra di questa, o altre lezioni spirituali, sotto le pene da imporsi ai trasgressori ad arbitrio nostro.

Che niuno ardisca sotto pena della privazione di voce attiva e passiva da incorrersi ipso facto far stampare libri di sorte alcuna, senza licenza del Padre Generale in iscritto, osservando anco per ciò i decreti del Sagro Concilio di Trento sopra questo negozio.

Che niun Monaco vada da Monastero a Monastero nella medesima provincia senza licenza del suo Superiore, eccettuati però i Ministri de' Monasterj, e fuori della Provincia nissuno vada senza licenza del Padre Generale in scritto, sotto le pene ad arbitrio nostro.

Che li Padri Lettori degli Studj Pubblici, e li Predicatori dichiarati dal Capitolo perpetui Decani, dove si troveranno, tengano il luogo immediatamente sotto il Priore Claustrale, e fra di essi osservino l'ordine delle loro Professioni.

Che niun Prelato ponga le armi del Casato, ne il nome proprio sopra fabbriche da essi fatte, o da farsi, e dove si ritrovano poste tali arme o nome, le facciano i Padri Abbati levare quanto prima.

Che ciaschedun Abbate e Monaco sacerdote celebri ogni anno quaranta Messe per gli obblighi della nostra Chiesa di S. Gregorio di Roma per tutto il mese di Gennaro, e che gli Abbati de' Monasterj mandino la fede autentica, che siino state celebrate dette Messe dai loro Monaci al Padre Generale sotto le pene ad arbitrio nostro.

Che niun Prelato ardisca di far fabbrica di sorte alcuna, ne argentaria o paramenti di valore, se prima non avrà pagato le tasse del suo Monastero ed estinti i censi francabili, se il suo Monastero ne avrà, sotto pena della sospensione dal Governo secondo i decreti di PP. Clemente VIII.

Che niun Prelato ardisca di vestir Monaci o Conversi, se prima non saranno stati esaminati ed approvati dal Padre Generale e Padri Visitatori, sotto pena della privazione dell'Abito a chi sarà stato vestito, e alli prelati sotto le pene poste nelle Costituzioni e decreti de' Capitoli e Diete.

Che li Commessi, che si vestiranno di nuovo, non siano rimossi dalli Monasterj, dove saranno vestiti, per anni due, nel qual tempo abbiano da imparare li costumi della Congregazione, e la Dottrina Cristiana dal Maestro, che dovrà assegnar loro il Padre Abbate del Monastero, nel che s'incarica la coscienza di ciascun Prelato.

Che tutti gli Abbati Provinciali siano tenuti di mandar copie di questi nostri Decreti agli Abbati de' Monasterj, che sono nelle loro Provincie, e gli Abbati siano obbligati di pubblicarli ai loro Monaci, e procurarne la total osservanza di essi; altrimenti se al tempo delle Visite ritrovaremo, che siano trasgrediti, si procederà contro li transgressori con ogni rigore.

Dato in Faenza li XVII. Giugno 1639. nel nostro Monastero di S. Ippolito.

D. Taddeo Abbate Generale della Congregazione Camaldolese.

D. Gabrielle da Venezia Visitatore.
D. Alessandro da Milano Visitatore.

D. Sebastiano dal Massaccio Cancell.

CXLIV.

Fundatio eremi Montis-regij in Polonia.

Anno 1641. VI. octobris.

Ex archivo ejusdem eremi.

ULadislaus IV. Dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czerniechoviæque, necnon Suecorum, Gottorum, Vandalorumque hæreditarius rex. Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, universis & singulis harum in perpetuum notitiam habituris, Regale illud subsellium, de cujus æternitatis arcano Rex regum universa moderatur, ubi pio decessu serenissimi Sigismundi tertii parentis nostri desideratissimi viduatam regni hujus Aquilam dexteræ credidit nostræ, una quasi farragine [divinæ suæ munificentiæ, ita abunde exiles accumulavit vires nostras, ut quæcumque radicati hostes a multis annis regno nostro hostilia parturientes, inflatis vanæ spei conclamaverant triumphis, Herculea sua attrivit dextera, & quod jucundius, nos pacis alumnos, tumultuante licet universa christianitate, pacifice ad concreditæ patriæ gubernacula sanos & sospites hucusque conservavit. Huic igitur tam munifico numini ea, quæ pacis sunt, & debitæ gratitudinis nostræ cogitantes, non regum tantum antecessorum nostrorum pio exemplo, sed carissimæ Cæciliæ reginæ thori sceptrique nostri consortis divino desiderio annuentes statuimus, ut regali nostra munificentia, qua alumnos Dei in omnibus regni nostri partibus paterne prosequimur, illam nitidam columbam Uni Trinoque Deo dilectam sponsam a sancto Romualdo ordinis Camaldulensium patriarcha eremiticis circumseptam anfractibus, tandem e sylvestri erueremus nidulo, & in regali monte nostro ab occasu Varsaviæ & litori Vistulæ incumbunt, collocatam, tamquam totius perfectionis prototypon divorum hominumque proponeremus oculis. Tum pio desiderio nostro subscripsit divina Majestas, cum omnium ordinum regni nostri ita direxit suffragia, ut millesimo sexcentesimo quadragesimo primo unanimi comitiorum consensu, omnes votis nostris suffragantes, unanimiter subscripserint, vel ideo, ut illa perfectionis series psalmodiæ, mortificationum, jejuniorum, orationum, omnisque Spiritus-sancti accumulata decore, in sancta hac Camaldulensium eremo, nobis & dilectæ consorti Cæciliæ reginæ tum carissimæ, & unicæ proli nostræ Casimiro Sigismundo, regnoque universo nostro sanctis meritorum suffragiis, sancte possit suffragari. Quod unum suspiriis voventes nostris, sancti Romualdi Camaldulensium dictum ordinem Montis-argentini instituendum, fundandumque duximus, sicut his præsentibus comitiorum millesimo sexcentesimo quadragesimo-primo inhærentes constitutioni instituimus, fundamusque. Et ut prænominati eremitæ perfectius ea, quæ Dei sunt, solliciti vivant, omnibus & singulis, quorum interest, præsentibus significamus, quod eidem asceterio ordinis sancti Romualdi Camaldulensium in dicto monte-regali per nos instituto de munificentia nostra regia, qua surculos, qui non veterascunt, ab incarnato Verbo, & sponsa ejus Romana ecclesia comparare edocti sumus, locum eumdem regalis montis, vulgo antea Polkowa Gora dictum, perpetuis donamus temporibus. Idque juxta consignationem & erectionem scopulorum circa prædictum montem-regalem per revisores nostros ad id negotii specialibus nostris literis designatos in seorsivo instrumento faciendum & exprimendum, & actis castrensibus capitanealibus Varsaviensibus inserendum. Extra cujus commissariæ consignationis metas iisdem patribus Camaldulensibus in sylvis nostris circumcirca collem præfatum existentibus, fundisque ipsorum vicinis liberam pro foco & domestico usu incisionem largimur. Ad hæc pascua monti præfato regali adjacentia ad ripam fluvii Vistulæ protensa, una cum libera in eodem Vistula fluvio intra fines proprios piscatione. Præterea villam Polkovvo dictam, cum lateritiis ejus, omnibusque & singulis attinentiis, utilitatibus, fructibus, agris, pratis, pascuis, stagnis &c. ab antiquo ad dictam villam Polkowo pertinentibus, & nunc iterato per revisores nostros consignatis. Molendinum quoque, Ruda nuncupatum, cum pascuis & omnibus similibus attinentiis, pertinentiis antiquitus eo spectantibus. Insuper loca duo stagnis conficiendis apta, & piscinam inter viam Kielbasnam & viam Zakroczymensem juxta molendinum Pszenny Mlyn vocatum sitam præfatis religiosis patribus Camaldulensibus dandum, donandum & conferendum esse duximus; prout quidem præsentibus literis nostris, aucto-

auctoritate comitiali ad præmissa mediante, damus, donamus & conferimus perpetuo, irrevocabiliter, & in ævum. Eademque omnia bona & loca quibuscumque nominibus nuncupantur, antiquitus & nunc, prout ex commissione nostra limitibus suis comprehenduntur, ab oneribus tam publicis, quam privatis eximimus, & exempta omnibus prærogativis, libertationibus, immunitatibus, juribusque ecclesiasticis pro more aliorum monasteriorum donamus & approbamus. In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo regni communiri jussimus. Datum Varsaviæ die VI. mensis octobris anno a partu Virginis M.DC.XXXXI. regnorum vero nostrorum XV.

ULADISLAUS REX.

CXLV.

Urbani VIII. Breve de duobus Definitoribus pro qualibet Professione.

Anno 1642. XVI. maji.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe.

URbanus papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Pro prospero felicique statu & gubernio dilectorum filiorum monachorum Camaldulensis congreg. pro pastorali nostra sollicitudine consulere volentes de universali fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium pro negotiis Regularium præpositorum consilio, Motu proprio & ex certa scientia & matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ut in Capitulo generali dictæ Congregationis Dominica tertia post Pascha Resurrectionis D. N. J. C. proxime futura in sacra alma Urbe nostra, ut accepimus, celebrando, & deinceps in omnibus & singulis aliis Capitulis generalibus ejusdem Congregationis quandocumque in perpetuum ubivis celebrandis & eorum quolibet, duo Definitores pro quolibet loco Professionis dictæ Congregationis, itaut definitores Capituli generalis hujusmodi sint in totum duodecim, ac eamdem omnino facultatem & auctoritatem habeant, quam juxta constitutiones dictæ Congregationis Apostolica authoritate firmatas novem Definitores antea eligi soliti habebant, eligantur, tenore præsentium perpetuo statuimus, mandamus & ordinamus; decernentes irritum & inane secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, etiam conciliaribus & Congregationis, & ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum omnium tenore præsentium pro plene & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVI. maji M.DC.XLII. Pontificatus nostri anno XIX.

Loco ✠ Sigilli.

M. A. Maraldus.

CXLVI.

Electio Aloysii Capponii Cardinalis in protectorem Camaldulensem.

Anno 1643. XXVIII. aprilis.

Ex eodem archivo.

URbanus Papa VIII. Dilecto filio nostro Aloysio tituli S. Laurentii in Lucina presbytero Cardinali Capponio nuncupato.

Dilecte fili noster salutem & apostolicam benedictionem. Cum Congregationes Camaldulenses & eremitarum pariter Camaldulensium & Montis-coronæ per obitum bonæ memoriæ Petri tituli Sancti Thomæ in Parione presbyteri Cardinalis Camporei nuncupati, qui earumdem Congregationum apud Nos & Apostolicam Sedem Protectoris officio, dum viveret, fungebatur, Protectore destitutæ remanserint, Nos de tuæ circumpectionis, singulari prudentia, doctrina & Religionis zelo plurimum in Domino confisi, & sperantes, quod si Congregationes præfatæ sub protectione tua militaverint, illæ ob eximias virtutes tuas plurimum commodi & ornamenti suscepturæ sint, Motu proprio, certa scientia atque matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & non ad tuam vel alterius pro te Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, Te dictarum Congregationum, illarumque domorum, monasteriorum, personarum, rerum & jurium apud Nos & dictam Sedem Protectorem cum omni-

bus facultatibus, jurisdictionibus, honoribus & oneribus solitis & consuetis, & quibus ante te præfatarum Congregationum Protectores usi sunt ac uti potuerunt quomodolibet seu etiam debuerunt, ad tui vitam Apostolica auctoritate tenore præsentium facimus & deputamus. Volumus autem, & tibi in virtute sanctæ Obedientiæ mandamus, ut Superiorum earumdem Congregationum auctoritatem, quantum fieri poterit, conservare cures, & propterea cum ipsi Superiores eorum officii debito satisfecerint, ac gubernio & regimini subditorum sufficienter incubuerint, tunc in negotiis Religiosorum earumdem Congregationum te non immisceas; quando autem vel ab ipsis Superioribus requisitus fueris, ut in iisdem negotiis auctoritatem tuam interponas, vel necesse fore cognoveris, ut eamdem auctoritatem tuam in eisdem negotiis exerceas, tunc id libere facere possis, sed quoad potueris per teipsum hoc facere cures, adhibito ad scribendum, quatenus opus fuerit, in eisdem negotiis seu causis loco notarii, aliquo ex regularibus earumdem Congregationum. Mandantes propterea præfatis Superioribus & aliis Religiosis quibuscumque earumdem Congregationum in virtute sanctæ Obedientiæ, ut te in eorum Protectorem juxta tenorem præsentium recipientes, ea, qua debent, reverentia prosequantur; contrariis non obstantibus quibuscumque. Ceterum te in Domino hortamur, ut hujusmodi Protectoris munus ita obire studeas, ut apud Deum bonorum operum retributorem æternum præmium, ac a Nobis condignam laudem valeas promereri. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII. aprilis M. DC. XLIII. pontificatus nostri anno vigesimo.

M. A. Maraldus.

CXLVII.

Urbani VIII. Breve pro ære alieno Congregationis.

Anno 1643. XIV. novembris.

URbanus papa VIII. ad futuram rei memoriam. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Superiores Congregationis Camaldulensis, quod cum ipsa Congregatio multo ære alieno pro supportandis diversis oneribus Cameralibus & aliis gravaminibus publicis contracto obstricta reperiatur, & ab aliquot annis citra ob varia impedimenta ratæ pecuniarum tangentes monasteria Provinciæ Venetæ Congregationis hujusmodi exigi nequeant, propterea que Capsa publica ipsius Congregationis in Alma Urbe Nostra assignationibus multorum millium scutorum destituta remaneat, iidem Superiores, ut necessitatibus hujusmodi providerent, & monasteria ejusdem Congregationis aliarum Provinciarum, & præsertim Status nostri Ecclesiastici a periculis, quibus ea propter subjacent, illa liberarent, sub die vigesima quinta aprilis præsentis anni M. DC. XLIII. in civitate nostra Ravennatensi unam dietam habuerunt, in qua de consensu dilecti filii nostri Aloysii tituli sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis Capponii nuncupati dictæ Congregationis apud Nos & Sedem Apostolicam Protectoris, qui inibi præfuit, concorditer infrascripta decreta ediderunt: Videlicet; Mittantur Venetias D. Clemens ab Æsio Abbas & Procurator generalis, & domnus Theodorus Abbas S. Severi de Perusio ad exigendas a monasteriis & Abbatibus pecunias debitas, qui, si opus sit, non solum agant cum monachis, sed cum illustrissimis eorum Protectoribus, & etiam cum serenissimo Duce & Collegio, & ostendant hoc æs alienum a Congregatione fuisse contractum ob causas toti orbi Christiano utiles, nempe contra Turcas aut Hæreticos hujusmodi pecunias fuisse impensas, subdentes omnes illas rationes, quas in Dieta tetigimus. Si non succedat exactio, cum necesse sit creditoribus satisfacere, & monasteria trium Provinciarum Thusciæ, Romandiolæ & Marchiæ ita gravata sint, ut nulla ratione possint Venetorum onera subire; quod facerent, si possent: Idcirco decreverunt Patres Summo Pontifici supplicare, ut liceat ex tribus Provinciis tot monachos dimittere, quorum alimenta satis sint ad debita jam maturata solvenda, & ad redimendos Census, quibus hac occasione gravabitur Congregatio, & deinde illos in easdem Provincias revocare; & quia si in omnibus Monasteriis familia diminueretur, Dei cultus & Congregationis decus aliquod detrimentum pateretur, decreverunt in unaquaque Provincia unius monasterii vacationem usque ad extinctionem debitorum, in Marchia quidem monasterium S. Crucis Fontis-avellanæ, in Romandiola monasterium SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia, & in Thuscia monasterium S. Mariæ de Vertilio extra muros Montis sancti Sabini; Novitiatum vero, qui nunc in monasterio S. Crucis Fontis-avellanæ habetur, casu, quo supra, transferri decreverunt Fabrianum, ubi sanctissimi patriar-

triarchæ Romualdi ossa requiescunt, quo novitii Patrem suum quotidie pie assuescant venerari. Ad tempus tamen fiat hæc translatio, & monasterium S. Crucis Fontis-avellanæ jura non dimittat, & novitii, qui professionem in monasterio sancti Blasii emiserint, sint & habeantur in omnibus & per omnia pro Professis in monasterio Fontis-avellanæ. Subinde vero in executionem præmissorum, præfati Clemens Procurator generalis, necnon Theodorus Abbas hujusmodi Venetias sese contulerunt, & quamcumque diligentiam pro exigendis pecuniis hujusmodi, & superandis circa id difficultatibus adhibuerunt, non tamen id efficere potuerunt. Unde cum eadem Congregatio nihilominus majori rerum angustia & periculo prematur, nec alia faciliori minusque damnosa ratione præmissis providere valeant, quam cum eorumdem præinsertorum decretorum executione, Nobis propterea iidem Superiores humiliter supplicari fecerunt, ut illa confirmare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationum, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Decreta præinserta Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, mandantes propterea in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub arbitrii nostri pœnis omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut eadem decreta præinserta in usu habeant, exequantur & observent, & ab aliis observari, debitæque executioni demandari curent & faciant, ac decernentes præsentes literas validas firmas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos etiam Sacri Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis & ipsius Congregationis & Monasteriorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis quibusvis ejusdem Congregationis Superiobus, Monachis & personis, ipsisque monasteriis, sub quibuscumque verborum tenore & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis ac irritantibus, & aliis decretis in genere vel specie, ac alias quomodolibet concessis confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica expressa & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præmissorum specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIV. novembris M.DC.XLIII. pontificatus nostri anno vigesimo primo.

M. A. Maraldus.

CXLVII.

Urbani VIII. Breve pro æqualitate Provinciarum eremitarum in subeundis expensis.

Anno 1643. XXVII. novembris.

Ex archivo S. Michaelis.

URbanus papa VIII. ad futuram rei memoriam. Cum sicut dilectus filius procurator generalis congregationis eremitarum ordinis Camaldulensis nobis nuper exponi fecit, congregatio hujusmodi pluribus provinciis nationibus nuncupatis eremitarum prædictorum præcipue citra montes Ecclesiastica status nostri ecclesiastici, Etrusca, Veneta & Neapolitana nuncupatis constet, eremitæ vero hujusmodi dicti nostri status ecclesiastici sine comparatione plusquam ceteri graventur in expensis victus procuratoris generalis in alma Urbe nostra, necnon viaticorum Majoris & visitatorum generalium ipsius congregationis, quas ipsa provincia status ecclesiastici pro majori parte solvit; idcirco nos pro nostri pastoralis officii debito,

bito, & ut inter provincias prædictas pro sustinendo expensarum communium onere æqualitas servetur, felici ejusdem provinciæ ecclesiasticæ eremitarum hujusmodi statui, pacique totius congregationis eremitarum prædictorum providere, ipsumque procuratorem generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis *&c.* censuris *&c.* absolventes *&c.* supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; quod de cetero perpetuis futuris temporibus quælibet ex prædictis eremitarum hujusmodi provinciis, nationibus inter se nuncupatis, ut prædicitur, pro sua rata & portione in capitulo generali taxanda in expensis communibus, quæ fiunt tam in expeditionibus negotiorum & servitiis communibus dictæ congregationis, ac pro manutenendo illius in dicta Urbe nostra procuratore generali, quam pro viaticis Majoris & visitatorum generalium ipsius congregationis, dum illam visitant, concurrere & contribuere omnino debeat, apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus & ordinamus, & ad effectum præmissum eidem procuratori generali ecclesiæ sancti Leonardi in via Lungariæ de eadem Urbe ad ipsam congregationem spectantis, redditus autem Canonicæ Tudertinæ & monasterii loci Montis-fortini in provincia Marchiæ consistentes pro sola provincia seu natione dicti nostri status ecclesiastici in subventionem eremorum pauperum ejusdem nationis applicamus, & pro rata competenti juxta illarum eremorum indigentiam, & non aliis eremis per capitulum generale omnino assignari debere volumus & mandamus. Decernentes præsentes literas validas, firmas & efficaces existere *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die XXVII. novembris M.DC.XXXXIII. pontificatus nostri anno XXI.

M. A. Maraldus.

CXLIX.

Aliud consimile.

Anno 1644. XXVII. januarii.

Ex eodem archivo.

URbanus papa VIII. ad perpetuam rei memoriam. Ut æqualitas inter provincias eremitarum congregationis Camaldulensis servetur, & aliqua provinciarum hujusmodi plusquam altera ex translationibus eremitarum de una ad aliam non prægravetur, pro pastoralis officii nostri debito providere volentes, supplicationibus dilecti filii procuratoris generalis ejusdem congregationis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de nonnullorum Romanæ curiæ prælatorum a nobis desuper deputatorum consilio, ut eremitæ congregationis hujusmodi in illis capitulo generali de provincia seu natione ad aliam provinciam seu nationem dictæ congregationis transferri aliquo modo vel quavis ex causa non possint, nisi cum omnibus suffragiis duorum definitorum cujuslibet provinciæ, ita quod majoris partis definitorum hujusmodi consensus & suffragia ad hoc minime sufficiant, sed omnes octo definitores consentire & concurrere debeant, extra vero capitulum generale, videlicet infra annum, quod translatio eremitarum prædicta de consensu Majoris & omnium & singulorum visitatorum ejusdem congregationis & non aliter, alias nec alio modo ut supra fieri debeat, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus & ordinamus. Decernentes irritum & inane, si secus super his *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXVII. januarii M.DC.XXXXIV. pontificatus nostri anno XXI.

M. A. Maraldus.

CL.

Innocentii X. Breve, quo componit Commendatarium S. Catharinæ de Cremona cum congregatione Camaldulensi.

Anno 1645. IV. kal. februarii.

Ex apographo archivi S. Mariæ Angelorum Pisauri.

INnocentius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper apostolicæ servitutis officio, hisque, quæ inter personas ecclesiasticas quaslibet semotis controversiis & litium anfractibus, concordia terminata fuisse dicuntur, ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, sed ut perpetuo firma & illibata persistent, libenter, cum a nobis petitur, apostolici adjicimus muniminis firmitatem. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum magistri Marcelli Sanctacrucii in utraque signatura nostra referendarii, ac mo-

moderni abbatis generalis, seu monachorum congregationis Camaldulensis petitio continebat, quod alias postquam felicis recordationis Gregorius papa XIV. prædecessor noster præposituram sanctæ Catherinæ Cremonensis olim ordinis Humiliatorum per piæ memoriæ Pium papam V. etiam prædecessorem nostrum perpetuo suppressi & extincti certo tunc expresso modo vacantem apostolica auctoritate perpetuo suppressisset & extinxisset, illiusque sic suppressæ & extinctæ ecclesiam cum sacristia, campanili, campanis, structuris, paramentis & ornamentis, ac sacris & prophanis supellectibus suis universis congregationi Camaldulensi sub regula sancti Benedicti perpetuo concessisset & assignasset, ac prope dictam ecclesiam unum monasterium præfatæ congregationis sub invocatione sancti Romualdi pro perpetuis usu & habitatione unius abbatis & octo in presbyteratus ac duorum in sacris diaconatus & subdiaconatus ordinibus constitutorum monachorum, ac unius novitii, numerum insimul duodecim constituentium seu plurium juxta dicti monasterii commoditatem in eo ex aliis dictæ congregationis monasteriis & regularibus locis introducendorum, qui inibi sub regularis disciplinæ observantia juxta regularia eorum instituta perpetuum Altissimo præstarent famulatum, cum dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliisque officinis necessariis & opportunis, ac in ipsa ecclesia & ad altare ejusdem sanctæ Catharinæ in ea situm unum perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum pro uno clerico seu presbytero seculari futuro ibidem perpetuo beneficiato, qui in ecclesia & altari hujusmodi unam Missam singulis diebus per se vel alium seu alios celebrare, seu celebrari facere teneretur, dicta auctoritate perpetuo erexisset & instituisset, necnon super monasterii ac congregationis hujusmodi bonis immobilibus & stabilibus, ac fructibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis quibuscumque redditum annuum quingentorum ducatorum auri de camera eadem auctoritate perpetuo constituisset & imposuisset, illiusque sic erecti & instituti pro eorum respective dote & pro tempore existentium abbatis & monachorum monasterii ac possessoris beneficii hujusmodi congrua sustentatione monasterio, videlicet omnia & singula bona mobilia & immobilia, ac stabilia, fructus, redditus, proventus, jura, obventiones & emolumenta dictæ suppressæ præposituræ; ita quod liceret pro tempore existentibus abbati & monachis dicti monasterii, illorum realem & actualem possessionem libere apprehendere, & apprehensa perpetuo retinere, eaque percipere, exigere, levare, locare, dislocare, ac in suos communes dicti monasterii usus & utilitatem convertere, diœcesani loci vel cujusvis alterius licentia minime requisita; beneficio vero hujusmodi redditum annuum quingentorum ducatorum constitutum hujusmodi etiam perpetuo applicasset & assignasset, ac pro tempore existentem abbatem generalem ejusdem congregationis, exceptis illius monasteriorum & singularium locorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus & obventionibus universis & emolumentis ad integram solutionem & præstationem redditus præfati beneficium ipsum pro tempore obtinenti quotannis in actis tunc expressis terminis integre faciendam efficaciter obligatum fore decrevisset, prout in literis apostolicis desuper expeditis plenius continetur; Orta inter magistrum Marcellum Santacrucium in utraque signatura nostra referendarium, uti modernum dicti beneficii possessorem, ac abbatem generalem seu monachos dictæ congregationis dilectos filios controversia seu quæstionis materia super solutione seu præstatione redditus annui quingentorum ducatorum pro dote ipsius beneficii, ut præmittitur, assignati, ad quam abbas seu monachi præfati sub prætextu, quod redditus præposituræ suppressæ seu monasterii erecti hujusmodi a tempore, quo pestis in illis partibus grassata est, adeo diminuti sint, ut ad substentationem soliti monachorum & ministrorum numeri ac redditus præfati annuam præstationem dictum beneficium pro tempore obtinenti quotannis faciendam nequaquam sufficiant, minime teneri, seu præstationem eamdem juxta quantitatem præsentium reddituum monasterii, ut præmittitur, erecti proportionabiliter reduci debere prætendebant, præfatus vero Marcellus pro solutione & præstatione redditus præfati non modo præposituræ suppressæ seu monasterii erecti hujusmodi, sed totius Congregationis præfatæ bona ad præstationem redditus præfati obligata esse substinebat. Tandem considerantes partes ipsæ litium, quæ verisimiliter occasione præmissorum oriri poterant, eventus dubios existere, volentesque illis opportune obviare, sumptibusque & expensis parcere, communium forsan amicorum, & præsertim dilecti filii nostri Aloysii tituli sancti Laurentii in Lucina S. Rom. Ecclesiæ presbyteri Card. Capponii nuncupati dictæ Congregationis protectoris opere & interventu, ad infrascripta sub nostro & sedis apostolicæ beneplacito de-

devenerunt inter se ad concordem transactionem, videlicet quod præstatio annua quingentorum ducatorum hujusmodi ad quingenta Scuta monetæ Romanæ reduceretur, ab onere etiam celebrationis Missæ quotidianæ hujusmodi liberaretur; onus vero missæ quotidianæ dicto beneficio, ut præmittitur, incumbens congregatio seu illius monachi hujusmodi in se perpetuo ad exonerationem hujusmodi beneficii & illud pro tempore obtinentis suscipere deberent; ita quod de cetero perpetuis futuris temporibus pro tempore existens abbas generalis seu monachi Congregationis hujusmodi non amplius ad quingentorum ducatorum auri de Camera, sed ad quingentorum Scutorum monetæ hujusmodi duntaxat præstationem annuam pro tempore existenti possessori beneficii præfati faciendam teneantur, & pro solutione dictæ annuæ præstationis quingentorum scutorum hujusmodi non solum præposituræ suppressæ, seu monasterii, ut præmittitur erecti, sed sint omnia & singula dictæ Congregationis & illius Monasteriorum & regularium locorum quorumcumque fructus, proventus, bona, jura & æmolumenta quæcumque in quibusvis rebus consistentia & undecumque provenientia, & ubivis locorum sita præsentia & futura spetialiter & expresse ac principaliter obligata & hypothecata sint & esse censeantur, & in eventum morositatis seu non solutionis redditus hujusmodi ad id præfixis terminis contra illa omnibus juris & facti remediis opportunis executive procedi possint, & facta semel aut pluries executione contra unum ex monasteriis seu aliis regularibus locis hujusmodi contra illud seu alia, toties quoties opus fuerit, executio valide fieri possit, ac intuitu reductionis præfatæ præfatus Marcellus & ejus successores beneficium præfatum pro tempore quomodolibet obtinentes ab onere celebrationis Missæ quotidianæ huiusmodi omnino liberi ac exempti sint, dictæque Congregationis monachi ad onus celebrationis ejusdem perpetuo teneantur & obligati existant, & alias prout in concordia hujusmodi verbo vel scriptis inita plenius continetur. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, concordia hujusmodi pro bono pacis & quietis, quæ personas ecclesiasticas, & præsertim regulares decet, ac etiam pro dictæ congregationis indemnitate & sublevatione facta esse dignoscatur, quare pro parte Marcelli, & Abbatis generalis seu monachorum præfatorum nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus concordiam eamdem approbare & confirmare, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem & concordiam inter Christi-fideles quoslibet vigere & conservari sinceris desideramus affectibus, Marcellum & abbatem generalem, & monachos præfatos eorumque singulares personas a quibusvis excomunicationis, suspensionis & interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum dumtaxat præsentium consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac dictarum literarum tenores etiam veriores, ac datas præsentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati concordiam hujusmodi, & prout illam concernunt, desuper forsan confectas scripturas, & in eis contenta, quæcumque licita tamen & honesta, ad partium supplicationem apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus, & confirmamus, eisque præcipuæ & inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris quam facti & solemnitatum illiusque quamtumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, auctoritate & tenore præfatis supplemus, decernentes concordiam hujusmodi semper &, perpetuo validam & efficacem esse & fore, & a Marcello ac Abbate Generali & monachis præfatis omnibusque aliis ad quos nunc spectat & pro tempore spectabit, perpetuo & inviolabiliter observari, & adimplere debere, nec ab ea sub quovis prætextu resiliri vel recedi posse, sicque & non aliter per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos & vicelegatos judicari & definiri debere, ac irritum & inane quidquid secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis *&c.* Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus *&c.* Nulli ergo hominum *&c.* Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto quarto Kalendas februarii pontificatus nostri anno secundo.

D. A. Mutus.
L. Holstenius.

Henricus Godefridi.
D. Odam.

LI.

C LI.

Fundatio eremi S. Mariæ de la Flotte.

Anno 1648. XVIII. januarii.

Ex monumentis ejusdem eremi.

Ermitage de Notre Dame de la flotte Occupé par les Religieux Ermites Camaldules introduits en 1648.

La Benediction de l'eglise de l'ermitage de la flotte.

,, LE 17e. Jour du mois de maï fut par mandement de Monsigneur Lévêque du Mans la Chapelle des Ermites de la flotte Benite par nous en l'honneur de Notre Dame des Aides (Lat. B. Maria de Auxiliis) presens plusieurs Curés & autres Ecclesiastiques, & Ce le Dimanche des Rogations, mil six cent-vingt six. Signé, A, HUAU.) "

Na. avant Notre introduction en l'ermitage de la flotte il etoit occupé par un ou deux pretres Ermites qui y disoient la messe & Cette fondation etoit & Continue dêtre d'une grande utilité aux habitans de la paroise de Couture qui sont souvent inondés par le débordement de la petite riviere du loire (lidericus) & empechés daller à la Messe paroissialle. ils accourent alors en foule dans l'église de Notre ermitage qui est scitué sur le Coteau. Et la necessité nous à Contraint d'ouvrir des le Commencement les portes de l'église indistinctement aux hommes & aux femmes.

Contrat de fondation au Profit des Religieux Camaldules qu'on introduit en l'ermitage de Notre Dame de la flotte.

Par devant les nottaires & garde nottes Du Roy Notre Sire en son Chatelet de Paris Soussignés fut presente en sa personne, haute & Puissante Dame Catherine le Vayer Dame Datour de la Reine Regente mere du Roy, veuve De feu Messire René du Bellai, vivant Chevalier des ordres du Roy Baron & Seigneur de la flotte & autres places, lieutenant pour le Roy au gouvernement du Mans, etant de present en Cette Ville de Paris logé au Palais Royal, laquelle voulant donner un temoignage public de la Reconnoissance, quélle a Des grands bienfaits Continuels dont il plait à Dieu la favoriser, & ne point laisser périr & anéantir le Batiment & fondation que la pieté du dit Seigneur De la flotte son très Cher & honoré epoux avoit fait d'une Chapelle, Ermitage & Cloture, icelui au bout de la Maitresse & plus basse alleé des bois De la maison de la terre de la flotte scituée an pays du maine Diocese du mans paroisse de lavenay, étant bien informeé de la Sainteté de la regle de St. Romuald par lui Commenceé a la Toscane en italie au lieu appellé Camaldoly, & de la pureté & integrité, & exacte observance qu'en ont fait & font les Religieux qui la Professent, lesquels par la Bénédiction de Dieu se sont étendus dans tous les Royaumes de la Chrétienté. Les a Choisis de son propre mouvement & volonté speciale pour Occuper posséder & sétablir dans le dit Ermitage De la flotte ses appartenances & dépendances, & y tenir presentement Jusqu'au nombre de trois Religieux pour y servir Dieu suivant le Regles & observances de leur ordre, peuseé & intentions du dit Deffunt Seigneur Baron de la flotte & de la ditte Dame, Sans que la dit Nombre puisse etre augmenté si non qu'il y eut du revenu suffisant pour nourrir Et entretenir plus grand Nombre quéles dits trois Religieux ou autre plus grand Nombre quand il y échera. Au terme que dit est Demeurent en la Possession du dit Ermitage qui Consiste en une chapelle, Cour Batiment & Jardin. En dépendant, le tout Clos & fermé sans aucun troublet ny empechemens à la Charge toute fois qu'ils ne pourrout farie aucunes acquisitio ns dans le Domaine dépendant de la ditte Dame de la flotte sans son Consentement ou Cet lui de ses heritiers, & parceque la ditte Dame Sçait que la profession que les dits Religieux font de la vie solitarie & érémitique ne leur permet pas Comme a Plusieurs autres Religieux de sortir de leur retraitte pour aller Recevoir les Charités des personnes pieuses & devotes, elle leur a pour les fonder, aider & assister en leur Etablissement de son bon gré, Donné, Cedé & transporté, Donne Cede & transporte par les presentes, le acceptant par les Rds Peres Dom Michel Gory Superieur des dits Religieux de Camaldoly enfrance & Dom paul de Solmes Religieux profés du dit Ordre, le acceptant au Nom du dit Ordre de St. Romuald, Deux cent cinquant livres de Rente annuelle, à prendre sur le Revence de la ferme ou métaire du lieu de Massily lat. Bolgentiacum & franchise. Scitueé en la parroisse de Josnes pres Beaugency, ainsi quelle se pour-

poursuit & Comporté quélle a par exprès effecté & hipothequé par les presentes pour toujour & à l'avenir au payement des dittes deux cent cinquantes livres de Rente annuelle & perpetuelle qu'elle veut être payeé aux dits Religieux sur la ditte ferme ; tant par le fermier qui en jouit Presentement que par leux qui y seront établis à l'avenirr soit par Bail ou autrement sans que la ditte ferme puisse etre reduite a autre pagement en quelque façon que le soit pour la Concurrence de la ditte somme de deux cent cinquante livres Ceddeés, Moyennant quoi le Contrat ly devant fait & pasfé entre la ditte Dame & ler dits Religieux le septieme mai mil six cent quarante Sept. Pardevant morel & Bernefort Nottarius au dit Chatelet de Paris, Demeurera nul sans effet & resolu, & la rente Donneé par la ditte Dame dans le dit Contrat retourze en la Disposition & Celle de ses héritiers, la ditte fondation toutesois faite par la ditte Dame à la Charge & Condition que les dits Religieux de Camaldoly residans au dit Ermitage de la flotte sesont obligè de Celebrer tous les Jours a perpétuité une messe à la Chapelle du dit Ermitage pour le salut des ames du dit Seigneur Baron de la flotté, de la ditte Dame & de leurs enfans & héritiers Seigeus de la ditte terre. Laquelle Rente toutefois en Cas que les dits Religieux venant ly apries à la que Dieu ne veuille a quitter & abandonner le dit Ermitage reviendra à la ditte Dame ou ses héritiers Seigneur de la ditte terre de la flotte ou leurs Successeurs, pour par lux en disposer ou la remettre à tels autres Religieux ou pretres séculiers que bon leur semblera. En outre s'est Reservé la ditte Dame à elle & a ses heritiers Seigneurs De la ditte terre de la flotte & à leurs successeurs tous les honneurs, privileges & prérogatives dont les fondateurs & Bienfaiteurs des ordres Religieux ont accoutumés de de Jouir même de Mettre & farie Mettre leurs armes en la ditte Chapelle & Ermitage, & autres avantages & prérogatives en la même sorte & aisi qu'il a été accordé a Monf. le Duc D'angoulesme au Contrat passé entre le dit Seigneur & les Religieux de Camaldoly pour la fondation qu'il leur a faite à gros-bois. Car ainsi le tout a été Dit, Convenu & accordé en faisant & passant les presentes Promettant, Sobligeant Chacun en droit soy les dits Rds. peres au dit nom &c. Fait & pasfé au Palais Royal en la Chambre de la ditte Dame de la flotte lan 1648. le 18. Jour de Janvier aprè midi. Et ont Signé &c.

Le Vasseur, & Morel.

Nottaries. Avec paraphe.

Par acte pasfé par le vasseur & moul le Dixtruit Janvier 1642. Monsieur Dhautefort ratifie le Contrat de fondation pasfé pardevant les dits Vasseur & Morel Nottarius en 1648. par Madame le Vager Veuve De Monsieur Réné D'hautefort son ayeule au profit des Religieux Camaldules, & leur Donne a perpetuité huit Charretés ou Voitures de Bois-Chaque anneé Pour leur Echauffage.

Position & Description de Notre Ermitage de Notre Dame de la flotte.

Cet Ermitage a été fondé par les Seigneur & Dame de la flotte ; avantque nous y ayons été appelles, un ou deux Ermites prêtres y avoient fixé leur demeure. Cet Ermitage est presque Contigu au Chateau de la flotte qui n'est plus a present qu'une ferme ou grande metairie toujours appartenante aux Seigneur & Dame de l'endroit de la même famille de nos fondateurs.

Nous Sommes Scitués à Mi Côte éleveé dans la plus belle vue & position du Mond sur la rive de la riviere du loir à six lieues ouest de Vendôme, à Neuf lieues sud est du Mans, à 4. Lieues Nord est du Chateau du loir, & à 10. lieues sud ouest de paris.

Le Coteau sur le quel nostre Ermitage est assis domine une vaste plaine dans la quelle serpente agréablement la peitite Riviere du loir, laquelle après plusieurs Contours & Circuits vient baigner le Bas de Notre Colline. Cette rue est un des plus beaux spectables & des plus Charmantes perspectives que la Nature ait produit. une autre Colline opposeé à la Notre fait un demi Cercle presque à perte de vue dans le pais, & tout Ce la forme un Coup d'oeil si gracieux qu'on ne se lasse point d'admirer & de Considerer un des plus beaux paisages qui soient en france.

Si nous avons dequoi repaitre & promener Nos yeux, en revange notre enclos ne Contient pas grande étendue de terrain Car C'est le plus petit de Nos Ermitages. il est vrai que depuis Notre établissement dans le lieu Nous avons fait acquisition de plusieurs pieces de terre qui sont en Vigne, & qui Bordent l'ermita-

mitage par en Bas. Le Vin y est Excellent & dans Certaines anneés il vaut le Meilleur Vin d'espagne, C'est aussi un des Revenus de Cette Maison qui n'est pas riche.

Plusieurs de Nos Religieux se sont Santifiés dans Cette maison & y ont donné le plus grands Exemples de Vertu, Entre autres D. Bruno Rousseau; Pacôme Gillotin, Maur Bocault &c. dont nous aurons, sil plait a dieu occasion de parler lorsque nous nous Etenderons sur Ceux qui se sont distingués par une grande ferveur & pieté desquels la Memorie est encore toute Récente.

CLII.

Innocentius X. approbat congregationem eremitarum Gallicanorum.

Anno 1650. XXVI. januarii.

Ex exemplo eremi Gros-bois.

INnocentius Papa X. ad futuram rei memoriam. Exponi nobis super fecerunt dilecti filii Major & eremitæ Camaldulenses congregationis Galliæ, quod alias & de anno 1625. Eremitæ Camaldulenses congregationis Taurinensis ad habitum per secundo dictæ congregationis eremitas gestari solitum, receperunt dilectum filium Bonifacium de Antonio presbyterum diœcesis Lugdunensis, cui subinde etiam facultatem concesserunt, nova monasteria instituti hujusmodi eremitici in regno Franciæ erigendi, prout idem Bonifacius B. Mariæ Virginis Gratiarum nuncupatum Viennensis diœcesis in Delphinatu, necnon & aliud B. Mariæ Consolationis & reliquum Vallis-Jesu, respective etiam denominata monasteria ejusmodi in diœcesi Lugdunensi erexit; quibus in monasteriis ad habitum prædictum & professionem per eosdem eremitas emitti consuetam sexdecim aut septemdecim novitios Gallos recepit. Verum quia præmissa absque ulla apostolica licentia gesta fuerunt, subinde per quasdam in simili forma Brevis litteras a fel. record. Urbano Papa VIII. prædecessore nostro sub die Aprilis decima nona 1635. emanatas, omnia & singula, quæ idem Bonifacius in præmissis gesserat, approbari, convalidarique cum omnium & singulorum tam juris, quam facti defectuum suppletione obtentum, impetratumque fuit. Cum autum sicut eadem expositio subjungebat, ex quo nusquam idem Bonifacius sollemnem professionem hujusmodi emisit, & hoc specifice in iisdem Urbani prædecessoris litteris expressum minime fuit, orta sit occasio de validitate, nedum erectionis dictorum trium monasteriorum, sed etiam professionum per eosdem sexdecim aut septemdecim Gallos & alios superiores in manibus ejusdem Bonifacii, ut præfertur non professi, emissarum dubitandi: Nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut easdem professiones convalidare & alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis ezcommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præpositorum consilio, præmissis sufficienter provisum per prædictas Urbani prædecessoris litteras, apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus; & nihilominus ad sedandas eorumdem exponentium conscientias, & ad majorem cautelam nullitates quascumque (quatenus in præmissis adsint) sanamus, & præfatos defectus expresse supplemus, salva tamen semper in eisdem præmissis eorumdem Cardinalium auctoritate. Decernentes præsentes literas validas, firmas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere: sicque & non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios & delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si quid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus &c. ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVI. Januarii anno Domini M. DC. L. pontificatus nostri anno VI.

M. A. Maraldus.

CLIII.

Fides Parochi de incorrupto corpore Octaviani Battaleæ monachi Camaldul.

Anno 1651. xiv. maji.

Ex tabulario S. Michaelis.

FAccio fede io Curato Infrascritto della Chiesa Parochiale di S. Vito al Carubio in Porta Ticinese di Milano, come dell'anno 1624. in circa quando si fabricò da fondamenti la sudetta Chiesa, si scoperse un sepolcro nella medema, ove si trovò trà altri cadaveri defonti il corpo del q. P. D. Ottaviano dell'Ordine di Camaldoli, come mi hanno accertatamente affermato diverse persone delle più veterane di mia cura degne di fede, le quali hanno detto d'haver visto il corpo del detto P. D. Ottaviano ancora incorrotto, con gli capelli, peli di barba, e vestimenti così candidi, come se fosse stato di recente collocato nel sepolcro, benche fossero dal tempo della sua morte, e sepoltura fin a quel tempo trascorsi molti anni: & havermi insieme significato, che il detto Padre mentre viveva, attendeva ad essercitij d'oratione, e mortificatione, mangiava, e beveva parcamente, dormiva sopra le nude tavole, era grande amatore del silentio, e ritiratezza, zelante dell'honor di Dio, e del bene del prossimo, e finalmente di molte altre virtù, e qualità religiose dotato. In quorum fidem &c.

Presbyter Carolus Franciscus Perugus S. Viti ad Carubium P. Tic. Mediolani &c.

CLIV.

Silvani Boselli eremitæ Camald. epistola ad Principem Venetiarum.

Anno 1653. x, decembris.

Ex eremi Rhuensis archivo.

SERENISSIMO PRENCIPE.

L'Impiego del Generalato della mia Religione appoggiato alle mie debolezze m'obliga di quando in quando à percorrere Imperij, Regni, e Stati de Potentati, e Prencipi. Le settimane decorse con occasione di visitare gl' Eremi Ducali del Piemonte hebbi apertura grande, e più volte congressi con Madama Reggente, col Serenissimo figlio Duca di Savoja, con tutti i Principi del Sangue, col Primario Ministro di quell'Altezze, il Sig. marchese di Pianezza Generale dell'Armi, & altri Consiglieri d'Alto Grido, da quali tutti con ricordevoli cortesie son stato honorato à segno, ch'anco le medeme Altezze mi fecero vedere, & adorare (gratia che si fa a pochi) la Sindone sacrosanta. In queste audienze. e reciprochi abboccamenti mi motivorno questi Principi, & in fine chiaramente s'espressero, che molto aggradirebbero, quando io rammemorassi à V. Serenità la loro ottima disposítione per l'antica, ed inalterabile Devotione, che come figlioli di S. Marco (anzi si pregiano d'esserne i Primogeniti) custodiscono incancellabile in tutti i Secoli. Soggiungendo che siccome essi sono affettuosamente partecipi dei presentanei travagli di V. Serenità, così saranno sempre pronti à porgere mano adjutrice al sollievo di quelli; asserendo in oltre mai essersi raffredato ne' loro petti l'antico affetto verso così grande Repubblica, nè mai scemata, nè sminuita punto la professata reciproca benevolenza; che se pure per qualche corso d'anni un certo quieto silentio non ha lasciato apertamente esprimere il loro concetto, la somministratione però de Remiganti, & altre demonstrationi espresse nell'occasioni rappresentatesi resero, e rendono vivo attestato, & alla giornata di bene in meglio lo danno à conoscere che continuata, e imperturbabile persevera in quell'Altezze la loro naturale Propensione verso il Publico, e però estimarsi da tutti loro beneficio anco universale della Cristianità l'unione degl'animi in sostanza mai divisi, e che la medema Christianità se ne rallegrarebbe, quando rivedesse concordi, e riunite nella prima bona antica corrispondenza queste due potenze.

Quando quel poco torbido habbi causato qualche alienatione di corrispondenza, che non ostante li loro ragionevoli fondamenti noti à V. Serenità, li quali possono sostentare la loro causa; con tranquillità d'animo nondimeno inclinano ad incontrare quelle convenevoli espressioni, che fossero insinuate, pure che salva sia la riputatione delle loro Altezze, alla quale li Principi mai renuntiano. Discesero poscia meco à molte particolarità in voce, & in scritto, le quali quando V. S. restasse servita di comandare, & abbracciare l'humilissima Interposizione (com' altre volte V. Serenità aggradi benignamente

mente le mie fedelissime servitù con l' Imperatori Ferdinandi Secondo, e Terzo) rappresentarò à piedi della publica Sapienza, e insieme la bona disposizione & Indole di questi Prencipi per riunire gl'animi nell'antica esemplarità, e buona amicitia.

Motivai all'Illustrissimi Longhi miei Signori, e Nipoti, & all' Eccellentiss. Sig. Procuratore da Pesaro il mio ritorno da Turino, e se con questo Senatore, col Publico, o con altri V. Serenità comanderà ch'io tratti, e corrispondi sopra l' affare acennato, obedirò come deve fedelissimo Cittadino pontualmente, e se V. Ser. giudicherà beneficio della Patria, che si maneggi l' aggiustamento, mi s'esprimino le condizioni volute dalla Sapienza Publica, & io esponerò quanto ho in mano, e tengo in petto con l' Instruzioni di quell' Altezze in dare questo alla Ser. V. (ritorno a dire) salva la loro reputazione.

Conosco benissimo, che queste espressioni doverebbono da me non in carta, ma à piedi di V. Ser. rappresentarsi; sicome però la carica, che tengo di Generale m'astringe, o à girare il Mondo, o à risedere quì nella Sacra, e Grand'Eremo di Camaldoli in Toscana capo di tutta la Religione (dove pure attenderò li supremi comandi di V. Ser.) così compatendomi, humilmente supplico la Ser. V. dispensarmi (almeno per hora) da questa corporale funtione, che forsi in altri tempi, e in restringimento, e conclusione felice del maneggio mi sforzerei presentialmente esibire. Dio N. S. assista alle Sapientissime deliberationi di V. Ser., e dell'Eccelso Senato, per tutto il Mondo predicato glorioso, e renda fruttuosi alla Patria li miei sempre divotissimi ossequij

Dal Sacr' Eremo di Camaldoli in Toscana 10. Dec. 1653.

Dalla Serenità Vostra

Fedeliss., *&* *obl. serv.*, *e Vassallo*
D. Silvano Bosello di Venezia Eremita
Camaldolese di Rua, & Generale.

CLV.

XII. Definitores etiam in Dietis.

Anno 1654. xxvi. martii.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

Foris: Al Molto Rev. Padre Generale della congregatione Camaldolese.

Intus: Molto Rev. Padre. Essendosi da Monsignor mio Eminentissimo Cardinale Corrado riferito in Sac. Congregatione l' istanza fatta per parte di cotesta Religione, perchè nelle diete sia prescritto il numero di dodici Definitori, che dal Breve della san. mem. di Urbano VIII. fu stabilito per li Capitoli Generali. Questi Signori miei Eminentissimi giudicando, che militi la stessa ragione così negli uni come nelle altre, hanno risoluto, che anco nelle Diete si osservi la disposizione del Breve suddetto, e che a tal' effetto nei Capitoli si possa eleggere nel duodecimo luogo per le Diete un Prelato di quella Professione, alla quale in esso Capitolo non saranno toccati due dei consueti Definitori; & io lo significo a V. P. acciocchè in tale conformità faccia eseguire; & alle sue orationi mi raccomando. Roma 26. Marzo 1654.

Al piacere di V. P.
Il Cardinal Ginetti.

L'Arcivescovo di Patrasso Segret.

CLVI.

Decreta S. C. super Statu Regularium pro recipiendis novitiis in Congregatione Camaldulensi Italiæ de mandato Alexandri pp. VII.

Anno 1655. xii. maji.

Ex impresso.

AD propagandam in congregatione Camaldulensi regularem observantiam, quæ novitiorum institutioni & educationi præcipue innititur, sacra congregatio deputata super statu Regularium de mandato sanctissimi domini nostri Alexandri papæ VII. in singulis Italiæ provinciis ejusdem congregationis præsentis decreti vigore infrascripta monasteria pro novitiatibus & professoriis designat & deputat, videlicet in provincia Romana seu statu ecclesiastico pro novitiatibus & professoriis monasterium Classis in civitate Ravennæ, & monasterium sanctæ Crucis Avellanæ Eugubinæ diœcesis; in provincia Etruriæ pro novitiatu & professorio monasterium Angelorum in civitate Florentiæ; in provincia Veneta pro novitiatibus & professoriis monasteria sancti Michaelis de Murano Torcellanensis diœcesis, sancti Mathia de Murano ejusdem diœcesis, & sanctæ Mariæ de Carceribus

in

in diœcesi Paduana. In quolibet autem ex prænominatis monasteriis pro novitiatu, ut præfertur, designatis eadem sacra congregatio impertitur licentiam hac vice tantum recipiendi sex clericos seu choristas, ita tamen ut hæc, quæ sequuntur, inviolate observentur, videlicet. Primum indicatur, & in singulis dictarum provinciarum monasteriis publicetur futurum examen seu scrutinium eorum, qui ad habitum probationis recipi postulaverint, omnesque ab abbate & senioribus monasterii novitiatus examinentur & approbentur, prævia diligenti inquisitione, quotquot idonei reperti fuerint, natalibus, ætate, vita & moribus anteactis, literatura, corporis habitudine, impulsu spiritus, aliisque requisitis, ad præscriptum apostolicarum constitutionum ac statutorum ipsius congregationis Camaldulensis, non idonei vero rejiciantur, nec aliquis approbetur, qui quintum-decimum ætatis suæ annum non expleverit. Sic autem approbati recipiantur in monasterio, ut hospites, & in domo hospitum sub cura alicujus senioris ad tres vel quatuor dies teneantur, quo sane dierum interstitio facile ex sermonibus eorum, ac moribus & actionibus conjecturari poterit, quales futuri sint in habitu religioso, & an bono spiritu ducantur, necne. Quod si in dicto tempore bonam de se expectationem excitaverint, tum prælatus de consilio seniorum tradat eos magistro novitiorum, & per mensem adhuc in tirocinio & habitu laicali probentur comedentes in mensa communi cum aliis, & chorum frequentantes. Transacto denique mense, in quo proponatur eis regula, ut eam bene legant & diligenter considerent, si ejusdem fuerint animi ac voluntatis, & seniores eamdem de ipsis spem retinuerint, proponantur a prælato in communi capitulo, & si a majori parte per vota secreta recepti fuerint, sanctæ religionis habitu induantur, & illico sub cura diligentis magistri a prælato tradantur, qui non minus exemplo, quam verbo & doctrina aptus sit in via Dei & institutis religionis eos ædificare. Expleto autem probationis anno in communi capitulo coram patribus a prælato recipiendi ad professionem proponantur, & ipsorum patrum votis, ac suffragiis disquisitis, si a majori parte vocalium habiles inventi fuerint, ad professionem admittantur, sub exacta tamen vita communi, ad præscriptum regulæ & constitutionum ipsius congregationis Camaldulensis, quavis laxiori consuetudine seu potius corruptela in contrarium non obstante, servataque forma sacrorum canonum, concilii Tridentini, & constitutionum apostolicarum, ac præcipue decretorum sanctæ memoriæ Clementis papæ VIII. necnon constitutionum prædictæ Congregationis Camaldulensis. Quod si aliquem ex dictis novitiis ante professionem a religione discedere aut expelli contigerit, alius in ejus locum subrogari possit, dummodo tamen in omnibus servetur forma superius præscripta. Sed & aliud omnino cavendum erit, ne a volentibus ingredi religionem, pro ipso ingressu, nec post susceptum habitum probationis pro admissione ad professionem, vel alio quocumque prætextu, excepto victu & vestitu novitii illius temporis, quo in probatione est, ab ipso vel ejus parentibus aut propinquis vel curatoribus aliquid accipiatur, sub pœnis per sacros canones & Tridentinum concilium statutis. Qui vero, ut supra, professionem fecerint, adhuc remaneant in ipso monasterio novitiatus, ut supra, pro professorio pariter deputato, ibique permaneant, quousque ad ætatem sacris ordinibus suscipiendis sufficientem pervenerint, vel saltem per triennium post professionem; quo etiam tempore poterunt, immo & debebunt literarum studiis operam navare sub directione & regimine magistri, qui eas qualitates habeat, quibus novitiorum magistrum præditum esse oportet, quemadmodum ipsius Clementis decreto & constitutionibus dictæ congregationis Camaldulensis provide sancitum est. Porro in supradictis monasteriis nec superior, nec novitiorum magister, nec familia religiosorum constituatur vel amoveatur, nisi ab ipsomet abbate generale & visitatoribus, neque in eis collocentur, nisi religiosi graves, devoti, exemplares, & regularis observantiæ ac puritatis regulæ studiosi; nec ibi ponatur aliquis, qui non consentiat servare vitam communem, quæ in prædictis monasteriis ad regulæ & ipsius congregationis Camaldulensis constitutionum præscriptum exacte observetur, indeque amoveantur, qui tam sanctæ ordinationi contradicere, aut quoquomodo se opponere ausi fuerint. Ad extremum postquam novitii in professorum numerum cooptati fuerint, Superiores regulares, ad quos pertinet, illico sacram congregationem edoceant, supradicta omnia & singula fuisse ad unguem adimpleta, & executioni mandata, alioquin pœnas in memoratis decretis Clementis VIII. felicis recordationis statutas se subituros, ac novas licentias recipiendi novitios nequaquam fore impetraturos certo sciant. Non obstantibus &c. Datum Romæ die XII. maji M.DC.LV.

B.Card. Spada. P.Fagnanus S.Cong.Sec.

CLVII.

CLVII.

Breve Alexandri VII. contra Commendatarios se ingerentes in disciplina monastica.

Anno 1657. xx. martii.

Ex impresso.

ALexander papa VII. ad perpetuam rei memoriam. Sacrosancti apostolatus officium humilitati nostræ per abundantiam divinæ bonitatis commissum exposcit, ut religiosorum virorum sub suavi r ligionis jugo Altissimi obsequiis mancipatorum paternam curam gerentes illos a gravaminibus indebitis tueamur, ac eorum commodis & felici directioni, quantum nobis ex alto conceditur, provideamus. Cum itaque, sicut dilectus filius Odoardus Baranardus congregationis Camaldulensis ordinis sancti Benedicti procurator generalis nomine totius congregationis hujusmodi nobis nuper exponi fecit, licet sacri concilii Tridentini decretis cautum reperiatur, ut priores claustrales, aut in prioratibus conventum habentibus subpriores, qui correctiones & spirituale regimen exercent, a capitulis generalibus vel ipsorum ordinum visitatoribus instituantur, nonnulli nihilominus commendatarii quædam monasteria congregationis prædictæ in commendam obtinentes, forsan in vim literarum apostolicarum super eorumdem monasteriorum commendis expeditarum, in quibus ipsorum cura, regimen & administratio tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenarie committitur, jus instituendi ac destituendi priores & officiales claustrales, necnon visitandi, corrigendi, statuendi, ordinandi & exercendi ea, quæ institutum regulare concernunt, ad se spectare, electionibus & depositionibus priorum & subpriorum aliorumque officialium, ac etiam visitationibus & monachorum correctionibus sese ingerere, quinimo superiores dictæ congregationis monasteria prædicta visitare & reformare juxta ejusdem congregationis regularia instituta cupientes repellere & impedire prætendant, & præsumant, non sine gravissimo ipsius congregationis ejusque monasteriorum ac superiorum & monachorum præjudicio, & observantiæ regularis detrimento. Hinc est, quod nos inconvenientibus hujusmodi remedium adferre, dictumque Odoardum procuratorem generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. sententiis &c. absolventes &c. supplicationibus ejus &c. inclinati, necnon concilii prædicti decretis & resolutionibus congregationis ven. fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præpositæ in similibus casibus ante hac emanatis inhærentes, commendatariis prædictis non licere priores, subpriores aut officiales claustrales instituere ac destituere, visitare monachos, eosdemque corrigere, nec facultates ipsis commendatariis in literis apostolicis concessas & expressas, prout supra, ad ea, quæ institutum regulare concernunt, & ejusdem concilii Tridentini dispositione monastico regimini reliquuntur, trahi posse aut debere apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus ac decernimus, & statuimus. Quocirca dilectis filiis nostris & apostolicæ sedis nunciis, sive etiam locorum ordinariis, vel dictæ congregationis conservatoribus per easdem præsentes injungimus, ut quotiescumque requisiti fuerint, ab hujusmodi vexationibus ac violentiis manifestis commendatarios per censuras & alia juris remedia, invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, cohibeant & compescant, salva semper in præmissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere &c. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xx. martii M. DC. LVII. pontificatus nostri anno secundo.

G. Gualterius.

CLVIII.

Alexandri VII. iteratum Breve contra Commendatarium Vangaticiensem.

Anno 1659. XIX. septembris.

Ex archivo S. Michaelis.

ALexander papa VII. ad futuram rei memoriam. Sacrosancti apostolatus officium &c. Cum itaque dilectus filius Petrus Ferraccius abbas generalis congregationis Camaldulensis ordinis sancti Benedicti nobis exponi fecit, licet sacri concilii Tridentini decretis cautum reperiatur, ut priores claustrales, aut in prioratibus conventum habentibus subpriores, qui correctiones & spirituale regimen exercent,

cent, a capitulis generalibus vel ipsorum ordinum visitatoribus instituantur; nonnulli nihilominus commendatarii quædam monasteria congregationis prædictæ in commendam obtinentes & signanter ven. frater Georgius Cornelius episcopus Patavinus, qui monasterium, Abbatiam nuncupatum, sanctæ Mariæ de Vangaticia ejusdem congregationis in commendam ad sui vitam ex concessione & dispensatione apostolica, ut asseritur, obtinet, forsan in vim literarum apostolicarum super eorumdem monasteriorum commendis expeditarum, in quibus ipsorum monasteriorum cura, regimen & administratio tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committitur, jus instituendi & destituendi priores & officiales claustrales, necnon visitandi, corrigendi, statuendi, ordinandi & exercendi ea, quæ institutum regulare concernunt, ad se spectare, electionibus & depositionibus priorum & subpriorum, aliorumque officialium, ac etiam visitationibus & monachorum correctionibus sese ingerere, quinimmo superiores dictæ congregationis monasteria prædicta visitare & reformare juxta ejusdem congregationis regularia instituta cupientes repellere & impedire prætendunt & præsumunt, non sine gravissimo ipsius congregationis ejusque monasteriorum ac superiorum, & monachorum præjudicio, & observantiæ regularis detrimento. Hinc est, quod nos inconvenientibus hujusmodi remedium adferre volentes, dictum Petrum abbatem generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis &c. censuris &c. absolventes &c. supplicationibus ejus nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, necnon concilii prædicti decretis, ac resolutionibus congregationis ven. fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præpositorum in similibus casibus ante emanatis inhærentes, dicto Georgio episcopo & aliis commendatariis prædictis non licere priores, subpriores, aut officiales claustrales instituere & destituere, visitare monachos, eosdemque corrigere, nec facultates ipsis commendatariis in literis apostolicis concessas & expressas, prout supra ad ea, quæ institutum regulare concernunt, & ejusdem concilii Tridentini dispositione monastico regimini reliquuntur, trahi posse aut debere auctoritate apostolica tenore præsentium declaramus ac decernimus & statuimus. Quocirca dilectis filiis nostris, & apostolicæ sedis nuntiis, sive etiam locorum ordinariis, vel dictæ congregationis Camaldulensis conservatoribus per easdem præsentes injungimus, ut quotiescumque requisiti fuerint, ab hujusmodi vexationibus ac violentiis manifestis commendatarios per censuras & alia juris remedia, invocato etiam, si opus fuerit, brachii secularis auxilio cohibeant & compescant; salva semper in præmissis auctoritate eorumdem cardinalium. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces &c. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XIX. septembris M. DC. LIX. pontificatus nostri anno V.

S. Ugolinus.

CLIX.

Alexander VII. eremum Montis-cellesii dat eremitis Camaldul.

Anno 1659. XXI. septembris.

Ex archivo ejusdem eremi.

ALexander Papa VII. ad perpetuam rei memoriam. Alias emanarunt a nobis literæ in simili forma Brevis, tenoris qui sequitur. Alexander papa VII. ad futuram rei memoriam. Cum, sicut accepimus, conventus fratrum Minorum ordinis S. Francisci Capuccinorum nuncupat. prope & extra muros civitatis Senar. non ita pridem ea intentione constructus fuit, ut illuc transferretur antiquus conventus ejusdem ordinis inde milliari cum dimidio circiter distans, eamque translationem nos novissime fieri mandaverimus, proinde inde conventus antiquus a dilecto filio ministro provinciali provinciæ Hetruriæ dicti ordinis dimissus, & fratres ibi degentes in aliis conventibus ejusdem provinciæ collati extiterint, hinc est; quod quod nos motu proprio, ac ex certa scientia & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, ad divini cultus augmentum & religionis eremitarum Camaldulensium S. Romualdi propagationem, ven. fratri archiepiscopo Senarum, seu dilecto filio Vicario in spiritualibus generali per præsentes injungimus & mandamus, ut conventum, ut præfertur, dimissum cum horto & silva ceterisque pertinentiis universis religioni præfatæ eremitarum Camaldulensium ad effectum inibi novam eremum erigendi pro duodecim eremitis, qui sub perpetua clausura degant & divina officia diu noctuque juxta sui ordinis instituta celebrent, eique

eique novæ eremo pro dote & manutentione dictorum duodecim eremitarum sexcenta scuta monetæ Florentinæ a dilectis filiis priore & fratribus eremi Florentinæ ordinis Camaldulensium tam de propriis eorum redditibus, quam hospitii ejusdem eremi in civitate Florentiæ existentis, atque eremi S. Johannis Baptistæ Cortonæ dictæ congregationis singulis annis persolvenda juxta consignationem & partitionem factam a capitulo conventuali ad hunc effectum in dicta eremo Florentina congregato & in dieta de mense junii præteriti celebrata approbatam sub conditionibus constitutis in instrumento desuper confecto, & per acta dilecti filii Adriani Minucci notarii publici rogato auctoritate nostra apostolica, donec concedat & assignet, prout nos per easdem præsentes perpetuo donamus concedimus & assignamus dictam partitionem in omnibus & per omnia confirmamus, & approbamus, itaut liceat priori novæ eremi hujusmodi per superiorem generalem dictæ congregationis Camaldulensis, Majorem nuncupatum eligendo & deputando & eremitis pro tempore existentibus per se vel alium seu alios ecclesiæ & conventus sic dimissi cum horto & silva ceterisque pertinentiis suis realem, actualem & corporalem possessionem libere propria auctoritate retinere dicta Sc. 600. percipere, exigere, levare, ac in suos communes, & eorum eremi & ecclesiæ præfatarum usus & utilitatem convertere, cujusvis licentia minime requisita. Præterea constructioni & ædificationi dictæ novæ eremi provide consulere volentes, ut per triennium proximum post adeptam possessionem conventus, ut præfertur dimissi, sex tantum eremitæ in ea degere teneantur indulgemus, ad hoc ut dimidia pars præfatorum scutorum 600. in fabricam ejus eremi applicari possit, & debeat. Volumus autem, ut si eremitæ dictæ novæ eremi ex piis christi-fidelium eleemosinis seu legatis, vel alio quocumque modo aliquos annuos redditus acquisierint, dicta assignatio & partitio pro rata cessare, & ad eremum Florentinam, ad Hospitium & eremum Cortone hujusmodi respective debeant redire. Decernentes easdem literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis ad quos spectat & pro tempore spectabit plenissime suffragari, sicque in præmissis, per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus præmissis & constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, ordinis, congregationis, conventus & eremorum hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter & expresse derogamus, ceterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 21. augusti 1659. pontificatus nostri anno v.

Cum autem postmodum pariter accepimus, dudum anno 1535. tunc existentes moniales monasterii SS. Prosperi & Agnetis Senen. cujus monasterii moniales, nunc S. Mariæ, alias delle Trafisse vulgo nuncupatæ, præfatam ecclesiam & locum & Casalenum, ubi dictus antiquus conventus fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum fundatus fuit, ipsis fratribus Minoribus Capuccinis concesserint cum expressa conditione, ut quandocumque ipsi locum hujusmodi desererent, ipse locus cum omnibus melioramentis & fabricis desuper pro tempore factis, quæ dictæ ecclesiæ cedere intelligerentur, ad dictarum monialium monasterium reverteretur, & alias, prout uberius continetur in scriptura tenoris sequentis, videlicet. Jesus Maria. Adi 30. Luglio 1537. Al nome di Gesù Cristo e della SS. Madre sua si fa ricordo nel giorno soprascritto, come le monache e monastero di S. Prospero e S. Agnesa legittimamente congregate, acciocchè sia glorificato il nome di Dio ne' luoghi loro, e specialmente nella chiesa di Montecello nel comune di S. Almatio danno e concedono per l' amore di Dio, ed onor suo l' uso di detta Chiesa con un Casalone adiacente & una piccola cappella per sacrificare a Dio, laudarlo e servirlo, alla congregazione de' frati minori nominati Cappuccini, & acciò che tutto questo possino esercitare più comodamente, concedono a detti frati, che di loro proprie limosine possino restaurare la chiesa ed altre cose adiacenti per loro abitazione per fino alli confini, che saranno determinati, con questa intelligenza, che tutti gli edifizj e meglioramenti che si fa-

si facessero per detti padri e servi di Dio, s'intendino cedere a detta chiesa, e non possino partendosi, ovvero lasciando detti frati tal luogo per qualsivoglia cagione repeter quella o altra qualunque spesa fatta in detto luogo, ma ogni cosa ricada al monastero come essere usando tal chiesa & altre cose concesse, confessando conforme la loro professione usarle precario, riconoscendosi essere come pellegrini in questo mondo & aver l'uso mero in questi nudi frati, e per memoria perpetua di tal concessione io fra Ambrosio Catarino Politi da Siena dell'ordine de' predicatori ho scritto il presente ricordo di propria mano in presenza di Mons. Giovan-batista canonico, padre e confessore di dette monache, e di fra Michele Ludonense nostro compagno del medesimo ordine, e perciò in nome della detta congregazione si sottoscriveranno li Ven. Cappuccini & in prima il Guardiano loro Fra Tiberio da Dondorola Milanese e Fra Liberale da Colle, accettando in onor di Dio e di Maria sempre Vergine immaculata la predetta concessione, & io Fr. Tiberio al presente Guardiano indegno confermo quanto sopra lo scritto, e che noi vogliamo usar simplici usu del sopradetto luogo di S. Maria degli Angioli di Monte Celso. Io fra Liberale da Colle confermo quanto sopra. Io Giambatista di M. Zejo Canonico Senese confermo quanto sopra. Io fra Michele Jergero Francese affer. quanto sopra, & io fra Francesco di Dio de la Marca Capuccino ordinis Minorum S. Francisci & commissarius provinciæ Tusciæ secundum & quantum se extendit mea auctoritas juxta professionem meam & regulam confirmo omnia, quæ supra descripta sunt. Cumque dilectæ in Christo filiæ moniales monasterii præfati præmissorum vigore conventum derelictum præfatum una cum melioramentis a memoratis fratribus Capucinis desuper factis ad earum monialium rediisse ac conventus & melioramentorum hujusmodi dominium ad se spectare prætendant, seu prætendere possunt, nos præinsertas literas nostras nihilominus demandari, ac suos plenarios effectus sortiri & obtinere volentes, motu, scientia, deliberatione & potestatis plenitudine paribus easdem literas præinsertas ac omnia & singula in eis contenta perinde valorem plenamque roboris firmitatem habere, ac si de omnibus & singulis præmissis expressa ac specifica in literis mentio facta, literæque in eis contenta hujusmodi cum speciali & amplissima eorumdem præmissorum derogan. concessa reperirentur, tameu præsentium vigore decernimus & declaramus, ac ecclesiam, locum & situm hujusmodi una cum quibusvis melioramentis sacrorum ædificiorum desuper factis, & imaginibus fixis & altaribus in eadem ecclesia existentibus, necnon silva & horto ceterisque pertinentiis suprascriptis memoratæ religioni eremitarum Camaldulensium ad effectum in literis præinsertis expressum iterum donamus, concedimus & assignamus. Decernentes præsentes literas & in eis contenta quæcunque &c. & ex eo quod moniales præfatæ & alii quilibet & speciali & individua mentione digni in præmissis forsan interesse habentes seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, seu ad ea vocati & auditi & causæ, propter quas præsentes emanarunt & justificatæ & verificatæ non fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, pia, privilegiata causa, colore, prætextu & capite, & in corpore juris clauso, & enormis enormissimæ & totalis læsionis nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis nostræ aut interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis magno & substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, restringi, retractari, in jus vel controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium impetrari, aut impetrato vel etiam motu simili concesso quempiam in judicio vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit plenissime suffragari, sicque & non aliter in præmissis per quoscumque judices ordinarios & delegatos & causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales & de latere legatos, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & deffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis ac de jure quæsito non tollendo, ceterisque nostris & cancellariæ apostolicæ regulis quatenus opus sit, & aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis necnon præfati monialium monasterii & aliis quibusvis etiam juramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis & literis apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus & firmis, ac cum qui-

quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis & insolitis clausulis irritantibus & aliis decretis in genere vel in specie ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXI. septembris M. DC. LIX. pontificatus nostri anno V.

CLX.

Reductio capituli generalis ex triennio ad quinquennium mandato Alexandri VII.

Anno 1660. XXII. martii.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

ALexander papa VII. ad perpetuam rei memoriam. Ecclesiæ catholicæ regimini &c. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii abbas generalis ac visitatores, necnon procurator generalis & definitores congregationis Camaldulensis monachorum ordinis sancti Benedicti, quod eadem congregatio felici quidem in dies per Dei gratiam in spiritualibus augetur incremento, sed magnam in temporalibus patitur diminutionem, illiusque monasteria ob malam temporum conditionem, & nunc præsertim propter vilitatem pretii granorum & aliorum bladorum, in quibus præcipue ipsorum monasteriorum redditus consistunt, difficultatemque illa vendendi, necessitate extrema premuntur, itaut familias alere, onera incumbentia supportare, ac ecclesias, ut decet, tueri vix possint. Qua temporalis status declinatione considerata superiores dictæ congregationis ei quidem rei consulere conati sunt, renovatis libris extimorum, reparatis melius oneribus, diminuto numero eorum, quibus alimenta ab iisdem monasteriis præstari solebant, prohibita novorum ædificiorum constructione, victu ad majorem frugalitatem restricto, moderatis etiam superiorum provisionibus, ac denique recisis ceteris omnibus expensis, nec tamen his omnibus, aliisque non inutilibus remediis adhibitis optatum effectum habuit eorum industria (idque ut quidem prælatis, senioribus, experientioribusque videtur) ex eo quod eorumdem monasteriorum damnum, & impossibilitas illam prosperiorem in statum reduci ex brevitate guberniorum & administrationum triennalium derivant, docente experientia, triennium rebus bene stabiliendis non sufficere, nam prælati primo quidem triennii anno ob graves expensas in contributiones, quæ occasione capitularum generalium, itinerum, mutationis familiarum aliarumque necessariarum provisionum fiunt, monasteria pecuniis aliisque assignationibus exhausta reperiunt, ac ut plurimum æs alienum contrahere coguntur, vixque tantum agere possunt, ut illa, quæ ad gubernium spectant, in aliquem convenientem statum reducant, secundo vero anno æri alieno, quod primo anno contraxerunt, dissolvendo, vix sunt pares; tertio autem rebus monasteriorum componendis dant operam, ne illas complicatas relinquant, ac novas provisiones facere debent pro expensis & contributionibus imminentis capituli generalis, unde monasteriorum levamento & utilitatibus incumbere nequeunt, quippe qui tempore & pecuniis ad id necessariis destituuntur, atque ita progreditur gubernioruim successio, non sine magno prædictorum monasteriorum detrimento. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, si capitula generalia congregationis prædictæ de quinquennio in quinquennium celebrarentur, prout observatur in congregatione Casinensium, cujus institutis dicta congregatio Camaldulensis in ceteris se conformat, majores expensæ, nempe capitulorum generalium hujusmodi, itinerum ac mutationis prælatorum & familiarum rarius fierent, prælati vero interea majorem administrationum suarum peritiam adipiscerentur, & eorum auctoritas & existimatio apud personas, quibuscum est contrahendum, cresceret, ipsique etiam spe videndi industriæ suæ fructum allecti in cultura bonorum, unde redditus monasteriorum præcipue pendent, sedulius & vigilantius incumberent. Cumque dilecti filii moderni congregationis prædictæ Camaldulensis prælati aliqua munerum suorum prorogatione pro extinguendo ære alieno, prosequendoque his calamitatis temporibus gubernio indigeant, ne in deteriora labantur res ejusdem congregationis, in qua (benedicente Sanctissimo) pax & concordia nunc viget, itaut ex dilatione proximi futuri capituli generalis ipsa congregatio nullum videatur detrimentum, sed maximum acceptura sublevamen. Nobis propterea dicti exponentes, ad quos, ut asserunt, cura regiminis ejusdem congregationis spectat, humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes &c. hujusmo-

jusmodi supplicationibus inclinati, attentis narratis, celebrationem capitulorum generalium dictæ congregationis Camaldulensis de cetero faciendam esse de quinquennio in quinquennium, itaut proxime futurum ejusdem congregationis capitulum generale demum finiti jam cepto quinquennio haberi debeat, auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus & ordinamus, ea tamen lege, ut una dieta inter quælibet duo capitula generalia saltem tertio cujuslibet intercurrentis quinquennii hujusmodi anno celebretur. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXII. martii M. DC. LX. pontificatus nostri anno quinto.

S. Ugolinus.

CLXI.

Erectio eremi Montis-pacis in Lithuania.

Anno 1664. III. novembris.

Ex archivo ejusdem eremi.

IN nomine sanctissimæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii & Spiritus sancti, amen. Christophorus Sigismundus Pac Magni ducatus Lithuaniæ supremus cancellarius Wilkovviscensis, Ostrynensis, Niemonecensis, Wilkiensis, Piscensis, Kozienecensis, Kleszczelensis *&c.* capitaneus, œconomiæ Olitensis administrator. Ad perpetuam rei memoriam. Vanum fortunæ in rebus pensando usum, æternitatis vero immortalitatem, & gratias innumeras divinæ majestatis, quibus me in protectione sua fovendo, prosperitatis donis cumulando, & usque in præsentem diem sanum & incolumem conservando, benignissime pervenire dignatus est, perpendendo, tum divinam offensam pro delictis meis placando, ejusque majestatem, quatenus rempublicam nostram tot fluctibus agitatam in securo pacis litore deponat, impetus hostium frangat, animos diffidentes conciliet, patriæ ruinam machinantibus consilia conturbet, ecclesiæ suæ sanctæ tranquillitatem restituat, supplicando in animum induxi, ut de bonis meis mihi a clementia divina munificentissime concessis patres aliquos regulares (quibus interest divinum placare diurnis nocturnisque precibus furorem) fundarem, occurrit volventi animo sacratissimus ordo Camaldulensium regulæ sancti Benedicti, instituti vero sancti Romualdi sequacium, quorum pietas, sanctimonia & penitus a mundo abstracta, cum Deo autem conjuncta mens, plurimorum regum & principum excitavit pectora, ut illis plurima ædificarent monasteria, munificentissimis dotarent proventibus, uti a proavo meo illustrissimo & reverendissimo domino Nicolao Pac episcopo Samogitiæ, in Italia *alla Rua* uno a Padua milliario munifice facta est; iisdem rev. patribus, ut eosdem numquam in Magno ducatu Lithuaniæ cognitos Deo disponente, sanctissimo domino nostro Alexandro VII. pontifice maximo, ac serenissimo Johanne Casimiro rege, illustriss. & rev. domino Georgio Białłosor episcopo Vilnensi approbantibus & consentientibus, fundare ac introducere. Quapropter dictis venerandis patribus bona mea perpetua Pozaysciæ in palatinatu Trocensi, districtu vero Caunensi sita a magnifico & generoso domino Johanne Samuele Oborskie districtus Caunensis judice, terrestri, millibus quatuor denariis Polonicalibus empta, soluta, & in tribunali Vilnensi recognita, cum aula, villis & eorum subditis, ædificiis nunc & in futurum extructis & extruendis, spatiis, prædiis, stagnis, molendinis, piscinis, fluviis ab utraque parte ripæ super flumen Chronon vulgo Niemen dictum, fluviolis, agris, pascuum nemoribus, lacubus, sylvis, pratis ceterisque omnibus ad præfata bona quoquomodo pertinentibus juxta inscriptionem & inventarium mihi ab eodem generoso domino judice traditum recognitum. Præterea duas villas regias Wilkuniæ, Woyszvidoveli sive Polwlrukla nuncupatas concedente sacra regia majestate, consentiente in comitiis Varsaviensibus generalibus anni Domini M. DC. LXII. republica in utrumque jus de novo & de nova radice, fundo nullo mihi, successoribusque meis jure reservato. Jura quoque omnia ad bona hæc tam terrestria, quam regalia pertinentia ad manus venerandorum patrum trado, eosque in hæc per ministerialem generalem inventario descriptam intromitto, trado & cedo in Dei nomine. Quæ fundatio, ut majus suum robur & firmitatem habeat, in futuris comitiis sollicite agam, ut constitutione perpetua iterum roboretur; sed quoniam prædicta empta bona cum suis præsentibus sub eadem inscriptione, fundatione & actu obligo me vigore ejusdem constitutionis præfatis reverendis patribus Camaldulensibus summam Florenorum quadraginta millium Polonicorum sive simul, sive separatim ad manus illorum daturum, pro qua summa vel ego, vel ipsi per se præ-

prædium unum aut alterum cum subditis & censibus emere tenebuntur, ex quibus victus & amictus, aliaque necessaria pro duodecim religiosis patribus & fratribus, & ornamentis ecclesiæ commode possit provideri. Et quia me nihil movit ad præsentem fundationem, nisi temporum modernorum calamitas Magni ducatus Lithuaniæ, desiderium pacis & nostrarum animarum salus, persuasus de pientissimis sanctissimi patris sui Romualdi filiis credo, quod regulam sibi datam stricte sint observaturi. Ne tamen aliqua temporis vicissitudine alicujus relaxationis inobservantia assumere præsumant exempla, per viscera Jesu-Christi pretiosa dictos patres reverendos obtestor & obstringo, ut monita, regulam & constitutiones sibi a sancto Romualdo legislatore data, zelum, amoremque religionis & observantiam regularem sua observent in integritate. Reverendi vero patres Camaldulenses debebunt & tenebuntur religiosos sui ordinis duodecim in eremo fundata, cui nomen Mons-Pacis impono, perpetuis temporibus alere & conservare, qui diurnis nocturnisque orationibus divinam sollicitent clementiam, quatenus Magnus ducatus Lithuaniæ sua pace, integritate, securitate per misericordiam Dei frui possit, serenissimum item regem, & serenissimam reginam dominos meos & benefactores clementissimos, quorum gratiis, favoribus, bonisque abunde sum cumulatus, tam superstites, quam defunctos æviterne suis commendabunt orationibus; me quoque fundatorem & consortem meam viventes & defunctos quotidiana pro sua pietate & gratitudine teneant memoria. Uti quidem pro suo affectu & gratitudine quotidie unam Missam pro nobis viventibus & post fata nostra celebraturos se submiserunt. Requiro item conscientiam rev. patrum, ut quotannis anniversarium pro defunctis fundatore, & anima consortis meæ Claræ Genovefæ de Malli Lascaris cum Missis omnium pro tunc residentium obeant diem. Pro anima vero parentis mei sanctæ & piæ memoriæ Stephani Pac vicecancellarii Magni ducatus Lithuaniæ omnes itidem presbyteri die decima-septima novembris celebrabunt, quod pro animabus matris meæ Mariancillæ die octobris I. facient. Item anniversaria pro animabus illustrissimi patris & matris consortis meæ Antonii comitis de Malli, qui duodecima maji mortuus est, & Claræ Genovefæ de Malli Lascaris marchionissæ de Ursæ quæ secunda novembris mortua est, Missas celebrabunt. Item pro anima fratris mei Stanislai & sororis Annæ semel in anno obsequias obibunt pro discretione sua. Reliquos vero viventes & defunctos de eadem familia pro sua gratitudine in Missis commendabunt. Ordo omnis & dispositio fundatæ eremi spectabit ad priorem, qui diligenter curabit, ne census & proventus in alios usus convertantur, aut alio transferantur, nisi in solam patrum in hac eremo residentium necessitatem & eremi ornamentum, in quo conscientiam prioris onero. Si vero lites & judicia aliqua in dictis possessionibus a me pro hac eremo fundatis excitarentur, jus protectionis post obitum meum & consortis meæ serenissimis & dominis meis Clementissimis regi & reginæ commendo, illustrissimo & reverendissimo archiepiscopo Gnesnensi primo principi amico meo colendissimo & successoribus in manus trado, necnon illustrissimo & reverendissimo domino pro tunc loci ordinario Vilnensi & successoribus illustrissimis inscribo, specialiter vero illustrissimo & rev. domino Casimiro Pac episcopo Smolenscensi, illustrissimo domino Nicolao Pac palatino Trocensi, illustrissimo domino Michaeli Pac palatino Smolenscensi Magni ducatus Lithuaniæ Campi-ductori fratribus meis. His autem deficientibus proximiori de linea prolis masculæ ex eadem familia nostra, quibus per omnia sacra & divini amoris fervorem supplico, ne præmissis patribus suo deesse velint suffragio, alioquin, quod absit, tempore & casu aliud disponente rev. patres recurrere poterunt ad eum, qui, etiamsi de linea familiæ, fuerit remotior. His quoque deficientibus illustrissimo & rev. domino loci ordinario & successoribus ejus in tutelam recommendo. In hoc etiam reverendos patres assecuro, promitto & caveo conscientiam meam onerando, quod præsentem fundationem, quam testimonio illustrissimorum dominorum infrascriptorum roborari procuravi, numquam sim violaturus, immo omnes & singulos, qui quodcumque aliquid contra fundationem meam moliri & attentare præsumpserint, divini judicii interminationem & maledictionem hoc compendio imprecor: Maledictus sit intentionis meæ & fundationis violator. In hoc etiam certifico, & omni meliori modo coram Deo & republica protestor, quod ne in minimo ejusdem puncto anni M. DC. XXXV. constitutioni velim contravenire. Ceterum pro meliori & firmiori hujus fundationis meæ robore illustrissimos, reverendissimos, perillustres, illustres, magnificos & generosos dominos rogavi, ut præsenti fundationi meæ manibus suis subscriberent, ac sigilla appenderent, quod

ex

ex gratia sua singulari non sunt dedignati facere. In quorum fidem manum meam propriam subscripsi, & sigillo communiri feci. Datum in bonis Pozaysciæ die III. mensis novembris anno Domini M.DC.LXIV. Ad has fundationis literas subscriptiones manuum tales.

Christophorus Pac supremus Magni Ducatus Lithuaniæ cancellarius.

Ad has fundationis literas rogatus & requisitus subscribo Georgius Białłosor episcopus Vilnensis. Requisitus ab illustrissimo fundatore requisitus subscribo Hieronymus Crispinus Kierszescteyn Magni Ducatus Lithuaniæ thesaurarius.

Sigilla quatuor adimpressa.

CLXII.

Epistola Hispanica scripta Generali Camaldulensi in mortem regis Catholici.

Anno 1665. XII. novembris.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

AL Reverendiss. Padre General de los Camaldulenses Calzados gracie Dieos muchos anos.

REVERENDISSIMO PADRE.

Havendo legado Correo de Espana con el aviso y d'esgraciada nueva d'ela muerte del Rey mi Signor, que haya gloria, ho tenido por de mi obligacion ponerlo en la memoria de V. P. paraque como tan affecto à sù Maestà, como bien hechor de sù Religion, se sirva de mandar en toda ella, que se hagan los sufraglos, que como à tal sedeben las Missas, Oraciones, Avinos, y Obras penales, que V. P. fuere servido, creiendo yo de su affecto la pontualidat, y liberalidad con que obrarà en esta parte pues de mas deser la obra de tanta piedad, haciendose pò un Monarcha, que hà me recido tant. Iustamente el re nombre de Catholico; y que tanto hà favorecido la Religion de V. P., sera el merito de maiores quilates por las razones, que deto a la consideracion de V. P. Suplico la me responda, avisandome la cantidad de Missas, y de mas sufragios, que aplicare por la anima de sù Maestà, paraque yo pueda dar quenta alla Reina mi Signora, y sù Maestà tenga el consueto de stà noticia y ensu memoria la finezza de V. P., a quien priego de Dieos muchos anos. Roma li 12. novembre 1665. Ad: Aragon.

CXLIII.

Jo: Casimiri regis Poloniæ epistola ad Generalem Camaldulensem.

Anno 1667. XXIX. augusti.

Ex Libro Fondazioni *pag.* 172.

FOris. Al Molto Rev. Padre Generale degli eremiti Camaldolesi. Roma.

Intus. Giovanni Casimiro per grazia di Dio Re di Polonia, di Svezia, ec.

M. R. P. Havendo noi in soddisfazione dell' antica e pia inclinazione verso l' istituto di san Romualdo fatto principiare un edificio nella forma, che si suole osservare negli eremi per i religiosi del medesimo ordine detto Camaldolense. Desideriamo, che V. P. con i voti del ven. capitolo si contenti di provvedere questi padri del consenso per accettare detta nostra regia fondazione posta in VVilloygrach nel nostro gran ducato di Lituania dentro la diocesi di Vilna, e si diano tutti quegli ordini, che saranno secondo le loro regole, stimati necessarj ed opportuni. E' raccomandando noi e i nostri popoli all' orazioni di V. P. e di tutta la sua religione preghiamo Dio che le doni ogni bene. Varsavia 29. Agosto 1667.

Gio: Casimiro Re.

C. Masini.

CLXIV.

Cardinalis Ludovici de Vandomo Legati Decretum pro Capitulis Congregationis Gallicanæ eremi Camaldulensis.

Anno 1668. VI. id. junii.

Ex archivo Gros-bois.

LUdovicus sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis de Vendosme nuncupatus ad Serenissimum D. D. Ludovicum Franciæ & Navarræ Regem Christianissimum, & universum illius regum, ejusque provincias, dominia, civitates, oppida, terras & loca eidem Regi subjecta, dictoque regno adjacentia, ceteraque alia loca, ad quæ nos declinare contigerit, SS. D. N. Clementis Divina providentia Papæ IX. & Sedis Apostolicæ de latere Lega-

Legatus, ad perpetuam rei memoriam.

Legationis apostolicæ nobis de speciali sanctæ Sedis gratia concessæ ratio postulat, ut ad ea, quæ majorem Dei cultum religiosarumque personarum, quæ oblitæ domus patris sui solitariam Eremitarum vitam amplecti minime dubitarunt, tranquillitatem & bonum regimen concernere dignoscuntur, totis viribus nostris attendamus, ut illa in dies spiritualia valeant suscipere incrementa. Sane dilecti nobis in Christo Major & duo Visitatores Eremitæ congregationis Camaldulensis hujus Regni Galliæ suo & capituli Generalis dictæ congregationis nomine nobis exponi nuper fecerunt, quod alias postquam ipsi originem a congregatione Taurinensi trahentes in dicto regno instituti & fundati fuerant, & aliquas eremos construxerant, congregationem suam in dies benedicente Domino crescentem ab omnibus aliis independentem, instituto congregationis Montis-coronæ, quod aliis minus habet austeritatis, de concessione & indulto felicis recordationis Urbani Papæ se conformantes, fecerunt. Cumque per constitutiones eremitarum Camaldulensium sex Definitores in capitulo generali creari, iique ex omnibus in eo congregatis, quos dictæ congregationes prælatos esse jubent, eligi & assumi debeant, ipsi vero exponentes, sex tantum prælatos, quatuor priores, videlicet quorum unus major existit & esse solet, & duos visitatores in eorum congregatione habeant, eisdem constitutionibus hac in parte, donec eorum major sit numerus, obedire non possunt, nec tamen capitulum generale quolibet anno, & alias canonice celebrare destiterunt, quod dicti sex prælati ingressi sunt, ipsi exponentes de capituli hujusmodi validitate dubitantes, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus cum iisdem super constitutionibus hujusmodi, quibus & aliis omnibus capitulum generale pro necessitate & utilitate congregationis derogare potest, dispensare, ac insuper eorum generale capitulum proxime celebratum, omniaque in eo per capitulares decreta, & præcipue statutum illud, quo ipsum generale capitulum prælatos omnes primodictæ congregationis, quando & quotiescumque ipsi pro ejusdem congregationis bono regimine & progressu bene visum fuerit, ultra solitum triennium vel quadriennium ad illud ejusdem capituli arbitrio tempus continuari posse decrevit, approbare & confirmare, ac ipsis alias super præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ex dictæ nostræ Legationis officii debito piis Christi famulorum votis annuere, dictosque Majorem & Visitatores exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, ipsosque & singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, & sufficienti ad id per litteras dictæ sedis, ad quarum insertionem non tenemur, facultate suffulti, cum dictis exponentibus, ut Constitutionibus prædictis & non competenti ad capitulum generale uti, hactenus consueverunt, & donec major sit eorum numerus, celebrare libere & licite possint & valeant, auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, tenore præsentium dispensamus. Præterea proxime celebratum Capitulum generale hujusmodi, omniaque & singula in eo decreta, dummodo tamen licita & honesta sint, ac sacris canonibus aut Concilii Tridentini decretis non adversentur, dicta auctoritate apostolica approbamus & confirmamus, illisque omnibus perpetuæ & inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui in eo intervenerint, supplemus; necnon iisdem exponentibus, ut imposterum capitulum generale debite congregatum omnes prælatos primodictæ congregationis ultra triennium vel quadriennium consuetum ad ulterius tempus quamdiu, quando, & quotiescumque ipsi pro bono & utilitate ejusdem congregationis utile in Domino judicaverint continuare & prolongare libere & licite simpliciter possint & valeant, auctoritate prædicta benigne concedimus & indulgemus. Decernentes easdem præsentes litteras semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere debere, ac dictis exponentibus, & aliis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque judices ordinarios & delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, & prædictis aliisque congregationis & capituli hujusmodi statutis & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscum-

buscumque. Datum Parisiis anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo, sexto idus Junii Pontificatus ejusdem SS. D. N. Papæ anno primo.

L. Card. de Vendosme Leg.

C. de Lionne.

Pendebat sigillum capsula ferrea inclusum. *A tergo legitur*: Libro 2. folio 77.

Riolan.

CLXV.

Clementis IX. Indulgentiæ concessæ ecclesiæ S. Gregorii de Urbe.

Anno 1668. XXII. novembris.

Ex impresso.

CLemens Papa IX. ad perpetuam rei memoriam. Universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Rex Regum, & Dominus Dominantium unigenitus Dei Filius Jesus Christus, ut humanum genus de laqueo servitutis eriperet, & ad Cælestes Sedes ineffabili sua misericordia revocaret, ex Cœlorum summo descendit in terram, & caducam humanæ fragilitatis carnem clementer induens, doctrina sanctissima, simul, & exemplo, vitæ mortalis viam, qua homines ad supernam Patriam graderentur, demonstravit, ac ejus ministros altis decoravit honoribus, & cœlestis Beatitudinis possessores effecit; sic Nos ejus vices, meritis licet insufficientibus, gerentes in terris, Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigia sequentes, gloriosissimos Christianæ Fidei Principes, Athletas, Dei electos, justos sæculi Judices, lumina vera mundi, videlicet Christi Redemptoris Apostolos, egregiosque Romanæ Ecclesiæ Doctores, ut Ecclesias, & Cœnobia ad laudem suorum Nominum dedicata, tanto honorificentia potiori studemus attollere, quanto ipsi Apostoli, & Doctores præclaris, & salutaribus documentis Ecclesiam ipsam præ cæteris excellentius illustrarunt. Nos igitur felicis recordationis Sixti IV. Prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Omnibus utriusque sexus Christi-fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui Ecclesiam Monasterii S. Andreæ, alias S. Gregorii de Urbe, Monachorum Ordinis S. Benedicti, Congregationis Camaldulensis in ipsorum Sancti Andreæ Apostoli, & Sancti Gregorii festis diebus, a primis Vesperis usque ad occasum Solis utriusque festi hujusmodi, ac in festo Dedicationis ipsius Ecclesiæ, die secunda novembris annis singulis celebrari solito, & octo diebus immediate sequentibus, quibus commemorationes fidelium defunctorum in dicta Ecclesia fieri consueverunt, devote visitaverint annuatim, ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die prædictorum id egerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus: Quam quidem Indulgentiam, & peccatorum remissionem animabus fidelium defunctorum, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverunt, per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXII. novembris M.DC.LXVIII. Pontificatus nostri anno Secundo.

I. G. Slusius.

CLXVI.

Clementis X. Breve, ne episcopi celebrent in ecclesiis Camaldulensium.

Anno 1670. VI. augusti.

Ex Bull. Romano T. VII. pag. 39.

CLemens papa X. ad perpetuam rei memoriam. Injuncta nobis &c. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius procurator generalis congregationis eremitarum Camaldulensium Montis-coronæ, quod dudum felicis recordationis Leo papa X. prædecessor noster eidem congregationi privilegium concessit, ut invitis ipsius congregationis monachis seu eremitis in eorum ecclesiis episcopi locorum ordinarii divina celebrare non possent, ipsumque privilegium una cum ceteris ejusdem congregationis privilegiis pluries a diversis Romanis pontificibus prædecessoribus nostris, & novissime a recentis memoriæ Clemente papa IX. motu proprio per quasdam suas die XIX. julii 1669. expe-

expeditas literas confirmatum fuit. Cum autem, ficuti eadem expofitio fubjungebat, privilegium præfatum dictæ congregationi ad confervandum in ea folitudinis atque filentii fpiritum maxime fit neceffarium, attento quod ejufmodi functiones epifcopales fieri non foleant fine erectione baldacchini ac populi affluentia, unde præfatorum eremitarum inter filvas & nemora ut plurimum degentium monaftica tranquillitas perturbaretur, fimulque orationis atque contemplationis vigor relaxari poffet; nobis propterea dictus procurator generalis humiliter fupplicari fecit, ut in præmiffis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apoftolica dignaremur. Nos igitur ejufdem procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino poffumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibufvis excommunicationis &c. fententiis &c. abfolutum fore cenfentes, hujufmodi fupplicationibus inclinati, privilegium fupradictum memoratæ congregationi eremitarum Camaldulenfium a præfato Leone conceffum, ut præfertur, auctoritate apoftolica tenore præfentium confirmamus & approbamus, illique inviolabilis apoftolicæ firmitatis robur adjicimus. Decernentes eafdem præfentes literas femper firmas, validas & efficaces exiftere &c. Non obftantibus &c. Datum Romæ apud fanctam Mariam Majorem fub annulo pifcatoris die VI. augufti M.DC.LXX. pontificatus noftri anno primo.

CLXVII.

Ejufdem Breve, quomodo eremitæ Coronenfes poffint egredi ad tempus a fuis eremis.

Anno 1670. XII. feptembris.

Ibidem pag. 59.

CLemens papa X. ad perpetuam rei memoriam. Ut in congregatione eremitarum Camaldulenfium Montis-coronæ fervor orationis confervetur, nec per inconfultas eremitarum vagationes tepefcat, fed ipfi eremitæ juxta laudabile inftitutum ac conftitutiones a felicis recordationis Clemente papa IX. prædeceffore noftro fpecifice confirmatas in fuis eremis permanentes divinis obfequiis eo ftudiofius incumbant, quo minus eorum fpiritus rerum temporalium tractatione, laicorum converfatione diftractus fuerit, ex commiffi nobis cœlitus paftoralis officii debito providere cupientes; motu proprio ac ex certa fcientia & matura deliberatione noftris, deque apoftolicæ poteftatis plenitudine harum ferie præcipimus & mandamus, ut poftquam a capitulo generali, vel majore & vifitatoribus dictæ congregationis familiarum in fingulis eremis ipfius congregationis affignatio facta, & illi, qui toto anni decurfu cum debitis priorum localium licentiis, propter urgentem neceffitatem eremis per fpatium quinquaginta milliarium juxta præfcriptum dictarum conftitutionum egredi poffint, deputati fuerint, nec ullis prioribus localibus, nec ullis deputatis ad negotia fine licentia majoris & vifitatorum prædictorum femel in anno obtinenda intra fpatium quinquaginta milliarium hujufmodi, neque ullis dictorum priorum fubditis fine fpeciali eorumdem majoris & vifitatorum licentia, toties quoties impetranda eremis egredi, ac extra illas pernoctare de cetero ullo modo liceat. Volentes, ut major, & vifitatores prædicti ferio invigilent, fuper quo eorum confcientiam oneramus, ne dicti priores locales licentia hujufmodi abutentes, eremis fine neceffitate egrediantur, vel prædictos deputatos ad negotia egredi permittant. Quod fi aliquos hac in re minus obfervantes repererint, licentiam egrediendi eis conceffam fufpendant, aut etiam omnino adimant, & alios ad negotia prædicta deputent. Porro ad eas res curandas, quæ per oblatos non profeffos expediri poffint, quales funt, exempli gratia, provifiones rerum eremis neceffariarum, nec mittantur deputati ad negotia, nec ipfi priores locales egrediantur. Ipfis autem prioribus localibus ex aliqua urgenti neceffitate extra eremos exiftentibus eorum vicarii five fuperiores in eremis remanentes nullam habeant facultatem concedendi aliis, quam oblatis prædictis licentiam egrediendi & pernoctandi. Præmiffa vero omnia & fingula fub pœnis per conftitutiones prædictas contra illos, qui fine debita licentia eremis egrediuntur, & extra illas pernoctant, conftitutis inviolabiliter & inconcuffe perpetuo obfervari volumus. Decernentes ipfas præfentes literas femper firmas, validas & efficaces exiftere &c. Non obftantibus &c. Datum Romæ apud fanctam Mariam majorem fub annulo pifcatoris die XII. feptembris M.DC.LXX. pontificatus noftri anno primo.

J. C. Slufius.

CLXVIII.

Ejusdem Breve pro auctoritate Visitatorum Camaldulensium.

Anno 1670. III. octobris.

Ex edito exemplo Ravennæ anno 1671.

CLemens papa X. ad perpetuam rei memoriam. Cum, sicut accepimus, per quasdam fel. rec. Clementis papæ VIII. prædecessoris nostri literas congregationem Camaldulensium monachorum ordinis sancti Benedicti concernentes, & die IX. novembris M. DC. IV. expeditas, inter alia dispositum reperiatur, visitationis munus, quod ad corrigendos subditorum excessus, & ad monasticam disciplinam & regularem observantiam in monasteriis instaurandam & retinendam pie ac sancte institutum est, a generali & visitatoribus singulis annis summa diligentia & alacritate exercendum esse, ut quæ pro monasteriorum reformatione instituta sunt, inviolabiliter observentur; & in iisdem literis legatur etiam decretum, ut mutationes monachorum fiant tantum in capitulis generalibus vel dietis, aut a generali & visitatoribus intra annum ex causis tantum urgentissimis. Ac in libro constitutionum dictæ congregationis cap. LXIV. de ordinatione abbatis, sub finem disponatur hoc verborum tenore: „ Quoad officium patrum visitatorum sciendum est, quod post ipsum rev. patrem generalem debent ipsi super congregatione invigilare die noctuque, & ipsum in omnibus adjuvare, neque possit reverendissimus absque eorum consilio & assensu quippiam alicujus momenti facere, ut puta creare præsules intra annum, confessarios constituere monialium & id genus reliqua; quod si secus fecerit, totum sit irritum & inane. Præterea, ubi pluribus in locis aliarum constitutionum dicitur, quod pœnæ ad arbitrium patris generalis & consimilia fiant, semper intelligi debet cum consensu patrum visitatorum. Hinc est, quod nos præmissa prospero felicique dictæ congregationis regimini & gubernio apprime conducibilia esse & fore considerantes, ac proinde perpetuo illorum robori & inviolabili observationi pro commissa nobis cœlitus pastoralis officii cura providere cupientes, motu proprio ac ex certa scientia & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine eadem præmissa ex præfatis Clementis prædecessoris ac constitutionibus dictæ congregationis excerpta respective tenore præsentium perpetuo confirmamus & approbamus &c. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces existere &c. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die III. octobris M. DC. LXX. pontificatus nostri anno primo.

J. G. Slusius.

CLXIX.

Ejusdem approbatio aliquot Constitutionum Camaldulensium.

Anno 1670. VI. decembris.

Ex impresso.

CLemens papa X. ad perpetuam rei memoriam. Cum sicut accepimus lib. 2. constitutionum congregationis Camaldulensis monachorum ordinis sancti Benedicti cap. IX. cujus hæc est inscriptio: Quomodo terminanda expedire debeant definitores, inter alia disponatur hoc verborum tenore: Et quoniam nolunt patres, ut facile amodo fiant quotidie novæ ordinationes, nisi maxima cum gravitate & maturitate, & ex urgentissima causa, propterea ordinarunt, quod si quæ amodo in futurum faciendæ sunt constitutiones, postquam fuerint a patribus definitoribus formatæ, vocatis omnibus prælatis coram ipsis singillatim per scribam, aut cui definitores mandaverint, legantur, & quæ a duabus partibus dictorum prælatorum pari voto approbatæ fuerint, patres definitores faciant publicari immediate sequenti anno practicandas, ut futuro capitulo modo quo supra a duabus prælatorum partibus approbandas & confirmandas, quæ deinceps non valeant, nisi modo quo confirmatæ fuerint, revocari. Definitores igitur sequenti anno expeditis aliis supradictis legi faciant ordinationes præteriti capituli, & judicio duarum partium prælatorum vel approbentur vel revocentur, quod si fuerint approbatæ, revocari non possint, nisi modo quo supra, & ex duodecim definitoribus ad minus undecim consenserint. Et eodem libro cap. XIII. de electione generalis & aliorum prælatorum extra tempus capituli legatur particula tenoris sequentis videlicet: Si vero aliquis prælatus infra annum mori vel amoveri contigerit, ad rev. patrem generalem & visitatores spectabit alium in demortui vel amoti locum subrogare hoc pacto: Audito talis prælati obitu reverendissi-

dissimus una cum visitatoribus, si commode id fieri queat, se transferat ad illud monasterium, quod sui prælati solatio destitutum remansit, & auditis illius loci monachis, post celebratam Missam de Spiritu sancto, una cum visitatoribus ad electionem procedat. Debet siquidem unusquisque eorum quempiam proponere, & qui plures fabas nigras in sua scrutatione habuerit, ille sit illius loci prælatus; quod si vota fuerint æqualia, præferatur, qui major est secundum professionem, & omnium horum actuum sit loco scribæ notarius publicus, qui de ejusdem electione sit rogatus, & publicum faciat instrumentum. Sciendum vero est, quod visitatores, dum sunt in tali officio, non possunt infra annum ad aliquam prælaturam eligi, nisi ad generalatum, cum in hujusmodi electionibus infra annum ipsi tantummodo duo visitatores cum patre generali conveniant; si alter eorum suffragiis peteretur, nonnisi duo electores remanerent, quod quidem absonum est & perabsurdum. Quod autem dictum est de electione prælatorum infra annum, intelligi debet etiam de confessariis & capellanis monialium, procuratoribus & aliis consimilibus. Hinc est, quod nos præmissa prospero felicique dictæ congregationis regimini & gubernio perutilia esse & fore arbitrati, illaque proinde inviolabiliter observari cupientes, motu proprio &c. confirmamus & approbamus &c. decernentes easdem præsentes literas semper firmas &c. existere &c. Non obstantibus &c. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die VI. decembris M. DC. LXX. pontificatus nostri anno primo.

CLXX.

Ejusdem Indulgentiæ concessæ diebus SS. Ordinis S. Benedicti.

Anno 1671. XIX. decembris.

Ex impresso.

CLemens Papa X. ad perpetuam rei memoriam. Universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Commissæ Nobis a Domino nostro Jesu Christo dispensationis ratio exigit, ut cælestium munerum thesauros ad augendam in terris Sanctorum in Cœlis regnantium, qui tradita sibi talenta non defoderunt in terram, sed uberi bonorum operum fructu multiplicarunt, venerationem, fovendamque, & incitandam erga illos fidelium devotionem fideli prudentia, quantum nobis ex alto conceditur, erogare studeamus. Itaque præclara S. Benedicti Abbatis, qui despectis omnibus, quæ mundus amat, & colit, cælestis gratiæ benedictione repletus, sanctæ conversationis studiis, miraculisque eximie claruit, & Monachorum Regulam scripsit discretione præcipuam, sermone luculentam, sub qua numerosa Religiosorum Monachorum, Sanctimonialiumque agmina Deo, hodieque strenue militant; Sanctæ quoque Scolasticæ ejus Sororis, quæ speciosis virginitatis, pietatis, aliarumque virtutum monilibus exornata in amplexum Sponsi Cælestis evolavit; ac Sanctorum Placidi, qui primus Monachorum Ordinis ejusdem Sancti Benedicti Martyrij gloria decorari meruit; & Mauri Abbatis Monastici Instituti in Galliis Propagatoris eximii; aliorumque innumerorum Sanctorum Ordinis præfati Professorum in Ecclesiam Dei merita pio, devotoque animi affectu recolentes; necnon dilecti filii Ildephonsi de Mier Monachi expresse Professi, & Procuratoris Generalis Congregationis Hispaniæ dicti Ordinis, in Sacra Theologia Magistri, Supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati; ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi-fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcunque Monasteriorum, tam Monachorum, quam Monialium Regulam Sancti Benedicti profitentium, hactenus erectis, & in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus, in eorumdem Sanctorum Benedicti, & Scolasticæ, ac Placidi, & Mauri Festis diebus, necnon die decima tertia Novembris, qua omnium Sanctorum Ordinis prædicti commemoratio ibidem fieri solet, a primis vesperis, usque ad occasum solis dierum hujusmodi, annis singulis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum estirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex præfatis id egerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique

que habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIX. decembris M. DC. LXXI. Pontificatus nostri anno secundo.

J. G. Slusius.

CLXXI.

Idem Brevi suo eligit Generalem, Visitatores & Procuratorem generalem.

Anno 1673. XX. maji.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

CLemens PP. X. ad futuram rei memoriam. Ex commissæ Nobis Divinitus dispensationis munere Congregationis Monachorum Camaldulensium Ordinis S. Benedicti de idoneis Superioribus, & Ministris, qui illam, adjuvante superni favoris auxilio salubriter dirigant, quantum cum Domino possumus, providere cupientes, ac de infrascriptorum ejusdem Congregationis Monachorum expresse professorum fide, prudentia, claritate, integritate, vigilantia, solertia, & Religionis zelo, plurimum in Domino confisi, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab H mine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine dilectos filios Romanum Gandinum in Abbatem Generalem, ac Andream Valemanum, qui Visitatoris dictæ Congregationis munere de præsenti laudabiliter fungitur, & Joannem Baptistam Bergunsium in Visitatores, nec non Petrum de Petris Monachos expresse professos Congregationis prædictæ in Procuratorem Generalem ejusdem Congregationis respective ad quinquenium a die, quo dilecti pariter filii Moderni Abbas Generalis, ac Visitatores & Procurator Generalis ipsius Congregationis suum quisque officium expleverint, inchoandum cum omnibus, & singulis facultatibus, præeminentiis, prerogativis, auctoritate, privilegiis, gratiis, & indultis, & honoribus, ac oneribus solitis, & consuetis, tenore præsentium instituimus, & deputamus, dictumque Andream in præfato Visitatoris munere ad quinquennium hujusmodi confirmamus; Mandantes propterea in virtute S. Obedientiæ, ac sub indignationis nostræ aliisque arbitrii nostri pœnis omnibus & singulis memoratæ Congregationis Superioribus, Monachis, & personis, ceterisque, ad quos spectat, & spectabit in futurum, ut supra nominatos Monachos ad officia eis respective per præsentes demandata, illorumque liberum exercitium juxta earundem, tenorem præsentium recipiant, & admittant, illosque recognoscant, ac prefatum Andream in dicto Visitatoris munere ad quinquennium prædictum continuare sinant, & faciant, & Monachis supranominatis in omnibus officia hujusmodi concernentibus respective pareant, & obediant, faveantque & assistant. Ac decernentes ipsas præsentes literas, firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac supranominatis Monachis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Judices, Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XX. maji M. DC. LXXIII. Pontificatus nostri anno quarto.

J. G. Slusius.

CLXXII.

CLXXII.

Idem extendit Indulgentias concessas Coronæ Dominicæ.

Anno 1674. xx. julii.

Ex impresso.

CLemens papa X. ad perpetuam rei memoriam. De salute gregis Dominici divina dispositione nobis commissi sollicite cogitantes Christi-fideles spiritualibus muneribus adjuvare non cessamus, ut eorum devotio ad omnipotentis Dei cultum & pietatis opera in dies magis augeatur. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii monachi congregationis Camaldulensis ordinis sancti Benedicti & eremitæ Camaldulenses Coronas Domini nostri Jesu Christi jampridem fidelibus dispensare consueverint, nos laudabilem hujusmodi usum harum serie approbantes, easdem Coronas indulgentiis atque aliis spiritualibus muneribus, quæ infra sequuntur, ad spiritualem fidelium consolationem & animarum salutem duximus esse decorandas. Qui vere pænitens & confessus, seu firmum confitendi propositum habens, unam ex dictis Coronis sibi a præfatis monachis vel eremitis Camaldulensibus immediate vel mediante alia persona traditam recitaverit, quotiescumque id fecerit, ducentorum annorum; Necnon quicumque Coronam hujusmodi secum deferens singulis secundis, quartis & sextis feriis, ac festivis de præcepto ecclesiæ servari solitis diebus recitaverit, dummodo confessus & communicatus fuerit, centum quinquaginta annorum; Qui autem solitus fuerit eam recitare quater in hebdomada, semel in anno, die per eum eligenda, si ea die confessus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumpserit, & dictam Coronam pariter recivitaverit, plenariam; Qui vero eamdem Coronam singulis diebus per mensem integrum etiam recitaverit, & subinde vere pœnitens & confessus ac sacra Communione refectus pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, & sanctæ matris ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderit, quoties id egerit, itidem plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem consequatur. Quicumque solitus fuerit saltem ter in hebdomada dictam Coronam recitare, & in bello contra infideles, hæreticos & S. R. E. hostes dimicaverit, si eo vel antecedenti die eamdem Coronam recitaverit, & in actu dimicationis mentem ad Deum elevaverit, & peccatorum suorum pœnitens humiliter veniam postulaverit, si in dicta pugna occubuerit, plenariam indulgentiam pariter consequatur. Item quicumque infirmus unam ex dictis Coronis sibi, ut præfertur, traditam apud se habens, eam prius hac intentione recitaverit, & in illa infirmitate delictorum suorum pœnitens & confessus in articulo mortis sanctissimum Jesu nomen corde & ore, si potuerit, sin minus corde invocaverit, plenariam indulgentiam & omnium peccatorum remissionem, si mors inde subsequatur, si vero mors non subsequatur, indulgentiam ducentorum annorum lucretur. Qui secum deferens unam ex Coronis prædictis, sicut præmittitur, traditam, nomen Jesu invocando, examen suæ conscientiæ fecerit, & ter orationem Dominicam & toties salutationem Angelicam recitaverit, preces ad Deum pro tranquillo & felici statu S. R. E. effundendo, viginti dies indulgentiæ. Quique dicto examine peracto actualiter confessus fuerit, & post confessionem Deum optimum maximum pro augmento Fidei catholicæ, hæresum extirpatione & sanctæ matris ecclesiæ exaltatione oraverit, viginti annos indulgentiæ lucretur. Et solitus se exercere in aliquo ex operibus, quæ fiunt in religionibus, sit particeps omnium & singulorum operum, quæ fiunt in dictis religionibus, si intentione hujusmodi participationis illud opus exercuerit. Qui apud se habens unam ex prædictis Coronis sibi traditam, ut præfertur, & legitime impeditus Missæ sacrificio diebus festivis de præcepto ecclesiæ non interfuerit, si quinquies orationem Dominicam & toties salutationem Angelicam recitando, quamcumque mentis vagationem similiter suppleat, dummodo dedita opera factum non sit. Quisquis secum deferens unam ex dictis Coronis sibi, ut supra, traditam Missæ aut prædicationi, vel sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, dum ad infirmos aut alias sollemniter in processionibus defertur, associaverit, vel aliquem a prava ad salutis viam reduxerit, ut puta ab hæresi, blasphemia, detractionibus vel pacem cum inimicis composuerit, vel aliquod aliud tam spirituale, quam temporale opus ad honorem Domini nostri Jesu Christi, vel gloriosissimæ virginis Mariæ aut alterius Sancti pro cujusque devotione, vel ad temporalem aut spiritualem proximi salutem operatus fuerit, & ter Pater-noster, & totidem Ave-Maria recitaverit, decem annorum indulgentiam con-

consequatur. Qui diebus Stationum ecclesiarum almæ Urbis & extra illius muros absens ab illa confessus & sanctissima communione refectus & secum Coronam sibi, ut præfertur, traditam habens ecclesiam ab ipso pro sua devotione eligendam visitaverit, vel urgenti causa impeditus dictam Coronam ac septem psalmos pœnitentiales cum litaniis & sequentibus suffragiis recitaverit, ducentorum annorum indulgentiam consequatur; ac eamdem etiam consequantur ii, qui in Urbe eadem opera peregerint, si legitime impediti easdem ecclesias visitare nequiverint. Denique quod omnes supradictæ indulgentiæ applicari possint animabus fidelium defunctorum, quæ Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint, si ea intentione pro eis oretur, vel supradicta opera peragantur, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut supradictæ Coronæ nemini possint vendi nec commodari; & si secus fiat, indulgentiæ supradictæ cessent, nulliusque sint roboris & momenti, sed circa eas decretum a fel. rec. Alexandro papa VII. prædecessore nostro die VI. februarii M. DC. LVII. editum omnino servetur. Utque earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xx. julii M. DC. LXXIV. pontificatus nostri anno V.

J. G. Slusius.

CLXXIII.

Erectio eremi Wigrensis in Lithuania.

Anno 1676. xx. martii.

Ex Libro Fondazioni *pag.* 172.

JOhannes III. Dei gratia rex Poloniæ, magnus-dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Samogitiæ, Masoviæ, Podlachiæ, Volhyniæ, Kyoviæ, Smolensciæ, Sever. Czernihoviæque *&c.* Universis & singulis, quorum interest, significamus præsentibus nostris, quod cum nobis religiosi patres ordinis Camaldulensis sancti Romualdi conventus Wigrensis in magno-ducatu Lithuaniæ humillime exposuissent, privilegium originale fundationis suæ temporibus recenter transactis per serenissimum Johannem Casimirum regem antecessorem nostrum factæ, per ignis combustionem conflagratum esse, quod privilegium una cum intromissione juridice per generosum Andream Skorobohaty notarium thesauri magni-ducatus Lithuaniæ facta, cum sit in actis publicis magni-ducatus Lithuaniæ inscriptum & extractum authenticum, sub titulo serenissimi Michaelis regis antecessoris nostri traditum, prout nobis exhibuerunt, utque illud privilegium auctoritate nostra regia tam fundationis serenissimi Johannis Casimiri, quam innovationis serenissimi Michaelis regum antecessorum nostrorum, innovare & confirmare dignaremur, supplicarunt. Cujus tenor de verbo ad verbum fideliter descriptus sequitur, estque ejusmodi.

In nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam hujus & futuri seculi hominibus horum notitiam habituris. Nos Johannes Casimirus Dei gratia rex Poloniæ, magnus-dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czernichoviæque, necnon Suecorum, Gottorum, Wandalorum hæreditarius rex. Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest vel intererit universis & singulis, quod nos continuis præsentium temporum calamitatibus, innumerisque vitæ & ætatis malis labefactati saluti animæ nostræ regnorumque nostrorum incolumitati prospicere cupientes, quatenus rex regum & dominus dominantium potentissimus Deus iram suam universaque mala a nobis regnisque & subditis nostris, quibus undique premimur, avertere dignetur, ad pia remedia orationum, quas viri religiosi ferventer coram divina majestate effundere consueverunt, recurrere, ædesque sacras, in quibus divina mysteria & munia ecclesiastica cum spiritualibus exercitiis in monasterio vel eremitorio peragantur, erigere & extruere in animum induximus. Occurrit menti nostræ & huic piæ intentioni sacratus ordo patrum eremitarum Camaldulensium sancti Romualdi patriarchæ & institutoris sui sub regula sancti patris Benedicti abbatis militantium, quorum semper mens & corda per devotam & profundam contemplationem unita sunt, & esse debent Deo, utpote ii, qui a seculi vanitatibus, omnibusque, quæ in frequenti conversatione populari contingere solent, distractionibus avocati & abstracti, soli Deo, qui trinus & unus est, per ardentem mentis

tis

tis in eum elevationem uniri, continuisque jejunii, orationibus, vigiliis & aliis mortificationibus, spiritualibus exercitiis, quæ vitæ austeritate fundantur & consistunt, vacare & intendere tenentur. Hujus itaque sacri ordinis eremitici patribus ac fratribus favorem nostrum, regiamque gratiam exhibere cupientes, insulam nostram intra lacus Wigry dictam & nuncupatam (cui nomen imponimus Insulas regales) pro eremitorio sacrisque ædibus, ut Deum pro nobis saluteque animæ nostræ, necnon regnorum conservatione, diu noctuque, precibus & suffragiis spiritualibus flagitent, assignavimus, immo in re & effectu in personali nostra regia præsentia damus, donamus, inscribimus, cedimus & in perpetuum resignamus; prædictosque patres sancti Romualdi eremitas per consensum sanctissimi domini nostri Clementis papæ IX. illustrissimi & rev. domini Alexandri Sapieha episcopi Vilnensis, uti loci ordinarii, totiusque reipublicæ in constitutionibus comitiorum regni generalibus anno 1667. in prædictam insulam Wigry domiciliumque nostrum introductos, auctoritate nostra & regali potestate firmavimus & collocavimus. Quoniam vero neminem viventium absque provisione competenti vivere comperimus, bona nostra regalia, vulgo Polonico idiomate Lesnictwo, Przelomskiæ, Zkwaterami, Pomorskahy Podprzerolska, Prfytym, Lesnistvvo Persztunskiæ nuncupata, in quantum se ad longum & latum extendunt, cum omnibus villis, pagis, datiis & datitiis, terminalibus & pecuniariis censibus, silvis, & earum usu, boschis, nemoribus, molendinis, stagnis, fluviis, piscinis, lacubus, paludibus, torrentibus, aqnis & aquarum quarumvis decursibus, ripis, litoribus, hortis, collectionibus & dationibus vulgo Barciævvpuszczy y dan Miodovva nuncupatis, pratis, minerisque quibusvis, officinis fundendæ picis; necnon cum advocatis, sculteтiis, emphyteuticarum aut vassallorum quorumvis servitutibus, omethonibus, hortulanis, inquilinis, incolis utriusque sexus tam in bonis iisdem reperibilibus, quam fugitivis ubique locorum habitantibus, ad hanc ipsam fundationem nostram in insula superius nominata collocatam & erectam, cum omni jure, dominio & proprietate, omnibusque & singulis utilitatibus, usibus, fructibus, censibus, redditibus, proventibus, emolumentis, attinentiis & pertinentiis ac obventionibusque & singulis utilitatibus, usibus, fructibus, censibus, redditibus, proventibus, emolumentis, attinentiis & pertinentiis ac obventionibus generaliter universis ad bona memorata, nunc & ex antiquo spectantibus, ita late & longe & circumferentialiter, prout eadem bona & limitibus antiquitus sunt distinta & dislimitata, salvo jure advitalitio perillustris Constantiæ Wopynska Butlerovva succamerariæ regni pro tunc tenutariæ per particulare privilegium nostrum ipsi collato. Quod privilegium vigore ejusdem constitutionis, quæ jus nostrum fundationi huic serviens approbandum est, ratificamus in fundationem dicti eremitorii, perpetuo & in ævum applicamus & adjicimus. Venationem tamen in dictis generaliter sylvis liberam nobis & successoribus nostris exeipimus, & quoties nobis & quando placuerit, ista frui mentis animique relaxatione, nullum inde præjudicium, nullamque fundationis præsentis violentiam suspicentur & admittant. Nihilominus subditi ad custodiam silvarum, viarumque ab antiquo ordinati vulgo Osoczniczy; quodquidem jura ipsis salva & integra, uti & aliis subditis omnibus prædictorum bonorum conservantur, silvas & vias pro more suo custodire, & omni meliori modo indemnitati illarum prospicere tenebuntur. Jura item & privilegia nobilium & ecclesiastica, quam ad silvas juxta circumscriptionem in eorum juribus expressam salva omnino & illæsa conservamus, relinquimus, vigore ejusdem privilegii nostri, prædictis patribus eremitis Camaldulensibus salis mensuræ Wielicensis vel Bochnensis tunnas sex ad eamdem fundationem similiter perpetuo assignamus, quas ex dispositione Tykocynensi sine ulla percipient præpeditione. Nec dubitamus successorem nostrum eidem obligationi satisfacturum. In hac fundatione nostra structuras omnes & ædificia tum ecclesiæ, tum eremi sumptu nostro erigemus; in qua eremo religiosos duodecim alere & conservare tenebuntur. Ordo omnis & dispositio fundatæ eremi spectabit ad priorem, qui diligenter curabit, ne census & proventus in alios usus convertantur, aut alio transferantur, nisi in solam patrum in hac eremo residentium necessitatem, & ecclesiæ & eremi ornamentum, in quo conscientiam prioris oneramus. Ne vero patres & fratres desuper nominati diuturnitate temporis vel annorum sequentium numerositate labefactati efficiantur, obligamus eos, ut singulis diebus pro nobis non modo divina benignitate viventibus, sed & post fata nostra conventualem Missam celebrent. Porro obligamus eosdem, ut pro anima pari ratione serenissimæ consortis nostræ Ludovicæ-mariæ iisdem

dem diebus eamdem Missam absolvant. Item pro serenissimo principe Carolo fratre nostro carissimo iidem patres unam Missam quavis hebdomada per applicationem in perpetuum absolvere tenebuntur. Obligamus etiam prædictos patres ad celebranda tria separatim in anno in perpetuum post fata nostra anniversaria pro anima nostra, necnon pro animabus serenissimæ consortis nostræ, & serenissimi principis Caroli fratris nostri carissimi. In quorum fidem & certitudinem præsentes manu nostra subscriptas sigillo Magni-ducis Lithuaniæ communiri jussimus. Datum Varsaviæ die VI. mensis januarii anno Domini M.DC.LXVII. regnorum nostrorum Poloniæ & Sueciæ XIX. anno. Johannes Casimirus rex. Andreas Kotovvicz notarius per Magnum-ducatum Lithuaniæ gubernator Grodensis. Burgrabius Vilnensis administrator œconomus Kobrynensis.

Nos itaque Johannes rex prædictorum religiosorum patrum Camaldulensium conventus Vigrensis supplicationi uti justæ benigne annuentes, præinsertas privilegii fundationis de tenore suo, prout sunt ex actis metrices majoris cancellariæ Magni-ducatus Lithuaniæ depromptæ, literas seorsivo privilegio in pergameno conscripto per serenissimum olim divæ memoriæ Michaelem regem antecessorem nostrum in omnibus punctis innovatas, confirmatas, & de actu Varsaviæ die XX. mensis martii anno Domini M.DC.LXXI. ratificatas, approbatas, ejusque manu subscriptas, ac sigillo Magni-ducatus Lithuaniæ pensili majoris cancellariæ communitas hisce quoque præsentibus literis nostris innovandas, & in omnibus earum punctis, clausulis, nexibus & ligamentis, una cum intromissione præfata bona per generosum Andream Skorobohaty notarium thesauri Magni-ducatus Lithuaniæ aulicum nostrum facta approbandam, confirmandam, ratificandam esse duximus, uti quidem innovamus, approbamus, confirmamus & ratificamus præsentibus literis nostris, debitumque robur, ac perpetuæ firmitatis valorem obtinere decernimus. In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo Magni-ducatus Lithuaniæ communiri jussimus. Datum Varsaviæ die XX. mensis martii anno Domini M.DC.LXXVI. regnorum nostrorum anno II.

JOHANNES REX.

Loco ✠ sigilli.

Andreas Casimirus Gielgud notarius Magni-ducatus Lithuaniæ.

CLXXIV.

Eremitæ Coronenses possunt pernoctare extra eremos intra spatium L. milliarium ex Brevi Innocentii XI.

Anno 1677. XV. julii.

Ex archivo Montis-coronæ.

INnocentius papa XI. ad futuram rei memoriam. Exponi nuper fecit dilectus filius Josephus Maria a Neapoli major congregationis eremitarum Camaldulensium Montis-coronæ, quod fel. recor. Clemens papa X. prædecessor noster per quasdam suas in simili forma brevis literas inter alias præceperit & mandaverit, ut postquam a capitulo generali vel majore & visitatoribus dictæ congregationis familiarum in singulis eremis ipsius congregationis assignatio facta, ut illi, qui toto anni decursu cum debitis priorum localium licentiis propter urgentem necessitatem eremis per quinquaginta milliarium spatium juxta præscriptum constitutionum ejusdem congregationis a rec. mem. Clemente papa IX. prædecessore pariter nostro specifice confirmatum egredi possunt, deputati fuissent, nec ullis prioribus localibus, nec ullis deputatis ad negotia sine licentia majoris & visitatorum prædictorum semel in anno obtinenda intra spatium quinquaginta milliarium hujusmodi, neque ullis dictorum priorum subditis sine speciali eorumdem majoris & visitatorum licentia toties quoties impetranda, eremis egredi, ac extra illos pernoctare de cetero ullo modo liceret, prioribus autem localibus ex aliqua urgenti necessitate extra eremos existentibus eorum vicarii sive superiores in eremis remanentes nullam haberent facultatem concedendi aliis quam oblatis non professis licentiam egrediendi & pernoctandi extra eremos, & alias, prout in dictis literis plenius continetur, enatum est dubium, an penes priores locales, dum præsentes sunt, remanserit facultas intra minus spatium quam quinquaginta milliarium hujusmodi concedendi eremitis sibi subditis licentiam pernoctandi extra eremos, prout ejusmodi eis per constitutiones prædictas concessa reperitur. Quia vero dicti priores locales quoad hanc partem in prædictis literis nominati non sunt, nec facultas prædicta eis quoad minus spatium quam quinquaginta milliariam expresse sublata est, videntur ipsi priores remanere cum jure eis

per

per dictas constitutiones concessio dandi eorum subditis professis licentiam pernoctandi extra eremos intra minus spatium quam quinquaginta milliarium hujusmodi, occurrentibus multis negotiis, quæ oblatis committi nequeunt, nec dilationem patiuntur, cum exquiri & expectari non possit majoris & visitatorum prædictorum tum propter longinquam eorum in eremo Montis-coronæ residentiam, tum etiam quia majore anni parte per longinquas provincias etiam extra Italiam, eremos dictæ congregationis visitandi gratia iter agunt. Quare prædictus Josephus Maria Major nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Josephi Mariæ majoris votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis *&c.* sententiis *&c.* absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium præpositorum consilio, ut priores locales prædicti, cum consensu tamen capituli suarum respective eremorum, eremitis professis sibi subditis propter occurrentes necessitates licentiam pernoctandi extra easdem eremos intra quinquaginta milliaria in eorum hospitiis & locis per constitutiones prædictas, præscriptas absque alio consensu majoris & visitatorum prædictorum concedere libere & licite possint & valeant, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus, salva tamen semper in præmissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium. Decernentes ipsas præsentes literas firmas & validas & efficaces existere *&c.* Non obstantibus *&c.* Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die xv. julij M.DC.LXXVII. pontificatus nostri anno primo.

CLXXV.

Officia majora in Congregatione Camald. alternatim distribuenda ex jussu Innocentii XI.

Anno 1679. XXII. aprilis.

Ex archivo S. Michaelis.

INnocentius papa XI. ad futuram rei memoriam. Cum sicut accepimus, in dieta congregationis monachorum Camaldu-

lensium ordinis sancti Benedicti die XXVIII. aprilis M.DC.LXXVI. factum fuerit decretum tenoris qui sequitur, videlicet: Ut servetur æquitas & justitia distributiva in electione generalis, procuratoris generalis & visitatorum, unanimi consensu, & per vota secreta statuerunt & decreverunt rev. patres definitores, ut imposterum in futuris capitulis supradicta quatuor officia alternatim distribuantur per quatuor provincias Romandiolæ, Venetæ, Etruriæ & Marchiæ, adeoquod unicuique provinciæ unum ex prædictis quatuor officiis conferatur tali ordine & distributione, ut postquam una ex prædictis provinciis generalatum obtinuerit, non possit iterum obtinere, nisi postquam per alias tres provincias generalatus fuerit distributus, & sic dispositum intelligatur de aliis tribus officiis. Nos decretum hujusmodi rationi consentaneum, illiusque observantiam multum utilitatis dictæ congregationi allaturam esse reputantes, de congregationis nonnullorum fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super hoc negocio specialiter deputatorum consilio, decretum præinsertum auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus & approbamus *&c.* Præterea considerantes, quod provincia Etruriæ & Marchiæ hujusmodi qualitatibus ad id per constitutiones dictæ congregationis requisitis prædictas in abbatem generalem ejusdem congregationis servatis alias servandis eligi; quoad reliqua vero tria procuratoris generalis & duorum visitatorum congregationis præfatæ munera dispositionem decreti præinserti observare debere auctoritate & tenore præfatis decernimus & declaramus. Decernentes pariter easdem præsentes literas semper firmas, validas & efficaces *&c.* Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XII. aprilis M.DC.LXXIX. pontificatus nostri anno III.

CLXXVI.

Innocentii XI. deputatio Prælatorum majorum, & Abbatum Professionum.

Anno 1688. XVIII. novembris.

Ex archivo S. Romualdi de Urbe.

INnocentius papa XI. ad futuram rei memoriam. Prospero felicique regimini & gubernio congregationis Camaldulensis monachorum ordinis sancti Benedicti, quantum nobis ex alto conceditur,

providere cupientes, ac de iufrascriptorum monachorum ipsius congregationis expresse professorum fide, prudentia, caritate, integritate, vigilantia & religionis zelo plurimum in Domino confisi, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. sententiis absolventes &c. motu proprio &c. dilectos filios Paulum-antonium Zacarellum, qui de praesenti ejusdem congregationis visitator existit, in abbatem generalem dictae congregationis Camaldulensis, ac Johannem Marinetti, qui generalatus hujusmodi officio ad praesens fungitur, & Romualdum Valemanni abbatem monasterii sancti Severi Perusin. in visitatores memoratae congregationis respective ad tempus, quo ejusmodi officia juxta regularia praedictae congregationis instituta per sedem apostolicam approbata durare consueverunt, cum omnibus & singulis praerogativis, praeminentii, facultatibus &c. tenore praesentium constituimus & deputamus ac declaramus; dilectum vero pariter filium Franciscum-mariam Riccium modernum procuratorem generalem congregationis praedictae in suo procuratoris generalis hujusmodi officio confirmamus, eique idem procuratoris generalis officium ad tempus praedictum prorogamus ac extendimus & ampliamus. Ut autem reliquae electiones & provisiones majori circumspectione fiant, dilectos etiam filios Johannem-chrysostomum Arrigoni pro Veneta, Aurelium Stecchi pro Romana, Ricciardum-mariam Giulliari, qui omnes abbatis titulo sive dignitate insigniti sunt, pro Tusciae, & Germanum Botta pro Marchiae seu Umbriae provinciis praefatae congregationis respective illis cum voti sive suffragii praerogativa interesse volumus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae & sub indignationis nostrae aliisque arbitrio nostro imponendis poenis omnibus & singulis memoratae congregationis superioribus, monachis & personis, ceterisque, ad quos spectat & spectabit in futurum, ut supranominatos monachos ad officia eis respective per praesentes demandata, illorumque liberum exercitium juxta earumdem praesentium tenorem recipiant & admittant, dictumque Franciscum-mariam Riccium in suo procuratoris generalis officio continuare sinant & permittant, & illis in omnibus ad eadem officia pertinentibus pareant & obediant, faveantque & assistant respective. Ac decernentes ipsas praesentes literas firmas &c. existere &c. Non obstantibus &c. Datum Romae apud sanctam Mariam-majorem sub annulo piscatoris die XVII. novembris M. DC. LXXXVIII. pontificatus nostri anno XIII.

J. F. Albanus.

CLXXVII.

Erectio eremi Zobor in Hungaria.

Anno 1691. v. septembris.

Ex archivo ejusdem eremi.

Nos Leopoldus Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae &c. rex, archidux Austriae, dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, marchio Moraviae, dux Lucemburgi, ac inferioris & superioris Silesiae, Wirthembergiae & Thekae, princeps Sueviae, comes Habspurgi, Tyrolis, Ferreti, Kiburgi & Goritiae &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis; quod nos cum ad demissam fidelis nostri nobis dilecti rev. Blasii Jaklim episcopi Nitriensis, locique ac comitatus ejusdem supremi & perpetui comitis, consiliarii nostri & aulae nostrae per Hungariam cancellarii instantiam, sed & aliorum fidelium nostrorum humillimam supplicationem nostrae propterea factam majestati, tum vero pia, salutari & laudabili ejusdem cancellarii nostri intentione atque proposito, quod ipse in promovendo divini cultus zelo, sacrorumque religiosorum ordinum per memoratum regnum nostrum Hungariae augmento, signanter vero sacri Camaldulensium ordinis & instituti ad praefatum episcopatum suum Nitriensem, montemque arci & civitati Nitriensi adjacentem, vulgo Zobor nuncupatum, alias sanctorum eremitarum Andreae Zoerardi & Benedicti incolatu memorabilem, inductione, ibidemque fienda accommodatione sequi, taliterque suppressam quodam modo & obsoletam priscis ceteroquin temporibus celebrem ibidem loci praelibatorum Sanctorum memoriam ab oblivione humana vindicare, pristinoque suo cultui venerationi & reminiscentiae ceu postliminio restituere & redintegrare instituit, clementer moti, ac pietate quoque in Deum, uti & peculiari nostro caesareo & regio, quo erga praerecensitum sacrum Camaldulensium ordinem veluti de ecclesia Dei benemeritum, & sanctitatis laude & encomio ubique commendatissimum (cujus suffragiis & devotis precibus in prosperitate armorum nostro-

nostrorum, secundoque victoriarum & accummulatorum adversus naturales christiani nominis hostes triumphorum successu, imperiique & regiminis nostri dilatatione juvari quoque nos credimus) ducimur affectu paterne inclinati, hoc & id de regii & apostolici nostri muneris exigentia & auctoritate præfato Blasio Jaklin episcopo Nitriensi annuendum & concedendum esse jussimus, quatenus idem prænuncupatum sacrum Camaldulensium ordinem in memoratum regnum nostrum Hungariæ, antelatumque episcopatum suum Nitriensem, & consequenter locum seu montem supra specificatum rite introducere, ibidemque necessariam & convenientem eidem ordini residentiam constituere, ac ut destinandis eorsum religiosis personis necessaria vivendi & subsistendi media suppetant, abbatiam quoque Pilisiensem, alias per annotatum Blasium Jaklin & benigna collatione nostra regia hactenus possessam, simul cum omnibus bonis illius temporalibus, oppidis nimirum & pagis, villis, possessionibus, prædiis, sylvis, agris, pratis, proventibus, obventionibus, emolumentis, juribusque quibuslibet possessionariis & pertinentiis quocumque nomine vocitatis ubivis in antelato regno nostro Hungariæ ex partibus eidem subjectis existentibus & habitis, ad eamdem abbatiam de jure & ab antiquo spectantibus & pertinere debentibus, hac expressa sub conditione & cautela eorsum applicare valeat, ut nimirum præactati patres Camaldulenses montem prædeclaratum & eremum incolentes, antelatam abbatiam tandiu tenere & possidere, fructusque & emolumenta ejusdem percipere possint, donec videlicet per nos vel sæpefatum modernum episcopum Nitriensem Blasium Jaklin aut successorem ejusdem, seu alium quemlibet benefactorem de constanti sufficientique fundatione in bonis seu juribus possessionariis, sive censu alicujus summæ capitalis, unde duodecim personarum cum familia necessaria commoda & sufficiens intertentio juxta ejusdem ordinis institutum haberi, & de tempore in tempus infallibiliter suppeditari queat, provisum ordinatumque fuerit; quo in casu dicta abbatia Pilisiensis rursus ac denuo ad liberam collationem nostram regiam redire, liberæque dispositioni & jurisdictioni nostræ regiæ identidem subesse & subjacere debeat: Imo annuimus, applicamus, damus atque concedimus. Harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo ut rex Hungariæ utimur, impendenti communiter, vigore & testimonio literarum mediante. Datum in civitate nostra Vienna Austriæ die v. mensis septembris anno Domini M. DC. XCI. regnorum nostrorum Romani XXXIV. Hungariæ & reliquorum XXXVII. Bohemiæ vero anno XXXV.

LEOPOLDUS.

Johannes Maholany.

CLXXVIII.

Diploma præfati Leopoldi imperatoris pro eadem eremo.

Anno *1696. 1.* julii.

Ibidem.

NOs Leopoldus Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ *&c.* rex, archi-dux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ *&c.* marchio Moraviæ, princeps Sueviæ, comes Habspurgi, Tyrolis, Ferreti, Kiburgi & Goritiæ *&c.* Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes, quibus expedit universis, quod pro parte religiosorum patrum eremitarum Montis-coronæ ordinis seu instituti Camaldulensium eremi Zobriensis prope Nitriam in comitatu ejusdem nominis existentes, medio religiosi patris fratris Johannis-felicis eremitæ Camaldulensis præfati eremi Zobriensis primi superioris exhibitæ sunt nobis & præsentatæ certæ quædam literæ fidelium nostrorum honorabilium capituli ecclesiæ Nitriensis fassionales in simplici papiro ex uno arcu seu sermone constantes Latino idiomate conscriptæ, præfatique capituli authentico sigillo ab extra in superiori earumdem margine impressive communitæ, necnon ad fassionem fidelis nostri magnifici Nicolai Jaklin liberi baronis in Elephant feria secunda post dominicam primam Adventus Domini anno ejusdem M. DC. XCV. proxime præterito emanatæ; quibus mediantibus idem Nicolaus Jaklin solitis oneribus & gravaminibus, legalisque evictionis cautela in se assumptis & levatis, nomine quoque conthoralis suæ generosæ ac magnificæ dominæ Judithæ Gelerth sexcentos Florenos Rhenenses in rationem ratæ medietatis fundationis præfati eremi Zobriensis se respicientis cedere debentes, durante vita sua & præfatæ conthoralis suæ memoratis patribus fratribus eremitis Camaldulensibus dicti eremi Zobriensis annuatim numerare & præstare

velle se obligasse & appromisisse; ac nihilominus ut de præspecificatis sexcentis Florenis prævia modalitate annuatim pendendis, etiam post fata antelati baronis Nicolai Jaklin, & præfatæ consortis suæ, iidem patres, fratres Camaldulenses præfati eremi Zobriensis securi esse valeant, modo & de facto bona sua Elephantensia cum castello ibidem extructo, ita & Also Elephantensia cum cunctis eorumdem appertinentiis & utilitatibus quibuslibet in & pro summa Florenorum decem millium eisdem patribus fratribus eremitis Camaldulensibus Zobriensibus certis ex respectibus rationabilibusque de causis & motivis, modis, formis & conditionibus in iisdem literis capitularibus fassionalibus limpidius expressis & denotatis obligasse & inscripsisse dignoscebat tenoris infrascripti. Supplicatum itaque extitit majestati nostræ pro parte præfatorum religiosorum patrum fratrum eremitarum Camaldulensium sive Montis-coronæ antelati eremi Zobriensis medio annotati ejusdem eremi prioris debita cum instantia humillime, quatenus nos attactas literas capitulares fassionales, omniaque & singula in eisdem contenta ratas, gratas & acceptas habentes, literisque nostris de verbo ad verbum inseri & inscribi facientes regia auctoritate nostra confirmare, approbare, roborare & ratificare, ejusmodique obligationi, appromissioni, & inscriptionem præfati patroni Nicolai Jaklin modo prævio factam nostrum regium consensum benevolum pariter & assensum præbere dignaremur. Quorum quidem literarum fassionalium tenor talis est. Nos capitulum ecclesiæ Nitriensis damus pro memoria, quod spectabilis ac magnificus dominus Nicolaus L. B. in Elephant coram nobis personaliter constitutus oneribus & quibuslibet gravaminibus universorum successorum, amicorum, proximorum, consanguineorum, affiniumque suorum, ac aliorum cunctorum, quos videlicet infrascriptum tangeret & concerneret, seu tangere & concernere posset negotium per omnia in se assumptis ac levatis, matura etiam & exacta intra se animi deliberatione præhabita, sponte & benevole, vivæque vocis suæ eloquio fassus sit pariter & retulerit taliter; qualiter nimirum idem dominus fatens animo crebrius perpendens, ac serio omnino revolvens quot quantaque beneficia de manu Dei in collatione etiam bonorum temporalium, seu jurium possessionariorum acceperit, proinde gratum se cupiens vicissim exhibere pro promovendo divini numinis cultu se etiam annuatim sexcentos Florenos Rhenenses patribus fratribus Camaldulensibus eremi Zobriensis prope hanc civitatem Nitriensem in comitatuque nominis ejusdem situatæ in rationem ratæ medietatis fundationis ejusdem eremi se recipientis cedere debentes, durante vita sua & conthoralis suæ generosæ ac magnificæ dominæ Judithæ Gellerth, numerare & præstare velle atque teneri obligasset & appromisisset, quemadmodum se ad id obligat & appromittit, nomine etiam attactæ conthoralis suæ. Ut autem de præscriptis sexcentis Florenis modalitate prævia annuatim pendendis etiam post fata antelati domini fatentis & præscriptæ consortis suæ, iidem patres fratres securi valeant esse, mox & de facto bona sua Also Elephantensia cum castello ibidem extructo & habito in Also Elephantensia cum cunctis eorumdem appertinentiis & utilitatibus quibuslibet eisdem patribus & fratribus Camaldulensibus Zobriensibus obligat & inscribit in summa Florenorum decem millium, ut ex horum annuo interesse memoratos sexcentos Florenos continuo habere possint. Hoc tamen per expressum declarato, ut casu, quo prælibatum dominum fatentem, priusquam prædeclaratam consortem suam dominam Juditham Gellerth dictam decem millium Florenorum summam eidem conventui seu claustro Zobriensi patrum Camaldulensium pro capitali ratæ suæ mediæ portionis seu fundationis ipsum dominum fatentem respicientis deposuerit sine ullo juris strepitu, tergiversationeque absque omni prædicti conventus eamdem summam levare, dictaque bona & castella remittere debeat ac teneatur ipso facto. Harum nostrarum vigore & testimonio literarum mediantes, datum feria secunda proxima post dominicam primam Adventus Domini, anno ejusdem M. DC. XCV. Nos itaque humillima hujusmodi supplicatione pro parte memoratorum patrum fratrum Camaldulensium eremi Zoboriensis nostræ modo, quo supra, producta majestati regia benignitate exaudita clementer admissa præscriptas capitulares literas fassionales præfati baronis Nicolai Jaklin, non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes præsentibus literis nostris de verbo ad verbum sine diminutione & augmento aliquali insertas & inscriptas quoad omnes earumdem continentias, clausulas & articulos eatenus, quatenus eædem rite & legitime existunt emanatæ, viribusque earumdem veritas suffragatur, ratas, gratas & acceptas habentes, præmissis obligationi, appromissioni & scriptioni præcensiti baronis Nicolai Jaklin, nomine etiam antelatæ

telatæ conthoralis ejusdem Judithæ Gellerth factas, aliisque omnibus & singulis superius in tenore præinsertarum literarum fassionalium uberius contentis & expressis nostrum regium consensum benevolum pariter & assensum præbuerimus, imo præbemus, & easdem regia nostra auctoritate & potestatis plenitudine confirmamus, ratificamus & approbamus, salvo jure alieno. Harum nostrarum, quibus sigillum nostrum secretum, quo videlicet ut rex Hungariæ utimur, appensum est, vigore & testimonio literarum. Datum in civitate nostra Vienna Austriæ die prima mensis julii Domini M. DC. XCVI. regnorum nostrorum Romani XXXVIII. Hungariæ & reliquorum XLI. Bohemiæ vero XL.

CLXXIX.

Augusti II. Poloniæ regis diploma pro Eremo Wigrensi.

Anno 1715. XXVIII. julii.

Ex archivo ejusdem eremi.

Augustus II. Dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Sagomitiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czernierchoviæque, necnon hæreditarius dux Saxoniæ, & princeps elector reverendissimis in Christo perillustribus ac generosis dominis Uladislao Sapiecha, episcopo Sagomitiæ, abbati Paradisensi, Valentino Arcemberski episcopo Kioviæ, abbati Sieriechoriensi, Petro in Przebendovv Przebendovvski palatino Inflantiæ, Maximiliano Graffo ex Mæczyn Osolinski thesaurario curiæ regni Poloniæ Drohicensi Chmielnicensi &c. capitaneo, Carolo Henrico de Leubnicz venatori curiæ regni Poloniæ ac magni ducatus Lithuaniæ, barono Goltz, generali leitnanti exercituum nostrorum, Novodvorscensi, Srzedcensi &c. capitaneo, Adamo Doregovvski vice-instigatori regni, Sigismundo Vallo capitaneo Framborscensi administratori œconomiæ nostræ Grodnensis, Mathiæ Grabovvski dapifero Kyoviæ aulico nostro, Izbranto Oberztleitnanti exercituum nostrorum, constitutis commissariis enixe & sinceriter nobis fidelibus, gratiam nostram regiam. Reverendissimi, perillustrissimi ac generales domini sincerrime nobis dilecti conveniendo a nobis de noviter privilegio de data Varsaviæ in XVIII. mensis julii M. DCC. XV. patribus Camaldulensibus eremi Wigrensis in venationibus nostris œconomicis Perslunensibus & Prelonensibus in districtu Grodnensi adjacentibus in insula Wigry per serenissimum antecessorem nostrum Johannem Casimirum fundati, respectu combusti illorum originalis juris & privilegii fundationis benigne concessis; volendo autem prædictos patres in pacifica in perpetuum confirmare possessione, consuluimus ad id negotium per impositionem auctoritatis nostræ regiæ, inito maturo consilio cum reverendissimo in Christo patre Hieronymo Grimaldo archiepiscopo Edessensi pro tunc a sede apostolica delegato nuncio, sinceritates & fidelitates vestras cum plenaria facultate & decisiva sententia ad eum locum destinare, prout præsentis commissionis nostræ instrumento deputamus & mandamus, auctoritatemque nostram regiam in personas sinceritatum & fidelitatum vestrarum imponimus, enixe desiderando, ut indilate accepto hoc instrumento nostro ad prædictas venationes descendendo præmissis ambabus partibus innotescentialibus & congregatis omnibus subditis ibidem delegatam jurisdictionem commissariam in aula nostra Pomoro vel Olkusz dicta, fundata, non obstante unius vel alterius absentia, patribus Camaldulensibus eremi VVigrensis, in primis bona nostra in privilegio a nobis destinato, confirmata & specificata cum lacubus proprie nominatis, & fluviis ad lacus & ex lacubus profluentibus, uti fluvio Mikoszuvvka, & a Gresokie profluente in Krulevvka, in Saienko, Blizna, Dluiance, Klonovvnica. Salva lacuis & iisdem fluviis defluitatione mercium Silvestriarium ex propriis nostris nostris nemoribus, & non ex dislimitationibus patrum Camaldulensium evectis. Similiter omnibus fluviis in limitatione silvarum nostrarum adjacentibus, etiam patribus Camaldulensibus in silva propria libera defluitatio patebit, in realem & perpetuam tradetis possessionem, & quamlibet villam distincte secundum specificationem dimensis & signis metalibus per dimensarium nostrum juratum extructis, authentico inventario composito reddetis: Sylvas vero nostras Osoka ad easque spectantia, & alias villas Rady, Smolnice, Dasimiodovvæ, Uchody, Dvvorne prope Servvy & Bnszica, Wgainie, Polesne lacus & fluvia, quæ extra conscripta privilegii in iisdem venationibus reperirentur, hæc omnia ad venationes nostras adjungetis, & plena in his facta ordinatione & revisione in administrationem generoso Domino Przeyce subvenatori nostræ curiæ tradetis; qui ex prædicta administratione præcise a thesauro nostro dependere & fide-

fidelem calculum reddere debebit. Omnem denique obedientiam subditorum ex utrisque partibus statuetis & inventariis disponetis. Et quoniam pars magna silvæ prope eremi Wigrensis patribus Camaldulensibus ob commoditatem illorum juxta inferius specificatæ dislimitationis in perpetuum assignatur, diligenter in hoc curam sinceritates & fidelitates vestræ facietis, & hæc dislimitatio in circum per nominatum distributorem juratum & homines scientificos signis metalibus obsignata & fundamentaliter determinata sit, itaut ex inde nulla nova collusio vel dubietas exoriri possit, quid ex ore, oculis subjecta sinceritates & fidelitates vestræ statuetis. Hujus vero nemoris patribus Camaldulensibus perenni seculo assignatæ talis esse debet circa sinceritates & fidelitates vestras dislimitatio. Incipi imprimis debet limes juxta cursum Solis trahentis ab ipso ponte alto in fluvio Hancza, via qua currit ex Seyny ad rubram Crucem, exinde sub loco, ubi pix liquida præparatur, Ostæp Mekinie in sinistra manu, via publica Toboliensi ad Plociny currente, ad vallum quondam fossum, per vallum transeundo recte, ad viam Ploczyczanensem, ad Kuriaki parva trahentem, prope Ostæp magnæ silvæ, postea circa Ostæp Zylina nihil usurpando, Ostæp recte per Dembrovva ad viam Suvvalcensem per viam ad Wulka trahentem sub cornu sylvæ, exinde per latus lute circa Ostæpe Koropce, limites villæ Kukovv relinquendo, Ostæp in sinistra manu, & villam in dextera, exinde campis circa locum negotiationis equorum, qui in manu dextera manebit, & recte ad lacum Okmin per finem Obliq ad veterem viam, qua procedit a Zyvva Woda ad lacum Okmina per lutum recte circa tumulum Paganorum per Grzæda ad pontem in fluvio Hancza, exinde fluvio circa campos Milczyczenses in altum fluvio circa prata, recte per montem Krzemienna in dextera manu relinquendos postea ad Ostæp Szelmeta relictis a sinistra manu, exinde per Dombrovva ad Biatorgi relicto Ostæp a sinistra manu, deinde ad fluvium VViatroluza, a VViatroluza in porrectum ad lacum Krolovvko, a Krolevvko ad finem Zubrovv, relinquendo in sinistra manu sylvam Jeglenieo, & lacum a dextera, exinde ad finem lacus longi circa lacum prope laterariam Krasna ad locum picis liquidæ & Pieczyska & vallum constructum, via Scynensi, exinde Dombrovva, ad antiquam Ruda Plyt, alias Macick nominatum, per finem Ostæp Plytensis luto ad fluvium Hancza, & sic fluvio usque ad pontem altum, & ita finietur limes, variis nominibus & cognominibus significatus, quam signis metalibus perfecte sinceritates vestræ signare jubebitis, & in inventariis ad invicem conscribebitis. Adiit nos etiam a thesauro nostro relatio, quod perillustres & generosi domini incolæ sylvis nostris adhærentes in antiquis limitibus inventariis specificatis notabile fecerunt detrimentum, & insignes sylvæ nostræ partes sibi usurparunt, diligenter sinceritates & fidelitates vestræ de hoc curabitis, ut specificate limites secundum inventaria antiqua etiam vallis renovatæ sint, & adsciscitæ secundum legem. VVstæpy, Barinæ & Sianozecia hucusque usurpatæ secundum justitiam ad venationes nostras adjungetis, tabernas Rudy, elaboratos compos Nevelos, & prata in finibus sylvarum nostrarum constituta auctoritate nostra regia cassabitis & decreto commissionis secundum ipsam justitiam roborando ductum sylvæ antiquæ renovare jubebitis. Item respectu villæ antiquæ nominatæ Olszanka & a sylvis nostris per plebatum Berznicensem, quo jure abscissa fundamentalem illius juris faciendo investigationem, illam sylvis nostris incorporare non intermittetis. Et quoniam propter faciliorem & proficuum nominatæ fundationis patrum Camaldulensium eremi Wigrensis fundamentum duas villas jaculatorias siquidem hucusque ad prædictas sylvas spectabant, attamen propter magnam distantiam satisfaciendi obedientiis suis, statutis munitis respectu diligentis curæ animalium & aliorum servitiorum, vehiculos ad deportanda animalia, sufficienter adimplere non possunt. Tandem ad nominatam fundationem liberando illos ab obsequiis jaculatoriis, eosdem nobis adjungere placuit & alios aptiores jaculatores in propinquioribus sylvæ villis collocare. Ergo sinceritates & fidelitates vestræ has duas villas jaculatorias uti Zavvadzice & Zydmola cum fundis Naydzickovvscensibus & Jarzynovvscensibus & cum mergis pratoriis & dislimitatione in realem tradetis possessionem, quemlibet illorum specifice in obsequiis aulicis utriusque sexus inventariis nominando, & omnia illorum antiquiora jura, documenta & dislimitationes his villis adhærentia in manus possessorum reddetis. Et subinde sufficientes jaculatores circa villas Osocenses in fundis censualibus propter custodiam animalium & speditionem vehiculorum contributionem Plachtovve census, & Dzieckta juxta antiquos mores in villis nostris adjacent. Ut in villa Kurianki parva & magna in Giby, Szkazduby, Blindzie & Bochatyry in obsequio jaculatorio

latorio in æquali portione quinquaginta duorum mansorum agri, dando ipsis statuta in scripto juxta antiquas venationes Magni ducatus Lithuaniæ collocabitis, statuetis & sub dispositionem venatoriam reddetis, secundum privilegium nostrum propter sustentamentum nominati eremi Wigrensis & statuitionem prædii pro crescentia in villa Obuchovv, mansos agri xv. in uno Obsæbie in omnibus tribus locis campi per quindecim mansos agri numerando cum pratis & additamentis ad eosdem mansos agri pertinentes, & villam Sovvolcstvka cum omnibus attinentiis in latifundio Kotrzanensi Pastunensi; porro villam Starozynce, Rakovvicze & Prolecyki ex œconomia nostra Grodnensi spectantibus ad illas agris, morganis & pratis secundum inventarium obsequiis, censibus, propinationibus subditis utriusque sexus & illorum obsequiis ex munificentia nostra adjungetis, & inventario cum specificatione hominum in illis manentium patribus Camaldulensibus in perpetuum reddetis possessionem, nihil ex illis villis reservando, neque ad œconomiam nostram appropriando, a jurisdictione œconomica separabitis. Salvo tamen jure advitalitio utriumque partium generosorum advitalitiorum ad præsens privilegiatorum, quorum census ab hinc possessoribus spectabit, quod intelligendum e converso de Advitalitialibus in renatia Przelomensi & Perstunensi cum contractibus & legibus manentibus, circa quæ conservabuntur. Et quoniam prædium Obuchrw in ipsis campis sine sylvis permanet pro reparatione ejusdem prædii ex sylvis venationis Stryiovviensis arida & jacentia ligna cum scitu generosi domini venatoris nostri, aut ejus vicesgerentis decreto commissoriali assignabitis sine ulla solutione, census autem adjuratos in Garyssa districtus adjurati tam villarum, tabernarum, officinarum ferri-fabrorum ad eamdem fundationem Wigrensem pertinentium separatim, uti & villarum Osocensium, Strzelecenzium, Rudy, & Smolnica tabernarum ad sylvas nostras spectantium seorsive sinceritates & fidelitates vestræ separabitis, ex quibus una villa nominata Szurpity in præpeditione magna animalibus existens, demolita omnino esse debet; quoniam in duobus censibus vulgo Dymy, adjurata est, tandem hos duos census vulgo Dymy sinceritates & fidelitates vestræ tali separabitis modo, hoc est census unus vulgo Dym tali distinguetis modo, hoc est census unus vulgo Dym pro Osocko villa Kolnice, & secundus census vulgo Dym pro villa Krzyvvulka patribus Camaldulensibus pro complendo numero censuum, nempe Dymovv taryffarum imponere non intermittetis. Ante omnia tamen census nempe Czopovve Szelæzne in judiciis fiscalibus ejusdem districtus auctoritate nostra regia ducta proportione summarum propinatialium secundum solam justitiam, ut utræque subditalitium per inventuosum gravamen census, nempe Czopovvego oneratum ne sit, in solis tantum tabernis statuere & specifice dividere, tandem per extractum eximere, & ambabus partibus distincte reddere curabimini. Processus vero juridicos, decreta, documenta & omnia requisita, sicut inventaria vetera dislimitationum hucusque conquisita, sinceritates & fidelitates vestræ sub fide & conscientia, patres Camaldulenses ad manus sinceritatum & fidelitatum vestrarum fideliter extradent, ut omne vestigium usurpatæ hucusque indebitæ possessionis eradicari possit operam daturi. Aliæ autem villæ si cum præpeditione animalibus extra limites patrum Camaldulensium inveniri possint, uti villa Szeszupa, & aliæ Rudziska indilate demoliri mandabitis, ex qua domos subditis ubicumque volueritis, transportabitis, nullam seminationem pro hieme concedendo in ejusdem locis. Prædium in Olkusz cum capella ad prædium Proleyki patribus Camaldulensibus transportare cum omni suppellectili, item apes ex aula Olkuszoviensi Romorzcensi, & ex alverio conducere mandabitis, & debita in caduca villis contributionis mellariis remanentes patribus Camaldulensibus liberam cum scitu aulæ nostræ concedetis repetitionem. Ad hoc prædium Pinetum penes sylvam nostram Perslunensem post fluvium VVolkusza spectare debebit circa prata claustralia & villarum prædialium juxta antiqua inventaria ad campos pertinentes patribus Camaldulensibus conservabitis, etiam in Mergis veteribus Oromy. Bonam interim a Domino Deo præcamur salutem. Datum Varsaviæ die XXVII. mensis julii anno M. DCCXV. domini nostri XVIII. anno.

AUGUSTUS REX.

Loco ✠ Sigilli.

MD. ex Tæczyn Ossolinski thesaurarius curiæ regni Poloniæ.

Jacobus Justinus Bogustavvski sigilli aulæ sacræ regiæ majestatis secretarius.

CLXXX.

CLXXX.

Caroli VI. Diploma pro eremo Rubriclaustri in Hungaria Ex autographo ejusdem eremi.

Anno 1716. xv. Decembris.

Ex antiq. Rubri-claustri.

CArolus VI. Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ Sclavoniæque prorex, archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniole, marchio Moraviæ, comes Habspurgi, Tyrolis & Goritiæ &c. fidelibus nostris spectabilibus ac magnificis comitibus Nicolao Palffy ab Erdod, dicti regni nostri Hungariæ palatino, judici Cumanorum, aurei Velleris equiti & locumtenenti nostro regio, Stephano item koharii de Csabragh & Szittnya judici curiæ nostre regiæ; demum Johanni Palffy a prædicta Erdod antelatorum regnorum nostrorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ bano, necnon Sigismundo Csaky de Heresztszegh tavernicorum nostrorum regalium per Hungariam magistro & intimis conciliariis nostris; præterea magnifico baroni Johanni Horvath Simonesich, personalis præsentiæ nostræ regiæ in judiciis locumtenenti & consiliario, eorumdemque vicesgerentibus & magistris, prothonotariis ac tabulæ nostræ judiciariæ regiæ juratis assessoribus, ac totis quorumlibet præfati regni nostri Hungariæ, signanter vero Scepusiensis comitatuum universitatibus, cunctis denique cujusque status, gradus, honoris, dignitatis, officii & preeminentiæ hominibus subditis nostris præsentium notitiam habituris salutem & gratiam. Demisse representatum exstitit majestati nostræ nominibus & in personis religiosorum patrum sacri ordinis Camaldulensium eremitarum Rubriclaustri sancti Antonii de Lechnicz, qualiter a multis retroactis annis prænotatum claustrum seu eremum & barchusiam de Lechnicz diversis seculares, & postremo comes olim Paulus Rakoczy ex inscriptione regia in anno adhuc millesimo sexcentesimo vigesimoquinto eidem facta in & pro trigintaquinque millibus Florenorum Hungaricalium sub evictione fisci nostri regni tenuissent & possedissent; tandem vero a præfacti comitis olim Pauli Rakoczy hæredibus omni eo jure, quo iidem possederant, adeoque cum & sub mentionati fisci nostri regii evictione reverendus quondam Ladilaus Mattyasowszky, donec in humanis ageret, episcopus Nitriensis & regius Hungaricus aulicus cancellarius præattactum claustrum propriis suis pecuniis, vindicatum & redemptum cum universis ad idem de jure & ab antiquo spectantibus bonis & juribus possessionariis titulo perpetuæ fundationis sub suo modo persolvendis spiritualibus oneribus testamentaliter legasset, & in firmiorem eorumdem bonorum possessionem universus quoque literas & literalia documenta factum eorumdem bonorum tangens & concernentia, per manus etiam iisdem resignari ordinasset, iidemque patres eremitæ Camaldulenses eorumdem bonorum dominium legitime apprehendentes, aliquot jam annorum intervallo possessionem eorumdem continuassent, continuarentque etiam de præsenti: nihilominus tamen essent nonnulli bonis dictorum exponentium advicinantes nobiles, qui tam ratione præattactorum bonorum, quam vero eorumdem territoriorum, memoratos patres exponentes, jurium & legum regni vel ex eo quod in sua clausura juxta institutum ordinis asceticam ducerent vitam minus expertos diversis judiciariis processibus impetere, eosdemque in pacifico piæ fundationis usu & dominio turbare, & soli cultui divino intentos distrahere, imo quandoqne nec sufficiens tempus pro evocando evictore, vero, fisco utpote nostro regio eisdem concedere non dubitarent, non sine manifesto eorumdem exponentium damno & præjudicio, præattactæ vero piæ fundationis derogamine evidentissimo. Quia vero mentionati exponentes in iisdem bonis Lechnicziensibus fiscum, ut præmissum est, nostrum regium suum legitimum haberent evictorem, simul & in juribus suis defensorem, supplicatum itaque extitit majestatis nostræ nominibus & in personis prædeclaratorum patrum exponentium debita cum instantia humillime, quatenus eosdem sub benignam protectionem nostram assumere, tuitionem & protectionem ipsorum, alias fisco nostro regio competentem, fidelitatibus etiam vestris modalitate infra declarata benigne admittere dignaremur. Quorum nos demissa supplicatione velut æquitati consona clementer exaudita & admissa, siquidem aliunde etiam pro suscepto gloriosi regiminis nostri munere, universos & singulos fideles subditos nostros, præsertim vero ecclesiam Dei, earumdemque pias fundationes clementer conservare & manutenere velimus, preassumptæque per felicis reminiscentiæ

præ-

prædecessores nostros in fiscum nostrum regium evictioni satisfactum iri cupiamus. Quocirca fidelitatibus vestris & vestrum quibus supra singulis, signanter vero comitatui Sepusiensi, harum serie firmiter committimus & mandamus, quatenus a modo imposterum præfatos patres Camaldulenses dictæ eremi sancti Antonii de Lechnitz in eorumdem bonis & juribus possessionariis, veluti sub evictione fisci nostri regii constitutis contra universos violentos, & illegitimos eorumdem turbatores & impetitores protegere, defendere, defensandoque manutenere respectu aliorum quorumvis erga prænotata bona & territoria ipsorum prætendentium, & lite impetentium, ne per arctiores terminos iisdem præfigendos legali fisci nostri regii assistentia & evictione destituantur, ac idem ad tuenda & defendenda jura ipsorum commode evocari & comparere possit, debitum ordinem & modum in legibus præscriptum observare velitis, debeatisque & teneamini, auctoritate nostra regia vobis in præmissis per nos plenarie concessa & attributa, jureque & justitia mediante, secus itaque non facturi, præsentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum in civitate nostra Vienna Austriæ die decimaquinta mensis decembris anno Domini M. DCC. XVI. regnorum nostrorum Romani sexto, Hispaniarum decimo-quarto, Hungariæ vero, Bohemiæ & reliquorum anno similiter sexto.

CAROLUS.

Comes Nicolaus Icleshazy.
Ladislaus Hunyady.

CLXXXI.

Aliud ejusdem pro eadem eremo.

Anno 1720. XXII. martii.

Ibidem.

NOs Carolus VI. Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ *&c.* rex, archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carintiæ, Carniolæ, marchio Moraviæ, comes Habspurgi, Tirolis, & Goritiæ *&c.* Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes, quibus expedit universis, quod postquam reverendus olim Ladislaus Matyasovvszky episcopus Nitriensis & Hungaricus aulicus cancellarius ante quindecim circiter annos claustrum Lechniczense in comitatu Sepusiensi situatum pro religioso alias ordine Carthusiano antiquitus fundatum, sed ob temporum bellorumque injurias jamdudum per dictos Carthusianos religiosos totaliter desertum est, post vero ad manus & possessionem laicorum deventum una cum ejusdem bonis & appertinentiis ad idem spectantibus, e manibus eorumdem secularium redimendo & vindicando, vigore testamentariæ suæ dispositionis per gloriosissimæ memoriæ imperatorem ac regem Leopoldum dominum olim genitorem & prædecessorem nostrum desideratissimum benigne confirmatæ, religioso pariter ordini Camaldulensium possidendum reliquisse, memoratique patres Camaldulenses post subsecutam intestinorum adhuc in præfato regno nostro Hungariæ perniciose vigentium Rakocziano-Berchinianorum tumultuum conspirationem, ejusmodi Claustrum & bona eo spectantia adeundo, idem & ecclesiam ibidem habitam ruinæ alioquin proximam restaurare, solitumque servitium & officium divinum administrare satagendo, mentionatum Carthusianorum ordinem dicti Claustri & bonorum sibi primitus fundatorum redemptionem & rehabititionem ad se pertinere, super indeque Ferdinandæam assecurationem se habere prætendere, adeoque præfatorum patrum Camaldulensium actualium alioquin possessorum intentionem impedire velle subintellexissent, prælibatus Carthusianorum ordo, de & super præfati monasterii redemptione per reverendissimum in Christo patrem & serenissimum cardinalem de Saxonia cognatum & amicum nostrum nobis sincere dilectum auctoritate ejusdem archiepiscopali & archidiœcesana iteratis viribus, medio generalis quoque ejusdem ordinis visitatoris admonitus extitisset, cathegorice tamen semet eatenus neutiquam resolvisset, huicque nos hujusmodi differentiam mutuo vigentem determinatam habere cupientes benigne resolvissemus, ut antelatus Carthusianorum ordo, si mentionatum Claustrum Lechnicz una cum bonis eo spectantibus ab altero dicto Camaldalensium ordine omnino rehabere & redimere velit, ejusdem redemptionem intra trimestre spatium sub pœna præclusi & perpetui silentii instituere sit obligatus; ejusmodique benignam resolutionem & declarationem nostram religioso ac honorabili quondam Anselmo Incskc præfati Carthusianorum ordinis per Germaniam & Poloniam visitatori generali & per eum quibus competivisset, vigore benigni Cæsareo-regii rescripti nostri sub da-

to in archi-ducali ista civitate nostra Vienna Austriæ die XVIII. mensis februarii M. DCC. XIII. emanati clementer intimari fecissemus, qua benigna resolutione & commotione nostra per præfatum visitatorem generalem demisse percepta & intellecta humillimum ad majestatem nostram recursum faciendo in eo suppliciter institisse, quatenus considerato penurioso temporum statu & calamitatum plenissimis circumstantiis, sub pœna præclusi ad trimestre spatium restrictum, dictæ Lechniczensis Carthusiæ habitationem ad feliciora tempora clementer prorogare dignaremur; erga cujus humillimam instantiam præfatæ Carthusiæ redemptionem ad feliciora omnino tempora votum extendendam & prorogandam esse, sæp. fatum tamen Camaldulensium ordinem usque ad rehabitionis tempora immemorata Carthusiam ædificare, & quæcumque pro bono & emolumento ejusdem opportuna & proficua facere adinvenerit, exequi & effectuare valere, sub dato diei secundæ mensis octobris M. DCC. XIII. clementer ressolvissemus. Dein vero tractu temporis, licet quidem religiosi ordinis Camaldulensium occasione requisitionis literarum & literalium instrumentorum eamdem Carthusiam concernentium certas quasdam serenissimi quondam principis Ferdinandi primi Romanorum imperatoris & regis Hungariæ prædecessoris nostri gloriosæ reminiscentiæ pro rev. Georgio Pornemisza electo episcopo Csanadiensi, & præposito illius temporis ac capitulo Scepusiensi factas donationales, quibus mediantibus idem imperator & rex dictam Carthusiam religiosis Carthusianis destitutam simul cum cunctis ejusdem bonis præposituræ Scepusiensi ad beneplacitum suum certis ex respectibus in eadem donatione uberius declaratis benigne concessisse dignosceretur reperissent, consequenterque religiosorum Carthusianorum ordinem jam totum omne jus suum in eodem Claustro seu Carthusia Lechniczensi habitum amisisse, edocere potuissent. His tamen non obstantibus repetitus Camaldulensium ordo omne studium suum in eo impendisset, ut seposito hujusmodi instrumento benigno solum prælibato decreto nostro humillimum morem gerendo, consopitis proxime præteritis intestinis præfati regni nostri Hungariæ motibus, subsecutoque dein bello Turcico, divino numine felicem Cæsareo-regium armorum nostrorum progressum secundante, nuper cum notabili hæreditariorum regnorum & provinciarum nostrarum augmento terminato, ac alma pace cum porta Ottomanica inita & conclusa existente, medio religiosi patris fatris Matthæi Krans præattacti Claustri Lechniczensis superioris, partim ob multifariorum laborum & fatigiorum per tot annorum decursum hoc in passu factam insumptionem, partim etiam expensarum in reparationem dicti Claustri conversarum ultra quinque millia florenorum constituentium erogationem, de procuranda controversia hujusmodi accomodatione collaborando, ad certam quampiam cum prælibato visitatore Carthusianorum sub dato in Carthusia Campi-regii prope Brunam die XXVI. mensis aprilis anni proxime præteriti M. DCC. XIX. emanatam devenisset conventionem, vigore cujus modo fatus visitator pro se & omnibus Carthusiis ad provinciam suam spectantibus a prima maji anni præteriti M. DCC. XIX. usque ad festum Omnium Sanctorum ejusdem anni, jus redemptionis in prædicta Carthusia seu Claustro Lechnicz pro summa 30000. Florenorum Germanicalium cum aliis particularibus summis in conservationem & reædificationem modo fati Claustri, œconomiamque per præfatos religiosos Camaldulenses impendendis fiendæ reservasset, ac pro illo casu si ejusmodi redemptionem ad præscriptum terminum ab utrinque acceptatum negligi seu transire contingeret, semet pro eodem termino jus perennalitatis & perpetuitatis in dictam Carthusiam cum universis ejusdem appertinentiis de jure ad eamdem spectantibus, mediante ipsius Carthusianorum ordinis patre generale prælibato Camaldulensium ordini ex tunc daturum obligasset & compromisisset. Quo quidem visitatore Anselmo Incskc, antequam conditionibus præscripti contractus satisfieri potuisset, fatis functo, repetitus Camaldulensium ordo medio antelati superioris Lechniczensis iteratis vicibus priorem Carthusiæ Maurbachensis religiosum patrem Benedictum requirendo, siquidem nihil certi apud eumdem exoperari valuisset, adeoque præmissum in finem pro ex mittendo ad modo dictum priorem Maurbachensem cancellariæ nostræ regiæ Hungariæ aulicæ jurato notario, ac per eumdem petenda finali quapiam resolutione institisset. Idemque cancellariæ exmissus cum modo fato priore personaliter constitutus, ab indeque reversus eumdem patrem priorem hoc & idem, quod quemadmodum antedictus contractus non inter eumdem, ast priorem Carthusiæ Campi-regii intercessisset; ita ab eodem contractualium conditionum adimpletio prætendi non posset. Verum si superiores sui eatenus aliquid determinaverint, ipsemet nullatenus contrarius foret, responsi loco dedisse fideliter retulisset.

fet. Ex quibus præmissis cum sæpenominatus superior Camaldulensium Lechniczensis amicam accommodationem sperare non potuisset, majestati nostræ demisse supplicavit in eo, quatenus nos præ primis quidem occasione Ferdinandeæ illius intra toties repetitam Lechniczensem Carthusiam per religiosos illius ordinis eo tum desertam factæ dispositionis, benigna consideratione habita, eidem Carthusianorum ordini circa prætensionem juris sui semiduobus ab hinc seculis amissi perpetuum silentium imponere, sæpe autem fato Camaldulensium ordini in apostolico regno nostro reflorescenti eam Lechniczensem Carthusiam seu Claustrum simul cum ejusdem juribus & appertinentiis universis jure perpetuo tenendum & possidendum clementissime conferre dignaremur. Cujus demissa instantia & supplicatione tamquam justa & legitima regia benignitate clementer exaudita & admissa, cum & alioquin etiam sensu tituli undecimi partis primæ operis decreti tripartiti universarum in præfato regno nostro Hungariæ fundatarum ecclesiarum & quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum collatio regiæ majestati nostræ competeret, ejusmodique legalis auctoritatis jure sacratissimum olim imperatorem & Hungariæ regem Ferdinandum primum toties fatum monasterium Lechniczense ex præscriptis causis & rationibus illius temporis præposito & capitulo Scepusiensi usque ad beneplacitum suum & pacatiora tempora, cum ea enim conditione contulisset, ut modo dicti donatarii, ipsorumque successores attenderent & advigilarent, ne dictum monasterium cum suis appertinentiis in manus prophanas devenire, vel ab aliquibus violentis furtim aut palam intercipi, aut alio quovis modo ab ecclesiastico ordine abalienari contingeret; unde manifestum esset bene memorati imperatoris & regis eam fuisse mentem & intentionem, ut cultus divinus ibidem neglectus, omni, quo meliori fieri poterat, modo restauraretur, constanterque continuaretur; Et litem contra salutarem hanc antefati imperatoris & regis intentionem Claustrum illud cum suis appertinentiis ad manus secularium (injuria temporum ita ferente) devenisset, abindeque per præfatum episcopum Nitriensem Ladislaum Matyasovsky pro præspecificata summa triginta millium Florenorum revolutum, postquam dicto Camaldulensium ordini per eumdem legatum extitisset, idemque ordo realem etiam ejusdem possessionem obtinuisset; nos ex summo patronatus jure hujusmodi possessionem pro eodem Camaldulensium ordine in perpetuum stabilire & confirmare valuissemus, ad instantem nihilominus supratactorum Carthusianorum apud nos eatenus factam supplicationem toties dicti Claustri & appertinentiarum per Carthusianos instituendam redemptionem ad feliciora tempora prorogandam esse clementer admisistemus, cui quidem benignæ resolutioni nostræ affulgente pace præattactus Carthusianus prior & visitator Anselmus Jencske satisfacere cupiens, tametsi sub cautela & conditione præscriptis de fienda sæpefati Claustri Lechnicz redemptione cum præattacto moderno Camaldulensium superiore Lechniczense sponte ac benevole transegisset, nihilominus tantum absfuisset, ut hujusmodi contractui in præsentiarum usque satisfactum extitisset, quin potius ex successoris ejusdem visitatoris Carthusianorum, prænuncupati nempe prioris Maurbachensis responso cancellariæ nostræ regiæ Hungaricæ aulicæ eatenus ex misso dato, clarius appareret, se præfatum contractum non invenisse, adeoque a determinatione suorum superiorum hoc in passu præstolari velle; cum tamen contractus paciscentibus legem ponerent, ac articulo VII. anni M. DCC. XV. sancitum haberetur, in religiosorum superiores contractus suorum prædecessorum cum secularibus (cum quibus quoad possessionem bonorum æqualia essent ecclesiasticorum & religiosorum in præfato nostro regno Hungariæ jura) debita formalitate & sollemnitate initos & authentico scripto roboratos observare teneantur. Hinc legibus, rationibus & motivis expræmissis, ut tam bene memorati divi imperatoris & regis Hungariæ Ferdinandi primi salutari intentioni, quam etiam præattacti episcopi olim Nitriensis Claustrum hoc e manibus secularium redimendis piæ dispositioni satisfiat, ipsique Camaldulenses pro ordinis sui instituto ædificia cum gravi laborum & sumptuum profusione capta continuare queant, taliterque cultus divinus firmius restabiliatur & constanter continuetur, sæpefatum Claustrum Lechniczense cum omnibus appertinentiis & juribus, quibus ipsi Carthusiani a primævæ fundationis tempore illud possedissent, ex fundamento supremi juris patronatus nostri regii, quod generaliter in conferendis omnibus prælibati regni nostri Hungariæ, partiumve eidem annexarum ecclesiis & earum beneficiis, ad instar divorum quondam Hungariæ regum, prædecessorum videlicet nostrorum gloriosæ reminiscentiæ optimo jure habere & exercere dignoscimur, prænominato Camaldulensium ordini jure perennali conferendum, & toties re-

petito Carthusianorum ordini perpetuum eatenus silentium imponendum esse duximus, prout conferimus omnino & imponimus; salvo jure alieno. Harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo ut rex Hungariæ utimur, impendendi communitamur vigore & testimonio literarum. Datum per manus fidelis nostri nobis sincere dilecti spectabilis & magnifici comitis Nicolai Illeshazy de eadem hæreditarii in Threnesin, ejusdemque prout & Liptoriensis comitatuum supremi ac perpetui comitis, actualis intimi consiliarii nostri, & per dictum regnum Hungariæ aulæ nostræ cancellarii in civitate nostra Vienna Austriæ die XXII. mensis martii anno Domini M.DCC.XX. regnorum nostrorum Romani IX. Hispaniarum XVII. Hungariæ vero, Bohemiæ & reliquorum anno æque IX.

CAROLUS.

Comes Nicolaus Illeshazy.
Josephus Sigray.

CLXXXII.

Erectio eremi Maickensis in Hungaria.

Anno 1734. XVIII. aprilis.

Ex tabulario ejusdem eremi.

SAcræ, cæsareæ, regiæque catholicæ majestatis per regnum Hungariæ locumtenens Nos Franciscus Dei gratia dux Lotharingiæ, rex Hierosolymæ, marchisius, dux Calabriæ, Barri, Geldriæ, Montis-ferrati, in Silesia, Teschenæ *&c.* princeps Carolopolis, marchio Mussiponti & Nomenei *&c.* comes provinciæ Valdemontis, Albi-montis, Zutphaniæ, Sarvverdenæ, Salmæ & Falkensteinei *&c.* Damus pro memoria tenore præsentium significantes, quibus expedit universis, quod spectabilis ac magnificus comes Josephus Eszterhazy de Galantha, perpetuus in Frakno, arcium & dominiorum Sempthæ, Papa, Tata, Gesztes, Devecser & Ugod hæreditarius dominus, regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque banus, altefatæ suæ majestatis sacratissimæ actualis intimus consiliarius & camerarius, generalis Campi-mareschalli locumtenens, colonellus, comitatus Comaroniensis supremus comes, & confiniorum Colapianorum, Vunanorumque supremus capitaneus, anno & die, locove datarum præsentium coram nobis personaliter constitutus certam quamdam Latino idiomate in stylum redactam, ac pro parte sacri ordinis eremitarum Camaldulensium de Monte-corona nuncupatorum celebratam, eidemque denuo relectam, ac in omnibus punctis, clausulis, paragraphis & articulis per memoratum comitem fatentem confirmatam & ratificatam exhibuerit & præsentaverit perennalem fassionem hujusmodi tenorem in se complectentem. Comes Josephus Eszterhazy de Galantha perpetuus in Frakno, arcium & dominiorum Sempthæ, Papa, Tata, Gesztes, Devecser & Ugod hæreditarius dominus, regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque banus, sacratissimi principis, ac domini domini Caroli sexti Dei gratia electi Romanorum imperatoris semper augusti, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæque regis, archi-ducis Austriæ, ducis Burgundiæ *&c.* actualis intimus consiliarius, camerarius, generalis campi-marescalli locum-tenens, colonellus, comitatus Comaroniensis supremus comes & confiniorum Colapianorum, Vunanorumque supremus capitaneus ad perpetuam rei memoriam tenore præsentium significamus, quibus expedit, universis. Pio ac deliberato recolentes animo, quam pium, laudabile, Deoque ter optimo maximo acceptissimum sit ac salutare, dum de bonis temporalibus superna largitate nobis dispensatis quidpiam in thesaurum immarcescibilem & spem æternæ retributionis transfertur, quod vix unquam magis meritorie ac salubrius efficitur, quam cum claustra ac asceteria, in quibus religiosæ personæ abdicatis seculi deliciis pia sanctorum patrum imitantes exempla in assiduis orationibus jejuniisque, ac aliis christianæ pietatis operibus divinam misericordiam pro nobis possint ferventius exorare, fundantur & eriguntur. Hinc ad sacrum ordinem eremitarum Camaldulensium de Monte-corona nuncupatorum, arctiore utpote vivendi genere divino servitio mancipatum singularem gerendo amorem & affectum, assumptis in nos universorum quorumcumque hæredum ac successorum nostrorum oneribus, totale & integrum prædium nostrum vulgo Maik nuncupatum, inque inclyto comitatu Comaroniensi situatum, ac ad dominium nostrum Gesztes spectans, alias in diœcesi Jaurinensi existens & habitus cum universis agris, sylvis, pratis, pascuis ac piscinis, aliisque nuncupati prædii quocumque nomine vocatis appertinentiis simul ac ternis in contiguitate antelatarum piscinarum extructis molendinis, una cum pervetusto, quod aliunde religiosi cujuspiam ordinis antiquitas

tas fuisse manifeste dignoscitur, de quadratis in & extra lapidibus quondam magnifice extructo, injuria nihilominus temporum, pro dolor! pene desolato templo primo, & ante omnia ad debitam erga divinam clementiam pro multimodis nobis desuper concessis beneficiis contestandam gratitudinem, proque incremento solius divinæ gloriæ ac spirituali animæ nostræ solatio, rev. patri Ladislao Radossany, actuali quippe Hungarico-Germanicæ nationis vicario generali, ac per ipsum suo sacro ordini eremitarum Camaldulensium, in salutem ac refrigerium animarum nostrarum, parentum item & cognatorum, antenatorumque nostrorum tam vivorum, quam defunctorum sponte & libere, eaque juris perpetuitate, qua videlicet nos ac antecessores nostri ab antiquo possederunt vel possidere potuerunt, pro erigenda nova Camaldulensi eremo, honori gloriosi Christi martyris divi Johannis Nepomuceni dicanda, instituti que sui conformi domicilio extruendo, titulo fundationis conferimus, donamus ac imperpetuamus; ita quidem ut quidquid juris, dominii, ac libertatis in præmemorato prædio Maik suisque appertinentiis præattactis ad nos spectare dignoscitur, aut in futurum quoquo modo spectare dignosceretur, id totum præsentium per vigorem in præfatum rev. patrem Ladislaum Radossany vicarium generalem, totumque suum sacrum ordinem jam plene perpetuoque sub suis veris & antiquis limitibus, nullam juris, dominiique proprietatem nobis successoribusque nostris reservando, translatum esse declaramus. Et ut de præsentis voluntariæ donationis nostræ indubia effectuatione & certior reddatur sacer ordo Camaldulensis, non solum ad implementum hujus fassionis nostræ suis punctis & clausulis modo prævio circumscriptæ, nos successoresque nostros virtute præsentium obstrictos declaramus, quin & pro majori stabilitate & perpetua firmitate rei, recepta alioquin patrii juris nostri Hungarici sollemnitate in loco quopiam authentico vivæ vocis nostræ oraculo præmissa universa ratificabimus. Pro qua munificentia, beneficio, affectu & christiano zelo nostro, idem quoque rev. pater Ladislaus Radossany, alias ordinis prænuncupati per Germaniam & Hungariam vicarius generalis, a supremo tribunali Italico hac in parte sufficienter auctorizatus se & successores suos fide religiosa obstrictum, obstrictosque declaravit; præter diurna videlicet æque ac nocturna precum suarum suffragia ad infrascripta sacrosancta Missæ sacrificia perpetuis temporibus indubie celebranda. Et quidem pro avo nostro comite quondam Nicola Eszterhazy regni Hungariæ palatino Sacra duodecim; pro avia nostra comitissa Christina Nyary Sacra itidem duodecim; pro genitore nostro comite Francisco Eszterhazy duodecim; pro genitrice nostra comitissa Catharina Jokoly duodecim; pro fratre nostro germano comite Antonio quondam Eszterhazy duodecim; pro sorore pariter germana nostra comitissa Rosalia Eszterhazy comitis quondam Francisci de Battany consorte duodecim; non secus pro vivis de familia nostra Eszterhaziana universis duodecim; & pro defunctis modo dictæ familiæ nostræ duodecim singulis annis absolvenda; pro defunctis item familiæ sacri Romani imperii comitum ab Egckh & Hungerspach annue Sacra octo; ad intentionem porro nostram & consortis nostræ charissimæ Mariæ-franciscæ sacri Romani imperii comitissæ ab Egckh & Hungerspach hebdomadatim Sacrum unum; fatis vero cedentibus nobis præfata Sacra annue quinquaginta-duo constituentia pro refrigerio animarum nostrarum celebraturi. Anniversaria quoque quotannis divisim cum totidem Missæ sacrificiis quotquot pro tempore in toties fata eremo Maikensi reperientur presbyteri, adjunctis officiis Defunctorum, psalteriis Davidicis aliisque scriptis precibus eo quo supra conscientiæ obligamine se suosque successores absoluturum absoluturosve obstrinxit. Insuper ad præmissa universa jus regium sive consensum, sacræ item congregationis Romanæ approbationem, non secus episcopi diœcesani & rever. ordinis sui generalis, totiusque supremi tribunalis Italici proxime celebrandi Capituli generalis confirmationem semet toties memoratus rever. pater Ladislaus Radossany exoperaturum obtulit, successoresque suos eatenus obligavit. In cujus rei memoriam, firmitatemque perpetuam præsentes literas nostras fundationales, donationales propriæ manus nostræ subscriptione & usualis authentici sigilli nostri appensione roboratas extradendas & concedendas esse duximus. Datum in arce nostra Tata die XXVIII. mensis julii anno Domini M. DCC. XXXIII. Comes Josephus Eszterhazy mp.

Unde nos præsentes literas testimoniales super præinserta perennali fassione per titulatum comitem fatentem facta, & per eumdem prævio modo confirmata & ratificata, præmemorato sacro ordini eremitarum Camaldulensium de dicto Montecorona nuncupatorum jurium eorumdem futura, uberiorique pro cautela necessarias sub sigillo nostro secreto authentico

extra-

extradendas esse duximus & concedendas communi suadente justitia. Datum in libera regiaque civitate Posoniensi die XVIII. mensis aprilis anno Domini M. DCC. XXXIV.

FRANCISCUS MP.

Stephanus Dragschic.

CLXXXIII.

Diploma Caroli VI. imperatoris pro eadem eremo Maickensi.

Anno 1738. XXXI. maji.

Ex tabulario ejusdem eremi.

NOs Carolus VI. Dei gratia electus Romanorum imperator semper augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ *&c.* rex, archi-dux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Luxenburgi, Wierthenbergæ & Theke, superioris & inferioris Silesiæ, princeps Sueviæ, marchio Moraviæ, comes Habspurgi, Tyrolis, Ferreti, Kiburgi & Goritiæ *&c.* Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes, quibus expedit universis; quod patres eremitæ Camaldulenses Montis-coronæ medio demissi supplicis libelli sui Majestati nostræ humillime repræsentaverint, qualiter fidelis noster nobis sincere dilectus spectabilis & magnificus comes Josephus Eszterhazy de Galantha perpetuus in Frakno regnorum nostrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ banus, comitatus Comaroniensis supremus comes, generalis Campi-mareschalli locumtenens, colonellus, camerariusque & actualis intimus consiliarius noster, necnon tabulæ Banalis præses, præmia æterna altius mente recolendo de bonis suis temporalibus divina largiente sibi dispensatis in cælestes thesauros reponere satagens, sacro ipsorum ordini certum prædium Maik nominatum in comitatu Comaroniensi & diœcesi Jaurinensi situm atque ad dominium suum Gesztes spectans una cum quodam pervetusto & injuria desolato templo, tribus item piscinis, totidemque molis farinariis, aliisque universis ejusdem prædii appertinentiis & utilitatibus titulo fundationis fine erigendæ ibidem novæ regularis eremi honori sancti Johannis Nepomuceni dicandæ in perpetuum cesserit ac donaverit, desuperque etiam fassionem perennalem coram regio per Hungariam locumtenente nostro serenissimo utpote principe consanguineo nobis carissimo domino Francisco Stephano Lotharingiæ & Barri, necnon magno Hetruriæ duce, aurei Velleris equite, supremo universæ militiæ nostræ præfecto & legato generale, comitatuum Pest, Pilis, & Solt articulariter unitorum supremo comite, in libera regiaque civitate nostra Posoniensi die XVIII. mensis aprilis anno M. DCC. XXXIV. fecerit ac celebraverit: Hocque salutari ejus exemplo moti atiam alii benefactores quidam cellas ædificandas, alii parato ære opem ferendam polliciti sunt, ac plures jam effectu quoque præstiterint, atque adeo ut auxiliante Deo & adhibita modica cura & industria successive ex redditibus ejusdem prædii prævio modo collati, aliisque præspecificatis beneficiis & emolumentis duodecim religiosæ personæ pro convenienti ordini eorum statu commode vivere & intertereneri possint; quinimmo pro fabrica quoque eremi & cellarum religiosorum tum beneficio terræ antelati prædii, cum & munificentia benefactorum fundum sufficientem habeant. In quem finem jam etiam non solum ordinarii fidelis quippe nostri rev. Adolphi a sancto Georgio episcopi Jaurinensis & loci diœcesani, verum & capituli ipsorum generalis approbationem & confirmationem, paternæque desuper benedictionis impertitionem, ac erga hanc sacræ quoque congregationis reverendiss. S. R. E. cardinalium consensum Romæ ea lege obtinuerint, ut omni prorsus quæstuatione quibus futuris temporibus penitus interdicta, in reliquis omnia ea, quæ per sacros canones, sacrum concilium Tridentinum, constitutiones etiam apostolicas & ordinis eorumdem religiosorum circa hujusmodi novarum domorum regularium erectiones præscriptæ sunt adamussim serventur. Cum vero, ut Deo auxiliante memoratam eremum aliaque necessaria ædificia in dicto prædio Maik extruere, ibidemque jugiter Deo famulantes gloriam ejusdem promovere valeant, benigno majestatis nostræ consensu regio egerent, hinc memorati patres eremitæ Camaldulenses Montis-coronæ majestatem nostram demississimis orarunt precibus, quatenus nos super erigenda præmentionata eremo de apostolica regia auctoritate nostra benignum nostrum consensum regium iisdem patribus clementer elargiri dignaremur; unde nos solita nostra in Deum pietate, & solerti in universis iis, quæ ad majorem cultus divini promotionem, religiosorumque ordinum (quorum devotis ad Deum precibus & suffragiis fausta & felicia suscepti regiminis guber-

nacu-

nacula, prosperitatem armorum, & secundo adversus hostes victoriarum successu, imperiique ac augustæ domus nostræ propagationem ulterius nos quoque habituros pie confidimus) incrementum conferre, aut quidpiam momenti addere possent, magis magisque ampliandis, dilatandis & stabiliendis cura & solicitudine peculiari etiam cæsareo-regio, quo ergo præattactum sacrum ordinem, velut de ecclesia Dei benemeritum, & tum hoc nomine, cum & morum probitate nobis singulariter commendatum ducimur affectu, humillima dictorum patrum supplicatione nostra præterea facta Majestati apostolica regia benignitate & pietate exaudita clementer & admissa memoratis patribus Camaldulensibus, ut ipsi habita jam memorati diœcesani, capitulique ipsorum generalis & congregationis S. R. E. cardinalium annuentia & indultu in memorato prædio Maik formalem eremum & cuncta ad illam necessaria ædificia erigere & ædificare possint ac valeant; præscripta pariter lege, ut ab omni quippe quæstuatione & mendicatione quibuscumque futuris etiam temporibus prorsus abstineant, sed ex fundatione sua vivant, & in reliquis quoque omnia ea, quæ per sacros canones & sacrum concilium Tridentinum, constitutiones etiam apostolicas & ordinis eorumdem circa hujusmodi novarum domorum religiosarum & regularium erectione præscripta sunt, successive adamussim serventur, ac interea donec ædificia in effectum deducta fuerint, nonnisi tot, quot ibidem congrue subsistere poterunt, religiosos servent, clementer omnino annuimus & concessimus, benignumque super inde consensum nostrum regium præbuimus, clementer confisi, quod iidem diurnis atque nocturnis precum suarum suffragiis cultum præprimis & gloriam Dei omnipotentis, ejusque Sanctorum totiusque triumphantis ecclesiæ honorem, militantis vero propagationem & augmentum promovere omni studio sint admissuri, atque pro felici suscepri regiminis nostri gubernio, prosperitate armorum, secundisque adversus hostes victoriarum successibus, & imperii, ac augustæ domus nostræ propagatione Deum jugiter oraturi; imo annuimus, concedimus, benignumque superinde consensum nostrum regium præbemus & assensum, salvo jure alieno. Harum nostrarum secreto majori sigillo nostro, quo ut rex Hungariæ utimur, impendenti communitarum vigore & testimonio literarum. Datum per manus fidelis nostri nobis sincere dilecti spectabilis & magnifici comitis Ludovici de Batthyàn perpetui in Menethllj, Var, comitatus castri Ferrei supremi & perpetui comitis, pincernarum nostrorum regalium per Hungariam magistri, camerarii item & consiliarii nostri actualis intimi, necnon per antelatum regnum nostrum Hungariæ aulæ nostræ cancellarii in castro nostro Laxenberg die XXXI. mensis maji anno Domini M. DCC. XXXVIII. regnorum nostrorum Romani XXVII. Hispaniarum XXXV. Hungariæ vero, Bohemiæ & reliquorum anno XXVIII.

CAROLUS MP.

Comes Ludovicus de Batthyàn
Antonius Matthyas.

Anno Domini M. DCC. XXXVIII. die XX. mensis octobris in regia privilegiata civitate Rev-Komaron, termino videlicet & loco celebrationis generalis inclyti comitatus Comaroniensis congregationis præsentes benignæ sacratissimæ cæsareæ regiæque majestatis literæ super præinserta fassione consensuales, privilegiales solemniter nemine prorsus contradicente, perlectæ sunt & publicatæ per me Stephanum Beniczky inclyti comitatus Comaroniensis ordinarium juratum notarium.

CLXXXIV.

Aliud Augusti III. regis Poloniæ pro eremo Wigrensi.

Anno 1739. XIX. januarii.

Ex archivo hujus eremi.

AUGUSTUS tertius Dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Sagomitiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Li . . ., Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæque, necnon hæreditarius dux Saxoniæ princeps & elector. Significamus præsentibus literis nostris, quorum interest, universis & singulis, productas esse coram nobis literas pergamenas manu serenissimi Augusti secundi regis Poloniæ parentis prædecessoris nostri subscriptas, & sigillo majoris cancellariæ Magni ducatus Lithuaniæ munitas, continentes in se privilegium innovationis fundationis conventus ordinis eremitarum Camaldulensium in insula Wigry nuncupati in magno ducatu Lithuaniæ districtu Grodnensi siti igni absumptæ, seu novæ ejusdem

dem conventus dotationis ſanas, ſalvas & illæſas, omnique ſuſpicionis nota carentes, ſupplicatumque eſt nobis nomine religioſorum prioris, ſupprioris & totius præfati conventus ordinis Camaldulenſium, ut eaſdem literas approbare & confirmare, roburque eiſdem apponere dignaremur, quarum literarum tenor ſequitur ejuſmodi.

Augustus ſecundus Dei gratia rex Poloniæ *&c. ut ſupra*. Ad perpetuam & indelebilem rei infraſcriptæ memoriam. Significamus præſentibus literis noſtris omnibus & ſingulis moderno & futuro ſeculo notitiam horum habituris, quod licet fundatio ſereniſſimi prædeceſſoris noſtri Johannis Caſimiri regis Poloniarum, magnique ducatus Lithuaniæ religioſorum patrum Camaldulenſium in inſula regia intra lacum Wigry ſita, in magno ducatu Lithuaniæ, diſtrictu & œconomia noſtra Grodnenſi, in collateralitate noſtrarum ſylvarum Preslumenſis & Przelomnenſis jacente, ſit certa & indubitata, uti ex conſtitutione M. DC. LXVII. approbata; quia tamen ex occaſione conflagrationis originalis privilegii iſtius fundationis realem ſpecificationem bonorum & attinentiarum continentis, tum ſpecificæ & expreſſæ reſervationis & exceptionis noſtrarum venationum in eiſdem ſylvis Perslumenſibus variæ contentiones & acerrima certamina inter eoſdem patres & venatores noſtros, præfatas ſylvaturas & integritatem venationis noſtræ defendentes exorta ſunt, quæ non aliter, quam per interpoſitionem auctoritatis noſtræ, etiam ſupplicantibus ipſis patribus, ſopiri debuerunt. Proinde nos proſpicientes, ut tam intentioni ſereniſſimi prædeceſſoris ſatis fiat, ipſique patres non minus ſaltem quam numero duodecim in iſta eremo Wigrenſi teneri & ſuſtineri, & impoſitas ſibi obligationes utpote ſingulis diebus Miſſam conventualem pro anima ſereniſſimi Johannis Caſimiri prædeceſſoris noſtri, & ſereniſſimæ conſortis Ludovicæ Mariæ, atque pro ſereniſſimo principe Carolo ejus fratre unam quoque Miſſam quavis hebdomada, necnon ſeparatim tria in annum anniverſaria pro animabus eorum celebrare & abſolvere valeant, quietiuſque Deo juxta eorum vitæ regularis profeſſionem vivant, ac etiam pro nobis ac republica preces divinæ majeſtati fundant, poſſeſſionibuſque ſuis ſine quovis impedimento pacifice & perpetuo fruantur, ſtatuendum & declarandum eſſe duximus, ut eiſdem omni meliori modo, communicato conſilio cum reverendiſſimo in Chriſto patre Hieronymo Grimaldi archiepiſcopo Edeſſeno pro tunc pro ſancta ſede apoſtolica in regno noſtro nuncio apoſtolico ad præſens reſidente, pro patrimonio ipſorum ſpirituali bona infraſcripta ſpecifice declararemus & reſpective aſſignaremus, prout de facto præſentibus literis noſtris declaramus & aſſignamus, & quidem imprimis ipſammet inſulam regiam intra lacum Wigry ſitam cum omnibus adjacentibus hortulanis, opificibus variis, piſcatoribus & colonis, ac eorumdem officinis & caſis, pecoribus, pecudibus, omnique ſuppellectili eorumdem, tum pro eremo eorum vitæ convenienti, ſylvas una cum fundo & fundis a fluvio Hancza dicto, denominationeque alti Pontis incipientes uſque ad terminum camporum Zywa Woda dictorum, alias Pozakrzeniemy Goræ de Parovvu in longum ſe protendentes; in latum vero od laſu Wielkiego iak droga vvpada Plociczanska da Kuryanek malych idąca, potym borami dąbrovvami y laſami przez Jezioro mimo Klasztor do Konca Zubrovva Jeziora od Jeglinca ſeſe extendentes, prout id latius in commiſſione noſtra ad dislimitanda bona & ſylvas eaſdem ad præſens emanata deſcribitur & ſpecificatur; declarando adjungimus. Quarum quidem ſylvarum ipſarum fundi & fundorum religioſis patribus præfatis omnimoda pro voluntate eorum & arbitrio perpetuis temporibus manebit diſpoſitio, atque plenum & integrum dominium pro meliori ipſorum commodo, uſu fructu & utilitate, tam quoad arbores conſervandas vel extirpandas, ipſamque terram excolendam, novaſque colonias erigendas & plantandas, ſubditos locandos ſine quovis impedimento per venatores homines & jaculatores noſtros. Feras tamen in ſylvis ſuis reperibiles patres occidere nec ipſimet debebunt, nec ſubditis ſuis permittent, e converſo venatores noſtri ſub hoc prætextu villas patrum invadere, ſubditoſque ipſorum infeſtare neque anguſtare audebunt, ſed juxta ſtatutum magni ducatus Lithuaniæ, juſtitiam ex delinquentibus ab iis requirent, de cetero, ut præmiſſum eſt, licitum erit dictis patribus ſecundum libitum illorum varia ſibi adinvenire commoda in exdiviſis præfatis eorum ſylvis, uſumque fructum parare tam ex lignis, arboribus, quam fluviis decurrentibus, pratis, agris, jugeribus excultis & excolendis, aliiſque reperibilibus proventibus & emolumentis. Inſuper declarando addimus villas infraſcriptas, nempe prædium Szunovvo cum pago Hortulanorum, ubi ſunt manſi duodecim, pagum Popuchovvo cum manſis ſex, pagum Danilovvicze cum manſis duodecim, atque cum omnibus jugeribus

geribus & pratis ad istas villas ab antiquo spectantibus; pagum Białovvierszmie cum mansis sex jugeribus & pratis antiquis; pagum Zelvva cum mansis undecim, & cum quatuor mansis Lipikoviensibus, pratisque & jugeribus ab antiquo spectantibus; prædium Wulka cum pago Hortulanorum & Rebelinszczyznæ cum mansis septem-decem pratis ac jugeribus ab antiquo spectantibus; pagum Rudniki cum mansis viginti-tribus; pagum Kamionka cum mansis viginti-duobus; pagum Malinovvka cum mansis decem; pagum Chocki cum mansis septem; pagum Zuszno cum mansis viginti-duobus; bona quondam emphiteutica sparsim sylvis adjacentia, quorum numerantur mansi quinquaginta-septem; prædium Zyvva vvoda cum pago Hortulanorum; pagum Biała vvoda; oppidum Suvvalki; pagum Krzyvvulka y Osovva, Karczma y Samel; pagum Okoniovviec; pagum Plociczne; officinam ferri dictam Gabrych; officinam ferri dictam Plyt, cum libera metalli evectione ex sylvis nostris adjacentibus in illis locis, ubi nostri fabriferrarii eamdem effodiunt materiam, pro quo in vim dominii & fundi nostri unaquæque officina quousque durabit ad aulam nostram Pomorze laminas sex ferri quotannis exsolvere tenebitur; officinam lateritiam dictam Krasne; pagum emphiteuticum dictum Kukovvo cum mansis decem, salvo tantum jure advitalitio generosi Benedicti Kalouski; prædium novo extruendum in pago œconomico Proleyki dicto; pagum Skieblovvo cum mansis triginta-duobus, & cum parvo nemore fructuque ejusdem ad flumen VVolkusza extra sylvas nostras regias jacentes; pagum Rakovvicze; pagum Zabickie cum mansis quatuor; pagum Rudavvka cum mansis viginti; pagum VVolka & Rynkovvice cum mansis octo-decem; officinam lateritiam quondam Ruda ad flumen Hancza cum jugeribus & pratis ab antiquo spectantibus; prædium novo erigendum ex villis jaculatoriis, quandoquidem hi pagi a sylvis nostris remoti, & usque trans Grodnam sex milliaribus a sylvis positi sunt, nempe villa Zydomla, ubi sunt mansi viginti-octo, & villa Zavvadzice cum mansis viginti. Quoniam vero a dictis religiosis patribus Camaldulensibus nobis adhuc supplicatum est, ut iis insuper pro meliori agrorum cultura quatuor adjacentes pagos ex œconomia nostra Grodnensi & munificentia nostra adjungeremus. Proinde nos benigne supplicationi eorumdem religiosorum annuentes, pagos dictos Sovvoleska cum mansis quadraginta-duobus, atque mansos quindecim in villa Obuchovvo in Clavi Kotranensi, & pagum Storozynce cum reliquis mansis in inventario œconomico specificatis, & parvo molendino in fluvio Perunka, salvo tamen in dictis pagis jure advitalitio emphiteutarum ibidem privilegiatorum cum omni usu fructu & commodis harum specificatarum villarum, ad præsens ex clementia & munificentia nostra regia adjunctarum, subditis utriusque sexus eorumque laboribus, pecoribus, pecudibus, latifundiis, pratis, proventibus & emolumentis universis nihil pro nobis & serenissimis successoribus nostris reservando, damus, donamus, resignamus, perpetuoque juri nostro abscedimus. Ad hæc pro extruendo prædio Obuchoviensi evectionem lignorum, tantum pro ædificiis congruorum ex adjacenti sylva nostra Stryioviensi, quando opus fuerit, concedimus, jam autem pro foco & usu domestico ad hoc solum prædium Obuchoviense sicca & jacentia ligna cum scitu & assignatione præfecti sylvarum nostrarum perpetuo permittimus. Ad extremum pro sustentatione & commoditate capiendorum piscium, lacus in sylva nostra Perstunensi, nempe lacum Sayno, lacum Biale, lacum Kalety, lacum Blizenki, lacum Sajenko, lacum Busznice, lacum Mikaszovvo, lacum Niecko, lacum Studzieniczne, lacum Dlugie, lacum Blizny. In sylva autem Przelomniensi lacum VVigry, lacum Omulevvko, lacum Pierty, lacum Krolevvko, lacum Biale, lacum Zielone, lacum Galæziste, lacum Leszczevvko Hancza z postavviem, lacum Chlubokie, lacum Okmin, lacum Okminek, lacum Jeglovvo, lacum Dlugie, lacum Czarne, lacum Guldynek, lacum Szurpily, lacum Jaczne; (nihilominus lacubus Servvy & Kolno, morze Heret, muly, aliisque reperibilibus pro nobis & successoribus nostris exceptis & reservatis) in sylvis nostris Perstunensi & Przelomensi temporibus perpetuis eisdem patribus Camaldulensibus attribuimus. At etiam vigore ejusdem præsentis privilegii nostri prædictis patribus eremitis Camaldulensibus salis mensuræ Vielicensis tonnas sex annuatim assignamus, quas ex depositione Varsaviensi sine ulla præpeditione vel solutione percipient. Nec dubitamus serenissimos successores nostros eidem obligationi nostræ satisfacturos. Quæ præmissa omnia, ut commodius ad executionem perduci possint, commissarios nostros tam ad tradenda, inventarioque cum ingrossatione præsentis privilegii conficiendo pro perpetua possessione & securitate patrum Camaldulensium adjungenda superius

rius specificata bona, quam eadem cum sylvis modo suprascripto denominatis & fusius in commissione circumscriptis ex dividenda, signisque metalibus dislimitanda & consignanda, documentaque quoad aliquam partem pertinuerint dispartienda ex nunc seorsivo rescripto nostro assignamus. Postquam vero hujus donationis nostræ regiæ præfati patres Camaldulenses ex interesse suo approbationem a sanctissimo papa Clemente XI. vel suæ sanctitatis successore, sive a reverendissimo nuntio apostolico in regno nostro Poloniæ pro tempore existente ad hoc a sancta sede specialiter authorizato per interpositionem nostram regiam obtinuerint, & nobis demonstraverint, nos quoque ex parte nostra spondemus præsentis fundationis & donationis in futuris Deo dante comitiis approbationem ab omnibus ordinibus regni & magni ducatus Lithuaniæ affecturos, & ut hocce privilegium nostrum volumini legum inseratur, permissuros, necnon ut juribus & libertatibus bonorum nostrorum œconomicorum gaudeant, & a quavis prætensione & impetitione militum, tam magni ducatus Lithuaniæ, quam & Guardiæ nostræ eisdem patribus religiosis ad præsens donata, tum & a dispositione œconomorum nostrorum, & omni impetitione atque exdivisione omnino sint libera; (salvis oneribus publicis a conventu generali totius reipublicæ ordinatis, quibus & bona mensæ nostræ regiæ subsunt) nihilominus a sola dictorum patrum dispositione dependentium operam daturos. In quorum fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo Magni ducatus Lithuaniæ in cera rubra impresso, & in fune coccinea pendente communiri jussimus. Datum Varsaviæ die XVIII. mensis julii anno Domini M.DCC.XV. regni vero nostri XVIII. anno.

AUGUSTUS REX.

Cancellariatu.

Celsissimi Caroli Stanislai Radzvvil, ducis in Olyka, Niesvvisz, Birze, Dubinski, Sluck, Kopyl & Kleck, sacri Romani imperii principis, comitis in Mir, Szydlovviec, Roie, & Biala, supremi cancellarii Magni Ducatus Lithuaniæ, Braslaviensis, Premisliensis, Gluchoviensis, Ramenecensis, Krzyczeviensis, Ostrensis, Nizynensis &c. capitanei.

Est in Actis.

Casimirus de Zlotki Zlotkovvski Pincerna Siradiensis S.A.S.M. M.D.L.

Nos itaque Augustus rex supplicationi præfatorum religiosorum prioris, supprioris ac totius conventus Camaldulensium in insula Vigrensi benigne annuentes, easdem literas in omnibus punctis, clausulis, conditionibus & articulis approbantes confirmandas esse duximus, prout quidem approbamus, confirmamus & ratificamus; roburque debitæ firmitatis obtinere debere volumus. In cujus rei fidem præsentes manu nostra subscriptas sigillo magni ducatus Lithuaniæ communiri jussimus. Datum Varsaviæ die XIX. mensis januarii anno Domini M.DCC.XXXIX. regni vero nostri anno VI.

AUGUSTUS REX.

Felix Ousiany Pincerna VVolkovvyscensis, sacræ regiæ majestatis sigilli majoris Magni Ducatus Lithuaniæ secretarius m.p.

Cancellariatu.

Illustrissimi & Excellentissimi domini domini Johannis-friderici comitis in Kodèn Czarnobyl, Dorohostaie, Kopyly, VVierzchovvice, Koblin, Kupin & Sapiezyn Sapiecha supremi cancellarii Magni Ducatus Lithuaniæ Brestensis, Gorzdoviensis &c. capitanei. Sigillatum est in actis.

CLXXXV.

Aloysii Pisani Ducis Venetiarum Ducales literæ pro monasterio S. Michaelis de Lemmo in Histria.

Anno 1740. XXVII. augusti.

Ex tabulario S. Mathiæ de Muriano.

ALoysius Pisani Dei Gratia Dux Venetiarum &c. Universis, & singulis Rectoribus, Jusdicentibus, Officialibus Nostris, & præsertim Potestati, & Capitaneo Justinopolis, & successoribus significamus. Come avendo li Proveditori Nostri sopra Feudi con l'auttorità, che tengono dalla Signoria Nostra col Senato intesa l'umile, e riverente instanza delli fedeli Rever. Abbate, e Rev. Monaci di S. Mattia di Murano, con quale espongono, che il Territorio spettante all'Abbazia di S. Michiele di Leme nella Provincia dell' Istria sin l' anno 1040. 12. Maggio fu distaccato dal Feudo Giurisditionale di Galisedo dalle proprietarie del mede-

medemo, e fattone un pienissimo dono à detta Abbazia nel suo principio tuttellato, e diffeso con Sentenza 14. Settembre susseguente, e da' Monaci Camaldolensi sino alla metà del Secolo duodecimo pacificamente goduto, poi astretti di abbandonarlo à causa delle Guerre corse, e però esposto all'invasioni de' Confinanti, cosichè col progresso per la sua repristinazione, e redintegrazione soffrirono varie contese, che giudiciariamente terminate, & unite a detta Abbazia l'anno 1514. 17. Maggio all'Abbazia di S. Michiel di Murano, che pure ottenne il possesso temporale del Senato Nostro l'anno 1528. 21. Giugno, & conseguentemente intrapresa la ravivazione di tutti li diriti, azioni, e ragioni, ad essa Abbazia annesse, e spettanti in ordine alla qualità del suo primittivo titolo, & alle cose giudicate, onde in consonanza furono formate, rinovate, e secondo l'emergenze de' tempi moderate le Capitolazioni e Conventioni concernenti l'esercizio di Giurisdizione, li diritti, prerogative, esenzioni, Beni, & Rendite di essa Abbazia, e che se alle volte furono contestate siano similmente state confirmate, e singolarmente col Giudicio del nostro Pien Colleggio 11. Genaro prossimo passato, per occasione del quale rimasero detti Monaci illuminati, e così il loro Abbate dell' obbligo, che in ordine alle leggi, e particolarmente 1625. 11. Marzo gl' incombe il dover riconoscer detta Abbazia anco dal Magistrato de' Proveditori Nostri Sopra Feudi in ragion di Feudo onorifico, Giurisdizionale, e legale, e che però ne supplicano previa la benigna concessione della Venia per l' Investitura in ragion di Feudo in tutto, e per tutto, & in conformità delli loro titoli, e delle cose giudicate, pronti all' adempimento di quanto prescrivono le Leggi, e di prestare il dovuto giuramento di fedeltà, e giusto alla loro supplica 23. Agosto cadente, alla quale s' abbia relazione.

Et havendo detti Prov. Nostri osservato quanto si deve in tal materia, prese anco le solite, e convenienti informazioni dagli Avvocati Nostri Fiscali, e dal Dottor Annibale Maria Ferrari Consultor in Jure, con la visione delle Scritture à tal effetto presentate, hanno stimata giusta, e ragionevole l' instanza suddetta, però avendole prima concessa benigna Venia di qualunque Caducità, che potessero esser incorsi, col tenor delle presenti habbiamo confirmato, rinovato, & in quanto faccia bisogno, di nuovo investito per ragion di Feudo antico, Nobile, onorifico, e Giurisdizionale il suddetto Abbate, e suo Monastero di S. Mattia di Murano della suddetta Abbazia di San Michiel di Leme situata nella Provincia nostra nell' Istria, e suo Territorio à quella annesso, con la Giurisdizione, Beni, diritti, Privileggi, prerogative, esenzioni, utili, & emolumenti à quella spettanti, e pertinenti, con tutti quelli obblighi, e Carichi, a'quali è tenuta detta Abbatia, & in tutto, e per tutto giusto al tenor de' suoi Titoli, ed alla Giudicatura in di lei favor seguita, à quali s' habbia relazione, e con quelli stessi modi, e consuetudini, che è stata sempre goduta, & esercitata, salva sempre la superiorità del Dominio Nostro e del Podestà e Capitanio nostro di Capo d' Istria.

E perchè il R. P. D. Bernardo Querengo Procurator di esso Monastero hà genuflesso prestato giusta la Pubblica ordinazione il dovuto Giuramento di fedeltà nelle mani nostre, alla presenza di quattro Consiglieri, due Capi di 40., e delli Proveditori Nostri sopra Feudi nel modo quì sotto espresso, restando esso Monastero tenuto a quelli Carichi, & obblighi, à quali sono tenuti li buoni, e fedeli Vassalli, e Feudatarij della Signoria Nostra conforme alle Leggi Nostre Feudali, habbiamo comandato, che gli sia fatto il presente documento di Investitura, qual vogliamo che sia, e s'intenda sempre, senza alcun, benchè minimo, pregiudizio delle Pubbliche ragioni, che di cadaun' altra Persona. Mandantes de præmissis hoc Publicum confici documentum, Bullaque Nostra Plumbea pendente muniri, quare mandamus Vobis, ut supra, omnia in eo contenta observetis, & ab omnibus inviolabiliter observari, & in Actis Cancellariæ Vestræ registrari, præsentantique restitui faciatis.

Dat. in Nostro Duc. Palatio die 27. Augusti 1740.

(Orazio Angaran Proveditor.
(Niccolò Erizzo 4. Proveditor.
(Vicenzo Correr Proveditor.

16. Settembre 1740.

Attesa l'Investitura dal Magistrato Nostro concessa al Monastero di S. Mattia di Murano dell'Abbazia Feudale di San Michiel di Leme, V. S. Illustr. farà d'ordine Nostro, & ad instanza di detto Monastero cometter alli nominandi dal Lator delle presenti, di non dover in conto alcuno pregiudicare, e danificare li Terreni, Pradi, & Boschi di ragione d' esso Mona-

Monastero con l'introduzione d' Animali, tagli di legname ò in qualunque altro modo, in pena à cadaun innobediente di Duc. 200. , oltre alla refazione d' ogni danno, & interesse, facendoli per il caso dell' innobbedienza citar avanti di Noi, e Magistrato Nostro per il vigesimo quinto giorno giuridico, e di riduzione, se non per il susseguente tale à veder esserli; levato Mandato reale, e personale per la suddetta pena, ilportar del danno, e spese; così esequirà e farà esequire, dandoci con sue dell' esecuzione avviso, se le raccomandiamo.

(Orazio Angaran Prov. e Colleghe.

Tratta dal Libro delle lettere esistente nel Magistr. Eccell. de Feudi.

CLXXXVI.

Benedicti XIV. Bulla pro liberatione monasterii Fullinatis.

Anno 1745. IV. idus januarii.

Ex archivo S. Michaelis de Muriano.

BEnedictus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum pontificem *&c.* Sane, cum sicut accepimus, alias videlicet de anno Domini M. DCC. XXXIX. felicis recordationis Clemens papa XII. prædecessor noster per eum tunc accepto, quod monasterium abbatia nuncupatum sanctæ Mariæ della Follina ordinis sancti Benedicti congregationis Camaldulensis Cenetensis, quod in commendam ex concessione apostolica ad vitam obtineri *&c.* ut in superiori anni 1739.; desuper expeditis adhuc tamen debitæ exequutioni minime demandatis plenius continetur. Nos itaque provide considerantes, quod literæ præfatæ suum adhuc sortitæ non fuerint effectum, ac nuper per nos accepto, quod pro parte monasteriorum præfati ordinis trium congregationum, provinciarum videlicet Marchiæ ac Romandiolæ, & Hetruriæ in eorum capitulo generali novissime celebrato institutum fuerit pro exemptione & liberatione eorumdem monasteriorum ab obligatione supradicta in præfata concessione appositæ, quæ ad instantiam dilecti filii Petri-francisci Zaghis tunc procuratoris generalis ordinis & congregationis hujusmodi in Urbe commorantis, & ex provincia Veneta existentis, debita tamen ad id facultate carentis, obtenta extitit, ac ordini & congregationi præfatis summopere præjudicialis reperitur, ex quo ad solutionem dictæ pensionis septingentorum scutorum monetæ præfatæ imposita fuit obligatio toti congregationi Camaldulensi, ejusque capsæ generali, licet in concessione præfata actum fuerit de re ad congregationem simpliciter status Veneti, seu illius provinciæ spectante, quæ nil commune habet cum aliis tribus congregationibus præfatis, quarum quælibet inter se divisa propria bona, propriumque gubernium politicum atque œconomicum particulariter recognoscit, neque se pro altera obligari permittit, quodque in capitulo generali præfato postulantibus omnibus abbatibus status ecclesiastici & Hetruriæ, necnon consentientibus cunctis abbatibus nationis Venetæ, inter quos etiam præfatus Petrus-franciscus, decretum extiterit impetrandam esse a nobis moderationem dictarum literarum, seu exemptionem ac liberationem ab obligatione præfata. Motu, scientia & potestatis plenitudine similibus attentis præmissis, ac etiam quod absque dicta obligatione in literis præfatis primodicti Clementis prædecessoris satis consultum sit securitati solutionis dictorum septingentorum scutorum monetæ hujusmodi pro tempore existenti abbati commendatario primodicti monasterii faciendæ & primodicto monasterio, ut antea a sede apostolica concedendo, nihilo penitus immutato, monasteria trium provinciarum hujusmodi ab obligatione præfata omnino eximimus & liberamus, illaque seu eorum abbates vel superiores ac capsam generalem ad solutionem præfatam minime teneri, neque obligatos existere, aut ad id a quoquam cogi vel compelli posse apostolica auctoritate præfata ipsarum tenore præsentium declaramus, & nihilominus pro majori cautela literas apostolicas primodicti Clementis prædecessoris in reliquis firmas & illæsas permanere debere eadem apostolica auctoritate decernimus. Præsentes quoque literas semper & perpetuo validas & efficaces esse & fore *&c.* Nulli ergo *&c.* Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem anno incarnationis Dominicæ M. DCC. XLV. IV. idus januarii pontificatus nostri anno sexto.

CLXXXVII.

CLXXXVII.

Alia pro eodem monasterio.

Anno 1752. xix. julii.

Ex eodem archivo.

IN nomine Domini Amen.

Cunctis ubique pateat evidenter, quod anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi M.DCCLII. die vero XIX. mensis Julii, Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri Benedicti divina Providentia Papæ XIV. anno ejus duodecimo. Ego Offalis deputatus vidi & legi quasdam literas apostolicas sub plumbo more Romano expeditas tenoris sequentis, videlicet = Benedictus Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In Apostolicæ dignitatis solio, divina disponente clementia, meritis licet imparibus constituti, illiusque vices gerentes in terris, qui pacis auctor existit, ex incumbenti Nobis Pastoralis officii debito ad ea libenter intendimus, per quæ remotis litium anfractibus & dissidiis, quæ inimicus homo suggerit, divinus cultus majus in dies suscipiat incrementum, & ob id personarum ecclesiasticarum quarumlibet, & quæ præsertim sub suavi Religionis jugo Altissimo famulatum exhibere percipimus, quieti & tranquillitati prospicere cupientes, iis, quæ propterea pro earum utilitate facta fuisse comperimus, cum id a nobis petitur, ut firma perpetuo & illibata persistant, apostolicis muniminis adjicimus firmitatem, prout congruum esse in domino arbitramur. Sane pro parte dilectorum filiorum Magistri Joannis Cornaro in utraque signatura nostra Referendarii & moderni abbatis Commendatarii Monasterii Abbatiæ nuncupati Sanctæ Mariæ della Follina Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Camaldulensis, Ceneten. dioc., & Modernorum monachorum ejusdem Monasterii Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias felicis recordationis Clemens PP. XII. Prædecessor Noster per suas literas apostolicas sub Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sextodecimo kalendas Novembris Pontificatus sui anno nono expeditas, Motu ejus proprio omnia & singula Bona dicti Monasterii, statim ac Monasterium hujusmodi, illius Commenda, in quam Monasterium præfatum ex concessione apostolica ad vitam obtineri consueverat, illudque bonæ memoriæ Sergius Pola, dum viveret, episcopus Famaugustanus ex simili concessione apostolica ad sui vitam tunc obtinebat, post obitum præfati Sergii episcopi cessante, vacare contingeret, Mensæ Conventuali dicti Monasterii, apostolica auctoritate univit & incorporavit, seu concessit, assignata tamen ex fructibus, redditibus & proventibus dicti Monasterii illius Abbati Commendatario seu Titulari pro tempore existenti annua præstatione septingentorum Scutorum Monetæ Romanæ, ac reservata eidem Abbati Commendatario seu Titulari facultate tantum capiendi possessionem in ecclesia dicti Monasterii. Cumque postmodum idem Monasterium, Commenda præfata per obitum dicti Sergii episcopi cessante vacavisset, illud sic vacans, dilecto Filio Nostro Danieli, tituli sanctæ Mariæ super Minervam nuncupatæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali Patriarchæ Delfino nuncupato in commendam, ad ejus vitam ad formam unionis seu concessionis hujusmodi, apostolica auctoritate præfata concessum extitit, reservata etiam pensione annua ducentorum Scutorum monetæ præfatæ dicto Magistro Joanni super assignatione dictæ annuæ præstationis præfatorum septingentorum scutorum monetæ hujusmodi eidem Danieli Cardinali & Patriarchæ, & per Monachos præfatæ Congregationis Camaldulensis Provinciæ Venetæ persolvendorum, prout in Literis apostolicis nostris, sub Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Quarto Idus Januarii, Pontificatus Nostri anno sexto etiam expeditis, plenius continetur. Subinde vero, quia Danieli Cardinali & Patriarchæ præfato visum fuit unionem seu concessionem præfatam ob nonnullas, quas ipse censuit, minus veras expressiones in ea factas, nullam existere, lis & causa inter dictum Danielem Cardinalem & Patriarcham, & Monachos præfatos ex una, & altera partibus in Romana Curia coram Congregatione particulari nonnullorum Prælatorum a Nobis deputata super nullitate unionis seu concessionis præfatæ introducta fuit, cujus litis & causæ resolutio ad favorem eorumdem Monachorum emanavit, a qua tamen resolutione Daniel Cardinalis & Patriarcha præfatus successive novam audientiam obtinuit; rebusque ita se habentibus Daniel Cardinalis & Patriarcha præfatus Commendæ hujusmodi, ac omni & cuicumque juri sibi in dicto Monasterio, illiusque regimine & administratione, vel ad illa quomodolibet competenti, & per eum prætensis in manibus Nostris, reservatis tamen sibi dicti Monasterii fructibus, redditibus & proventibus

tibus decursis, & per eum non exactis usque ad diem infrascriptæ cessionis, sponte & libere cessit, cujus cessionis vigore dictum Monasterium per Nos Magistro Joanni præfato ad ejus vitam cum reservatione dictorum fructuum, redditnum, & proventuum decursorum, ac pensionis annuæ quingentorum Scutorum Monetæ præfatæ pro eodem Daniele Cardinale & Patriarcha commendatum extitit, Postea vero eodem magistro Joanne Moderno Abbate Commendatario dicti Monasterii litem & causam præfatas super nullitate unionis seu concessionis hujusmodi contra dictos Monachos prosequi volente, ad evitandas lites & controversias Personis ecclesiasticis parum decentes, Magister Joannes, & Monachi præfati ad infrascriptam convenerunt devenire inter se concordiam seu transactionem, in qua inter cetera statutum fuit, quod assignatio seu præstatio septingentorum scutorum dictæ monetæ ex fructibus, redditibus & proventibus ejusdem monasterii a dicto Clemente Prædecessore favore abbatis Commendatarii seu Titularis præfati Monasterii facta seu statuta usque ad summam octingentorum scutorum dictæ monetæ augeri, & a modernis & pro tempore existentibus tam præfati Monasterii, quam aliorum Monasteriorum ejusdem Congregationis totius Provinciæ Venetæ Monachis absque ulla exceptione & a quocumque onere ordinario & extraordinario quomodolibet nuncupato omnino libera, immunis & exempta persolvi respective debeat. Cum hoc tamen quod præfatis Monachis in solutione dictæ assignationis seu præstationis annuæ dictorum octingentorum scutorum monetæ præfatæ modo & forma præmissis facienda in toto vel parte cessante aut deficiente, aut assignationem seu præstationem præfatam nullam & invalidam esse dicente vel allegante, liceat abbati Commendatario pro tempore existenti ad omnia bona & jura prædicti Monasterii liberos habere regressum, accessum & ingressum, illorumque corporalem possessionem per se vel alium seu alios ejus nomine propria auctoritate libere apprehendere, & apprehensam, sicut proximo dicti Monasterii abbates Commendatarii ejusdem Magistri Joannis ejusdem proximodicti Monasterii abbatis Commendatorii in illo Prædecessores ante unionem seu concessionem præfatam retinebant absque nova dictorum Bonorum & jurium a prædicta Mensa Conventuali desuper facienda dismembratione, quoad vixerit, retinere libere & licite valeat in omnibus & per omnia, perinde ac si unio seu concessio præfata minime facta fuisset, quodque Abbati Claustrali, & Monachis etiam pro tempore existentibus proximodicti Monasterii non solum manutenendi ecclesiam proximodicti Monasterii & ædificia ad illud quomodolibet spectantia & pertinentia ac onera quæcumque cujuscumque speciei, qualitatis & quantitatis existant satisfacienda, sed etiam propriis eorum sumptibus & expensis lites quascumque pro defensione jurium Abbatiæ ejusdem Monasterii substinendi onus incumbat, quodque etiam numerus decem Monachorum tantum in proximedicto Monasterio pro debito servitio illius ecclesiæ præfatæ, juxta literas apostolicas felicis recordationis Gregorii XIII. & Pauli V. Romanorum Pontificum etiam Prædecessorum Nostrorum, semper servetur, ac alatur, prout diffusius continetur in infrascripto Tractatu Conventionis seu Concordiæ hujusmodi, cujus tenor est qui sequitur, videlicet = Piano di Convenzione accordata fra Monsignor Cornaro Abbate Titolare e Commendatario di Santa Maria della Follina, e li Padri Camaldolesi della Provincia Veneta in stato di pendenza di lite avanti la Congregazione da Nostro Signore deputata cum clausula de aperitione oris arbitrio sovra la Bolla di Clemente XII. *In Apostolicæ Dignitatis solio*. Avendo Monsignor Cornaro ocularmente riconosciuto, che i Padri Camaldolesi, che da lungo tempo sono stati chiamati ad uffiziar la Chiesa di Santa Maria della Follina, utilmente s'impiegano nel servizio di Dio, e vantaggio spirituale del Popolo della Follina, e che altresì hanno, utilmente amministrate le rendite dell' Abbazia loro commesse, e di cui sono in possesso, sebbene controverso doppo la morte di Monsignor Pola seguita in Febraro 1748., si è determinato di non controvertere ulteriormente a detti Padri l'unione dei Beni dell' Abbadia al Monastero de Monaci sudetti, anzi si è convenuto di supplicare unitamente con i Padri suddetti Nostro Signore di approvare e convalidare con una Bolla di Concordia le cose convenute = Parendo, che nella Bolla, per la cui concessione e spedizione le parti unitamente supplicano, deva aversi ragione delle Bolle altre volte rilasciate da' Sommi Pontefici Gregorio XIII. e Paolo V., per cui è stato approvato lo stabilimento dei Camaldolesi alla Follina, si supplica di uniformarsi alle diposizioni di queste in rapporto al numero di dieci Padri destinati all' Uffiziatura della Chiesa, che dovrà tale continuare nell'avvenire, poi facendosi menzione della Costitutione di Clemen-

mente XII. di unione, pare questa debba convalidarsi, sanandola da qualunque difetto, che vi fosse di obrezione e surrezione, & addossando ai Padri Camaldolesi della Follina, ed a tutta la Provincia Veneta il peso in perpetuo di contribuire liberamente all' Abbate Commendatario pro tempore, ed alla disposizione della Dataria di Nostro Signore Scudi Romani da Giulj dieci, ottocento annui senza esenzione, e con la pena riversiva e ricupera de Beni in favore de Commendatarj in caso di mancanza de Padri, come nella Bolla di Clemente XII. *In apostolicæ dignitatis solio* &c. Sarà accordato nella Bolla di Concordia l' unione ed incorporazione de Beni tutti dell' Abbadia al Monastero de Padri Camaldolesi, e sarà riservato all' Abbate Titolare Commendatario il gius di pigliare o far pigliare possesso nella Chiesa dell' Abbazia con quelle prerogative, che sono comportabili in un Abbate Titolare Commendatario in una Chiesa unita a norma delle Bolle Clementina e Benedittina. Avendo ottenuto le Monache Cisterciesi soggette all' Abbazia della Follina, che non sia alterato il loro Possesso in tale dipendenza, sarà dichiarato da Nostro Signore nella nuova Bolla, se abbiano da esser soggette all' Abbate Commendatario, ovvero all' Abbate Regolare Superior Claustrale delli Camaldolesi della Follina. Si lascierà libero l' esercizio di ogni altra Giurisdizione alli Padri e Superior Conventuale della Follina, alli quali spettarà non solo il mantenimenro di Fabbriche, soddisfazione di qualunque aggravio, pubblico o particolare, ordinario & estraordinario, ma ancora di sostenere qualunque altre spese nei Fori competenti, qualunque ragione e gius dell' Abbazia, dovendo sempre restar come sopra pontualmente corrisposto dal giorno, che sarà per nascere la Bolla implorata, e per tutto il tempo in avvenire da medemi all' Abbate Commendatario Scudi ottocento annui, & per osservanza delle cose sovra espresse sarà la medesima sottoscritta da ambe le Parti, e ne sarà trasmessa Copia in Roma, perchè il Procuratore di Monsignor Cornaro, ed unitamente il Padre Procuratore Generale Camaldolese possano impetrare dalla Santità di Nostro Signore una Bolla approvativa in consonanza dell' accordo stabilito = Giovanni Cornaro affermo e mi obbligo come sopra = Io D. Gregorio Ipsi Abbate Camaldolese come Procuratore dell' Abbate Zaghis del Monastero della Follina, e Monaci del suddetto Monastero mi obbligo come sopra = Io Giovanni Crucis fui presente testimonio a quanto di sopra. = Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, ea, quæ a Sede Apostolica approbantur, & confirmantur, firmius subsistere soleat, proptereaque Magister Joannes, & Moderni proximodicti Monasterii Monachi præfati plurimum cupiant concordiam seu transactionem præfatam Nostro, & Sedis Apostolicæ prædictæ Patrocinio communiri; Quare pro parte dicti Magistri Johannis, & proximo dicti Monasterii Monaehorum prædictorum, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus his in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui, quantum cum Domino possumus, pacem & tranquillitatem inter ecclesiasticas, & præsertim regulares personas maxime consentaneam, quibuscumque litibus penitus eliminatis servari, paternis & sinceris desideramus affectibus, eisdem magistro Joanni, & proximo dicti Monasterii Monachis spetialem gratiam facere volentes, eosque & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis & pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati concordiam seu transactionem præfatam, & prout illam concernit seu concernunt desuper confectum instrumentum, seu desuper confectas Scripturas hujusmodi, ac in eo seu eis contenta quæcumque licita tamen & honesta, ac cum omnibus & singulis inde legitime sequutis & sequendis quibuscumque, necnon præfati Clementis Prædecessoris & Nostras respective Literas apostolicas prædictas apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus & confirmamus, illisque perpetuæ & inviolabilis apostolicæ firmitatis robur & efficaciam adiicimus, omnesque & singulas tam juris quam facti & quoscumque alios quantumvis substantiales defectus, si qui desuper ac etiam in præfati Clementis Prædecessoris ac Nostris respective literis apostolicis prædictis quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus & sanamus, necnon concordiam seu transactionem hujusmodi a Magistro Joanne & proximodicti Monasterii Monachis prædictis ac ab omnibus aliis, ad quos nunc spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari & adimpleri debere, nec ullo unquam tempore ab eis resiliri posse, acteasdem presentes literas nullo unquam timore

de

de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostræ, aliove quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, annullari, aut alias quomodolibet infringi, vel retractari, modificari, retardari, in controversiam revocari, seu ad viam & terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudque quodcumque juris vel facti aut Gratiæ remedium intentari vel impetrari, aut etiam motu proprio & ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine concedi, seu quomodolibet impetrato aut motu scientiæ & plenitudine potestatis paribus concesso quempiam uti seu se juvari posse, nec eas etiam per quoscumque Romanos Pontifices successores Nostros, aut Nostros & eorum de Latere Legatos vel Sedis Apostolicæ præfatæ nuncios revocari, suspendi, limitari, aut eis in aliquo derogari posse, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium Gratiarum revocationibus suspensionibus, limitibus derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus seu Cancellariæ Apostolicæ regulis, aut constitutionibus Apostolicis per Nos & Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub quibusvis verborum expressionibus, aut cum quibusvis clausulis & Decretis in genere vel in specie pro tempore quomodolibet factis & faciendis comprehendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum statum restitutas, repositas & plenarie integratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data concessas esse & fore, sicque & non alias per quoscumque Judices ordinarios vel delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, atque Sedis Apostolicæ nuntios judicari & definiri debere, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac primodicti Monasterii & Ordinis præfati, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alias roboratis, statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod Monasterium Monialium Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cisterciensis Bellunen. Civitatis vel dioc. antea Abbatiæ proximodicti Monasterii subjectum de cetero jurisdictioni Venerabilis Fratris Nostri Moderni, & pro tempore existentis Episcopi Bellunensis uti Loci Ordinarii subjacere debeat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis perpetuæ, approbationis, confirmationis, roboris, adjectionis, defectuum suppletionis, Decreti & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo Quinquagesimo secundo, Tertio Idus Julii, Pontificatus Nostri anno Duodecimo. Loco ✠ Plumbi. J.M. Travaglo. Super quibus ego Notarius publicus infrascriptus præsens transumptum confeci, ut perinde valeat, ac si literæ originales. Actum ut supra, præsentibus DD. Philippo Rinaldi & Simone Scatena testibus.

Concordat cum Originali J. B. Riganti Officii Rep.

Loco ✠ Sigilli.

Ita est Philippus Rinaldi N. Ap.

J. C. Travaglj.

EPI-

EPISTOLICUM COMMERCIUM

Inter THOMAM JUSTINIANUM Patricium Venetum inde fratrem PAULUM Eremitam Camaldulensem

& VINCENTIUM QUIRINUM Patricium similiter Venetum inde PETRUM Camaldulensem Eremitam.

Adduntur tum JUSTINIANI, tum QUIRINI Epistolæ ad alios, præsertim Venetos Patricios; & horum Responsiones.

Omnia fere ex Codice S. Mariæ de Rhua Eremi in territorio Patavino, ex quibus multa non injucunda, & quorum ope utriusque Vita illustratur.

Ad Tomum VII. Annalium Camaldulensium ab anno 1507. ad 1514.

I.

Vincenzo Quirini a Tommaso Giustiniani.

Anno 1507. XIV. marzo.

Ex Cod. Rhuensi M. III. pag. 52.

Scioglie il dubbio, che aveva il Giustiniani di aver peccato, consigliando il Quirini a non maritarsi.

Domino Thomæ Justiniano tamquam fratri carissimo. Venetiis.

JEsus Christus. Ben comprendo, messer Tommaso mio, per lettere vostre, che voi siete più di lingue copioso, che non mi credea, nè d'altro stimo, che proceda il vario senso, che alle clausule della lettera vi si può dare, che dal vario modo di esprimer quello, che vi viene in capo, ora in prosa, ora in verso, ora Tosco, ora Spagnuolo, ed ora Veneziano, ed ancora Soriano; e non contento della diversità delle lingue, volete con esse insieme ora burlare, ora scherzare, ora mordere ed ora davvero ragionare, e quanto più affermate una di queste, tanto si può da chi legge, comprender un'altra; nè io mi so dire, quando nella lettera vostra abbiate favellato da dovero, e se pur l'avete fatto, può esser nel caso di coscienza, che con tanta amarezza di cuore mi communicate, circa il quale dirò, e non burlando, quello che me ne pare, affermandovi che colui, ch' è vera causa di far peccare altrui, vive in peccato, ed ancora sebben non fosse vera causa, dico, che colui, che crede fra sestesso esser cagione di far peccare il prossimo, colui si dimora in peccato, *& quod plus est*, colui, che si mette a pericolo di far, che in altri sia peccato, ancorchè non fosse vera causa, nè credesse di dover essere, colui, dico, pecca, non tanto quanto li primi, pur pecca, e contra il prossimo drizza le sue azioni; e tenete per certo,

AVendo ultimamente, mentre aspettava voi, vedute vostre lettere dirette al nostro P. Maggiore, nelle quali talmente insinuate esservi bisogno di differire la venuta vostra, che al mio intelletto par di veder espressa non solo la dilazione della venuta, ma la mutazione di proposito e della deliberazione vostra, come defraudato da una grande speranza, come privo di una grande giocondità, che già mi parea tenere, tanto mi doglio e mi contristo di questo contrario effetto allo sperar mio, che io non so, qual sia stato più, o la passata letizia, o'l presente dolore, e certo io posso dire non col vostro poeta, ma col profeta, e *la citara mia conversa è in pianto*. Ho più volte ricercato con la mente, qual potria esser causa di questa mutazione vostra, e non la trovo così facilmente, come vorrei; il dire che sia o per difetto ed instabilità delle menti vostre, che posta la mano all' aratro siate rivolti in dietro, mi pare di farvi ingiuria. Tanta è l'opinione, che ho di voi, ch'io non posso in alcun modo nè crederla, nè sospettarla. Il pensare, che abbiate trovato miglior sorte di vita più sicura, più perfetta, più atta alla vostra salute, e a rendere più gloria a Dio, mi riesce difficile a credere; non perchè questo non possi essere, ma perchè non ho tanto lume d'intelletto, che'l abbia mai saputo vedere. Io ho, avanti che mi convertissi a questa vita eremitica, voluto provar molte cose, e varie qualità di vita considerate, e e non ne ho trovato alcuna nel mio giudicio più atta a servir Dio in verità, che questa. Mi ricordo aver voluto provar di vivere solitario in una casa, che aveva a Murano, e la esperienza mi mostrò, che tal vita era più tosto da Gentile filosofo, che da un religioso animo Cristiano; nella quale non v' era annegazione del Mondo, non mortificazione della propria volontà, non virtù di obbedienza, non vera povertà, bensì innumerabili pericoli della castità. Mi ricordo, per menar vita solitaria, aver cercata una gran parte d'Italia, quasi tutta la Dalmazia, la maggior parte della Grecia, ed essere passato nella Siria, ed aver veduti molti eremi, molte solitudini, ma non trovai mai stato, che mi paresse più lecito e più sicuro, che questo modo di viver eremitico. Mi ricordo non già solo, ma insieme con messer Vincenzio Querini, uomo da ogni parte singolarissimo, che poi fu fra Pietro eremita, aver non solo superficialmente considerate quante sorti di religiosa vita cenobitica siano in Italia, ma maturamente con lo starvi qualche giorno, come per isspasso aver investigato diligentemente ogni qualità di vita religiosa, e mai nè al mio intelletto, nè al suo, del quale molto più che del proprio mi fidava, non occorse vita, che ci paresse nè più perfetta, nè più atta per servir Dio, che questa eremitica Camaldolese. Onde non mi è facile il credere, che voi abbiate trovato quello, ch'io ed egli, che più di me vedeva, con incomparabile diligenza per più anni, e con la mente e con la corporale peregrinazione cercando, mai non abbiamo potuto trovare. Io, come ho detto, con questo desiderio cercai per Levante molti paesi. Egli per Ponente (benchè altra causa avesse, per esser legato della repubblica, ma non senza questo pensiero) tutta la Germania, la Francia, la Spagna, la Borgogna e parte d'Inghilterra, e non trovò mai nè luogo, nè vita più atta a servire Dio, che questa &c.

XLI.

Paolo Giustiniani a Pietro Delfino Generale.

Anno 1520. primo di Gennaro.

Ex arch. Montis-coronæ Lib. VII. pag. 94.

Scrive di esser prontissimo a ricever nell' eremo i due giovanetti nobili proposti.

Optimo patri generali longævam vitam in terris, & æternam in cælis felicitatem.

TE convaluisse ex ea, qua tenebaris infirmitate, magna animi lætitia suscepimus; licet enim tibi optabilius fortassis sit dissolvi, & esse cum Christo, nobis tamen valde adhuc necessarium videtur, te hic manere propter nos. Tuæ felicitati non invidemus, sed vehementer optamus, ut antequam a mortalibus proficiscaris, meritumque virtutibus ac laboribus tuis cœlum conscendas, filios tuos Camaldulenses eremitas securiori statu relinquas, ne te oculos claudente invadant gregem tuum lupi rapaces, & hæreditas tua ad extraneos vertatur; sed hæc, quæ coram aliquando, si a Domino dabitur, longioribus prosequi in animo est, invito pene exciderunt mihi; nunc ad ea, quæ scribere proposueram, calamum vertam. Quod binis ternisque literis tuis acceptis tardius ad te scribam, nil aliud causam fuisse existimes velim, nisi quod me valde piget, pudetque vehementer, ubi verbis ipsis respondendum est, verbis respondere. Alexandrum conversum, quem ad te mitti binis literis, diversis quidem diebus datis, eodem vero die, & tardiuscule quam oportuisset, mihi redditis, postulaveras, ipso non repugnante, eremique capitulo consentiente, mittere paratus eram, jamque erat a nobis discessurus, cum aliis literis, ne mitteretur, significasti. Debita tibi pecunia suo tempore ad te mittenda parata erat; sed pontificalis decimæ exactores adeo nos urgebant, ut damnum dedecusque maximum, quod nobis inferre parati esse videbantur, evadere nullo alio modo potuerimus, nisi de tua erga nos benignitate facilitateque confisi; ea, quam ad te mittere intendebamus, pecunia illis numeraretur; maluimus pii ac clementissimi patris potius, quam acerbissimorum horum exactorum indignationem subire; si tamen aliquam propter brevem hanc dilationem tua benignitas erga nos indignationem concepit; nunc Thaddæo scilicet majori camerario, quem ad nos misisti, centum aureos consignavimus. In futurum curabimus huic tarditati statuta etiam tempora præveniendo satisfacere.

Duos illos, quos haud multos post dies ad nos venturos esse scribis, adolescentes nobiles, ut habitent nobiscum in ista solitudine, obviis, ut dicunt, manibus, immo & animis, cum venerint, suscipiemus, tuaque commendatione ad id, quod sponte facimus, excitati, non secus quam germanos fratres, ac proprios filios omni officii & caritatis genere, quantum per nos præstari poterit, illos fovebimus. Scribit ad nos Pius tuus, eos velle a nobis audire, si hac hyeme, an futuro vere ad nos venire debeant. Ego autem ad hoc sanius existimo, ut ardorem animi sui, eremiticique instituti desiderium consulant; si enim vere illo igne succensi fuerint, quem venit Dominus mittere in terras, si illius spiritus, qui in discipulos in figura ignis descendit, ardorem animo conceperint, frigidioris hyemis difficiliorisque propter congestas nives, accumulatasque glacies itineris asperitatem facile ardore animi superabunt. Si vero ad hoc eremitici instituti propositum tepidiores fuerint, his fortasse difficultatibus cedent, & cum primum roseum ver advenerit, quando soluta omni glacie, liquatisque penitus nivibus, facilius alpes istæ superari possunt, venire ad nos statuent. Nos ipsos, vel hyeme, vel vere venientes lætabundi suscipiemus, omnique propria posthabita commoditate binas cellas, si vere venerint, vel jam constructas accommodabimus, vel si facultas suppetet, novas ædificabimus; nunc enim scias velim nullam prorsus in eremo cellam vacuam esse habitatore. Sumus in eremo viginti-septem, Reclusi videlicet quinque, & unus tantum conversus, reliqui sacerdotes. Aperti vero, qui diu noctuque in choro ad divinas laudes persolvendas convenimus, quindecim, conversi autem septem, unde habitationibus potius, quam habitatoribus egemus. Non tamen vel his duobus, vel aliis, qui hujus eremitici propositum instituti habent, accessum denegare audemus; si enim a Domino missi fuerint, procul dubio confidimus, quod qui habitatores mittit, nobis parandi habitationes, consilium & facultatem ministrabit. Tu, pie pater, rebus nostris ope, consilio & orationibus consule,

le, & cura ut valeas, quia, ni fallimur, nobis valde es necessarius. Datum in eremo M.D.XX. die prima januarii, decimo jam expleto atque perfecto anno, ex quo in hac ipsa solitudine tuis ex manibus habitum sanctæ religionis accepi.

XLII.

Girolamo Avanzi Veronese a Vicenzo Quirini.

Anno 1511.

Ex Cod. Rhuensi M. III. pag. 140.

Gli dedica un Egregio Poema.

Nobilissimorum, eruditissimorumque humanissimo Vincentio Hieronymi Quirini filio Patritio Veneto.

Hieronymus Avantius Veronensis S.

SAlve academicorum, peripateticorumque dogmatum conciliator. Lydius Cattus Ravennas morum probitate, legum peritia, & carminis imprimis præstantia insignis ad me egregium misit poema, cujus ego novitate, lepore, varietate, venustate delectatus, cogitavi te novam hujus jucundi, ac lepidi libelli lectionem his præsertim diebus amaturum, quibus ut alias in Patavino gymnasio, itidem nunc in Urbe Roma tantas, tamque arduas, & ad quas pauci aspirent, quæstiones unus passim sustines. Delectabit tecum idem libellus comites tuos Val. Superchium Pisaurensem, & Petrum Bernardi Bembi Veronæ prætoris virorum principis filium; quorum alter præter medendi scientiam, prudentiam & felicitatem, qua eminet, ceteras etiam doctrinas adeo complexus est, ut eum Polihystorem Padua consueverit nuncupare; alter paternas virtutes imitatus, atque, quod incolumi gratia & laude patris, dicitur supergressus, uti equestri oratione paucissimis, ita pedestri cedit nemini; quod plures ejus & multiplices testantur elucubrationes Aristarchum & Philetam parum verentes. Si igitur, Vincenti nobilissimorum eruditissime, cum utrisque doctissimis sodalibus, ingeniosissimæ Lydii Camænæ applauseritis, vestris ego auspiciis elegantem & candidissimum libellum impressoribus hunc emissuris tradam. Reliquum est, ut redeas expectatissimus. Ante alios Angelus colendissimus episcopus Tyburtinus apostolicus ad Venetos legatus absentiam tuam ægerrime patitur. Veremur ceteri nos, probissimis moribus tuis addictissimi, ne Roma Quirini nomen fovens, colensque te a Romulo genus ducentem agnoscat, & singulares eximiasque virtutes tuas plenissime intelligens, tua nos humanissima frugique consuetudine privare conetur; quod si evenerit, omnes protinus fiemus incolæ Romani, eam patriam nostram arbitrantes, ut tibi domino obsequi potuerimus, penes te salutem, ac pene felicitatem reponentes. Vale scientiarum sydus.

XLIII.

TRACTATUS Petri Quirini super Concilium generale.

Ex Cod. Rhuensi M. II. pag. 197.

1. COncilium est congregatio sive conventus hominum prudentium publica auctoritate convocatorum, ad tractandum communi intentione de rebus necessariis sive commodis reipublicæ vel universitati, & hoc ex Isidoro in Ethimologiarum libro colligitur.

2. Tam a patribus in Veteri Testamento, quam ab Apostolis in Novo exemplum conciliorum in ecclesia derivatum esse dicimus.

3. Concilium trifariam dicitur, Universale, Provinciale & Episcopale, quorum primum Universale & Generale nuncupatur, aut ex parte convocandorum sive convenientium ad Concilium, aut ex parte auctoritatis in eo præsidentis. Concilium Universale & Generale ex parte convocandorum est, quod a papa vel ejus legato cum omnibus episcopis de universo christiano orbe congregatis constituitur, & hoc ponitur in Glossa. c. primo dis. VII. & hujus concilii plenitudo ex quinque sedibus patriarchalibus consurgere dicebatur, Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana & Romana, quando omnes illas Fidei lumen irradiabat; tempore autem, quo splendor Fidei in partibus Orientalibus occubuit, plenitudo Concilii ex Romana sede consurgebat. Concilium Universale & Generale ex parte auctoritatis in eo præsidentis, quæ tanta sit, ut legem ponere & præcipere possit toti universalitati fidelium, dicitur esse id, quod papa totius ecclesiæ princeps & rector per se aut legatum suum speciali commissione pro rebus totam ecclesiam concernentibus celebrat, convocatis prælatis ecclesiæ, etsi non omnibus.

Concilium Provinciale est, quod a legato

gato a latere papæ, sive ab alio ad hoc misso jure legationis aut specialis commissionis celebratur, cum primatis & metropolitanis & episcopis ac clericis in provincia illi decreta & delegata. Et adhuc magis limitatur loquendo concilium nuncupatur Provinciale, quando in aliqua certa provincia ei præest patriarcha, vel legatus natus, vel primas vel metropolitanus, qui tale debeat celebrare concilium cum episcopis sibi subjectis, abbatibus, clericis.

Concilium sive synodus episcopalis est illa, quam celebrat episcopus in diœcesi sua, cum abbatibus & clericis sibi subjectis.

4. Concilia Generalia ex parte convocandorum a tempore Constantini imperatoris celebrari ceperunt, alia vero multo tempore antea fuerunt celebrata.

5. Cum de Universali concilio nostra sit intentio, ejus definitio ponitur, quæ est: Concilium Universale catholicæ ecclesiæ est congregatio majorum prælatorum ecclesiæ auctoritate Romani pontificis speciali convocata, ad aliquid communi intentione sollemniter tractandum in religione christiana, papa ipso in concilio præsidente, vel alio loco sui.

6. Solus Romanus pontifex auctoritatem habet convocandi majores ecclesiæ prælatos ad Universale concilium celebrandum, quia solus ille hos cogere potest, veluti qui solus toti reipublicæ christianæ præsideat, qui cum majoris sit dignitatis in ecclesia universali, concilium Universale catholicæ ecclesiæ merito ab ipso solo debet convocari; & hoc in magna Nicæna synodo, quæ cccxviii. fuit episcoporum, ab omnibus fuit corroboratum, quod scilicet concilium Generale absque Romani pontificis sententia celebrari non possit; & hoc Damasus papa in Decretis suis cap. ix. asserit, & sanctus Marcellus papa & martyr in decretis cap. v. & Pelagius papa scribens omnibus episcopis, qui illicita vocatione Johannis CPolitani convenerunt.

7. Imperatores Universalia concilia congregare non possunt, nisi habito consensu pontificis & auctoritate, & si jussu tantummodo imperatoris synodus Generalis convocaretur, nulla a summo pontifice habita auctoritate, synodus non esset generalis.

8. Si papa suspectus esset de hæresi apud omnes, & maxime apud graves & doctos viros in ecclesia Dei, tunc ipso nolente convocare generale concilium, aut nolente præstare alicui auctoritatem convocandi, posset concilium Universale convocari a dominis cardinalibus, qui præstantiora sunt membra ecclesiæ, requisito prius pontifice per cardinales, aut per aliquos fideles, ut aboleret a se prædictam infamiam, publice catholicam Fidem confitendo, maxime circa articulum, vel articulos, de quo, vel de quibus infamabatur, & hujus confessionem per bullam denunciare debet illis, apud quos infamabatur; & si papa nollet hoc facere tunc requirendus esset, ut congregaret concilium Universale, vel daret auctoritatem alicui congregandi; & si hoc nollet, cardinales congregare possent; & si hi nollent, imperator vel princeps christianus posset hoc facere, vel etiam ipsimet prælati ecclesiæ in hoc casu possent se congregare, quo congregato requirendus esset pontifex, ut auctorizaret illud, ut tempore Symmachi papæ factum fuit, & si nollet, tunc congregatio illa deberet procedere ad inquisitionem veritatis, auctoritate tam juris divini, quam humani, ut Jo. xii. & c. Si papa, quod est sancti Bonifacii papæ dis. 40. in quo concilio primo habita veritate, papa admoneri debet, ut fidei veritatem confiteatur publice, & ei terminus est assignandus, infra quem, si errorem abjuraverit, nihil potest concilium ulterius contra ipsum, tunc concilium potest & debet procedere ad declarationem, quod ille non sit amplius papa. Si papa in casu necessitatis Fidei nollet congregare concilium, esset suspectus de hæresi, ut colligitur ex c. Error ab Innocentio dis. 83. & tunc modo prædicto potest concilium Generale convocari.

9. Prima causa congregandi concilium Generale dicitur esse, ut super tractandis & disponendis in universali ecclesia maturius & sanius consilium haberetur. Secundo congregata fuerunt concilia Generalia, & debent etiam congregari ad Solemniorem & abundantiorem auctoritatem reprobationis hæresum & condemnationem hæreticorum, ut hostes ecclesiæ repellantur. Ut hæreses damnarentur, septem præclara concilia congregata fuerunt. Primum fuit Nicænum cccxviii. patrum sub Silvestro papa celebratum, in quo Arrius presbyter Alexandrinus fuit reprobatus, qui posuit Patrem majorem, Filium minorem, Spiritum-sanctum creaturam vel servum. Secundum Constantinopolitanum cl. patrum sub Damaso, in quo error Macedonii episcopi CPolitani convincitur, qui negabat Spiritum-sanctum esse Deum. III. concilium fuit Ephesinum ccc. patrum patrum sub Cœlestino, in quo Nestorii impietas judicatur, qui dicebat beatam Mariam Virginem Mariam, non Dei, sed tantummodo hominis genitricem, ut aliam per-

personam carnis, aliam faceret Deitatis. IV. Concilium fuit Chalcedonense cccc. patrum sub Leone primo, in quo error Euticii reprobatur, qui asserebat Christum post humanam assumptionem non ex duabus naturis existere, sed in eo solam divinam naturam permanere. V. fuit Constantinopolitanum II. in quo perfidia multorum hæreticorum condemnatur, maxime Theodori Mopsuesteni, qui asserebat aliud esse Dei Verbum, & aliud Christum, negabatque Virginem Mariam Dei genitricem fuisse, & in hoc cum Nestorio conveniebat. VI. fuit CPolitanum III. centum-quinquaginta patrum, idest episcoporum, sub Constantino Augusto & Agathone papa, in quo stulticia Macharii Antiocheni episcopi & sociorum confutatur, qui unam tantum voluntatem & operationem in Christo falsa suspicione astruebant. VII. concilium fuit Nicenum II. ccc.lxvii. patrum sub Adriano, in quo hæresis execrantium imagines Sanctorum in ecclesia, dicentium nec illas tollendas, nec venerandas fore, abdicata est.

Schismatis gratia quatuor fuerunt concilia, primum fuit Universale concilium CPolitanum IV. tercentorum patrum sub Adriano II. in quo patres extirparunt Photium anathematizantes, & Ignatium restituentes. Secundum concilium per schisma fuit Romæ congregatum, in quo patres Damasum confirmarunt in sede, & Ursicinum expulerunt, III. fuit tempore Theodorici imperatoris, in quo patres Symmachum confirmarunt, expulso Laurentio, sententiam Theodorici sequentes, qui rex Ravennæ erat, IV. fuit propter schisma Benedicti XIII. Johannis XXIII. & Gregorii XII. & fuit Constantiæ in natione Germanica, in quo renunciante Gregorio XII. si quid juris habebat, & aliis duobus depositis, data fuit pax ecclesiæ.

Coongregata etiam leguntur concilia tria ad reductionem sive confutationem hæreticorum per viam disputationis. Primum fuit tempore Silvestri, in quo cum Judæis de Lege disputatum, & pro Fide Christi conclusum; quo tempore Helena cum tribus millibus Judæorum ad Fidem Christi conversa est. II. fuit Basileense pro reductione Bohemorum, in quo non fuit conclusum, quia Bohemi ita sordidi, sicut venerunt, recesserunt. III. concilium fuit Florentiæ congregatum, ubi & imperator Græcorum, & patriarcha CPolitanus interfuit cum multis aliis prælatis orientalis ecclesiæ, in quo Spiritum-sanctum a Patre, Filioque procedere conclusum fuit, licet hæc conclusio ab omnibus Orientalibus non fuerit acceptata.

Concilia etiam leguntur congregata, cum ecclesia magnos atque potentes hostes habuit & perturbatores, & hac de causa Gregorius III. contra Leonem imperatorem III. hujus nominis hæreticum, qui omnes imagines in urbe CPolitana & Christi & Sanctorum destruxerat, concilium congregavit, & hoc propter hanc causam fuit primum concilium Romæ coadunatum quasi mille episcoporum, in quo Romam & Italiam totam ab eorum potestate discedere fecerunt, & illum anathematizaverunt. Secundum concilium hac de causa fuit Romæ congregatum cx. episcoporum a Gregorio VII. contra Henricum III. hujus nominis imperatorem, qui Romanæ ecclesiæ scindere unitatem moliebatur. III. fuit Lugdunense ab Innocentio IV. congregatum contra Fridericum imperatorem hujus nominis II. rebellem, contumacem & hostem ecclesiæ, & in eo papa ipsum deposuit.

Congregatum etiam fuit Generale concilium gratia supernæ revelationis impetrandæ a Deo super arduis, in ecclesia constituendis, & hac de causa synodus prima ab Apostolis fuit congregata, ut quis eligendus esset in loco Judæ, a Deo orationibus cognoscerent, dicentes: *Tu Domine, qui corda nosti hominum, ostende quem elegeris*.

Leguntur etiam congregata concilia, cum magna immineret christianæ reipublicæ necessitas aut persecutio, cui nonnisi totius ecclesiæ auxilio subveniri posset, & hac de causa Urbanus II. concilium generale convocavit in Claro-monte Averniæ, ut civitatem sanctam fideles armata manu reciperent.

Concilia etiam ad majorem firmitatem fidei fuerunt congregata, & acceptationem plenariam constitutionum in præcedentibus conciliis factarum, unde Romæ per beatum Silvestrum fuit synodus cclxxvii. patrum, in qua synodi Nicænæ fides fuit roborata, & Arrius damnatus & hac eadem causa fuit VI. concilium CPolitanum, ut habetur dist. 16. c. Quoniam.

Fuit adhuc congregatum concilium, gratia inquirendæ veritatis super suspitione hæresis orta de Romano pontifice. Hac dee causa fuit concilium congregatum tam tempore Symmachi papæ, quam Marcellini, qui sacrificaverat idolis, ut in ca. Nunc autem, dis. xxi. habetur.

Concilium fuit etiam tempore Damasi papæ congregatum, & temporibus Leonis IV. & Sixti, ut ab infamia & suspicione de hæresi publice liberarentur 2. 9. 7. c. Nos circa fidem, & 2. 9. 5. Omnibus circa fi. & in ca. Mandasti 2.

Fue-

Fuerunt ultimo congregata plura concilia, ut leges ad reformationem pertinentes patres congregati conderent, & canones continentes multa utilia ad corrigenda vitia & ad componendos mores, ad honestatem vitæ & pacem populi christiani, ex quibus pro magna parte corpus Decreti conflatum est, & hac de causa fuit synodus illa singularis, quam Romæ Gregorius VII. celebravit ad reformationem ecclesiæ, in qua anathematizavit Simoniacos, clericis uxorem habentibus interdixit divina, & laicis eorum Missas audire, & insuper ne investituræ a laicis susciperentur.

10. Celebratio conciliorum multis de causis est utilis, & etiam ad refrænandum exhorbitantias quorumdam pontificum, qui pontificatum suum, aut spretis sanctorum patrum regulis pro voluntate exercent, aut Simoniaca pravitate dehonestant, aut seculi vanitate & vita scandalosa confundunt. Hujus causa congregatum legitur concilium episcoporum Italiæ Romæ per imperatorem contra Johannem papam XII. qui venator & lubricus publicus, & incorrigibilis erat.

11. Nec necessarium, nec conveniens est, ut semper Romanus pontifex præsentialiter Generalibus conciliis intersit, licet concilia congregari non possint Generalia, sua non habita auctoritate, & legatis aut nuntiis sive vicariis non præsentibus, qui loco pontificis ipsi concilio præsidere debeant.

12. Solos ecclesiæ prælatos Majores necessario ad concilia evocandos esse duximus, & patres conciliorum episcopi nuncupantur; & hoc ideo existimamus, quoniam concilia sanctorum patrum ejusmodi fuerunt, ut est in antiquis voluminibus videre, & quod soli episcopi debeant vocari ad concilium, testimoniis patrum habetur, & expresse ex illo, quod in gestis Chalcedonensis concilii legitur, & eo quia solis episcopis, qui apostolis successerunt, creditur potestas judiciaria in causis discernendis.

13. Solent ad concilia, & prælati minores & laici, & viri cujuscumque conditionis a pontifice ad voces consultivas, non autem ad voces decisivas seu definitivas vocari; quorum utræque episcopis, prælatis scilicet majoribus, conveniunt. Potest etiam pontifex hominibus claris, inferioris scilicet ordinis, tribuere vocem definitivam & decisivam in conciliis Generalibus auctoritate sua, non autem regulariter, nec ex consuetudine. Et adverte, quod presbyteri & diaconi cardinales non episcopi sunt ad concilium Generale convocandi, quoniam sunt quasi unum corpus cum Romano pontifice summo episcoporum, nuncupantur enim membra spiritualia pontificis. Unde episcopi subscribunt conciliis sic: Ego N.. episcopus judicans subscripsi. Alii sic: Ego talis subscripsi. Imperatores vero subscribunt hoc modo: Nos imperator N.. definita vel judicata a patribus suscipimus.

14. Ad concilium Generale hæretici non sunt admittendi juxta cap. cum quibus 24. 9. 3. de fidelibus etiam omnes non admittendi sunt cum episcopis, neque ad voces definitivas, nec consultivas, sed hi tantummodo, quos pontifex voluerit admitti, ut perturbationes pacis, scandalo rummateria, seditiones, rixæ, contentiones a conciliis removeantur.

15. Imperatores & principes & alii horum loco quandoque leguntur admissi ad Universalia concilia ad conservationem fidei & gestarum rerum in concilio pleniorem acceptationem, & tali modo interfuit Marcianus imperator Chalcedonensi concilio, ut ipse refert, & alii etiam imperatores aliis interfuerunt.

Qui habent aliquid exponere patribus aut pro se, aut pro interesse aliorum concilii synodis interesse possunt, non consulendo neque deliberando, sed exponendo tantum, & qui ministri sunt ipsius concilii.

16. In Concilio Generali, in quo patres de universo christiano orbe congregantur, necessarium est, omnes episcopos in communi saltem convocare, & patriarchas omnes particulariter invitare, & si omnes non venerint episcopi aut patriarchæ, concilium adhuc Generale & validum dicitur esse, quoniam id, quod per ipsum determinatur, ab omnibus pro firmo habetur.

17. In concilio Generali ex parte auctoritatis non est necesse omnes episcopos convocare, sed quos pontifex voluerit, & dicetur Universale ratione auctoritatis, quam per universam ecclesiam habet, & hæc concilia facilius, quam illa, in quibus omnes episcopi convocantur congregari possunt, & hinc est ex illis octo solummodo in spatio 545. annorum celebrata leguntur, & in his conciliis sicut & in aliis tanta est pontificis auctoritas, ut se extendat ad universam ecclesiam.

18. Cum in conciliis Generalibus his ex parte auctoritatis aliqui & non omnes convocentur episcopi, hi qui convocandi sunt, debent esse sapientes, sanctæ vitæ, prudentes expertique, & zelum fidei ad bonum habentes, & ex hoc habetur, quod juvenes, cum neque prudentes, neque

que experti sint, non possunt generalibus interesse conciliis.

19. Episcopi ad Generale concilium vocati, si aliqua legitima & necessaria causa minime impediti non venerint, facta prius ipsis admonitione, tamquam contumaces sunt publicandi & a sacramentis & comunione fidelium & a negotiis cum aliis episcopis separandi, & si nolentes accedere reperti fuerint transgressores juramenti secundum formam cap. ego ∯. de jurejurando, pœna depositionis a dignitate puniri possunt, qui incurrunt etiam pœnam damnationis æternæ, quæ pœnæ eis infliguntur auctoritate summi pontificis.

20. Episcopi, qui legitima causa impediti non veniunt vocati ad concilium, debent pro se ad synodum legatum mittere, qui & excusare & cum juramento causas affirmare debent.

21. Qui celebrationi adversantur conciliorum causa congregatorum, tamquam hostes religionis Christianæ habendi sunt. Si vero ad confundendas hæreses concilium Generale patrum fuerit a pontifice vel ejus legato congregatum, qui ejus celebrationi adversantur, pro hæreticis sunt habendi.

22. In concilio Generali Romanus pontifex regulariter per se aut suos præsidere debet, ut in conciliis Generalibus, & apostolorum & successorum suorum est videre, in quibus Petrus & pontifices præsidentiam habuerunt per se aut per legatos, & merito cum ipse caput sit ecclesiæ Dei. Si autem in concilio Basileensi pontifex aut per se, aut per legatos non habuerit præsidentiam, ex hoc tamen accipere non possumus, concilia celebrari posse non præsidente pontifice, aut aliquo loco ejus, & quia synodus illa fuit scandalosa, in qua tamen Julianus Cæsarinus diaconus cardinalis tituli sancti Angeli præsidentiam habuit.

23. Concilium Generale superius non est pontifice Romano auctoritate, immo inferius, quoniam Romanus pontifex divina institutione princeps est per totam universalem Christi ecclesiam.

24. Numquam in conciliis Generalibus, non præsente pontifice, aut alio loco ipsius, imperatores vel judices destinati per eos primatum & præsidentiam habuerunt, sed ad ornatum, & ut per disciplinæ timorem facerent gesta in conciliis ab omnibus observari, eis præsidentes erant, & etiam ut audirent patres, & testes essent eorum, quæ dicerentur.

25. Qui nomine pontificis synodis præerant, sententias auctoritate papæ proferebat, & non auctoritate ipsius concilii, cum auctoritas pontificis sit supra concilium, & si aliquando in conciliis judices a pontifice deputati verbum aliquod dixerint patribus aut dominis auctoritative quasi ab eis petendo, hoc auctoritatis gratia dicimus factum.

In synodo contra pontificem celebranda auctoritatem tam de jure divino, quam humano habente, si papa voluerit ipsam auctorizare, & ei præsidere, stare tenetur admonitionibus patrum, & infra terminum ei assignatum debet se a vitiis, ob quæ celebratum esset concilium contra eum, removere, & si non fecerit, patres auctoritate juris ipsum non esse amplius pontificem declarare possunt. Et hæc omnia de legitimo pontifice dicuntur, hoc enim modo congregata fuit synodus contra Johannem XII.

26. Prælati vestibus dignitatis suæ congruentibus ad synodum venire debent cum mitris albis & planis, & cum vestibus sacris episcopis convenientibus, qualiter ipsi ad celebranda provincialia concilia procedunt.

27. In conciliis Romanus pontifex, aut aliquis loco ejus primum locum tenere debet. Secundum cardinalis Ostiensis episcopus. Tertium locum de jure, nisi obviet alia Romanæ ecclesiæ consuetudo, obtinet patriarcha Constantinopolitanus; quartum Alexandrinus; quintum Antiochenus; sextum Hierosolymitanus, ut in cap. renovantes dis. 21. & in cap. præallato antiquit. de privileg. habetur. Post has sedes principales sequuntur aliæ quatuor, scilicet Aquilejensis, Bituricensis, Gradensis & Pisanensis, ut ab Archid. in glo. fin. dis. 22. habetur. Cardinales vero secundum consuetudinem Romanæ curiæ præferuntur in sedendo istis ultimis patriarchis. Alii vero patres ordinem dignitatis eorum sequuntur, ut primo sint archiepiscopi, deinde episcopi, quando eos conciliis interesse contingeret, inter ipsos ordo servandus est juxta tempus ordinationis eorum, ut dis. cap. episcopos habemus.

28. Synodus a Missa Spiritus-sancti inchoanda est, quæ celebrari debet per aliquem prælatum de concilio, eo quia illuminatio veritatis in definiendis & agendis requiritur, & unanimitas patrum congregatorum in synodis concludendis, ut omnibus sit mens una, una sententia, unus sensus, quæ a Spiritu-sancto tribuuntur. Et in ipso concilii principio post Missam, antequam exordium faciant rerum tractandarum, hymnus ille voce alta de-

decantetur a patribus: *Veni creator Spiritus*, & continenter sermo de pertinentibus ad concilium proponendus.

29. Occurrunt XII. a quibus cavendum est in conciliis. I. est malitia sive pravitas affectionum. II. negligentia circa bonum commune. III. a quo cavendum est, timiditas exprimendi verum. IV. amor vanæ gloriæ seu vanitatis; V. dissolutio vel lascivia. VI. tumultus, disceptationes obstinatæ & defensiones. VII. tepida correctio circa culpas præteritas; VIII. injusta persecutio aliorum. IX. ne patres innitentes quibusdam fantasiis aut somniis, & incertis revelationibus sive visionibus aliquid ordinent. X. est error in promovendo materias in concilio, ne scilicet parva magnis, temporalia spiritualibus anteponant. XI. levitas & præcipitatio in consulendo. XII. est violentia; libertas enim maxime requiritur in consulendo.

30. Concilia Universalia non immediate a Christo Domino nostro auctoritatem habent, sed a summo pontifice Romano, qui non a conciliis, sed ab ipso Christo Salvatore nostro hanc potestatis excellentiam habet in synodis, veluti caput ecclesiæ, quibus sanctus Athanasius & Julius I. papa, Nicænumque concilium & reliqui patres adstipulantur.

31. In conciliis generalibus nullæ prius habita consultatione apostolicæ sedis, quæ & mater cunctarum ecclesiarum & magistra fidei est assiduæ, materia, ut puta fidei & majores causæ definiri non possunt.

32. Sancti patres in Generalibus conciliis congregati definitiones suas & gesta ad eorum vigorem & firmitatem regulariter ab apostolica sede confirmari & roborari postularunt, ut leges ecclesiæ robur & auctoritatem accipiant ab eo, in quo Deus totius ecclesiæ principatum posuit, ut in cap. nolite errare diss. 11. inquit Julius papa, & ante ipsorum confirmationem neminem fidelem obligare dicuntur, ut ex concilio Chalcedonensi colligitur, & ex cap. bene diss. 96. & a Leone papa in epistola ad Aquilejensem episcopum.

33. Qui apostolicæ sedi injuriari aut illius honori & auctoritati derogare præsumunt, Maledictionis pœnam & crimen læsæ majestatis & genus quoddam schismatis, pro eo quod ecclesiarum omnium, fundamentum deserunt, & labem etiam hæresis incurrunt, eo quod apostolicæ sedis privilegia violare præsumunt.

34. Stante in sede apostolica vero & indubitato pontifice universale concilium non debet se intromittere indifferenter de singulis causis, sed tantum de his, ad quorum determinationem & definitionem fuit congregatum, quoniam soli apostolicæ sedi, in qua totius ecclesiæ Deus posuit principatum, convenit de singulis causis omnium fidelium judicare, ut c. episcopus 9. 9. 3. habetur, & non ipsi concilio, ut Leo papa, & Nicolaus & Agatho scribentes in quibusdam suis epistolis non fuerit congregatum, contra voluntatem scilicet pontificis, illa dicuntur cassa & vana, nisi postea a papa fuerint confirmata.

35. Concilia sine expresso & speciali mandato pontificis non possunt se intromittere in rebus apostolicæ sedi reservatis, ut est Generalium conciliorum convocatio, episcoporum dispositio & majorum causarum discussio, de quibus in c. dudum 3. 96. & de multis specifice habetur in Decretis & Decretalibus, & hoc ideo est, quoniam pontifex non incorporatur concilio convocando ipsum, omnem plenitudinem potestatis, sed tantam, quanta requiritur pro determinatione rerum, quarum causa fuit synodus a pontifice congregata.

36. Generale concilium congregatum vacante apostolica sede ante Romani pontificis creationem potest exequi, quæ necessario occurrerent pro regimine ecclesiæ, ubi per dispositionem juris non posset provideri, & quæ sine dispendio magno prorogari non possent usque ad creationem Romani pontificis.

37. Patres congregati deficiente pontifice per naturalem mortem aut aliquo modo penitus impedito, tantum in necessariis, quæ immediatam exigunt expeditionem se intromittere debent, & de ipsis providere auctoritate, quam prius habebant ab apostolica sede, & auctoritate tam juris divini, quam humani, & gestorum suorum post creationem pontificis ab ipso petere confirmationem.

38. Papa auctoritate jurisdictionis superior est universali concilio, cum ei auctoritatem tribuat, ut habetur dis. 17. per totum & extra de elect. c. significasti, & etiam cum quandoqne absolvat & dissolvat, quod concilium ligat & damnat, ut fecit papa Nicolaus in epistola, quam scribit patriarchæ & toti clero CPolitano; & papa Pelagius universis episcopis per Daniam constitutis scribens, unde nnncii papæ non habent baculum curvum, sicut alii episcopi, quoniam auctoritas sua non est coarctata, ut est illa episcoporum curvamine baculi designata, ut in omnibus est videre.

39. Au-

39. Auctoritas illa Matthæi 18. in qua dicitur: Si peccaverit in te frater tuus, dic ecclesiæ, non arguit, quod ecclesia & synodus sit major papa, quoniam, ut in eodem loco dicunt Augustinus, sanctus Thomas, Chrysostomus, per ecclesiam Apostolus intelligit prælatum ecclesiæ; dicere enim prælato in judicio præsidenti, est dicere ecclesiæ, ut ait sanctus Thomas in 4. sentent. dis. 19. & in 22. q. 34.

40. Synodus Constantiæ facta immediate a Christo dicitur habuisse auctoritatem, eo quia nullus pontifex propter schisma erat in ecclesia adhuc pro legitimo papa cognitus, & vocatio illa concilii universalis a Johanne XXIII. facta non est alicujus auctoritatis, quoniam aliæ tunc factæ ab aliis pontificibus illi contradicebant; tres enim erant pontifices, quorum causa erat schisma, ob quam divisionem ecclesiæ concilium fuit congregatum Constantiæ, & immediate a Christo auctorizatum, nullo existente vicario ipsius pro legitimo cognito.

41. Subscriptiones patrum & consensus & approbationes synodi multum operantur tam ad faciliorem obedientiam statutorum Romani pontificis, quam ad firmiorem custodiam eorum.

42. Papa non potest statutum concilii, quod ad Fidem & generalem statum ecclesiæ pertineat, destruere, quoniam tale non a conciliis sed a jure divino robur habet, cui papa subjicitur, in aliis vero potest papa contra Statuta conciliorum venire, ut dicit Archidiaconus.

B. PAULI JUSTINIANI ET PETRI QUIRINI

EREMITARUM CAMALDULENSIUM

LIBELLUS AD LEONEM X. PONTIFICEM MAXIMUM.

SUscipe Beatissime Pater Leo Decime Pontifex Maxime Libellum, quem Tibi humiles Sanctitatis Tuæ Servi Petrus, & Paulus Eremitæ offerunt. Neque enim aliud in admirabili hac exaltatione Tua, magnaque totius Orbis lætitia in eorum erga Te fidei, ac observantiæ testimonium habuerunt, quod offerrent. Hunc, si ad multas, maximasque occupationes Tuas respexeris, immensum fortasse volumen existimabis: Si vero ad ea, de quibus sermonem fecimus, animum intenderis, pro rerum magnitudine, ac diversitate brevem, jejunamque Orationem censueris. In eo autem, Pater Beatissime, si quæ facere jam aliquot annos Pontifices consueverunt, a Jesu Christo, quod minime credimus, probabuntur, inania deliramenta, aniles fabulas, ægrotantium somnia reperies. Si vero, quæ legitimum Pontificem, qualem Te esse non ambigimus, facere oporteat potius, quam quod alii fecerint, considerare volueris, multa fortasse utilia, quædam etiam invenies necessaria, si Tibi a Domino demandatum munus, non solum nominis excellentia, & personæ dignitate, sed operis quoque consumatione implere desideras. Quamplurima autem in eo vana, atque minus opportune dicta esse nos ipsi suspicimur: quoniam in multiloquio peccata deesse non solent; satis tamen desiderio nostro fecisse credimus, si more eorum fecerimus, qui metalla effodiunt. Cum enim purum aurum, & argentum ex terræ visceribus eruere nunquam valeant, multum vilioris materiæ extrahunt, quod tamen, cum malleis conterendum, igniumque flammis examinandum committunt, pretiosi aliquid metalli suscipiunt. Nobis certe eorum exemplo multum erit, si hæc ipsa, quæ permixta, ac confusa hoc Libello continentur, malleo profundissimæ cogitationis Tuæ contrita, igneque singularis Sapientiæ Tuæ examinata, purum aliquid, si non auri aut argenti, vilioris saltem metalli habuisse probabuntur. Rogamus vero Amplitudinis Tuæ Pietatem, ut non rudem loquendi modum, non qualiter, sed quæ potius diximus, considerare velit; immo non quæ diximus, sed quæ dicere voluimus, attendat. Nobis etenim Clementissime Pater, posteaquam Monasticam, & Eremiticam vitam in Apennini summitate professi sumus, christiane vivendi potior cura fuit semper, quam latine, aut eloquenter scribendi, & ad mentis etiam Tuæ perspicacissimæ rerum omnium cognitionem rethoricis uti artibus minus congruum existimavimus. Quod enim res ipsæ Tibi persuadere non poterunt, nulla certe satis erit eloquentiæ vis ad persuadendum. Semper enim, sicut ad imperitiores, ac tardiores animos commovendos multum eloquentiam valere existimavimus: ita ad sapientiorum, ac prudentiorum corda flectenda nudas res ipsas, simplicique sermone prolatas plus posse, quam ullum verborum delectum, aut Orationis ornatum judicamus. Sentiunt, qui sapientiores sunt, quibuscumque verbis proferantur, cujusnam res ipsæ momenti sint, & rerum potius soliditate, quam verborum inanitate moventur. Neque etiam quinam illi sint, qui hæc ad Te scribere benignitatis Tuæ abundantia freti, non timuerunt, Sapientiam Tuam intueri oportet: sed Divinæ potius Sapientiæ profunditatem considerare, quæ vilissimis plerumque instrumentis ea operari soleat, quæ prodesse etiam Sapientissimis possint. Ad aures autem Tuas hæc pervenire ille fortasse Dominus voluit, qui nihil ad rem pertinere arbitratus est, a quibusnam, aut quam latine dicerentur. Quare Beatissime Pontifex non quales nos sumus, aut qualiter loquamur, sed quæ dicimus potius, & a quo provenire eadem possint, Sapientia Tua metiatur. Nostræ vero temeritati, ac rusticitati Pietas illa Tua, quæ in hac exaltatione sua nemi-

ni Clementiam denegavit, veniam dare non recuset. Neque enim venia indignos nos arbitrari poteris, si quæ a Deo O. M. assiduis precibus, multisque lacrymis diu noctuque petere non cessamus, eadem ad Te, qui ejus in Terra vices geris, semel scribere ausi sumus, cum maxime Te precibus eorum omnium, qui consolationem Israel expectant, a Domino datum Pontificem, atque Pastorem non dubitemus.

Sex in Partes dividitur Libellus.

Prima. Pontificis Potestatem, ejusque officium ostendit.

Secunda. Judæos, & Idololatras ad Fidem vocandos suadet.

Tertia. Mahumetanos aut convertendos, aut in pugnam vincendos proponit.

Quarta. Septem Christianorum Nationes, quæ a Romana Ecclesia sunt divisæ, Capiti uniendas dicit.

Quinta. De Christianorum omnium, qui Romano obediunt Pontifici, reformatione agit.

Sexta. Temporale Ecclesiæ Imperium per universas Infidelium Regiones augendum hortatur.

Nos, Beatissime Pater, qui ex manibus tuis Religionis nostræ reparationem suscepturi ex Camaldulensis Eremi, Te, Julianoque Fratre tuo vocante, ad Florentinæ Civitatis frequentiam læti his proximis diebus descenderamus: nunc intimæ exultationis, atque exuberantis lætitiæ pleni, his Beatitudinem tuam scriptis adire, magnaque animi jubilatione ante Te procidentes in Beatorum Pedum tuorum oscula proruere non dubitamus, non hujus modo nostri pusilli gregis, sed totius jam Christianæ Religionis restaurationem expetentes, atque illam a Te per viscera Misericordiæ Jesu Christi votis omnibus efflagitantes. Te enim ad hoc opus peragendum, præter hominum expectationem, a Domino electum, atque ad sublimem Pontificalis dignitatis apicem elevatum existimamus. Viderat quippe Summus ille rerum omnium Moderator, qua alacritate, quo recto animi affectu Religionem semper coluisses. Et nuperrime demandatum Tibi a Julio, qui tunc Pontificem agebat, reformandæ Religionis nostræ munus susceperas: & qui animi desiderium, piumque ejus affectum pro opere computare solet, non passus est Te diutius his rebus minimis occupari, neque expectare voluit, ut opere impleres, quæ mente conceperas: Sed ex ipsa sola animi intentione satis de Te experimenti suscepisse ratus, majora Tibi, immo maxima committere non dubitavit. Te enim ideo toti Christianæ Reipublicæ præposuit, & Sacrosanctæ nostræ Religionis Pontificem Summum instituit, ut qui post multa, maximaque in omnes Monasticos Ordines beneficia, novissime prolapsam P. N. Romualdi domunculam restaurandam, parvum, Amplitudinique tuæ impar negotium, magno Religionis zelo succensus suscipere non recusaveras, dignissimo jam jam, tuæque Sapientiæ congruo munere universalem ipsam Religionum omnium Matrem, labentem Christi Ecclesiam reparare, atque in pristinum suæ claritatis decorem reducere inciperes. Non enim ad hanc Summam Amplitudinis Dignitatem, ac maximam omnium, quæ sub Cœlo sunt, potestatem, ideo Te ille humanarum omnium rerum Dispensator Optimus evexit, ut inani Pontificis nomine, aut mundanæ gloriæ vanitate contentus, luxu, otio, atque ignavia, quæ a Te semper aliena fuere, in Terris vitam duceres; sed ea potius ratione universum Terrarum orbem tuo moderamini, imperioque subjecit, ut per industriam, sollicitudinem, ac sapientiam tuam ad instar Cœlestis Regni una humanarum omnium Creaturarum Christo Domino servientium Respublica constitueretur in Terra. Cum enim nullus omnino in universo terrarum orbe hominum sit, qui a Divinæ Majestatis Potestate se alienum esse ulla ratione valeat suspicari, Tuque in Terris immensæ illius Majestatis vices geras, manifestissime sit, totum humanum genus, omnes scilicet gentes, populos, nationes, quæ sub Cœlo sunt, tuæ subditas esse potestati, tuisque nutibus regenda humana omnia, atque tuo arbitrio moderanda. Ideo enim ad Evangelium omnibus Creaturis in universo orbe prædicandum Apostolos suos Dominus mittebat; ideo illos non solum in Jerusalem, Judæa, & Samaria; sed usque ad ultimum Terræ sibi testes futuros prædicebat, ut qui Apostolicæ functionis onus susciperent, facile intelligere possent, illius supremæ Dignitatis munus esse non parvam aliquam Terræ particulam, non quasdam hominum conditiones, sed Orbem ipsum universum, totumque prorsus humanum genus regere, ac moderari: Non ut terreno Imperio aucta sublimiori loco Apostolica Sedes constituatur, quam de sola humilitate D. N. Jesu Christi vestigiis inhærentem gloriari decet; sed magis, ut omnium humanarum Creaturarum Domina effecta, ille, qui ad sedendum in ipsa a Domino eligitur, eos,

qui nondum Fidem Christi, in qua sola salus est, susceperunt, ad illam suscipiendam, vitæ exemplo invitare, beneficiis allicere, atque attrahere possit. Illos vero, qui semel Fidei Veritate suscepta, aut perversorum hominum fallacia decepti, aut propriis voluptatibus allecti ab ea discessisse videntur, opportunis, congruisque artibus ad Fidei ipsius Veritatem cognoscendam, sectandamque pie cogere valeat. Hoc enim Pontificis Maximi munus esse, si re ipsa non tantum nomine Pontifex sit futurus, neminem sanæ mentis dubitare existimamus. Qui vero de Pontificis Potestate disputare audent, nequaquam nobis sani judicii esse videntur. Quippe, quoniam si id solum animadvertere non negligerent, cujusnam vices Pontifex in Terris gerere ab omnibus censeatur, facile omnem in illo plenitudinem Potestatis perciperent, quem Summi, Maximi, Omnipotentissimique Dei omnium Auctoris, atque Moderatoris Vicarium esse apertissime confitentur. Nam insulsum sane est claudendi, aperiendique Cœlorum Regna potestatem ab ipso Cœlorum, Terrarumque Domino Pontifici traditam non negare, & adhuc de plenissima supra universum genus humanum Pontificis potestate dubitare; Præsertim cum toties in Evangelio Dominicos greges pascendos, regendosque illi traditos, atque commissos legamus, certissimeque cognoscamus nullum in hoc Terrarum ambitu hominum esse, qui inter illius Pastoris Optimi oves computari non debeat, qui pro universorum hominum salute, Dei Filius cum esset, carnem assumere, & in ea mortem subire non dubitavit. Qui vero aliarum Ecclesiarum Antistites Romano Pontifici Potestatis, aut Dignitatis excellentia æquare contendunt, non minus, immo multo etiam magis aberrare judicandi sunt; Quoniam non frustra, aut casu factum existimare debemus, qui Petro potius, quam alicui aliorum Apostolorum traditas Regni Cœlorum claves legimus: quod illi, & non alteri dictum sit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; quod discessurus ab Apostolorum præsentia Dominus Petro potius, quam alteri, ter etiam repetito sermone, oves, agnosque suos pascendos committeret; quod de Petri potius, quam de cæterorum Fide dixerit Dominus: *Rogavi pro Te, ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos*. Nonnisi magno Sancti Spiritus ministerio factum, quod Evangelistæ testimonio, dum Apostoli numerandi sunt, Petri nomen non solum ante alios ponitur, sed primus omnino nominatur, primus utique & dignitate, & potestate, tantaque excellentiæ sublimitate, ut nullus in Terris illi æquari possit. Quemadmodum enim unus in Cœlis est omnium Dominus Jesus Christus, ita unum in Terris, qui ejus vices gerat, reliquit Petrum, Petrique legitimum successorem. Quod videntes antiquiores illi Sanctissimi Patres ad Sacras Synodos universales congregati, apertissimis Definitionibus declaravere, omnium Ecclesiarum Caput Romanam Beatorum Apostolorum Petri & Pauli Sanguine consecratam Ecclesiam esse. Cum itaque omni dubio procul sublimissima hæc Beatissimi Petri Sedes, in qua nunc Tu Sanctissime Pater a Domino mirabili electione collocatus es, sit omnium, quæ in Universo sunt, Ecclesiarum Caput, & Domina, cum nihil omnino de plenitudine Apostolicæ potestatis dilatandum sit, evidentissime colligere possumus, tuæ nunc Beatitatis munus esse, universum Terrarum orbem, ac omne hominum genus regere, & moderari, nullamque penitus esse Orbis partem, neque humanarum creaturarum aliquam, quæ tuis Imperiis parere, tuisque nutibus obtemperare non habeat. Te enim vere hodie constituit Dominus super gentes, & Regna, super gentes scilicet universas, quæ sub Cœlo sunt, & super omnia Regna Mundi hujus, ut tuo arbitrio evellas & destruas disperdas & dissipes, & ædifices & plantes. Verum Tu certe omnibus melius sentis, Pater Beatissime, qualis Tibi a Domino commissa provincia fuerit; non enim angustissimæ hujus Italiæ modo, aut etiam non satis latæ Europæ solum, sed longe etiam ampliora, potentioraque Africæ, Asiæque, totius scilicet Universi Regna, & Imperia omnia tuæ subiecit potestati, tuæque fidei commisit. Triplicem namque Capiti tuo coronam imposuit, ut Universum ipsum, quod in tres partes dividitur, tuis imperiis subjectum non ambigeres. Non Italorum modo hominum, non eorum Christianorum, qui aptiorem hanc Orbis partem, Europam scilicet ipsam incolunt; sed & cum his eorum etiam omnium, qui, licet propter Regionum distantiam nobis minus sint noti, sub Christi tamen nomine viventes multis, amplissimisque Regnis maximas universi orbis Provincias, Asiam fere totam, & habitabiles Africæ Regiones occupant, Cura, Salusque Tibi commissa est. Quid enim Christiano utcumque nomine censeri potest, quod Christi Vicario commissum, subiectumque non esse intelligatur; sed & præter

ter Christianas omnes gentes, etiam illas, populos, & nationes, quæ cum Christum aliquando cognovissent, Hæreticorum, perversorumque hominum fallaciis deceptæ, aversæ a Christi Fide impios alios vivendi ritus, falsaque nefandæ alterius Religionis Dogmata susceperunt: quales illi omnes sunt, qui spurcissimi, & impiissimi hominis Mahumeti contaminatissimam, omniumque Hæreticorum infectam venenis Hæresim sequuntur, & cum his illos etiam, qui perversa cordis duritia, obdurataque contra veritatem cervice, nunquam Christianæ Fidei jugum suscipere voluerunt, tuæ subiectos potestati, tuæ commissos fidei, & diligentiæ, ille esse voluit, qui cum omnium Dominus sit, omnes vult homines salvos fieri, ut Tibi ejus in Terris vices gerenti, humanarum omnium penitus creaturarum salus sit cordi, ut commissum Tibi hominum genus suprema hac omnium potestate, maximaque illa animi tui Sapientia ita regeres, & per tranquillissimam in Terris pacem ad æternæ Beatitudinis felicitatem, omnes pariter homines perduceres. Hoc, Beatissime Pater, proprium, præcipuumque Pontificis munus esse, tuam non ambigere Beatitudinem credimus. Ecclesiam Sanctam Dei Tibi commissam esse omnes intelligunt; Veram autem Ecclesiam Dei, non terrenæ habitationis civitates, aut manufacta ædificia, sed hominum Congregationem esse te latere non debet. Inde enim jam usu suscepto vocabulo, ii Sacrorum Domorum parietes & tecta Ecclesia Dei nuncupantur, quod in eis fidelium animarum multitudo, quæ vera Ecclesia est, congregetur. Deus enim non in manufactis inhabitat, sed Templum Sanctum Dei, Pauli Apostoli testimonio, homines ipsi sunt; Tu vero Templi vivi istius antistes, tu sublimitate Dignitatis, auctoritatisque constitutus, ideo omni majori cura, studio ac diligentia, quæcumque in eo turpia, aut indecora sunt, emendare, & quæcumque illi desunt, vera, Deoque digna ornamenta adjicere debes; Quoniam Christo Domino, cui soli inservire Tibi cura omnis esse debet, pretiosius, cariusque est, unum hoc vivis ex lapidibus constructum Templum, quam quæcumque magnificentissimis ex parietibus, sublimibusque tectis, pretiosissimisque ornamentis manufacta templa, quæ Deo unquam in universo dicata fuere. Nullus enim Te ipso apertius nosse debuit, quod non universalium modo Creaturarum, sed unius cujuscumque Animæ salus pretiosior sit in conspectu Domini Nostri Jesu Christi, quam omnia universi orbis hujus Regna ipsa, & Imperia. Quippe cum Te non lateat ipsum pro hominum salute acerbissimam Crucis mortem subire voluisse, tantamque erga humani generis Creaturas ejus dilectionem, charitatemque esse, ut nullus adeo in universo humilis, abjectusque sit, pro cujus solius salute, si opus esset, non se iterum libentissime Cruci, mortique traderet; Mundi autem Regna omnia ostendentem, imperiaque pollicentem neque audire sustinuit, sed & graviter increpans, eum a se discedere jussit, penitusque abjecit. Quæ quidem Spiritu-sancto dictante scripta sunt, ut ad nostram Doctrinam singula quæque trahentes, facile intelligere possimus, illis, qui Christo placere student, æternæque ab eo retributionis munera expectant, uniuscujusque animæ salutem, magis quam multarum Civitatum Imperia curæ esse debere. Illa enim & sempiterna est, & a Divinitatis participatione non aliena; hæ autem, quæcumque fuerint Civitates, atque etiam terrena Imperia, si ad æternitatem conferas, momento citius dilabuntur & pereunt, nec stabiliora videntur habere fundamenta, quam ea tabernacula Pastorum, quæ mane posita cum sint, vespere destruuntur. Transeunte enim, vento citius, Mundi hujus figura, quid in eo stabile, aut non momentaneum esse potest? Hæc autem eadem Regna ipsa, & Imperia, etiamsi diutius permanerent, nonne si cum humani animi dignitate, cum ea, cujus est capax, Divinitate conferre incipias, omni pulvere viliora sunt existimanda? Ex hac vero, Beatissime Pater, supputatione ea exoritur summa, tuæ scilicet amplitudinis munus esse, si Christi vestigia imitari, ejusque beneplacitis in hac ab eo Tibi tradita potestate inhærere volueris, non Civitates, & Castra Terrenæ hujus Ecclesiæ potestati subjicere; sed tuis manibus Christo Domino puros commissarum tibi ovium animos offerre, ut illa citius perficiatur Ecclesia, quæ in Cœlis vivis, æternisque construitur ex lapidibus. Cum itaque Summi Pontificis cura, minima quidem circa Terreni Imperii dilatationem, maxima vero circa humanarum omnium Creaturarum salutem versanda sit: jam alta sublimis mentis tuæ consideratione Te prospexisse credimus, Universam hanc omnium in Terris degentium multitudinem, cui Tu & præesse, & non minus prodesse debes, ex diversa, multiplicique hominum varietate constare. Non eadem est omnibus Religio, non Fides, mores, non æqua conditio; Te enim id, quod omnibus fere notum est, latere non potest,

test, hac hujus sæculi tempestate sic se genus humanum universum habere, ut quantum ad Fidei veritatem attinet, triplici possit diversitate distingui; quidam etenim ita extra Christianæ Ecclesiæ pietatem penitus sunt, ut intra eam nunquam fuisse cognoscantur: alii autem, eo quod extra rectam Ecclesiæ Fidem nunc penitus sunt, cum superioribus quidem computari posent, sed propterea diversi ab illis existimantur, quoniam intra ipsius Christianæ Ecclesiæ ambitum aliquando fuisse intelliguntur: multo vero plures & illi existunt, qui ita Christianæ Veritatis quædam suscipere, quædam autem non suscipere videntur; ut nullus omnino, præter Beatitudinem tuam, si intra Ecclesiam, aut extra illam sint, aperte valeat definire. His tribus hominum conditionibus quartum illud adjicitur, quod genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, populus aquisitionis, Beati Petri Apostoli voce appellatur. Hi sunt, qui intra castissimum Christianæ Ecclesiæ gremium, ceu intra piissimæ Matris sinum carissimi filii continentur. Sentis, Beatissime Pater, magnam in Terris esse hominum diversitatem, neminem tamen aut a dignitatis tuæ potestate liberum, aut a tuæ pietatis cura alienum esse, sentire Te credimus; quoniam quale amplissimi officii munus sit, ille Te admonere sæpius potuit, qui ad Apostolatus Dignitatem a Domino vocatus, dicebat: *Græcis, & Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum,* larum certe gentium, quamquam Infidelium a se curam alienam indicans. Quod apertius etiam significare volens, alibi ajebat: *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem; Judæis scilicet, tamquam Judæus; his qui sub lege sunt, tamquam sub lege; his qui secundum legem sunt, tamquam sine lege; infirmis tamquam infirmus, & denique omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem.* Et vere, cum non hujus solius, sed omnium Apostolorum, & Apostolicorum virorum maximam semper curam fuisse cognoscas, ex universarum gentium diversitate, unam Christi Ecclesiam congregare, Tu Principis Apostolorum locum tenens dubitare non potes, ad tuæ amplitudinis Majestatem attinere: sic omnium humanarum creaturarum curam suscipere, ut nulla adeo barbara, adeo infidelis, & a Christianæ Pietatis veritate aliena gens sit, cui Tu, Christi amore, inservire non habeas, ut ex ea, quoscumque poteris, Christo lucrifacias. Si enim, ut antiquiora non recenseamus, Infidelium a se alienam curam Beatus ille Pontifex Gregorius existimasset, quomodo fidelis nunc Anglia Christum coleret? Cum his igitur tribus hominum conditionibus, qui non penitus intra Ecclesiæ pietatem sunt, non minus, immo & multo magis fortasse, quam illis, qui intra pium Ecclesiæ gremium continentur, si Apostolicæ Dignitatis munus implere cogitas, Te debitorem esse intelliges, magna illa animi Tui Sapientia ac Pietate. Quomodo his hominum conditionibus prodesse posis, jam considerare Te credimus, & totam mentis tuæ intentionem circa hæc versari censemus. Quare Beatitudini tuæ non grave futurum existimamus, si de his ad amplitudinis tuæ majestatem nos quædam altius repetita scribere audebimus: non quod ea, quæ scripturi sumus, profundissimam illam tuam rerum cognitionem subterfugere posse ullo modo judicemus; sed quod in hac exaltationis tuæ magna totius orbis lætitia nos has imperitas voces continere nullo modo potuimus.

Si igitur primo ad eam hominum conditionem, qui omnino extra Ecclesiam sunt, neque intra eam nunquam fuisse cognoscimus, Pietatis tuæ oculum intendere volueris, infinitam pene in toto Terrarum Orbe dispersam Gentis Judæorum multitudinem aspicies. Quamquam enim ad multa millia illi hujus gentis accedant, qui per omnes Christianorum Regiones habitare videntur; multo tamen plures ab his, qui Orbem ipsum circuire consueverunt, illi existimantur, qui inter Infideles habitant Nationes. Præter Judæos autem non parvum esse eorum hominum numerum, qui neque nunc Christum colunt, neque unquam coluisse creduntur, illæ testanrur Occidentalis Oceani magnæ Insulæ, (si modo Insulæ, & non Continentis partes esse existimantur) quæ ad hoc usque sæculum omnibus incognitæ, a magnis illis Occidentalibus Regibus repertæ fuere, in quibus innumerabilis populorum multitudo habitare dicitur, quibus Christi Nomen nunquam fuisse notum existimatur. Hi omnes, quamquam, eo quod Christianæ Fidei veritatem neque nunc quidem suscipiunt, neque unquam suscepisse creduntur, unius conditionis esse dicantur; quoniam tamen diversa illis est Infidelitatis causa, diverso indigere videntur auxilio. Judæi enim, si recte consideremus, nulla inscitia, aut ignorantia, sed obdurata potius Cordis perfidia Christum non suscipiunt; Quem enim illorum Lex, & Prophetæ venturum manifestissime prædicant; quem Patres

tres eorum crucifixiſse negare non audent; quem a tot millibus ex Judæis & Gentibus omnibus in unam Fidem congregatis adorari in univerſis Orbis partibus non ignorant, hunc ſuſcipere non acquieſcunt. Illarumvero extremarum Orbis partium incolæ ideo Chriſtum non colunt, quoniam ipſum Chriſti nomen ad hanc uſque diem nunquam audiviſſe recordantur. Quod tamen ita omnino eſſe non obſtinati contenderimus. Nam licet eam Prophetæ vocem, qua atteſtatur, in omnem Terram exiiſſe Apoſtolorum ſonum, ad futurum trahere poſſemus: facile tamen & id evenire potuiſſe exiſtimamus, ut vocem Dominum Jeſum prædicantium in omnem Terram jam olim exiiſſe credamus, temporum autem injuria factum eſſe, ut illis in locis obliteratum ex omni memoria ita ſit, ac ſi nunquam ibi Chriſtus annuntiatus fuiſſet. His gentibus eodem morbo, diverſa tamen cauſa laborantibus, a Te, qui animarum omnium languentium vere medicus es, diverſa ſunt excogitanda remedia, quibus, quantum in Te ſit, ex miſerabili hac infirmitate, ad Chriſtianæ veritatis ſanitatem ac vitam revocentur, priuſquam plures eorum in æternam illam miſeriarum omnium mortem dilabantur. Judæis prodeſſe fortaſſe poteris, ſi ii animi blanditiis, atque omnibus humanitatis officiis ad Fidem alliciantur; inde vero ſi allecti converti noluerint, pro eorum cervicoſa perfidia, acerbius, duriuſque tractentur: non quod vis aliqua illis inferatur; ad Fidem enim neminem cogendum eſſe, ſacri Canones definierunt; ſed ut videntes illos, qui ex eis converti voluerunt, foveri, illos vero, qui hoc facere nunquam acquieverunt, ſperni, atque durius haberi, his ſtimulis, quaſi duobus calcaribus, ad iter Veritatis, & Vitæ arripiendum facilius incitentur. Satis vero a Te blandiri, atque foveri exiſtimabunt, ſi divitibus converſis, quamquam injuſta arte aquiſitas divitias ſuas habere permiſeris. Cum enim, quæ illi aliena ex iniqua fœneratione poſſident, pro multitudine, ignoratione que perſonarum, a quibus fœnerati ſunt, propriis dominis reſtitui non poſſint, pleniſsime ſub Apoſtolicæ definitionis poteſtate eſſe credimus, eas ipſas divitias, cui viſum fuerit, & jam ipſis injuſte poſſidentibus, ſi convertantur, elargiri. Pauperibus vero, ſi ad Chriſti Fidem vere converti voluerint, de Eccleſiæ Bonis, quæ victui, veſtituique eorum neceſſaria ſunt, provideantur. Quos enim vi compellere non poſſumus, non quaſi pretio conducere, ſed his vitæ ſubſidiis allicere, non illicitum eſſe credimus. Quod ſi Eccleſiæ theſauros in alios uſus convertere potius videbitur, quamquam non facile ſit invenire, in quæ potiora pietatis opera convertantur, cum ea miſericordia, quæ animarum ſaluti præſtatur, verior miſericordia ſit, quam quæ nutriendis corporibus impenditur, poterit tamen Beatitudo tua, Eccleſiæ divitiis nequaquam imminutis, pauperibus, qui convertantur, miſericorditer quædam elargiri, ſi divitibus, qui converti voluerint, aliquam parvam divitiarum particulam in aliquod fidele ærarium conferre juſſeris, in nullos alios uſus expendendam, niſi ejuſdem gentis pauperibus, cum converſi ad veritatem fuerint, per Epiſcopos elargiendam. Tam vero divitibus, quam pauperibus commune beneficium exiſtimabitur, ſi quicumque ad Fidem converſi fuerint, illis donentur Civitatibus, in quibus ſacrum ſuſcipere baptiſmum elegerint, ſi pro ſingulorum virtute, ac induſtria ad ſæcularia, & opportuno quoque tempore, ad Eccleſiaſtica Beneficia promoveantur, aliiſque hujuſcemodi favoribus proſequaris. Qui vero ex Judæis neque veritatis amore, neque his pietatis officiis converti ad Chriſtum voluerint, non iniquum fore putamus, ſi durius, aſperiuſque tractentur; non quod odio illos proſequi ullo modo Chriſtianis æquum ſit, ſed ut magna quadam paternæ in eos pietatis norma, quos blanditiis emollire non potuimus, minis, piiſque verberibus ad cor redire quoquo modo cogamus. Acerba autem illis verbera exiſtimamus futura, ſi nullatenus inter Chriſtianos fœnerari permittantur, ſi mercaturæ commercia, aliaſque artes exercere prohibeantur, ſi pedagia rerum omnium plus illis aliquantulum augeantur, quam Chriſtianis hominibus, ſi non multum temporis in eodem loco manere, neque ita libere ſynagogas habere, cæremoniaſque ſuas exercere permittantur, ſi nullo modo cum Chriſtianis habitare, aut ambulare, aut navigare illis concedatur, ſi manifeſtiſsimo ſigno in Chriſtianorum regionibus notentur, quo ab omnibus facilius dignoſci, ac evitari valeant. Non injuſta eſse hæc credimus, neque violenta, quæ ad conterendam ſane cordis eorum duritiam non inutilia fortaſse reperientur. Si experimentum fieri contingat, non ſunt tamen duo illa remediorum genera prætermittenda, in quibus non humanæ ſapientia induſtriæ, ſed Divinæ pietatis gratia operari exiſtimamus; quorum alterum eſt, ut illis non a quibuſcumque, ſed ab his, qui a Te ad hoc opus eligentur, Doctrina, & mo-

& moribus præditis verbum vitæ incessanter administretur, ut non de Philosophorum rationibus, non de nostrorum Doctorum auctoritatibus, sed de suis propriis Scripturis convincantur, perfidiaque eorum expulsa eis Veritatis lumen, & Sacri Evangelii, Apostolorumque doctrina ostendatur. Fidem etenim nostram, ideo plurimi eorum abhorrere videntur, quoniam, quæ nos credimus, minime intelligunt. In quo illud admirabile est, quod nos idolorum cultores existimant, cum nihil ita sit a Christiana veritate alienum, quam ipsum Idololatriæ crimen. Hoc enim in universo terrarum Orbe diffusum per solam Christi prædicationem penitus extinctum cognovimus. Alterum vero pii remedii genus est, si pro illis, tamquam pro pereuntibus fratribus ab omni Ecclesia, ac singulis quibusque fidelibus Orationes sine intermissione, voces, & piarum lacrymarum intercessiones ad Dominum dirigantur: Quæ devotius fient, si Tu pro illis Orationibus Indulgentiarum munera larga manu contuleris. His quidem artibus; aut efficacioribus etiam aliis, quæ nos pro mentis imbecillitate excogitare non possumus, Domino Jesu auxiliante, multos converti posse non diffidimus; id unum si Tu nobis dederis, Beatissime Pater, ut pietatis tuæ oculis ad eorum miseriam conversis, de eorum salute cogitare incipias, si eos Christo lucrifacere cupias. Hoc si præstiteris, non deerunt Tibi salubriora ad hoc opus Sapientium consilia. Non deerunt maxime illius tuæ sapientiæ profundissimæ excogitata argumenta, quibus non dura tantum Judæorum corda, sed durissimos etiam lapides valeas emollire. Neque Tu, propterea quod aliquantulum in sua perfidia pertinaciores videntur, de eorum conversione, quasi Tibi nulla spes salutis reliqua sit, minus cogitare debes: quoniam non est ea manus Domini abbreviata, quæ de lapidibus filios Abraham suscitare potuit; quin immo potens est Deus excisos in terra ramos inserere. Nam si nos ex oleastro gentilitatis excisi in bonam olivam contra naturam inserti sumus, quanto magis hos secundum naturam suæ olivæ a Domino inserendos sperare non prohibemur. Non enim ea Divinæ Pietatis imminuta est abundantia, per quam ad Petri vocem uno die hujus gentis tria millia, alio autem quinque millia ad Dominum Jesum conversi sunt. Tuum igitur, Beatissime Pater, qui Sanctissimam Petri Sedem tenes, officium est, omnibus modis de Judæorum salute sollicitum esse, pro quibus omnibus Apostoli multa fecerunt, tuleruntque, ut eos ad æmulandum Fidei cultum provocarent, salvos aliquos saltem ex illis facere cupientes. Ubi vero omnia tentaveris, ubi unguenta omnia atque medicamenta adhibueris, insipientiæ vero eorum vulnera ita computruisse respexeris, ut curari nullo modo possint, postremum omnium erit, ut illos tanquam morbidas oves a Christianis gregibus ita omnino separari jubeas, ut in nullo Christianæ potestatis loco permanere, aut per illum pertransire permittas. Quod statim ante omnia faciendum ausi fuissemus dicere, nisi ad eorum salutem potius respicere, pium, Christianæque disciplinæ opus esse suspicati essemus; & nisi Judæorum accessione Infidelium vires augendas fore dubitassemus. Vere enim, si ad Christianæ plebis commodum, salutemque pie respexeris, nihil in toto hoc Judæorum negotio expediens magis, opportunumque videbitur, quam eos penitus ex omnibus Christianæ Dominationis Regionibus, capitis etiam pœna constituta, expellere; quoniam præter illud incommodum, quo Christianam plebem fœnerando officiunt, quod sub commodi specie maximum est incommodum, vanissimis superstitionibus gens illa, vanarum superstitionum omnium Magistra, milleque iniquis ac impiis artibus Christianum Populum imbuit. Inde enim inanissimorum somniorum inaniores interpretationes: inde dierum observationes, futurorum prædictiones: inde aliæ multæ pessimæ, humanoque generi perniciosissimæ artes, quasi ex omnium impietatum fonte in miserabile Christianum vulgus derivant. Ut autem longiorem sermonem paucis verbis colligamus, Judæorum certe saluti, & Christianorum simul hominum commodo, Fideique puritati optime consulere Te posse credimus, si talem aliquam legem promulgaveris, qua illi intelligant, qui se ad Fidem convertere voluerint, quibus Beneficiis sint sublevandi: qui vero noluerint, quibus sint incommodis afficiendi; Te vero, non in perpetuum, sed ad quemdam usque præfixum annorum numerum conversionem eorum expectaturum denuntiaveris, quo transacto minime permissurum eos inter Christianos ullo modo reperiri declaraveris. Hæc vero cum nihil omnino obesse, prodesse autem, Divina auxiliante misericordia, multum possint, nulloque penitus periculo, labore, aut dispendio fiant, non videmus, cur prætermittenda, aut aspernanda omnino videantur.

Sed jam & de illis loqui aggrediamur,

mur, qui neque Judaicam legem], neque Evangelicam Jesu Christi Doctrinam suscepisse unquam cognoscuntur, sed misera adhuc idolorum servitute, vanis, impiisque superstitionibus tenentur, de quorum salute non minus, immo magis etiam, quam de Judæorum conversione Te, Beatissime Pontifex, cogitare credimus, tum quoniam fratres illos nostros esse non Te latet (& nos enim aliquando gentes fuimus), tum maxime, quia miserandi magis sunt, quoniam si quid ipsi fecerunt, id pura ignorantia, non obstinata perfidia faciunt, & ideo eorum facilior conversio futura est, quod experientia comprobatum audivimus. Cum enim superioribus annis Catholici illi occidentales Reges ad transfretandum magnum illud occidentale Pelagum, variasque ipsius continentis partes perquirendas naves quamplurimas transmisissent, novit omnibus melius Beatitudo Tua, quot, qualesque insulæ neque antiquioribus Scriptoribus, neque ætatis nostræ hominibus antea cognitæ, ab illis repertæ fuerint. Neque Te latet, quantum habitabilis Terræ, quæ sive magna insula, sive continens sit, non adhuc pro comperto habetur, in hominum cognitionem venerit, in qua gentes reperiuntur, quæ neque Judaicam sapiunt superstitionem, neque Christi Veritatem cognoverunt, neque Mahumeti impia hæresi sunt fœdatæ: Sed vano Idolorum Solis, & Lunæ, animaliumque diversorum cultui inserviunt. Ad quarum aliquas cum Religiosi illi Principes Deo dicatos homines, & sacræ Fidei nostræ institutionibus eruditos transmisissent, hi autem, utcumque lingua, idiomateque illorum percepto, cum illis Christianorum Crucifixum prædicare cæpissent, infinitam pene eorum multitudinem credidisse, Christumque suscepisse audivimus; Te vero, si ita se res habeat, cognovisse credimus; Non falsum autem omnino existimamus, quod omnes totius Hispaniæ populi manifestissime testantur. Dum enim apud eos Reges ego Petrus pro Venetorum Republica, cui tunc inserviebam, Legatus, agerem, hoc ab omnibus aperte prædicari audivi, nullamque prorsus aliam ad eorum gentium conversionem difficultatem esse accepi, quam eorum linguam addiscere. Ubicumque enim est, qui possit eis Christum annuntiare, illi in eum verissime credentes, & Fidem, & sacri Baptismatis lavacrum devotissime suscipiunt; ita ut non Christiani modo, sed Monachi fieri incipiant. Jam enim in magnos illos Terræ ambitus, quos occidentalem Indiam vocant, sexdecim constructa esse Monasteria sub B. Francisci Regula, non illis modo regionibus constanter asseritur, sed ad nos usque hæc fama pervenit. His, Sanctissime Pater, sola ignorantia laborantibus, sic avide, sic libenter audientibus, cùmque audierint, Christum suscipientibus non succurrere, magnam ignaviam, maximamque impietatem esse Te existimare credimus. Unde de tantarum animarum salute multo magis, quam Reges illos, Te sollicitum anxiumque futurum speramus, cum id maxime, non Regum negotium, sed Apostolicum potius opus esse non ignores, totumque hoc onus tuis humeris incumbere Te minime lateat; Nisi enim pro viribus Tu Christum illis annuntiandum curaveris, Te de animabus eorum in extremo tremendi illius Judicii examine rationem redditurum fore non ambigimus: Nisi Apostolicam Dignitatem ad quietem potius, & otium, quam ad sollicitudines, & ad labores Tibi traditam existimes: Nisi Pontificalis apicis honore frui, optimi autem Pastoris onus non subire sine culpa Te posse cogites. Illi enim recto Dei Judicio minus arguentur: *Quomodo enim credent, nisi audierint; quomodo autem audient, nisi illis prædicetur?* Cæteri vero omnes Christiani vix aliquam hac in re culpam subibunt: quomodo enim prædicabunt alicui, nisi mittantur? Mitti autem a quo possunt, nisi a Te Christianorum omnium Pontifice Maximo; Cum enim summum locum teneas, summamque possideas auctoritatem, sicut magni boni, si ad hoc animum intenderis, sic magni etiam mali, si neglexeris, causa esse poteris. Postquam igitur neque illi credere possunt, nisi audierint, neque audire, nisi illis prædicetur, neque aliquis prædicare, nisi mittatur, neque mitti ullus potest, nisi a Te uno, reliquum est, ut si hi minus, quam fieri potuisset, crediderint, omnis in Te uno culpa rejiciatur. Quare, si saluti tuæ consulere in animo est, illarum gentium salutem nullo modo negligere poteris. Jam enim pastoralis Officii ratione tuam nequaquam quærere valeas, illorum neglecta salute, neque eorum salutem negligere, nisi & propriam negligas. Quod cum factum omnino a Domino sit, Tibi non grave, aut molestum, sed suave, atque gratissimum esse debere existimamus: Quoniam non hoc Tibi a Domino opus commissum est, ut laboriosius ad salutem pervenires, sed magis ut ad gloriam virtutibus, sanctissimisque moribus tuis jam præparatam his meritis facilius accederes, cumulatioremque Beatitudinis æternæ felicitatem susciperes. Quod Tu profundissima, & in

Deum tota mentis intentione conversa cognoscens, hanc curam negligere nequaquam credimus. Sed jam nobis videre videtur, Te intra cubiculum mentis tuæ sollicite indagare, si quos idoneos habeas, quos lucri spe ad hoc negotium mittere possis; & quamquam non facile Tibi occurrant, qui possint idonei ministri existimari, non ideo tamen illa animi tui deterretur magnitudo; sed potius, cum idoneos ad hæc opera a prædecessoribus Tibi præparatos non invenias, & Tibimet, & aliis, qui post Te futuri sunt, hujusmodi ministros, magis quam auri, aut argenti thesauros comparare cogitas. Hæc enim duo illa potissimum sunt, in quibus earum gentium saluti consulere poteris: Unum, si ad eos electos ex omni Religione peritiores maturioris ætatis viros ad Christum prædicandum miseris, qui utcumque potuerint, vel per interpretes, vel saltem moribus, & vita, si minus sermone potuerint, Christianam illis vivendi rationem ostendant, & juniores etiam aliqui, qui Fidei sint non ignorari, docilesque, si mittantur, non multo tempore, neque magno labore inter illos versantes eorum linguam addiscere poterunt, qua potiti peritia idoneos jam se Tibi ministros præbebunt. Neque dubitare Beatitudinem tuam oportet, an in hac Religiosi fervoris declinatione aliquos reperire valeas, qui ad hoc opus libenter accedant, si a Te mittantur; quoniam, quamquam omnes declinasse a pristino illo Religionis fervore appareat, reliquit tamen sibi adhuc Dominus, quos minus cognoscimus, septem millia virorum, qui non incurvaverunt genua sua coram Baal, & præter hos nullus adeo ignavus, nullus adeo professionis, servitutisque suæ, quam Domino obtulerit, oblitus est, ut Te annuente, non libenter, non avide, non lætanter ad Tibi in Terris, & Christo in Cœlis serviendum accedat. Quid enim alii facturi sint, nos ex animorum nostrorum ardore colligimus. Si enim nos, qui heri, aut nudius tertius, relictis sæculi vanitatibus, Christi jugum suscepimus, qui omnium Monachorum postremi, omnium Religiosorum minimi sumus, omnibusque minus idonei, ut ad hoc opus vel postremi a Te eligamur, id tamen non desiderare non possumus, & si a Te nobis mitti contigerit, id magni muneris loco habituri sumus. Nihil enim in hac vita nobis optatius contingere poset, quam inter Gentes, quæ Christum minime cognoscunt, religiosum Christi nomen, non temere a nobis hoc præsumentes, sed a Te missi prædicare. Quod etiam quamplurimos alios, quanto idonei magis sunt, tanto etiam ardentius desiderare non dubitamus. Alterum vero, quod non tantum his gentibus, sed aliis etiam omnibus prodesse posse non ambigimus, illud est, quod nunc tanquam novum a nobis minime excogitatur, sed a Sanctissimis antiquioribus Fidei nostræ Patribus inventum cognovimus, qui animadvertentes, quod Linguarum gratiam, quam super Apostolos Dominus in die Pentecostes effudit, (idque peccatis nostris sic exigentibus) accipere non meremur, sine Linguarum autem cognitione infidelibus, barbarisque nationibus, quibus omnino debitores sumus, Christum prædicare non posumus; ad sacrosanctas illas universales synodos congregati, & Spiritus Sancti lumine afflati constantissimis definitionibus statuerunt, in omni Christianorum loco, ubi studia vigerent Litterarum, illud proximum summa diligentia curandum, ut omnium Gentium Linguæ, quarum principales Hebraica, Græca, Latina, & Araba fore censentur, quantum fieri posset, addiscerentur, edocerenturque. Non quod aliqua curiositate in his Linguis juniora ingenia occupari vellent, sed quod sic fieri debere censerent, ut ad prædicandum Christum in omnibus gentibus & nationibus plurimi idonei evaderent. Quod & illi non tacuerunt, qui post illos fuere Sancti Pontifices, sed eadem confirmantes apertissime declaraverunt. Has oblivionis caligine obrutas Sanctissimas Patrum Sanctiones si Tu non edicto modo, sed opere ipso in lucem revocabis, non dubitamus, Te non multo post tempore plurimos habiturum idoneos, quos ad omnes Gentes ad Christum Jesum Crucifixum nuntiandum, & prædicandum mittere possis. Proderit huic operi, si ex illis Occidentalibus insulis, & ex omnibus simili ratione regionibus juniores aliquos ad Te adduci curaveris, qui non ut servi Tibi ministrent, sed ut per Monasteria, quæ sanctiora sunt, distributi & linguam pariter nostram, & Fidei Christianæ veritatem addiscant, & linguam quoque propriam aliquos doceant. Si enim ad eos alienos miseris, & ex illis quosdam ad Te adduci curabis, facillime fiet, ut hac mutua consuetudine nos linguam eorum, illi vero nostræ Fidei veritatem addiscant. Unde ad Fidei cultum in illis regionibus disseminandum duplex Tibi præparabitur instrumentum, dum hac arte nobis extraneæ linguæ peritiam, illis vero ignotæ veritatis agnitionem parabis. Sed hæc, Sanctissime Pater, pacis sunt opera. Qui enimvero Dei armis nullo pacto

pacto resistunt, armis impugnandi, atque ad Fidem trahendi nequaquam sunt: Sed cum his potius, qui duritia cordis Fidei nostræ veritatem non recipiunt, partim humanitatis officiis, partim minis, ac piis verberibus, ut diximus, ita agendum est, ut eorum pertinax propositum emolliatur, frangaturque. Cum his vero qui sola ignorantia a Christianæ veritatis semita aberrant, prædicatione & doctrina, sic omnia tractanda fore existimamus, quibus ad rectum Fidei callem ipsi revocentur. Hæc eorum omnium, qui nec impræsentiarum Christum suscipiunt, neque unquam suscepisse videntur, pastoralis Officii cura, quamquam magna, tua tamen animi Sapientia, atque generositate est minor.

Negotium vero, quod Tibi cum his superest, qui nunc extra Ecclesiam omnino sunt, neque Christianam veritatem recipiunt, aliquando tamen intra Ecclesiæ gremium fuisse, & Christi Fidem suscepisse cognoscuntur, majus quidem est, non autem magnitudini tuæ impar esse poterit. Nam qui non cordis duritia, non veritatis ignorantia, sed armorum sævitia verbo Dei resistunt, piis Ecclesiæ armis impugnandi, subiiciendique sunt. Quemadmodum enim, qui nunquam veritatis Fidem susceperunt, ut ad Fidem accendantur, cogendi nequaquam sunt, sed aliis artibus alliciendi, sic illi, qui, suscepta Fidei veritate, ab ea impie discesserunt, & non rationibus, sed gladiis illi resistunt, armorum violentia, ut ad cor redeant, & veritatem suscipiant, sunt urgendi. Quod si id minus facere voluerint, non crudele, non impium, sed maximæ pietatis opus est, eos piis armis opprimere, atque justa Ecclesiæ dextera trucidare. Sacrorum enim Canonum auctoritas, quæ non nisi Spiritus Sancti virtute emanavit, Hæreticos homines, illos scilicet omnes, qui semel suscepta veritate impie ab ea recesserunt, non solum aliis omnibus violentiæ generibus cogendos esse, ut ad Fidei redeant pietatem; sed nisi redierint, opprimendos statuit. Quod Tu, Sanctissime Pater, cui omnia sunt Ecclesiastica Decreta optime cognita, non ignoras, quam autem illis periculosum sit, quibus a Sacris Ecclesiæ legibus, a Sancto scilicet Spiritu hæc provincia demandatur, vel minima aliqua ex parte hujusmodi Dei præcepta spernere, (sanctæ enim Leges, nonnisi Divina præcepta sunt) exemplo nobis Saul & Achab esse possunt. De eorum namque altero, quoniam contra præceptum Domini, quod per Samuelem audierat, Regi Amalech pepercerat, dixit Dominus: Pœnitet me, quod constituerim eum Regem, quia verba mea opere non implevit, & vere secundum quod illi idem Propheta dixerat, abjecit eum Dominus, ne esset Rex. Alteri autem, quoniam Regem Syriæ, quem dederat Dominus in manibus ejus, vivum abire permisit, dictum est: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus. Sed & inter magna populi Israel crimina per Psalmistam recensetur, quod non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis, unde iratus est eis, & tradidit eos in manus gentium. Hæc autem, ne Tibi, populisque tuæ Fidei commissis contingant, Te, quoniam primum Apostolicæ Dignitatis apicem ascendisti, ante cætera omnia cogitare cæpisse credimus, quomodo impium hoc hominum genus, aut ad pietatem Fidei revocare, aut delere omnino possis a facie Terræ. Hoc enim Amplitudinis, Dignitatisque Romani Pontificis munus esse non dubitas. Hoc magnanimitate, Sapientiaque tua negotium usque ad hæc tempora reservatum a Domino credimus. Hoc illud est unicum, quod non inani aliqua, sed solida, stabili, sempiternaque gloria in universum Orbem Terrarum Te merito supra omnes, qui ante Te fuere, Romanos Pontifices extollere potest, & ad illam simul immortalitatis beatam gloriam sublevare. Hoc a Te omnes, qui Christum colunt, totis votis expostulant, omni fiducia expectant. Hoc illud unum est, quod Beatissimi illi Apostolorum Principes Petrus & Paulus a Te, qui nunc eorum locum tenes, exigunt. Si enim illi homines pauperes sine imperio, omni Idolorum cultura penitus destructa, universum Terrarum Orbem Christianæ Fidei subjecerunt; Te, qui & Dignitate maximus es, & divitiarum thesauris abundas, supremumque Imperium possides, nisi ab hoc impiorum hominum genere Orbem ipsum liberaveris, nequaquam dignum Successorem eorum arbitrabuntur. Hoc unum illud est, in quo Sancti omnes Pontifices, qui ante Te fuere, Beatæque omnes illæ Cœlestis Gloriæ mentes postremum virtutis tuæ experimentum sumere expectant. Hoc illud denique est, ad quod peragendum Dominus noster Jesus Christus Tibi ejus in Terris vices præter tuam, omniumque expectationem, commisit. Hoc nisi præstiteris, certissime nihil præstiteris, nihil omnino Christianis hominibus, nihil Cœlestis Gloriæ Civibus, nihil Terrarum Cœlorumque Domino præstiteris. Hæc vero

si præ-

si præstiteris, omnia certe Te præstitisse censebimus; quoniam, nisi hoc confeceris negotium, nihil omnino est, quod recte succedere Christianis possit. Hoc autem confecto, omnia ad vota sponte sua consequentur. Quæ quidem Tu omnium melius intelligens, totam mentis tuæ vim ad hoc unum jam convertisse credimus. Non enim ullo modo existimamus, Te videre posse tot millia commissarum Tibi ovium a veritatis semita aberrare, atque in adversarii illius Leonis fauces incidere, & magno Pietatis zelo non succendi, alioquin non Pastorem, sed Mercenarium potius Te esse ostenderes. De his enim, qui aliquando Fidei veritatem excoluisse cognoscuntur, quamquam ab ea longissime recesserunt, nemini dubium esse potest, quod inter commissas Tibi a Domino oves connumerandi sunt. Tua igitur si ad hoc hominum genus cura prospiciat, statim videre poterit, omnes, qui Mahumetis sævissimæ, fœdissimæque Daciæ Hæresim sequuntur, hujusmodi esse. Nihil enim aliud est Mahumetanorum hominum nefanda religio, quam impia quædam hæresis, armorum violentia, temporum longitudine confirmata. Mille enim prope elapsi anni jam sunt, quod antiquissimus humani generis hostis sævissimum nequitiæ suæ ministrum Mahumetum excitavit, qui partim occasione Schismatum, & Hæresiarum, quibus ea tempestate vexabat quammaxime Christi Ecclesiam: partim armorum vi ac fraude, illam cœpit nefandissimam legem, vivendique spurcissimum ritum tradere, quo nunc Christiani hominis inimici Mahumetani omnes utuntur: qui ex septem principalioribus Orbis Ecclesiis, quæ Patriarchali Dignitate fulgebant, unicam tantum Romanam Christianis reliquerunt, cæterisque omnibus occupatis, atque in impiissimum, non Dei, sed Diaboli cultum conversis, Christianam magna ex parte Religionem destruxerunt, Christianumque omnino nomen delere avidissime concupiscunt. Cum enim post Domini nostri Jesu Christi Ascensionem, omnibus Idolorum superstitionibus destructis, universus Terrarum Orbis apostolica prædicatione Christum suscepisset, hi surrexerunt impii Mahumetis sectatores, qui inter nos, qui hanc sub Christi nomine Europam habitamus, & illos, qui Christum etiam adorantes Africæ, Asiæque illas maximas Regiones incolunt, interpositi, quasi murus ita nos ab eis, & illos a nobis separant, quod quamquam multo plures illi sint Christiani, quam nos sumus, eorum tamen cognitionem aliquam habere vix possumus.

Ipsi vero tanquam membra a suo capite divisa varias patiuntur infirmitates, neque ab eis resurgere, nisi capiti suo iterum conjungantur, ullo modo possunt. Conjungi autem minime valent, nisi interpositus hic impietatis murus destruatur. Ut igitur illis consulas, qui tot millia numero in ea hæresi quotidie nascuntur, educanturque, qui omnino in æternum pereunt; Ut Christianis Orientalibus, qui innumerabiles sunt, a Romana Ecclesia, non aliqua nequitia, aut discordia, sed hujus generis interpositione divisi, subvenias; a capite enim divisa membra salutis sanitatem consequi non possunt; Ut nobis etiam, qui hanc Europæ partem incolimus, provideas; illi enim, nisi deleantur, eorum quæ possident, nunquam contenti, etiam quod reliquum Christiani nominis est, occupare aggredientur, cum pacis hujusmodi gens impatiens semper extiterit; Ut universis orbis partibus hoc impietatis veneno, aut misere infectis, aut quæ miserius occupari timent; pius succurras, oportet Te, Beatissime Pater, cui universi orbis, totiusque humani generis cura, non ab hominibus modo, sed a Domino ipso demandata est, hanc orbis subversionem, Fidei Christianæ destructionem, tot millia animarum æternam perditionem, neque negligentia spernere, neque dissidia negligere, neque proprii commodi amore parvifacere, neque timore derelinquere, neque aliis minoribus occupationibus differre, neque conficiendi negotii desperatione deserere, sed potius maxima animi alacritate, magnanimitateque congruam virtutibus tuis provinciam intrepide suscipere, & omni alia cura seposita, nullis laboribus, nullis dispendiis, nullis vigiliis aut incommodis parcendo, cum Domini Nostri Jesu Christi auxilio proficere: In ea enim perficienda unum a Te solum Dominus ipse quærit, ut quemadmodum ille Te in Ministrum suum eligere dignatus est, ita Tu ad præbendum temetipsum illi Ministrum accommodes, non ut tuam, sed Tu Domini tui causam suscipias, neque ullo modo ita modicæ sis Fidei, ut de operis perfectione dubitare incipias. Si enim Domini causa hæc est, quod nemo unquam negabit, non deerunt Divinæ Sapientiæ recta, opportunaque ad rem ipsam perficiendam consilia, non deerit Omnipotentis fortitudo, quæ adversariorum vires confringat. Ab eo aderunt Tibi omnia, quæ ad rem pro votis conficiendam optari possunt. Tu modo hanc ipsam provinciam intrepide aggredere. Cum enim per semetipsum possit Deus has impias gen-

tes

tes solo voluntatis ejus nutu delere a facie universæ terræ, ut tamen Tibi, & his, qui tecum in hac expeditione futuri sunt, æternæ vitæ præmia, cœlestisque felicitatis gloriam cumulatius tribuat, hanc Tibi, tuisque promerendæ illius Beatitudinis viam aperuit, laboresque proponit, ut mercedem omni labore imparem suscipias. Meminit enim sublimitas tua, Sanctissime Pater, quoniam cum ad delendas Cananæorum, & reliquorum Imperiorum gentes Moysem, atque Josue post eum elegisset Dominus, omnes demum in eorum manibus tradidit. Nec Te latet, quæ, & quanta mirabilia supra omne id, quod ab humano ingenio excogitari, humanisque viribus perfici potuisset, præstitit illis Deus, cui non erat difficile in magno, aut in parvo numero vincere, cum unus ex illis mille hostium viros persequeretur, cum ad clamorem populi, clangoremque tubarum firmissima mœnia dilaberentur, cum lapides de Cœlo ad instar grandinis illos interficerent, qui manus militum Domini effugissent. An Tu majora etiam his, occultioraque affutura Tibi Domini auxilia diffidis? Sed minime diffidendum est, quoniam si vero Dei zelo pia Tibi voluntas aderit, facultas Tibi a Domino deesse non poterit, quo auxiliante, etiamsi solus cum fratribus tuis inermis contra has impias gentes procederes, de victoria minime diffidendum esset. Non enim oblitus es, quomodo sævissimum Christiani, Romanique nominis hostem, qui tam ingenti exercitu, furoris plenus, victoriis exultans ad desolandam Urbem procedebat, ille Sanctus Pontifex, cujus Tu Tibi nomen delegisti, inermis obvius procedens paucis verbis terruerit, fregerit, superaverit, Urbem, Italiamque servaverit, captivos redemerit. Sed quoniam Deus, qui semper omnia in omnibus operatur; universas enim creaturas ejus instrumentum fore non ambigimus; non semper infinitam suæ Majestatis potentiam his mirabilibus ostendit; omnia, quæ ipse in hac tam sancta expeditione mirabiliter facere posset, hominum potius industria ac labore, dum occulte consilia, viresque tribuet, & maxima semper, licet non semper aperta, auxilia conferet, confici permittet, ob idque tantam Tibi potestatem tuam ad Dignitatis auctoritatem præstitit, ut si ad humanas etiam solum vires respicias, Te posse hoc negotium conficere non diffidas. Quæ enim sint Pontificis vires; quæ Christianorum Principum omnium, quibus potentia præis, Te latere non potest. Nam quamvis pia Domini dispensatione factum sit, ut multi ante Te Pontifices propriam non cognoverint potestatem, ne quasi sæviores belluæ in proprios greges grassarentur immanius, si suarum majorum virium cognitores fuissent: Tibi tamen ad pietatis opera jam converso, Tibi, inquam, qui ad Christi Jesu imitationem animam tuam pro ovibus tuis tradere paratus es, qui per ostium ingressus, tanquam verus Pastor, pascere Dominicum gregem, nequaquam autem mactare venisti, incognitam esse Christianorum virtutem, tuæque Sedis auctoritatem, ac potestatem ullo modo credimus. Dum enim superioribus annis Pontifex Maximus omnes Christianos Principes & Reges concordia jungit, proque arbitrio suo discordia dividit, dum Principes ipsi in Christiani nominis perniciem, bella, & impie quidem, exercent, viresque suas in semetipsos experiuntur, quæ sit Christianorum hominum virtus, quæ sit Pontificis in omnes Christianos auctoritas atque potestas, non Tibi modo, sed & multis etiam aliis pie considerantibus innotescere potuit. Si enim, qui ante Te Beatissimi Petri Sedem tenuerunt, solum ad Christianorum Principum animos inter se conciliandos, ac contra ipsos Christiani nominis hostes incitandos Apostolica auctoritate usi essent; si tantum Christiani sanguinis, atque etiam auri pro Christiana pietate contra perfidas has nationes dimicando effusum, profusumque fuisset, quantum pro minimæ hujus Italiæ partis Imperio his proximis annis effusum audivimus, non esset, Beatissime Pater, non inquam esset Jesu Christi Domini, & Dei nostri sepulcrum in infidelium potestate; non tot millia in Dei honorem constructa Templa Dæmoniorum cultui deservirent; non infinita Christianorum multitudo infidelibus subjecta esset nationibus; non denique Christiana Religio in derisum ac multorum hominum subsannationem reperiretur; Sed hæc Tibi Sanctissime Pontifex a Domino reservabantur, ut virtutibus tuis meritam, pietatique tuæ quoquo modo debitam mercedem condonaret. Tu igitur, Piissime Pater, qui in ea temporum opportunitate, ad Pontificalis potestatis apicem ascendisti, in qua & Christi Principes omnes armatos habent exercitus, ac inter se dissidentes, in qua Principes ipsi ad concordiam, & pacem nequaquam redire poterunt, si ad expugnandos communes hostes unanimiter non convenerint, in qua etiam infideles civilia inter se bella exercent, divisique facilius superari poterunt. Utere modo, utere Sapientia animi tui, utere a Domino Tibi concessa Auctoritate. Christiana

ſtiana arma , quæ huc uſque in proprio ſunt fœdata ſanguine, in propriis graſſata viſceribus , converte in impiorum Fidei, Religioniſque, ac Libertatis Chriſtianæ hoſtium caput; Nulla enim alia ratione ad pacis conditiones ſuſcipiendas commoti Chriſtianorum Principum animi facilius inter ſe convenire poterunt , quam ſi, Te auctore, Te Duce contra infideles has peſſimas nationes eorum rabies convertatur. Vidimus ſæpe male inter ſe diſſidentes Fratres, ſeque invicem armis petentes , quibus ſi communis hoſtis occurrerit, ſtatim unanimes, quæ in ſemetipſos exercebant , contra extraneum arma converterunt. Sic quidem hac tempeſtate fiet Pater Optime . Si enim Tu Chriſtianis Principibus communem Fidei Chriſtianæ Libertatis hoſtem impugnandum obtuleris, ſane depoſitis odiis , paceque inter ſe firmata, concordibus animis ad communem hoſtem delendum convenient. Pacem namque Chriſtianis reddere nequaquam poteris , ſi Chriſtiana arma contra Infideles convertere non tentaveris, ſi armorum exercitum; maleque convenientium animorum furores in communes hoſtes non immiſeris: & niſi ſe ſe offerret impræſentiarum hæc tam ſancta, tam laudabilis , tam bonis omnibus optabilis contra infideles expeditio, inquirenda, deſiderandaque vel ea ratione maxime fuiſſet , ut veſana Chriſtianorum odia, inimicitiæ, bella hac ſola occaſione extinguerentur . Non enim , ut inſanum vulgus exiſtimat , componenda ſunt prius Italiæ negotia , ad pacemque Chriſtiani Principes compellendi , ut ad Infidelium poſtremam expugnationem unanimiter Chriſtiani omnes accendantur; Sed ante omnia potius illis commune bellum eſt proponendum contra communes Religionis inimicos . Tunc enim facilius quaſcumque volueris pacis conditiones propriarum ſimultatum obliti ſuſcipient, cum Te docente communem hoſtem, quem impugnare magis oporteat, adeſſe intelligent. Facilius namque eſt, armatos, inſtructoſque exercitus ex impiis ad pia, ſanctaque prælia convertere, quam ad quietem, armorumque depoſitionem perſuadere , ubi maxima , & in bello ſpes victoriæ non deſit, & in victoria divitiarum omnium, maximorumque Imperiorum aquiſitio proponatur. Si enim , Te admonente , quæ ſint Infidelium divitiæ, Chriſtiani milites, qui predæ cupiditate in noſtræ Religionis populos ſæpiſſime graſſantur : ſi quam ingentia ſint eorum Imperia Chriſtiani Principes, qui ſola dilatandi Imperii ambitione Italiam alter alteri quam avide rapere geſtiunt, Te docente, cognoverint: ea animi alacritate hæc contra impios Mahumetas bella aggredientur: ea ſtrenuitate in illis exercebuntur, ut facilis , & cita innocuaque Chriſtianis omnibus victoria ſit futura. Congrega Tu modo Sapientia, auctoritateque tua Chriſtianos Principes , & quæ in propriis viſceribus convertenda jam paraverunt arma , illa eadem in ſævas & Chriſtiani Sanguinis ſitibundas Belluas converte. Nunc enim quando inter ſe diſſident Infideles , & non modo gentes contra gentem, Rex contra Regem ; ſed & Frater contra Fratrem maximis odiis ſæviſsima bella exercent , facilius Tibi victoria promittitur . Regnum enim in ſeipſum diviſum , extraneo ſuperveniente hoſte, diutius ſtare non poteſt, ſed facillime deſolatur. Vides, Beatiſſime Pontifex , niſi diſsimulare omnino volueris , quot & qualia ſint, quæ Te ad ſuſcipiendum negotium urgent compelluntque. Ut autem, quæ diffuſius diximus, brevibus colligamus , commiſſæ Tibi a Domino hæ ſunt oves, quæ intra Dominicum gregem aliquando fuere, nunc autem extra Eccleſiæ pietatem egreſſæ in ſæviſsimi Leonis fauces inciderunt, atque in æternum pereunt . Armis hujuſmodi homines impugnandos piæ , ſanctæque Leges ſtatuunt . Et Tu tot continue pereuntium animarum interitus otioſus ſpectator eſse ſuſtinebis ? Innumerabiles ſunt Chriſtianorum hominum multitudines, quæ , hoc pariete interpoſito, a Romana Eccleſia , ab eorum ſcilicet Capite, diviſa ſunt membra. Neque conjungi illi poſſunt, niſi medius ille paries deſtruatur: & Tu tantarum ſub Chriſti vexillo degentium animarum ſalutem negligere poteris ? Sæviſsimi Fidei noſtræ hoſtes, regnandi aviditate, deſtruendi Chriſtiani nominis inextinguibili ſiti , eorum quotannis augentes Imperium , a Chriſtianis Imperia, Libertatemque auferre conantur, noſtriſque pene cervicibus miſerrimæ ſervitutis jugum jamjam imponere videntur ; & Tu, qui Chriſtianorum Pontifex Maximus a Domino electus es , tantum Chriſtianæ Reipublicæ periculum videre diſsimulabis ? Chriſtianorum odia, inimicitiæque , quibus miſeræ Chriſtiani nominis reliquiæ rapinis , incendiis , ac cædibus conſumuntur , non alia ratione facilius ſedari poſsunt, neque Chriſtianis omnibus vera pacis tranquillitas reddi , quam ſi communis hoſtis Chriſtianorum omnium armis pereat : & Tu , qui Regum & Principum , pro eorum in Pontificem Maximum reverentia ac obſervantia , voluntates moderaris ac regis , & merito quidem , quoniam ejus Domini vices geris, in cujus manu ſunt corda Regum , quid-

quidquam aliud cogitare, curareve poteris, quam communem Christianorum omnium exercitum contra infideles Nationes instruere, atque coactis in unum Christianorum viribus, communem eorum hostem oppugnare, cum maxime, si ad humanas tantum vires respicias, contrariam Tibi victoriam polliceri possis, sed in Domini Jesu Christi auxilio confisus de hujus impiæ hæresis destructione, horumque impiorum hominum abolitione nequaquam valeas dubitare. Tempus enim Divinæ ultionis jam advenisse, neque ulterius posse Dominum nefandissimam gentis hujus superstitionem, immanissimosque eorum mores sustinere credimus: præsertim cum Te pium, religiosum, Christiani Nominis studiosum, liberalem, magnificum, magnanimum, in consiliis sapientem, in promissionibus fidelissimum, in arduissimis rebus strenuum, ad Pontificalem Beatorum Apostolorum Sedem sublevatum conspicimus. Neque enim alium in universo hominum genere Te uno magis ad hæc conficienda negotia eligere potuisse credimus, neque mortalium quempiam esse, qui hæc ipsa Te ardentius optaverit unquam; quoniam non modo, postquam Romanorum Cardinalium ordini tenera adhuc ætate annumeratus accessisti, sed ab ipsa infantia tua hoc tam sanctum, tam pium desiderium in pectore tuo versatum audivimus. Neque in universo Terrarum orbem quempiam esse judicamus, qui sapientius posset opportuna, salubriaque consilia excogitare; & quæ maturo consilio excogitata fuerint, opere ipso perficere; Ob idque tanta jam mentis intentione Te hanc provinciam suscepisse non dubitamus, versarique in hac ipsa quam plurimas cogitationum tuarum credimus. Et quamquam temeritatis notam sapere videatur, hæc ad Te scribere, quæ Tu ipse multo profundius cogitas, multo melius intelligis, quam nos, qui ea Tibi recensere audemus, dabis tamen in tanta exaltatione tua, Christianæque Reipublicæ exultatione temeritati nostræ veniam Beatissime Pater, & nos, quæ semel cæpimus, pro tuæ benignitatis abundantia prosequi permittes. Mahumetani omnes sævissimi Christiani nominis hostes, contra quos optamus quam maxime, speramusque Christiana omnia arma, Te auctore, Te Duce, quam citissime conversa videre, quamquam eamdem, relicta Christiana pietate, nefandissimam Mahumeti hæresim superstitione nimia sequantur; non omnibus tamen eadem fuit ad hanc impietatem via, non eadem est vivendi ratio, non eadem regnandi conditio, non unum idemque Imperium, non unus Princeps; sed quantum nos ipsi cognoscere potuimus, hujus hæresis alii sunt, qui passim ab omnibus Turcæ, alii, (vulgaribus utemur vocibus) qui Mauri appellantur, non nominibus tantum, sed rebus etiam ipsis ab invicem diversi, quibus, præter impiissimæ superstitionis observantiam, nulla pene est communicatio, cum & diversas Orbis partes occupent, diversa Imperia habeant, diversamque penitus regnandi rationem, & præter hæc ita moribus, animisque male conveniant, ut ingentia inter utramque gentem bella quam sæpissime exerceant, utriusque tamen gentis illud commune est, quod in earum utraque alii sunt in ea hæresi nati, & illorum locorum, quæ habitant, vere indigenæ, qui ex impiis parentibus orti nullum Christianæ Fidei Sacramentum susceperunt, Turcæ, ac Mauri propriis eorum appellationibus nominati. Alii vero, qui Christianis parentibus geniti, sacrosanctæque Christianæ Religionis lavacro suscepto a teneris annis, ab ipsis parentibus aut vi, aut fraude sublati deservire, & hæresim illam sequi instruuntur, quamquam & multi sint, qui nefanda quadam impietate agitati, ex Christi Fide, quam nec intelligere pro cordis eorum duritia, neque operibus servare pro eorum immunditia poterant, maturioris ætatis sponte prope jam sese in hoc infidelitatis barathrum projiciunt, hos omnes apud Turcas Janizeros, apud Mauros Mamaluccos vulgari sermone vocari audivimus. Commune autem est utrisque Dominis inservire, & arma tractare. Janizeri enim apud Turcas peritissimi sunt milites; Mamaluchi vero apud Mauros non solum militiam omnem exercent, ita ut arma tractare illis, qui vere Mauri sunt, non permittant, verum etiam ex eorum numero is semper eligitur, qui supremam totius gentis illius potestatem habeat. Nam sicut omnibus his, quos Turcas vocamus, unicus est Imperator, qui neque electione, neque sorte aliqua deligitur, sed per legitimam successionem ad Imperium accedit, neque ex alia, quam ex Ottomanorum Familia esse permittitur, ita opposita fere ratione, qui Maurorum Sultanus (sic enim Imperatorem appellant) futurus est, hic ex eorum numero, qui Christianis sint ex parentibus orti, & baptismum susceperunt, esse oportet, & nisi sæpius etiam venundatus pluribus Dominis inservierit, ad eam dignitatem minime idoneus est promoveri, neque aliqua apud eos Regni successio reperitur,

peritur, sed uno mortuo alius, qui propria potestate, aliorumque consortium favoribus sit potentior, ad hujus gentis imperium, non votorum suffragiis, sed armorum potius vi deligitur. Turcarum autem gens major, potentiorque Maurorum gente existimatur; quippe quoniam ampliora potentioraque Imperia sub Turcarum sunt potestate, apud quos non solum, qui Christianis sunt ex parentibus orti, sed omnes pariter, qualescumque fuerint, armis exercentur, ad bellaque sunt idonei; apud Mauros vero illi solummodo, qui post Baptismum ad eam impietatis hæresim accesserunt, quos & servos esse, & Mamaluccos vocari diximus, arma & bella sic tractare consueverunt, ut indigenis, & qui ex ea sunt hæresi orti, neque arma contingere, neque domi habere, neque equos ascendere permittant; sed miserabili quadam servitute oppressis, aut otio, delitiisque, aut mercatura illis vacare proprium est; unde fit, ut Turcarum Imperatori facile sit, cum voluerit, innumerabilem pene virorum multitudinem ad bella armare; Maurorum autem Sultano, sic ab eis appellato, exercitum quindecim virorum millia vix habere liceat. Præter enim hos, qui Mamaluchi dicuntur, alios nequaquam milites habent. Hi vero ad eum, quem diximus numerum, aut raro perveniunt, aut nunquam. Vides, Pater Beatissime, quantum gens distet a gente, quam diversa regnandi ratio, & quam dispar sit in utraque hominum conditio. Valde autem ab utraque eorum diversa tertia quædam hujus vanissimæ, impiissimæque superstitionis gens est, eorum scilicet, qui Reccabitarum more, neque Civitates incolunt, neque domos habent, sed in tentoriis, in tabernaculis cum uxoribus, filiis, gregibus, & armentis inhabitant. Hæc ferocissima gens est, quæ neque serere, neque arare, neque potare unquam didicit, sed nihil aliud omnino, quam arma tractare, furari, ac rapere novit. Hi Arabes propterea fortasse appellantur, quoniam eorum maxima pars Arabiæ montes occupat. Non unus illis Imperator, non unus est Princeps, sed ut quisque aut ingenii virtute, aut alia est ratione potentior, sic aliquorum Principem seipsum facit, qui tamen potentioribus etiam Principibus subesse & obtemperare novit. Hi si quando in unum cogantur, ad multa virorum millia accedunt, ita ut legitimum Maurorum Sultano bellum inferre non dubitent, neque ipse Maurorum Imperator hanc gentem unquam delere potuit, quamquam id sæpius efficere omnibus viribus, & extraneis etiam accitis auxiliis ipse tentaverit; quod iis, qui Romanorum volverunt historias, nequaquam mirum esse deberet; quoniam nec ipse Pompejus, qui primus hanc gentem est persecutus, neque alii Romani Imperatores, vel quando eas Regiones cum pace regebant, vel quando cum Judæis bella gerebant, hanc latrunculorum gentem delere potuerunt. Quamquam autem ipsi ea tempestate Mahumetis cultores esse non possent, quoniam non adhuc illa bellua exorta fuerat: hanc tamen latronum multitudinem absque civitate, absque firma sede Arabiæ montes illi incultiores semper habuere, ita ut ex ea Reccabitarum antiquissima progenie omnes illos, quos nunc Arabes vocamus, facile descendisse credamus. His tribus adeo inter se diversis ejusdem superstitionis gentibus, quartum postremo genus adjicitur, non minus & in his, quæ ad Religionem, & in his, quæ ad morum concordiam spectant, ab illis diversum. Hujus autem generis homines, cum plurima Christianæ Fidei suscipiant Sacramenta, Christum potius, quam Mahumetum colere videntur; quamquam ipsi nec veram Christianæ Pietatis Fidem recipiant, neque Mahumetis nefandam deserant superstitionem. Hi sunt, qui sub nominatissimo, potentissimoque Persarum, atque Medorum Principe Sophi ab omnibus nuncupati militantes, maxima contra Turcas, & alias gentes bella his præteritis annis exercuisse, Persiam, Mediamque, & alias regiones subegisse dicuntur, quorum inclitum ducem Sophi communi vocabulo nuncupatum, sapientissimum, victoriosissimumque esse Juvenem, & qui se Christianis hominibus amicissimum profiteatur, ab omnibus passim audivimus. Hæc autem omnia, quæ ad aures usque nostras pertingunt, quæque Tibi notissima apertissimaque fore non dubitamus, Sanctitati Tuæ commemorare voluimus, non quod aliquid eorum, quæ diximus, Te nescire existimemus, (absit enim hæc a nobis insana cogitatio) sed potius consulto hæc ad Te scribere decrevimus, ut mirari nemo possit, qui hæc ipsa audierit, si in tanta hujus iniquæ gentis divisione, atque diversitate facilem Tibi Victoriam futuram speramus. Nam si quatuor, quæ numeravimus infidelium genera, Turcæ, Mauri, Arabes, & qui magnum Persiæ Regem sequuntur, in unum convenire possent, omnesque simul a Christianis Principibus essent impugnandi, minime Tibi de victoria diffidendum esset, quoniam præter Divinum Omnipotentissi-

tentissimi Salvatoris Jesu Christi auxilium, humanæ adhuc Tibi, si modo Christiani Principes invicem convenire voluerint, ad gentem hanc abolendam, penitusque destruendam satis abunde suppetunt vires. Cum vero hæc una infidelium multitudo in multas jam divisa gentes sit, quibus nulla est inter se communicatio, nulla concordia, sed odia, inimicitiæ, ac bella potius intercedunt; mirari quis poterit, si certissimam Tibi, Christianisque omnibus non voluerit victoriam permittere. Et quamquam hi omnes pro communi eorum impietate armis merito essent oppugnandi, non omnes tamen simul Te judicare credimus, nunc armis aggrediendos fore; sed pro eorum diversitate, diversa a Te aut conversionis, aut subversionis illorum, si id minime non poteris, opportuna remedia excogitare. Quorumdam namque non sic omnino desperanda conversio est, ut penitus intentata relinquatur. Cum enim omnes Christum, tamquam Dei halitum ita honorare, ita laudare, ac prædicare soleant, ut etiam Christi nomen blasphemantibus atrocissimæ mortis pœna sit constituta, facile certe esse poterit, hos, aut horum quamplurimos ad Christi veritatem convertere, si modo ipsi audire paterentur, & nos illis Christi Fidem prædicare parati essemus. Sed impurissimus ille Mahumetus, qui nulla ratione illam, quam tradebat, superstitionem constare, facileque rationibus subverti posse intelligebat, illud præcipuum sectatoribus suis mandavit, quod falsæ superstitionis ejus dogmata, non rationibus, sed potius armis defenderent; Et si qui contra eam loqui auderent, tamquam maximum nefas attentati fuissent, nequaquam vivere permitterentur. Hoc si lex non obstaret, de omnium conversione, aut certe de majori eorum parte non esset omnino desperandum. Sed cum palam omnibus prædicare Christum, Christianam Veritatem proponere, superstitionis illius vanitatem aperire non liceat, quis prohibet, Beatissime Pater, illum Persarum Regem (ut ab eo, quem postremum numeravimus, nunc incipiamus) qui se Christum potius, quam Mahumetum colere gloriatur, qui Christianum nomen non solum non abhorrere, sed & quam maxime honorare solet, per sapientissimos, dignissimosque viros, quorum Tibi tanta copia est, suasionibus, pollicitationibusque sollicitare, qui de Christiana etiam veritate illum instruant, Fideique pietatem persuadere conentur? Audire enim ipse non recusabit. Et si Christianorum Principum omnium nomine, auxilia ad expugnandos Turcas sibi inimicissimos hostes peterent, si rationibus, suasionibus, ac apertissimis documentis sibi arcana Religionis nostræ panderentur, surdas fortasse non averteret aures. An quoniam longe a nobis abest, negligendus omnino est? An quoniam minus hæc forsan profutura timemus, idcirco nullo sunt modo attentanda? Siccine Apostoli Sancti impios Tyrannos, idolorum cultores, aut negligentia, aut timoris causa minus adoriebantur? Hæc aliis fortasse, quasi insanientium hominum deliramenta videri poterunt, dicentque, qui hæc a nobis audierint: vestri illi recessus, vasta illa eremi solitudo vos ad insaniam redegerunt. At Tu, Beatissime Pontifex, qui de Domini auxilio nunquam diffidere didicisti, quique Pontificis præcipuum munus esse, semen Divini Verbi spargere, plantare, atque irrigare, deque ejus incremento curam Deo relinquere nunquam dubitasti: jam quos ad hunc Principem summos auctoritate, sapientia, atque doctrina viros possis mittere, cogitare cepisti, qui & ad Fidem Christi illum adhortari, & contra impios Turcas, hostes non suos minus, quam nostros incitare valeant. Neutra enim parvifacienda causa est. Nam si uni huic homini vel veritatis ratione, vel latius & regnandi ambitione Christianam Fidem suscipere persuaderi omnino potuerit (quod facilius tanto fieri posse sperandum est, quantum ipse Christianum nomen habere, & Christiana plurima Dogmata suscipere gloriatur) considera tu Pater, quot animarum millia Christo lucratus eris. Principe enim Fidei nostræ veritatem suscipiente, omnes, quæ sub eo sunt, innumerabiles populorum multitudines eumdem ritum, fidemque eamdem suscipient; Quoniam inclitum hunc Persarum Regem populi sub eo degentes adeo colunt, ac venerantur, ut maximum nefas putarent, si eum, quem summopere diligunt, in omnibus non sequerentur. Si vero id illi minus persuaderi poterit, quid Tibi unquam obesse potest contra Turcas, quos ante omnia Te oppugnare velle existimamus, ejus auxilio uti? Et quamquam ipse in infidelium adhuc numero censeatur, non videmus, cur Christiano exercitui, quem Te jam contra Turcarum gentem parare credimus, non maximo auxilio sit futurus. Dum enim Christiani ex una parte Turcas aggredientur, & hic potentissimus Rex ex altera eos oppugnare ceperit vindicaberis Tu quidem Beatissime Pater de inimicis tuis. Ad eum vero contra Turcarum potestatem

testatem incitandum nullus omnino labor est futurus, cum ille hujus infidissimæ gentis inimicissimus sit, & jam multa inter utrosque bella peracta ad nullam eos concordiam venire permittant. Et qui ex semetipso ad oppugnandas has gentes avidissimus est, qualem futurum speramus, si & rationibus incitetur, & Christianos omnes illi auxilio futuros maximis viribus polliceatur? Quare non irridenda sunt a Te hæc ipsa, quæ scribimus, quippe qui multo etiam ante cogitaveris Principis hujus conditionem maximam Tibi occasionem præbere, vel ad suæ gentis conversionem, vel ad Turcarum omnium subversionem, si modo non desint Tibi, qui deesse non possunt, sapientissimi, prudentissimique viri, qui a Te missi hæc prudenter apud eum tractare valeant. Hoc autem consilium, qui pro eorum pusillanimitate approbare non poterunt, quid dicturos existimamus, cum Te majora, magisque ardua attentantem, non ad hunc Principem modo, de quo spem bonam concipere possimus, sed ad magnum illum Maurorum Imperatorem, quem Sultanum vocitant, de cujus conversione nulla forte hominibus nostri temporis spes est reliqua, viderint Legatos, Oratoresque, atque cum iis viros peritissimos destinare, ut ad rectam Christianæ Fidei veritatem eum redire rationibus, manifestisque suasionibus persuadere possint. Neque certe mirari decet, si & hoc dignum quidem Sapientia, ac Dignitate tua consilium minus probaturi aliqui sint, cum Sapientes Mundi hujus, qui se sapientes cum dixerint, stulti omnino facti sunt, divina etiam consilia in rerum creatione, aut dispensatione sæpe minus approbare consueverint. Multi enim sunt, qui quæ ipsi non viderint, aut non intellexerint, qua fiant ratione, ea a nemine videri, & frustra fieri arbitrantur. Tu vero Beatissime Pontifex pro Sapientia tua hujuscemodi hominum judicia, ut semper consuevisti, parvifaciens, altiori mentis consideratione, hunc, quem diximus Maurorum Imperatorem respiciens, deque ejus conversione non desperandum existimans, ad eum idoneos pro hoc munere obeundo Legatos mittes. Quid enim magis desperandum videbatur, quam Romanos olim Imperatores, aliosque Reges Terræ idolorum cultui servientes ad Christi Fidem evocare, & hoc nihilominus Domino auxiliante factum vidimus. Nam qui impugnare, destruereque Christianam Religionem modis omnibus conabantur, ipsi hanc eamdem postmodum Fidem susceperunt. Nunc autem, cum idem Dominus sit, qui omnes homines vult salvos fieri, nunquid & Tibi, si modo pia intentione, rectoque Fidei nostro zelo res hujuscemodi attentaveris, ea negaturus est auxilia, quæ Principibus aliis, qui & homines ipsi fuere, largissime tribuit? Nunquid latere sapientiam tuam potest, magnam, ad hujus Principis conversionem attentandam, sperandamque, occasionem Tibi præbere, quod non ille, qui penitus Christi nomen nunquam cognoverit, Christianam Religionem suscipere persuadendus sit; sed ille potius, qui Christianis ex parentibus ortus, Christianæque Fidei maximum illud sacræ ablutionis Sacramentum suscepit, & plurimos fortasse annos Christianam secutus est Religionem, ad Christum, quem impie dereliquit, pie est revocandus? Non possumus enim existimare illum, aliosque omnes, qui a Christo post baptismum recesserunt, non sæpius pia domini dispensatione inter arcana pectoris de conversione sua aliqualiter stimulari. Adde, quod hunc Christianam Fidem reliquisse, Mahumetis impietatem rationis examine suscepisse, quod scilicet plus veritatis, & pietatis in ea esse superstitione, quam in vera Christi Religione ratione aliqua, aut judicio approbaverit, nequaquam est suspicandum; Sed certe a Christo ad Mahumetis superstitionem vel ignorantiæ cæcitate, vel dominandi aviditate conversum esse credimus. Quod si ignorantia veritatis hoc factum esse censebimus, quid magis pium, quid magis Apostolicæ curæ congruum, quam ignorantia aberrantem in viam veritatis, admonendo, docendo, observandoque reducere? Si vero regnandi ambitione ad eam impietatem accesserit, facilior etiam futura Tibi ejus conversio est. Cum enim nullus sit, qui proprios filios divitiarum, honoris, Regnique successores relinquere non majori desiderio ambiat, quam ea ipsa possidere; hic autem, si in ea, quam suscepit, perversitatis hæresi, permaneat, nullam filiis suis Regni successionem sperare omnino possit: quid facturum eum credimus, si tu Summus Christianorum Pontifex, cujus maxima est apud externas etiam Nationes existimatio, maxima illi auxilia polliceri ceperis, ad Regni ejus in filios successionem, & nepotes statuendam? An ille, qui ut regnaret, Christum pro Mahumeto deserere non timuit, ut filiis, & nepotibus idem Regnum firma successione relinquat, Mahumetum deserere, & ad Christum redire formidabit, si modo illi Christianorum auxilia ad successionem hujuscemodi Imperii ejus firmandam,

dam, ampliandumque Regnum polliceatur? Quæ quidem auxilia, si ad Christum convertatur, Te illi promissurum fore minime dubitamus. Converti vero ad eum perfacile poterit, quem fortasse intrinsecus colere, adorare, & Deum verum confiteri non cessat, quamvis exterius perversam Mahumetis perfidiam sequatur. Multos enim ex ea gente homines esse audivimus, aliquos etiam cognovimus, qui Christianam pietatem ita intra pectoris sui secreta custodiunt, ut sæpius Christum Jesum deprecari soleant, ut ab illa impia, quam sequuntur, hæresi eos liberare dignetur. Fit enim in illis, quod & in nobis fieri sentimus, ut cum in aliquem vitiorum laqueum incidimus, liberari cupimus, oramusque, & cum nos ipsos liberare possimus, id facere nolumus. Hoc multis eorum evenit, ut cum infidelitatis, impietatisque laqueum, quo tenentur, non ignorent, ad Christum redire cupiant. Redire tamen aut timore, aut propriæ dignitatis amore, aut misera consuetudine alligati non audent, ita ut, quod maxime cupiunt, idem omnino nolle videantur. Quod si talem Principis hujus animum invenies, quid difficultatis futurum est, ut, Te rationibus suadente, pollicitationibusque maximis alliciente, ad Christum palam convertatur, si tuo, Christianorumque omnium auxilio conversus cum fuerit, regnum suum confirmare, ampliareque, & filiis suis, nepotibusque legitima successione relinquere speraverit. Quæ vero de gentis hujus Principe diximus, eadem omnia de principalibus apud eum viris affirmare possumus. Quoniam & ipsi, & omnes, qui in eo Regno alicujus sunt existimationis, Christiani fuere, sacrique fontis baptismatis participes; & dummodo eumdem apud Principem locum sint habituri, quem nunc habent, facile illis erit ad Fidei Christianæ conversionem eorum Principem sequi, illis fortasse ex eis dumtaxat exceptis, qui ad summam Imperii dignitatem ambiunt. Hi enim de Regni successione minus cum Principe convenire posse existimabuntur. At vero si eis dominia Civitatum, quæ illis a summo eorum Principe cum nulla spe, nedum successionis, sed neque firmitatis traduntur, firma, & quæ filiis suis per successionem sint duratura promittantur, nonne & ipsi libentissime conditionem suscipient? Qui vero, si etiam expugnata Turcarum gente aliqua ejus Imperii pars his, si conversi fuerint, polliceatur, nonne sponte ad Christum convertentur? Principe vero, principalibusque ejus viris conversis, nonne universa Maurorum gens Christum suscipiet? Nam omnes ex hac gente, qui Mamaluchi nuncupantur, Imperatoris, & reliquorum, qui sub eo Principum servi sunt, Christiani & ipsi cum fuerint; cumque etiam multi eorum intra occulta pectoris Christianam quoquo modo pietatem servent, nonne statim Dominos insequentes, ad Christum revertentur? Qui vero ex ea hæresi orti sunt, impiisque progenitoribus nati, infidelium locorum, & veri indignæ illius superstitionis alumni, quos proprie Mauros appellari diximus, difficilius fortasse converti posse existimabuntur. At vero, si quæ sit in omnibus illis hominibus illius, cum qua nascimur omnes, naturalis justitiæ observantia: signatum est enim super homines lumen vultus Domini, quo judicia ejus in semetipso justificata conspiciuntur, quam illi miro quodam modo conservare videntur, justitiamque Dei appellant, contra quam aliquid nec facere audent, neque promittere possunt: si quæ sit etiam in ea hæresi de Christo opinio, quæ maxima sane est, considerare voluerimus, non adeo difficilem ejus gentis conversionem existimabimus; Quæ quidem, si audire Christianam veritatem pateretur, nullo labore, nulla difficultate ad illam converti potuisset. Christum enim maximum non solum Prophetam, sed Dei halitum, natumque ex Virgine profitentur: nullam legem Christi Evangelio nedum præferendam afferunt: verum Christi nomen honore maximo prosequuntur; ita ut iis, qui illum blasphemaverint, sævissima mortis sit pœna constituta. Ipsum vero tanto minus mortuum credunt, quanto magis Dei halitum existimant; maximeque Christianam veritatem in hoc aberrare suspicantur, quod Christum Dei Filium, verumque proinde Deum, & mortuum fuisse credimus. Non enim intelligere valent, quomodo & Deum esse, & mori potuisse dicamus. Quæ si illis, ut facile posset, declarabuntur, pedibus, manibusque, ut dici solet, in Christianam venient veritatem. Imperatore vero earum gentium, & iis, qui dominantur conversis, quibus prohibere ulterius Christi prædicationem, veritatisque declarationem poterunt? sed & illud etiam eveniret, ut, nemine prædicante, si illi, qui dominantur, qui scilicet post baptismum ad eam impietatem accesserunt, converterentur, tota gens reliqua Fidem susciperet. Verum enim vero quid pergimus pias Sanctitatis tuæ aures his sermonibus ulterius obtundere, cum potissimum hæc, quæ diximus, omnia paucis verbis perstringi possint? Nihil

hil enim aliud his suasionibus dicere voluimus, quam nos existimare Te, priusquam contra Turcas Christianorum Principum exercitum ducas, jam excogitasse, duos hos maximos Mahumetanæ gentis Ptincipes, quorum alter Christi nomine gloriari solet, quamquam Christi fidem non sequatur: alter vero Christianus cum jam fuerit, maximumque Christianæ Fidei Sacramentum susceperit, Mahumetanæ superstitionis caput se esse asserit: per Oratores, Legatos, Nuntios, viros scilicet Dignitate, Sapientia, Virtute, Sanctitateque præditos adire, ut per illos, si his Principibus persuaderi Christiana veritas possit, in omnes ipsis subiectos populos Christi Nomen diffundatur; Aut si id minus facere poterunt, eos Principes incitare, & contra Turcarum Imperatorem commovere, aut secum saltem convenire, ne illi auxilio sint futuri, cum a Christianis impugnari ceperit. Hæc omnium summa. Neque enim existimare possumus Te contra perfidam sævissimamque Turcarum rabiem arma ante capere velle, quam horum duorum potentissimorum Imperatorum animos attentaveris, si vel ad Christum converti acquiescant, vel Turcis bellum una Tecum inferre velint, vel Te inferente, arma contra Te non sumere polliceantur. Magni enim momenti hæc habenda esse judicamus, in utram partem vertantur, ad eam, quam Te omnino contra Turcarum gentem parare expeditionem credimus. Vere enim eorum, quæ Te pro pastorali Tibi jam demandata cura facturum judicamus, illud maximum, præcipuumque omnium existimamus, non contra omnes simul Infidelitatis Mahumetanæ sectatores, sed contra Turcarum gentem, contra scilicet potentissimos eorum, & in perfidia pertinaciores, quos nulla alia ratione, quam armorum vi adire facile potes, & quos etiam nostræ non Fidei modo, sed & libertatis inimicos nunc maxime sentimus, nostrisque cervicibus imminere cernimus, maximum & potentissimum Terra, Marique Christianorum omnium exercitum, quanto citius pro rerum magnitudine fieri possit, instruere. Neque Te differre hoc velle arbitramur, cum nunc & armatos, ad bellaque paratos Christianos omnes habeas, & illi in speratæ fraternæ cladis novitate inter se quam maxime dissentiant. Hæc enim ad expeditionem accelerandam Te invitant. Nam dum fratres de Regno maximis odiis pugnant, aut dum fraternæ discordiæ quædam adhuc reliquiæ supersunt, si Tibi partem eorum imbecilliorem conjungere curaveris, facile potentiorem expugnabis. His vero expugnatis, nisi converti ad Fidem & illi acquieverint, imbecillioris facilior erit expugnatio. Neque hoc fraudis nomine refugiendum est contra Fidei hostes, qui iisdem artibus totam Græciam (male inter se convenientibus, qui imperare deberant) Christianis abstulerunt. Unica Tibi hæc Turcarum gens, hoc tantum hujus gentis imperium abolendum est: Quoniam hoc, quod potentissimum infidelium genus est, destructo, nullus Tibi labor futurus est, reliquos omnes hujus perfidiæ sectatores, aut ad Fidem revocare, quod maxime optandum est, aut pro Christianæ pietatis zelo a facie universæ Terræ abolere. Nunquid superato maximo, potentissimoque divitiis & numero virorum, bellandique peritia Turcarum Imperatore, poterit Tibi Maurorum Princeps cum parvo servorum ejus exercitu resistere? Nunquid audebunt illi Latrunculorum Principes contra exercitum tuum Turcarum victoria gloriosum stare? Nunquid Princeps ille Sophi, qui Turcarum impietatem detestando, magnam sibi auctoritatem acquisivit, maximamque hominum multitudinem adjunxit, contra exercitum Christianum ipse, qui Fidem Christianam extollit, pugnare vellet, aut si pugnaret, resistere ullo modo poterit? Nunquid-nam illi Reguli, qui Africæ littorales Regiones occupant, resistere Christianis viribus poterunt, quibus unus tantum ex Christianis Principibus Regna solet auferre, quos & sic parvifaciendos diximus, ut in ea, quam superius prosecuti sumus, Mahumetanæ gentis divisione, eos connumerare noluerimus; tum quoniam & parva eorum potentia est, & ab aliis hominibus pene toto orbe divisi sunt; tum maxime quoniam in eorum expugnatione, non Christianorum modo omnium, sed Sanctæ Ecclesiæ solummodo exercitum, si Hispaniæ Regibus conjungatur, sufficere posse existimamus? Unum igitur solum Mahumetanæ gentis est imperium, quod totis Christianorum viribus, nunc maxime civili bello labefactatum, ad desolationem paratum sese præbeat, aggrediendum esse credimus. Hoc ipsum Turcarum Imperium si superaveris, de tota infidelium gente actum esse dicere possumus. Nullus enim erit, qui aut audeat deinceps, aut possit Tibi resistere. Ad hoc vero Turcarum Imperium expugnandum, gentemque impiissimam delendam, maximo Tibi auxilio futurum est, si aliquem, aut plures ejusdem infidelitatis Reges, ac Principes vel ad Fidem convertere poteris, vel ad inferendum tecum

Turco

Turco Imperatori bellum, vel saltem ad nullum præstandum illi auxilium persuaseris. Persuadere autem si poteris, nemo scit, nisi opportuno congruoque ordine per idoneos viros attentaveris. Hæc omnia, quæ diximus, antequam exercitum contra hos ducas, attentanda censemus, ut majori spe, & alacritate Christiani milites ad bellum accedant; In quo tanto firmius victoriam se consequuturos credent, quanto Tibi plura & infidelium auxilia conjunxeris; quamquam sine externo auxilio satis superque virium Christianis Principibus inesse certissimum est, si modo singuli Christianorum Principes tantum Tibi ad expugnandos infideles exercitum præbeant, quantum, cum inter se pugnaturi sunt, parare consueverunt. Si enim ex multis Christianorum Principum exercitibus in unum convenientibus, exercitum unum constituas, non Turcarum Imperatores, non omnes infidelium Principes, non orbis universus illi resistere ullo modo poterit; & Sanctæ Ecclesiæ exercitui si Italiæ solum vires conjunxeris, tantum contra Turcas Terra, ac Mari exercitum, Classemque traducere poteris, ut nequaquam ea gens, quamquam ferocissima sit, Tibi resistere audebit. Quid futurum non sit, si Italiæ viribus, Gallorum, Germanorum, Hispanorum, Britannorum, Pannonum, Helvetiorumque potentias pro tua maxima Sapientia conjunxeris, nemo est qui non videat. Si enim has Nationes, quarum singulæ, si omnibus viribus suis utantur, ad profligandos Turcas sufficere possunt, omnes simul, aut aliquam saltem cum reliquis Italiæ, Sanctæque, Ecclesiæ viribus conjunxeris, nonne die soleque clarius victoriam in manibus tuis videre etiam hebetes possunt? Sed præter Regum, Principum, & aliarum potentiarum publicos exercitus, cum semel Te contra infideles pugnaturum esse publicis indiciis declaraveris, & his, qui Tibi auxilio futuri sunt, sanctamque hanc expeditionem aut armis, aut divitiis adjuverint, Indulgentiarum, ut fieri solet, larga munera contuleris: videbis profecto privatorum hominum ex omni Provincia, ex omni Christianorum Provincia, & Regione tantam ad Te accedere propriis stipendiis militaturam multitudinem, ut eo solo exercitu pro numero, virtuteque militum superaturum Te impiam illam gentem, sperare merito possis. Ut enim reliquos, qui pietatis zelo ad hæc se paratos offerent, taceamus, ex his solum, qui sacram Religionem professi sunt, ex omni scilicet Religiosorum hominum conditione, si id modo tu consenseris, aut imperaveris, multa millia fortissimorum hominum habebis, qui, quod minus exercitatione posse existimabunt, fervore Spiritus, Fideique ardore strenuissime proficient. Cernes præterea eos, qui minus ad pugnam idonei sunt, imbecilles scilicet viros & mulieres, & cæteros, quibus aut longior ætas, aut familiarium rerum cura, aut alia causa ad capessendum arma impedimento est, tantas in tuo ærario pecunias conferre, tot Thesauros Sanctissimæ Ecclesiæ elargiri, ut illis solum innumerabilem possis virorum armare, alereque multitudinem. Cum vero exercitus partem aliquam movere jam ceperis, nulla est futura Christianorum natio, nulla civitas, nullum oppidum, nulla denique domus, quæ pro viribus Tibi auxilia non libenter, atque magna cum lætitia subministret. Et qui pro paupertatis eorum exiguitate, quod afferant, non habebunt, Orationibus Te, piisque vocibus prosequentur. Accurrent ad Te ex omnibus Regionibus, per quas exercitum, aut classem ducere decreveris multa undique auxilia, & ut reliqua omnia taceamus, ea solum Græciæ pars, quæ Christianis adhuc reservatur, maxima certe Tibi & terra, & mari auxilia subministrare poterit, & pro Religionis zelo, & pro gentis illius odio, id minime dissimulabit. Reliquas præterire insulas possumus; Rhodum vero prætermittere non possumus, quæ, quamquam minime, aut numero virorum, aut divitiis contra eam gentem sufficere possit: animorum tamen virtute, bellique exercitatione tantum valet, ut cæteris omnibus Christianis aut otio languescentibus, aut impiis odiis sese invicem lacescentibus, atque dilacerantibus, ipsa sola adversus totum Turcarum Imperium continuis bellis pugnare audeat, & nunquam sine victoria pugnare consuevit. Si enim cæteri omnes Christiani Principes, singuli pro viribus suis, sic Turcis indefessi hostes sese præbuissent, ut ea una insula semper præbuit, nequaquam tantum impia illa gens crevisset, sed & omnis hujuscemodi pestis multo jam tempore de medio ablata esset; quæ non satis ampla, neque multum hominibus, aut divitiis abundat, una Insula contra Turcas bellandi provinciam sustinere audet: Et Tu Sanctissime Pater, cum omnium Christianorum multitudine, & innumerabilibus divitiis eamdem provinciam suscipere dubitabis? Postremo vero loco, ut quod omnium maximum, præcipuumque est, recenseamus, cum semel pugnare Christianus exercitus ceperit, minimumque

mumque aliquid Christianæ victoriæ signum apparuerit, centena millia millium Christianorum, qui in illis Turcarum Imperio subditis Regionibus vivunt, excitabuntur, armaque, quibus minime egent, assument. Et dum tuus pugnare adversus illam gentem parabit exercitus, jam ab illis citius, quam credi potuisset, totum confectum negotium aspicies. Illi enim tum Religionis & Libertatis amore, tum propriarum animarum neglectu, si semel exercitum tuum intuentes insurgere contra Tyrannum illum pessimum audebunt, ita pugnaturi sunt, ut nullus omnino ex tota illa gente reliquus futurus sit. Adeo enim illis miserum est inter impios Religionis hostes in extrema, miserabilique servitute vivere: ita gentis illius occulto, sed tamen magno odio fervent, ut pro Religione, pro libertate, pro multarum injuriarum vindicta, pro ingentium odiorum siti exsaturanda, minima quæque victoriæ spes excitare eos ad pugnandum possit. Satis excitati vero eo impetu, eo fervore, ea audacia pugnaturi sunt, ut unusquisque eorum pro plurimis futurus sit. Intestino autem, familiarique inimico excitato, neminem certe illius gentis evasurum speramus, illis namque maxime, qui a tam miserabilis servitutis asperrimo jugo ab eo Tyranno Mahumeticæ impietatis potentissimo propugnatore tot jam annis premuntur, vindictam reservari a Domino credimus, cujus semper ex alto auxilium Tibi affuturum, non vaticinandi ratione, sed Fidei veritate polliceri possumus; Quamquam hæc omnia, quæ connumeravimus, nihil aliud, quam magna, quæ Tibi præstantur auxilia, esse credamus; A quo etiam unum aliud Beatitudini tuæ conceditur, quod Te multum super omnia hæc existimare censemus. Quid enim tot habere exercitus, tot pecunias, tanta externarum gentium, tanta fidelium auxilia prodesse possent, si qui hæc moderaretur, regeretque, deesset? Cum enim Te pastoralis officii sollicitudo, Ecclesiaque Romana non parva, neque parvifacienda negotia, Lateranense jam celebrari cœptum Concilium, quod Te prosequi velle non dubitamus, fidelium omnium cura a Romana Urbe, ab Apostolica Sede longius discedere non facile permittant, ille, qui nihil Tibi omnino ad hæc magna, aliaque majora conficienda deesse voluit, alterum Teipsum Tibi tribuit Julianum, Maximum, magnanimum, vereque magnificum Fratrem tuum, quem nonnisi ad maxima hujuscemodi natum credimus. Hic enim cum & consilio, & rerum prudentia polleat, & animi fortitudine, atque incredibili virtute præstet, Fideique pietate ferveat, & nullos pro Religionis zelo labores suscipere, ulla pericula subire formidet; Et ut virtutum ejus, quæ numerari per singula non possunt, summam paucis verbis concludamus, cum Tibi in omnibus persimilis sit, nihil aliud in hac vita optare videtur, quam Christiana arma contra impios Christi hostes primus omnium movere. Hic Tibi a Domino, qui cuncta Divina Sapientia moderatur, præparatus est, ut Tu a Beata illa Apostolorum Sede non discedens, neque pastoralem Fidelium sollicitudinem relinquens, alterum Te habere possis, qui intrepide omnia, quæ contra infideles illas nationes agenda decreveris, committere valeas, ut sic & Fideles Leonem Summum Pontificem in Apostolica Sede residentem habeant, & Infideles Leonem alterum Summi Pontificis Fratrem Julianum, contra se exercitum ducentem, pugnantemque sentiant. Quæ vero sit Viri illius præstantia, Tu Beatissime Pater, optime intelligis, scisque nihil omnino tam magnum, tam arduum committi Juliano posse, quo ipse multo majori animi virtute, sapientia, & fortitudine non inveniatur. Tacemus Julium religiosissimum, prudentissimumque virum consobrinum tuum, aliosque plurimos, quos Tibi paratos a Domino ad hæc negotia perficienda Te cognoscere non dubitamus. Cum igitur ea omnia præparata Tibi sint a Domino, quæ ad hanc expeditionem optare Tibi potuisses, non est, cur minoribus Te occupari permittas, aut differre hoc maximum a Domino Tibi oblatum negotium patiaris. Et quamquam dici soleat minime auferri, quod differtur; veritatem tamen illam Poetæ sententiam credimus: semper scilicet nocuisse differre paratis. Nam cum sæpe sæpius opportuna se nobis offerat occasio, si in aliud tempus differatur, eam a nobis auferri videmus. Quando enim Tibi, ut cætera omnino taceamus, continget, armatos jamjam instructosque Christianorum omnium Principum exercitus habere, & hostes de Imperio inter se dissidentes invenire? Quoniam autem & Christianis pacem, quam citius fieri potest, Te reddere velle credimus, & has paratas Tibi a Domino occasiones nequaquam amittere: utcumque rebus Italiæ compositis (nulla enim iniqua conditio est, qua nobis ad majora, melioraque perficienda occasio præstatur) absque dilatione exercitus, Classesque Christianorum Principum contra impios hos Christianæ Fidei, Christia-

stia-

ſtianæque Libertatis hoſtes Te miſsurum judicamus.

Post hujus vero gentis expugnationem, poſt Mahumetanæ penitus perfidiæ deſtructionem majora multo, non tamen difficiliora Tibi ſupereſse negotia conſpicimus. Deſtructo enim, diſsipatoque hoc infidelium Nationum pariete, qui inter Te, & eos Chriſtianos, qui minus nobis cogniti, extremas Aſiæ, Africæque regiones incolunt, medius interpoſitus viam Tibi ad eorum ſalutem curandam intercludere videbatur, major cura, novuſque rerum ordo ſuboritur. Cum enim, ut ſuperius commiſsum Tibi, tuæque ſubditum Poteſtati hominum genus in quatuor hominum conditiones dividentes dicebamus, præter eos, qui nunquam Chriſtianæ Fidei pietatem ſuſceperunt, & eos, qui ab ea jam ſuſcepta impie diſceſserunt, de quibus hucuſque ſermonem fecimus, multo valde plures ſint homines, qui Chriſtianum quidem nomen cum habeant, Chriſtianæ tamen veritatis ita quædam ſuſcipere, quædam autem non ſuſcipere videntur, ut ſi intra Eccleſiam ſint an extra, noſtrum nullo pacto ſit definire: relinquitur Tibi, Beatiſsime Pater, poſt infidelium gentium excidium (quod niſi Tibi defueris, cito futurum ſperamus) horum Chriſtianorum omnium cura, quæ ob magnam Nationum, Linguarumque diverſitatem, & hominum in qualibet earum innumerabilem multitudinem, locorumque diſtantiam, ſicut maximos labores, ſollicitudineſque, ita uberrimos certe, ac dulciſsimos Tibi fructus eſt paritura. Neque enim exiſtimare poſſumus, aut invincibilem illam animi tui fortitudinem, laborum multitudine terreri, aut magnam illam mentis tuæ pietatem optatiſsimos Chriſtianæ pietatis fructus, animarum ſcilicet ſalutem, ſperare. Scis enim Apoſtolicæ Dignitatis proprium eſse omnium Eccleſiarum ſollicitudinem gerere. Nam ſi neque Judæorum perfidia, neque Mahumetarum impietas, atque ſævitia Te ab eorum, quantum per Te fieri poteſt, cura non liberat: quomodo ſine ſalutis propriæ diſcrimine poteris tantarum Chriſtianarum Nationum, quæ ignorantia potius, quam ulla malignitatis nequitia aberrant, curam negligere, non videmus. Si qui vero ſunt, qui aut non alios eſse in univerſo Terrarum orbe Chriſtianos, quam iſtos, quos omnes novimus, qui Europam incolunt, aut majorem eſse infidelium, quam Chriſtianorum numerum exiſtiment: hi nimirum magna rerum ignorantia, inſcitiaque laborant. Habet namque Africa plurimas, habet & Aſia multo etiam plures Chriſtianas Nationes, innumerabiliumque fidelium populorum multitudines, quæ multo majora Terrarum ſpatia, latioreſque regiones, quam tota ipſa ſit Europa, occupant. Et niſi Tibi hæc notiora, quam nobis eſſe credimus, ex ipſa Orbis deſcriptione oſtendere poſſemus; minimam eam eſſe Orbis partem, quæ ab infidelibus, ſive Turcis, ſive Mauris poſſidetur: maximas, ingentiſſimaſque relinqui Africæ, ac Aſiæ regiones, quas Chriſtiani certiſſime inhabitant, quorum pro regionum capacitate, habitantiumque frequentia tantus eſt numerus, ut multo ſine ulla proportione plures illos eſſe, quam omnes ſimul Europæ Chriſtianos, ac reliquarum orbis partium infideles abſque aliqua temeritate & judicari poſſit, & certis rationibus, ipſaque rerum experientia comprobari. Hi vero omnes, quoniam ſi in omnibus Fidei noſtræ articulis, ac in univerſis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ definitionibus, quæ ad ſalutis attinent neceſſitatem, recte, an minus recte ſentiant, neſcimus; neque hoc eſſe adhuc definitum ab ipſa, quæ Fidei mater eſt, Apoſtolica Sede, cognovimus; ideo an intra Eccleſiam, an extra illam ſint, non noſtrum, neque cujuſquam alterius, quam Beatitudinis tuæ eſſe id definire, diximus; quamquam has omnes nationes, & populos, quaſi præciſa corporis membra eſſe non ignoramus. Quippe, quoniam minus, quam opus eſſet, Capiti ſuo, Romano ſcilicet Pontifici adhærent; quoniam tamen, ſi diſſentiendi voluntate, aut excuſabili aliqua ignorantia hoc illis accidat, neſcimus: ideo niſi a Te uno, & ab Eccleſia ipſa, quid de illis credendum ſit, definiatur, neque damnare illos, neque approbare ullo modo audemus. Scimus eos, qui voluntarie a ſancta Romana Eccleſia vel minima in re diſſentiunt, qui non omnia Apoſtolica decreta ſuſcipiunt, ab ipſis ſacris Canonum definitionibus damnatos eſſe. Si vero iſti voluntaria nequitia, an ſatis excuſabili ignorantia minus Romanæ Eccleſiæ, Romanique Pontificis decretis tribuant, quam par ſit, neſcimus, neque aperte hoc adhuc definitum cenſemus. Neque, mirum fortaſſe videri poteſt, ſi maxima locorum diſtantia (magna enim inter nos, & illos maris æquora, magnaque Terrarum ſpatia interjacent, mediuſque interponitur Infidelium Nationum paries) ſi Linguarum diverſitate factum ſit, ut quemadmodum plurimis eorum, qui Europam incolunt, ita illi incogniti omnino ſunt,

tu neque ullos esse existiment: [sic illis vel omnibus, vel aliquibus nationibus, & populis aut incognitum omnino, aut parum notum sit, Romanum Pontificem esse, qui caput omnium Ecclesiarum, & Christianorum Princeps sit, cui non adhærere, cui non obedire, cujus non omnia Decreta suscipere, a Christo discedere, & Christianæ pietatis veritatem non custodire censeant. Quis enim Romanorum Pontificum hoc populis illis, præter Græcos fortasse, aut per nuntios, aut per litteras declaraverit, quando sunt ad obediendum Ecclesiæ Romanæ vocati, & ipsi obedientiæ debitam promissionem præstare renuerunt? Si enim pro hoc, aliove in his, quæ ad Fidem attinent, errore unquam ab Ecclesia damnati sint, nescimus: ideo eos si intra, an extra Ecclesiam sint, definire ausi non sumus, ne forte, quos Ecclesia damnat, nos incaute probaremus, aut quos probat, temere damnaremus. Sive tamen jam ab Ecclesia damnati, sive non adhuc damnati dicantur, hoc affirmare audemus, in maximo apertoque satis salutis propriæ discrimine eos versari, qui Romanæ Ecclesiæ præsunt, si has Pontificali Officio commissas Christianorum omnium Nationes aut omnino negligere statuunt, aut parum curare decernunt, aut majorem curam, & sollicitudinem terreno Sanctæ Ecclesiæ Patrimonio, quam tantorum Christianorum saluti impendunt. Castra enim, Civitates, Regna, & Imperia, quæ Sanctæ olim Ecclesiæ donata, nunc patrimonium ejus vocari consuevit, tueri, aut ex Tyrannorum eripere potestate, nemo est qui damnare audeat. Hoc tamen uno negotio ita Summi Pontificis mentem occupari, ut pretiosiorem in conspectu Domini tantorum Christianorum populorum salutem aut negligat penitus, aut immortalibus animis lucrandis minorem, quam terrenis acquirendis divitiis sollicitudinem impendat, damnabile. Qui non existimant illi, quale proprium præcipuumque sit Pastoralis Dignitatis officium, ignorare videntur. Tanto enim curæ, sollicitudinique Pastoris immortalium animarum salus magis, quam terrenarum Civitatum, aut Regnorum vindicatio commissa est, ut pro unius etiam solius animæ salute, omnes Ecclesiæ thesauri, omnia Regna & Imperia exponenda sint. Si enim boni Pastoris munus esse non ignoramus, pro ovibus suis animam suam ponere, pro anima autem commutationem nullam dari posse non ambigimus: relinquitur certe, ut qui minorem ovibus suis, quam terrenis divitiis curam impendit, non boni Pastoris, sed iniqui potius mercenarii locum teneat, & Patris familias præceptis minus obtemperans, rationem villicationis suæ redditurus, in magno animæ propriæ discrimine versetur. Tu vero, Sanctissime Pater, cui hæc omnia, quantum unicuique sunt maxima, immo magis, quam alicui alteri notissima, apertissimaque sunt, & qui concessa Tibi a Domino Pastoralis officii dignitate, non ad propriæ salutis detrimentum, sed ad pleniorem sempiternæ felicitatis acquisitionem uti decrevisti: ita curarum tuarum sollicitudines rebus pro meritis impertiri curabis, ut memor esse videaris, quod non Petro solum, sed in Petro Tibi etiam, qui nunc ejus locum tenes, a Domino dictum sit: non jura Ecclesiastica tuere, non vindica civitates, non divitias cumula, sed pasce oves, pasce agnos meos, quamquam veræ Ecclesiæ jura tueri, est animarum salutem omnibus modis curare. Quæ enim Ecclesia est, nisi animarum congregatio? Quæ autem jura, aut bona Ecclesiæ hujus sunt, nisi recta Fides, boni mores, salusque ipsa omnibus promissa sempiterna? Tu, inquam, Beatissime Pater, cui nulla rerum ignorantia officere potest, ut aureis vasis neglectis, fictilibus solum curam adhibeas tuam: cui nulla divitiarum immoderata cupido, nulla intemperans regnandi ambitio mentis aciem, Fideique adimere poterit: cui demum nulla hominum gratia, nullum odium, nulla vindictæ libido dominari poterit, aut Te transverso ducere calle, secundum Domini præceptum, & majora facere, & minora non omittere curabis, & pro harum nationum & populorum salute nullos labores, nullas sollicitudines, atque curas subire dissimulabis. Vere enim verecundiæ, & pudori Tibi futurum existimares, si aliquis eorum, qui hanc ante Te Beati Petri Sedem tenuerunt, plus laboris subiisse, & plures Ecclesiæ thesauros exposuisse pro terrenis Civitatibus a Tyrannorum Dominatione vindicandis inveniatur, cum Tu pro tot populis, nationibusque, tot scilicet mille millibus animabus a Diaboli servitute liberandis, & ad Ecclesiæ unitatem, ac proinde ad æternæ salutis infinitam jucunditatem perducendis, facere paratus sis. Sunt autem, Beatissime Pater, quantum nos non solum studio legendi, sed peregrinandi labore cognoscere potuimus, præter omnes Christianos, qui Europam occupant, septem Christianorum nationes minus fortasse plurimis cognitæ, quæ diversas orbis partes incolunt, & sub aliis, & aliis Regibus vivunt, & Principibus.

Diver-

Diversas autem has diximus septem nationes, quæ distant ab invicem, non sicut Campania ab Apulia, aut Emilia ab Etruria, sed multo, verbi gratia, magis quam Gallia ab Hispania, aut Pannonia differunt a Germania; quippe quæ singulæ earum latissimis diffusæ regionibus, magno locorum spatio a cæteris separentur, quibus nec imperium, neque vivendi leges, aut habitus, neque religionis ritus, neque Linguarum idioma commune sit. Utuntur enim singulæ, ut ex uno hoc in cæteris omnibus, quantum ab invicem diversificent, facile perpendere possis, non modo tanta sermonis diversitate, ut neque salutandi officio invicem communicari possint, sed tanta in scribendo disparitate, ut forma, modo, ordine, numeroque litterarum, multo magis, quam Græci a Latino, aut ab Hebræo Arabes, hæ singulæ inter se differant a singulis nationibus. Sunt, qui paucioribus, quam nos utuntur, elementis: Sunt, qui plusquam centum, & quinquaginta litteras habent, qui non syllabas ex litteris conficiunt, sed singularum syllabarum vim singulis diversis characteribus scribunt, aliqui Latino, Græcoque more de sinistro, alii Hebræo, Araboque instituto ex dextro in sinistrum scribendo procedunt. Forma vero, sonus, ac nomina ipsarum litterarum in singulis nationibus ita diversa sunt, ut nulla penitus, aut in scribendi forma, aut sono proferendi sit communicatio, nisi in quantum harum nationum una est, quæ licet non simili omnino charactere, simili tamen voce Græcis utitur litteris novem, quas Græci non habent: nihilominus additis quibusdam novem litteris, ita a Græco idiomate separantur, ut Græcus neque eorum scripta legere, neque sermonem intelligere valeat. Cæterum, si de his solum nationibus nobis nunc apud Te sermo habendus esset, & quas earum, quæque incolant regiones, quos Reges, & Principes habeant, & quibus in his, quæ ad Fidem attinent, diversis utantur cæremoniarum viribus, quantum nos cognoscere potuimus, scribere non pigeret; ex quibus, quam magnæ ipsæ fuerint, quamquam a cæteris aliis & locorum distantia, & omnibus vitæ officiis diversæ, palam fieret. Sed ne multa scribentes, dum singula diffusius explicare voluerimus, sermo nimium protrahatur: quantum ratione locorum ab invicem distent, hoc solo argumento dignosci facile potest, quod eorum aliæ nigros, aliæ fuscos, aliæ candidos homines habeant. Et quemadmodum ex eo, quod de Linguarum, Litterarumque diversitate diximus, qualiter sit harum nationum ab invicem diversitas, facile arguere quisque potest; ita ex hoc uno, quod dicturi sumus, non difficile erit, singularum nationum magnitudinem cognoscere. Præter enim illius Principis Presbyteri Joannis, qui Abissinis, Jacobinisque imperat, satis certam potentiam, quæ major omnino existimatur, quam Turcarum simul, ac Maurorum vires, aliæ, una sola earum est nationum, quæ quinque Reges, totidemque Regna habet, quorum singuli & regionum latitudine, & virorum multitudine, & divitiarum copia Maurorum Sultano nihilo inferiores existimantur. Et quamquam huic reliquæ minime sunt æquales, maximos tamen, potentissimosque fore non ignoramus. Hæc autem, & alia quædam de his septem Christianorum nationibus tum legendo, tum maxime videndo cognovimus; non quod ad has omnes nationes peregrinati simus, sed quod ibi fuimus, ubi ex singulis nationibus multi homines, multæque familiæ continue degunt. Dum enim ego Paulus visendi, visitandique Sepulcri Domini Nostri Jesu Christi causa in Syriam navigassem, inter cætera, quæ cognoscendi studio per tres continuos menses, quibus in Jerusalem circumjacentibus locis sum immoratus, inquirere volui, hoc unum fuit. Cum enim primis illis diebus, quibus Jerusalem applicueram, Sancti Sepulcri Ecclesiam, quæ ab infidelibus lucri gratia clausa custoditur, ingressus essem, inveni ex harum nationum singulis viros aliquos in eo voluntario carcere se mancipantes, & in hymnis, & psalmis, aliisque Religionis obsequiis Domino servientes. Magna enim, amplaque cum ea sit Ecclesia, pro singulis nationibus seorsum sunt loca separata, in quibus cellulis angustissimis constructis ex omni natione duo, aut tres, aut quatuor separatim inhabitant. Præter enim nonnullos ex Beati Francisci Ordine, qui in ea continue degunt, quique soli sunt ex universa Europa, septem adhuc ibidem aliæ Christianorum, ut diximus, nationes reperiuntur, lingua, moribus, habitu, cæremoniarumque ritu valde ab invicem diffidentes, neque ex illis nationibus illi tantum pauci, qui in ea vivunt Ecclesia Jerosolymorum sunt, sed ex earum singulis multi religiosi viri, familiæque multæ inveniuntur; ita ut ex omni populo illius Civitatis, quæ satis est habitata, plusquam tertia pars ex his Christianorum gentibus esse censeatur, præter multos alios, qui extra civitatem, ecclesias, & domos, quasi

quasi Monasteria quædam habent. Fuit enim mihi inter cætera illis diebus cura, non solum eos, qui Jerusalem habitant, sæpius convenire, sed extra civitatis mœnia, loca singularum nationum adire, ut usu interpretum, quantum potui interrogando, aliquid de illis cognoscere, a quibus & ea, quæ diximus, & alia nonnulla didicimus. Sunt autem istæ nationes, ut earum tandem nomina exprimamus: Abissini, qui nigri sunt, immo subfusci, & ab ortu Nili usque ad Ægyptum infra Nili, ac Oceani terminos sub eo satis noto Principe Joanne Presbytero ab omnibus nuncupato, habitare dicuntur. His cæremoniarum ritu satis similes, sed colore multum diversi sunt Jacobitæ; albi etenim sunt. Armeni vero alii nuncupantur, qui ex nomine ipso, quam Orbis incolunt partem, cognoscuntur; formosi siquidem homines, ac valde Religiosi. Alii autem sunt Georgii, reliquis ditiores, quibus in Sepulcri Ecclesia locus, ubi Dominus fuit crucifixus, deputatus est. Cum enim amplitudine sua Calvarii Montis partem illam, in qua crucifixus est Jesus, & Horti locum, ubi Sepulcrum in saxo erat excisum, comprehendat, his nobilissimis Georgiis, & aliis ditioribus nobilissimus locus datus est, & multa in Jerusalem, atque etiam circumcirca Jerosolymam loca, ecclesias, domos, ac prædia possident. Et illi hi certe sunt, de quibus a fide dignis, senio, Sacerdotioque venerandis hominibus didicimus: quinque hujus gentis Reges Sultano, ut diximus, esse non inferiores. Præter hos sunt & Suriani, & Maronitæ, ex quibus non multi tunc temporis Jerosolymis erant. Maronitæ enim illi sunt, qui Libanum montem & circa eum adjacentia loca occupant. Gabrielem namque virum ex eodem S. Francisci Ordine, linguarum peritia insignem in Episcopum receperunt, qui eos in Ecclesiæ Romanæ obedientia custodit, conservavitque. Hæ sunt sex, quas narravimus nationes, quibus si Græcos alios notiores addamus, septem, sicut prædiximus, Orientalium, Meridionaliumque Christianorum nationes habebimus. Hi vero, qui Græci censentur, & qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ ritus servant, plusquam centum familiæ sunt apud Jerosolymam, Romanæque Ecclesiæ mores non suscipiunt. Sunt & alii hujus nationis pene innumerabiles, qui per totam Græciam, & in omni tam Turcarum, quam Maurorum regione degunt. Commune autem his omnibus nationibus est Romanæ Ecclesiæ minus adhærere; Romanum Pontificem aut non cognoscunt, aut omnium Ecclesiarum, quæ in universo sunt orbe, Caput nequaquam existimare; Petrum, non Principem Apostolorum, sed unum de numero aliorum credere; earum ecclesias, quas a Jacobo, a Bartholomæo a cæteris Apostolis constitutas autumant, Beati Petri Ecclesiæ, Romanæ scilicet Sedi, non inferiores, sed æquales esse: Sed & præter hæc, Christianæ Religionis Evangelicæ, Apostolicæque doctrinæ mores, ac ritus hæ singulæ perfectius puriusque, quam reliquæ omnes, observare credunt; cum tamen magnopere in suscipiendis Ecclesiæ Sacramentis, aliisque ritibus servandis inter se invicem, & a nobis quoque discrepent. Sunt enim, qui aquæ & ignis baptismum suscipiunt, quamquam aquæ necessarium ad salutem, ignis vero nequaquam necessarium, sed ad melius esse institutum ajunt. Altaris Sacramentum in fermentata bucella conficiunt, & infantibus quoque fere omnes ministrant. In Matrimonio alii repudium admittunt: alii secundas nuptias non suscipiunt. Quæ quidem omnia, dum ipsi consideramus, & præter hæc singulas has nationes, circa mores peculiares quosdam ritus habere, & in his quæ credimus, non eadem nobiscum, neque eadem omnes sentire, quamquam non satis aperte omnia eorum placita, ob linguarum diversitatem intelligere potuimus, neque etiam definire, si de his, in quibus a nobis dissentire videntur, necessarium sit pro eorum salute aliquid opinari; de omnium salute valde dubitamus, timemusque, ne membra hæc ab eorum Capite penitus divisa, sic a fide, & a vita sint aliena, ut nulla salutis spes sit reliqua, nisi Capiti suo conjungantur, Romanæque Ecclesiæ mores, ritus, cæremonias, fidem, placita, decretaque omnia, quantum ad salutem necessarium esse creditur, suscipiant. Quoniam vero hæc suscipere, nisi illis tradantur, nequaquam possunt; tradi autem, nisi a Te uno, aut per Temetipsum, aut per alios, qui a Te potestatem acceperint, omnino non valent: magna Tibi, Beatissime Pater, necessitas incumbit, postquam pastoralem hanc dignitatem suscipiens omnium quoque humanarum creaturarum, maxime vero Christianorum hominum regimen suscepisti. Si salutem itaque tuam penitus non vis negligere, harum nationum, quæ sub Christiano nomine vivunt, maximam curam, diligentissimamque sollicitudinem Te suscipere oportet, ne pereuntibus illis, secundum Propheticam sententiam, sanguis eorum de manibus tuis requiratur, qui tunc solum

lam requiri non poterit, cum Tu, quantum in Te erit, non laboribus parcens, non expensis, omni studio, ac diligentia curaveris, has nationes ad Ecclesiæ Romanæ gremium, obedientiam, unitatem, conformitatemque reducere; quod Domino Jesu Christo auxiliante facile fieri posse credimus, si modo sapientia illa, pietasque animi tui hoc in Domini Jesu Christi gratiam efficere proposuerit. Neque enim rei novitate, neque regionum longinquitate, neque nationum diversitate, neque alia ulla difficultate invincibilis illa virtus tua superari poterit; quæ si semel hoc tam sanctum, tam Deo placitum opus inceperit, nunquam desistet, nisi & ipsum perficiat. Perfici vero posse de Domini misericordia, deque tua Sapientia, ac Pietate confisi, facile existimamus. Multa enim in eis cognovimus, quæ nos facilem eorum conversionem sperare decent. Sunt enim fere omnes illarum nationum viri, quos cognovimus, tantum naturali quadam bonitate præditi, tanto Fidei, quam recte sentire arbitrantur, zelo succensi, tantum Christiani nominis, Christianæque religionis studiosi, ut erubescere nos omnes Europæ Christiani merito possimus, si intueri vel semel datum esset, quanta reverentia sancta illa loca venerentur; quanta veneratione Christianum nomen prosequantur; quam in omnibus vitæ officiis modesti, quam benigni. Quæ omnia sæpius considerans, memini me in hæc verba sæpius prorupisse: Hi Christiani vere sunt, nos Semipagani. Ne vero illos tantum, qui Jerosolymis degunt, hujusmodi esse, sed omnes illarum nationum populos existimemus, illud nobis argumento est, quod audivimus, quotannis instantibus Sacræ Passionis, Resurrectionisque Dominicæ diebus, quamplurimos ex singulis illis nationibus, longissimis, difficillimisque itineribus superatis, ad sancta ea loca visenda, venerandaque, Jerosolymam summa Fidei devotione venire. Sed & erga Apostolicam Beati Petri Sedem ita recte affectæ sunt singulæ nationes, ut interrogantibus ex tot Christianorum nationibus, quinam illi sint, qui rectius, puriusque Christianam custodiunt pietatem, primo quidem loco singuli seipsos ponant; secundo autem omnes communi responsione, Petri & Pauli Ecclesiam constituant. Quod magnam esse rectæ institutionis nostræ approbationem optime novit Beatitudo tua. Meminit enim non aliter potuisse olim peritissimorum illorum Statuariorum imagines, quænam perfectior esset, judicari, singulis suam ante alias laudantibus, nisi quam secundo loco laudandam esse, plures eorum dixissent, eam absolutiorem judicassent. Sed præter hæc illud multum prodesse ad has nationes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ copulandas poterit, quod certissime cognovimus; singulas scilicet earum nationum Novi Testamenti, neque plures, neque pauciores, quam nos Libros habere. Magno enim, memini, gaudio afficiebar, cum volumina eorum, quæ legere nesciebam, evolvens, quid quoque volumine contineretur, interrogans, apertissime cognoscebam, nihil a nostris eorum Scripturas discrepare. Quatuor habent Evangelia, eo, quo nos, ordine disposita, Matthæi, Marci, Lucæ, & Johannis. Et quod majus est, singula eorum in totidem Capitulis divisa, quot sunt apud nos. Epistolas Pauli tresdecim, quarum, quæ ad Romanos est, primo loco, & cæteræ deinceps non alia serie, quam apud nos ordinatæ. Post hæc Apostolorum actus, & totidem, quot habemus nos, Apostolorum Epistolas, quæ canonicæ appellantur; postremo vero loco Joannis Apocalypsim. Spem enim maximam concipiebam easdem, quas nos Scripturas habentes facillime posse ex eisdem scriptis veritatem Fidei edoceri. Quippe quoniam, quantum nos cognoscere potuimus, & prompti, paratique sunt ad audiendum, & faciles ad aliorum sententias suscipiendas; Græcos dumtaxat ex omnibus excipimus, qui pertinaci quadam superbia, crassiorique ignorantia, neque audire facile acquiescunt, neque audientes rationibus cedere consueverunt; qui etiam ab omnibus aliis nationibus communi consensu, postremo loco inter omnes Christianos statuuntur; difficiliorque certe unius istius nationis, quam cæterarum omnium simul cura a nobis existimatur. Cum tamen & Græcos ipsos, si Tu modo volueris, corrigibiles satis esse credamus, has septem nationes Domino lucrifacere, Ecclesiæque Romanæ conjungere, Te magis optare, quam septem qualescumque sint, Civitates, septemve terrena imperia Beatorum Apostolorum Patrimonio addere certissimi sumus. Quare majori cura sollicite perquirere cor tuum credimus, quos ad singulos harum nationum Oratores, quos Sacrarum Litterarum Doctores mittere possis, quam quos exercitus, quos Duces ad tuendas, aut expugnandas aliquas Civitates mittere debeas. Novit enim Beatitudo tua nulla alia ratione facilius has Christianorum nationes ad unitatem, veramque subjectionem Romanæ Ecclesiæ attrahere posse, quam si ad singulas earum

rum maximos Sapientia, & Dignitate, ac singulares Doctrina viros miseris, ut illi auctoritate, isti autem doctrina eos ad salutem animarum suarum hortari, atque persuadere valeant. Si autem ad eos hujuscemodi viros miseris, & aliquos ex illarum gentium numero Episcopos, ac Sacerdotes ad Te, ad Concilium Lateranense advocaveris, tuaque Sapientia eorum conversionem non neglexerit, futurum facile speramus, ut nobilissima hæc Christianæ Reipublicæ membra, quæ dissipata nunc, ac disjecta, veræque Fidei vita privata jacent, reviviscant, & Capiti suo uniantur. Quod sane magis futurum Ecclesiæ lucrum est, quam si mille insignes Civitates tuæ subjicerentur potestati. Tantum igitur Sanctæ Ecclesiæ lucrum posse Te minoribus curis impeditum negligere, nos certe existimare non possumus; sed jam videre nobis videtur, Te nobilissimos Oratores, dignissimosque Legatos ad harum nationum Reges, Principes, populosque mittere, & una cum illis Christianæ veritatis prædicatores, doctoresque dirigere. Episcopos præterea earum nationum (habent enim & suos illi populi Episcopos, Archiepiscopos, ac Patriarchas) ad Lateranense Concilium vocare, ad Ecclesiæ unitatem omnibus artibus revocare, in Ecclesia Romana aliquas illis dignitates concedere. Neque enim bene Tibi cum Patrefamilias futurum aperte intelligis, si hos populos, qui sane major pars commissarum Tibi ovium sunt, ad verum Ecclesiæ, unicumque Ovile reducere neglexeris. Prodesse vero, & multum quidem ad infidelium expugnationem Tibi poteris, si has populorum nationes Sanctæ Ecclesiæ conjunxeris; Si enim Te cum infidelibus pugnante, illi communes Fidei Christianæ hostes a tergo adorientur, quænam via salutis infidelibus relinquetur? Si vero hæc, quæ diximus, minus prodesse cognoveris, non deerunt Sapientiæ tuæ alia, atque alia opportuna remedia, quibus languescentibus istis Sanctæ Ecclesiæ membris, mederi possis. Nunc enim Te ad Ecclesiam suam vocavit Dominus, cum maxime medico egere visa est. Nos vero, quoniam illis paucis, quæ diximus, argumentis, Domino Jesu favente, omnes illas nationes, præter Græcos, ad Ecclesiæ unitatem, subjectionemque redituras certissime speramus, plura alia, quæ tentari in hujusmodi negotio possent, consulto scribere prætermittimus. Græcis vero, tanquam iis, qui gravius laborant, potentiora sunt medicamenta præparanda. Cum enim alii vel ignorantia, vel negligentia quadam a Romana sint Ecclesia divisi, Græci soli sunt, qui non ignorantia solum, sed pertinaci etiam impietate tantum a Romana dissentiunt Ecclesia, ut Romanum Pontificem, omnesque illi subjectos populos malos Christianos, Hæreticosque appellare non formident. In illis enim Græciæ civitatibus, in quibus permixti Græci, Latinique vivunt, Latinam uxorem vir si ducat Græcus, aut Latino viro Græca si nubat mulier, Græco instituto vivere, jurare, ac vovere Latinus cogitur. Filios cum suscipiunt, parens Græcus ad Presbyteros Græcos, Latina autem mater ad Latinos, unus clam alio ad baptizandum portat, ita ut multi sint, quibus bis baptizari contigit. Ad Altare, supra quod Latinus sacra ministeria Sacerdos celebraverit, Græcus non accedit, nisi prius multis vicibus illud ablui curaverit. Hæc, multaque alia his deteriora, quæ his oculis vidimus, his auribus audivimus, perversitatis eorum magna nobis sunt argumenta, non tamen eorum salus desperanda est, sed quantum gravius laborare creduntur, tantum diligentius pietatem tuam studio salutis eorum incumbere decet. Non enim sanarum tantum, sed infirmarum quoque ovium curam suscepisti. Quoniam autem nulla infirmitas tam gravis est, quæ facile sanari non possit, si ejus origo, causaque prius percipiatur, cogitare Sapientiam tuam credimus, quomodo factum sit, ut post Florentinum Concilium, in quo omnis, quæ inter Græcos, Latinosque esse videbatur discordia, sopita omnino, atque amputata est, iterum Græci a Romana tantum Ecclesia discesserint, ut legitimum ejus Pastorem hæreticum audeant appellare. Quis vero impius ille fuerit, qui a Concilio illo discedens iratus, quod Cardinalatus non fuerit dignitate decoratus, omnem Græciam falsis rumoribus conturbaverit, auctoritatemque Concilii illius fregerit, tuam latere Sapientiam non potest. Eo vero discordiarum sparso semine, quanta contra Latinos orta sit odiorum seges, vix existimare ullus posset, qui Græciæ loca non adjisset. Quantum vero in dies crescat, nullus omnino est, qui pro merito dicere valeat. Dum enim populorum ignorantia a Sacerdotum temeritate; impudentia vero, & audacia Sacerdotum a plebis inscitia continue fovetur, ad id ventum est, ut Græcus palam Latinum, tanquam Ethnicum & publicanum habere affirmet. Concepit enim semel plebs ignara a Romana dissentire Ecclesia, unde eos eleemosynis & beneficiis omnibus largius Sacerdotes prosequun-

quuntur, qui audacius, ac promptius contra loqui Ecclesiam non formidant. Ipsi vero Sacerdotes, qui non solum communi cum plebe ignorantia, sed inopia etiam maxima laborant, ut populorum subsidia aucupent, ea dicere de Latinis audent, quæ de Judæis, aut Mahumetanis vix nos dicere auderemus. Inopia vero Sacerdotibus omnibus illis tanta inest, ut aliter, quam ex populorum eleemosynis, vivere nequaquam valeant. Hanc, Beatissime Pater, cum Tu infirmitatis eorum caussam ignorare non possis, salutifera illis remedia adhibere facillime poteris. Si enim populorum ignorantiam, multis missis ad eos prædicatoribus imminuere, audaciam vero auctoritate, severitateque pastorali compescere curabis, Sacerdotumque inopiam ex eorum locorum Ecclesiis, quæ Latinis Prælatis subditæ sunt, illis portionem aliquam, qua vivere possint, concedendo, levare non pigebit, aliquosque eorum ad aliquam Ecclesiæ Romanæ dignitatem promovere statueris, facillime fiet, ut tanta erroris impietate dimissa ad cor redeant, & Romanam Ecclesiam, quam nunc, quantum possunt, infamare, deprimereque non cessant, venerari incipiant; illique, a qua maxime divisos esse nunc gaudent, conjungi cupient. Nihil enim est, quod magis animos ad concordiam, benevolentiamque alliciat, quam oblata non petentibus beneficia. Illi enim, qui a Romanis Pontificibus neglectos esse molestissime ferunt, si a Te foveri se senserint, facile ex odio ad amorem, ex discordia ad concordiam, unitatemque convertentur. Meminimus, olim de hoc Græcorum hominum schismate multos sermones cum Reverendissimo Episcopo Cremonensi habuisse, qui certe, Pater Beatissime, vir est Religionis Zelo, Doctrina, Moribusque, ac alia omni virtute nihilo sanctis illis antiquioribus Ecclesiæ luminibus inferior, qui multos annos apud Græcos commoratus, miseras horum populorum infirmitates optime novit, cui, si Tu negotium hoc tantum commiseris, pro sua erga Romanam Ecclesiam observantia atque pietate, pro magna animi ejus prudentia, atque doctrina, rem pro votis Beatitudinis tuæ conficiet: mores enim eorum non ignorat, Linguam optime callet, infirmitates, ac remedia, quæ illis prodesse valeant, cognoscit; labores, ac pericula pro Christiana pietate subire non formidat; & ut postremo hoc etiam adjiciamus, si auctoritatem a Te Pontifice Summo omnium haberet, Græcos omnes ad Ecclesiæ Romanæ concordiam, unitatem, veramque subiectionem, parvo temporis spatio se posse reducere non diffidit. Nec vir est, qui temere aliquid suscipere auderet, qui quorsum tendere posset, quemque finem habiturum esset, non prudentissime prævidisset. Utinam multos tales Romana haberet Ecclesia. Utinam iste, quem nos satis cognovimus, aliique huic persimiles, quos Sapientia tua Te cognovisse credimus, in his operibus exerceantur. Messis quidem multa multos operarios Te optare admonet. Cum vero messis multitudine omnino pauci ipsi sint operarii, illos quotquot sunt, mitti in messem Domini optamus. Cumque a nullo, nisi a Te, qui Patrisfamilias vices geris, mitti possint, Te per sacra Domini Nostri Jesu Christi vulnera rogamus, ut quoscumque habere potes operarios, illos ad messem Domini dirigere non negligas, ut undecumque ex Judæis, ex Idololatris, & Mahumetanis, ex aliis Christianorum diversis nationibus, ex Græcis, ex omnibus denique hominum conditionibus fruges quamplures in horreis Domini congregentur, ne forte super Te, qui messoribus omnibus præpositus es, illa in novissimo die cadat confusio, quæ per Joelem Prophetam pronuntiatur; *Confusi enim*, ait ille, *sunt Agricolæ, quia periit Messis agri*. Quoniam vero in Domo Domini magna, non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, quædam scilicet in honorem, ad utile, dignumque ministerium; quædam autem in contumeliam, ad viliora, abjectioraque opera subeunda; & in uno corpore multa sunt membra, neque omnia eumdem actum habent, sed alia quidem nobiliora, perfectioraque in nobile ministerium, alia autem ignobiliora, atque infirmiora, vilioribus utique officiis inservientia, non incongruum nos facturi arbitramur, si pro multitudine messis Te multis operariis egere existimantes, nos, qualescumque sumus, non tanquam aurea, aut argentea vasa, sed ut fictilia, confractaque, & pene omnino perdita, non tanquam oculi, aut manus, sed tanquam pedes, & si quod pedibus etiam ignobilius, infirmiusque membrum est, Tibi Beatissime Pater nosmetipsos offeramus. Et quamquam ad omne inutiles ministerium nosmet cognoscamus, pro Christi tamen nomine, pro Fidei nostræ zelo, pro nostra in Te observantia, atque veneratione, nullum tam vile, tam abjectum ministerium est, quod suscipere erubescamus; nullum periculorum. aut quorumcumque discriminum tam plenum, ut illud subire timeamus, nullum tam arduum, tam difficile,

ficile, quod Te jubente, & Domino Jesu auxiliante, perficere non confidamus. Parati enim sumus pro Christi nomine viliores omnibus hominibus fieri, nulla unquam difficultate terreri, nullisque laboribus frangi, manifestissima denique pericula omnia, & mortem etiam ipsam intrepide subire, ut Christo Domino nostro in Cœlis, & Tibi ejus vicem gerenti in Terris, quamquam ad omne opus inutiles, utcumque possumus, serviamus.

Hæc omnia, Pater Beatissime, quæ scripsimus, de tribus illis hominum conditionibus, qui intra Ecclesiæ gremium non plane continentur, minus fortasse prudenter, nimiumve prolixe dicta sunt. Nunc autem ultimo loco non multa de his, qui intra Matris Ecclesiæ sinum obsequentissimi filii continentur, dicere nos tuæ Sanctitatis indulgentissima benignitas tanto libentius permittet, quanto apertius intelligere potest, quod ea, quæ hucusque diximus, de his, qui Tibi, quasi Reipublicæ partibus optimo Reipublicæ Patri & Conservatori subjacent, dicta sunt. Quæ autem dicenda restant, ea de familia, cui Tu optimus Paterfamilias præpositus es, dicenda videntur. Meminitque Beatitudo Tua ab Apostolo pronunciatum, quod qui domui suæ præesse nescit, Ecclesiæ Dei diligentiam, atque sollicitudinem habere non novit. Et certe sicut quisque diligentior familiæ suæ, quam Reipublicæ Procurator esse solet, ita Te, Beatissime Pater, eorum, de quibus nunc dicere aggredimur, quasi propriorum filiorum, domusque tuæ familiarium, majorem quandam, ac diligentiorem curam habere oporret; idque Te minime latere credimus. Quemadmodum enim orbis terrarum, omnisque humani generis universitas, Respublica illa est, cui Tu Princeps designatus es, ita certe Christiani hi populi, qui fideliter Romanæ Ecclesiæ adhærent, subjectique sunt, domus illa est, cui Tu Paterfamilias es institutus, & eorum, qui in ea sunt, diligentissimam Te curam suscipere oportere, ille satis efficaciter admonere potuit, qui ait: *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. Cum enim omnibus, quemadmodum in principio diximus, debitor sis, dum tempus, facultasque suppetit, Te non deficiens bonum operari oportet, ad omnes quidem, maxime autem ad domesticos fidei; Fidei autem domestici illi certe credendi sunt, qui veræ Fidei vestigiis inhærentes, Ecclesiæ Romanæ humiliter, fideliterque adhærent. Magna domus Europa fere universa: multi familiares omnis vere Christianorum hominum multitudo; Tu vero Paterfamilias a Domino constitutus, & magna animi virtute, & Sapientiæ abundantia his omnibus multum profecto major es. Et ita ad hanc regendam familiam Christianam natus esse videris, ut nemini certe melius, quam Tibi, potuisset hæc cura demandari. Quis enim diligentius Christianæ hujus familiæ diversitates omnes comprehendere, quis singulorum membrorum infirmitates sapientius cognoscere, quis singulis infirmitatibus propria remedia diligentius inquirere, facilius invenire, aut majori pietate apponere potuisset? Existimamus enim nos, Beatissime Pater, Te, cum primum ad hanc sublimitatem Apostolicæ Sedis pervenisti, inde, tamquam ex eminentissima quadam specula, omnem Christianam familiam, uno quasi intuitu mentis tuæ acie comprehendisse. Si enim nihil aliud Episcopus est, quam speculator, Tu Episcoporum Episcopus effectus, super omnes speculatores diligentissimus speculator in eminentissima specula constitutus, perspicacissimo lumine intueri jam potuisti, familiam hanc tuam multas, magnasque continere hominum diversitates. Alii namque sunt in ea, qui, quoniam hoc sæculum, hanc vitam, quam in terris agimus, mente transcendere nequeunt, neque cœlestia, æternaque noverunt terrenis his, & caducis rebus præponere, sæculares appellantur. Alii vero, qui, propterea quod Deo, a quo fragilitate, imbecillitateque humanæ hujus naturæ sæpius discedunt, per Divini cultus frequentiam, per mandatorum observantiam, per terrenarum rerum despectum, per sui ipsius denique abnegationem, continue se conjungere, ac relegare contendunt, Religiosi appellari soliti sunt. In utroque vero genere magnæ diversitates. Sæcularium enim hominum, alii nobiles sunt, qui scilicet aliqua cæteris dignitate præcellunt; alii autem inferiores, ut vulgus Religiosorum consimili, eademque omnino ratione, alii sunt, qui superiorem locum, eminentiorem dignitatem, regendi potestatem tenent; alii vero inferiori sunt loco constituti, qui si recte conditionis suæ servant instituta, pro maxima dignitate ducunt, omni carere dignitate. Hæc majora quædam sunt totius Ecclesiæ membra, quæ tamen multas in se diversitates continent. Sicut enim totum corpus in multa majora membra dividimus, ipsaque deinceps singula membra, diversa alia minora membra obtinent; sic sane hæc ipsa, quæ numeravimus Ecclesiæ membra,

bra, singula multa, infinitaque minora ab invicem diversa membra continere, Tuam latere Sapientiam non potest; quæ per singula recensere laboriosum sane esset, & minus fortasse ad curationem necessarium. Si enim totius hujus infirmi corporis majora, potioraque hæc membra congruis, ac salutaribus appositis medicamentis convalescent, & minora etiam illa omnia, quæ illorum partes quasdam esse constat, sanitatem consequentur. Has, Beatissime Pater, familiæ tuæ diversitates, quasi magni cujusdam Corporis membra, Sapientiæ Tuæ oculis conspiciens, singulorumque varios languores considerans (in nullo enim plena sanitas est) magnæ illius pietatis Tuæ abundantia omnibus, Te jam præparare saluberrima medicamenta non dubitamus, singulisque pro singulorum necessitate, atque opportunitate, Te ministrare, atque inservire paratum credimus. Aliter enim neque illum imitari velle videberis, qui non ministrari, sed ministrare se advenisse ajebat, neque nobilissimum illud nomen, quo, qui Summi Sacerdotii dignitate decorantur, appellari solent, merito Tibi vindicare poteris. Omnibus enim Christi membris languescentibus, nisi singulis pro singulorum necessitate inservire studueris, Servus Servorum Dei dici quidem poteris, esse autem non poteris. Cum vero non omnes uno morbo teneantur, non uno omnes languoris genere laborent, sed multiplicibus, variisque infirmitatibus premantur, considerasse Beatitudinem Tuam diligentissime, omnibusque aliis perfectius persensisse credimus, alias graves esse totius Christiani populi infirmitates, quibus præsentis vitæ statum minus quiete, minusque placide agere permittitur; alias vero his multo graviores, quibus ad æternæ vitæ felicitatem via nobis præcluditur, aditusque denegatur; & sicut duo sunt hæc infirmitatum genera, ita duplici ex fonte hæc eadem in Christianos populos derivare Tibi incognitum esse non potest. Sentis enim, Beatissime Pater, illa omnia, quæ Christianum populum minus quiete, minusque tranquille, hanc peregrinationis humanæ vitam ducere permittunt, in omnibus Christianis hominibus ex paucorum Regum, Principum, Potentiorumque regnandi libidine, dominandi ambitione, avaritiaque, & aliis hujuscemodi vitiis derivantia reperiri; illa vero, quæ perveniendi ad Beatæ Patriæ veram tranquillitatem, viam, aditumquæ præcludunt, ex Religiosorum hominum ignorantia, superstitione, aliisque his non dissimilibus malis in omne Christianum vulgus, quasi ex fonte diffundi, aut ex radice ortum suum habere. Quare si Sapientia, Pietasque Tua paucorum Potentiorum regnandi, injusteque rapiendi libidinem coercere, & male Religiosorum hominum vitia emendare studuerit, facillime certe toti populo Christiano pacem, tranquillitatem, & unanimitatis Charitatem in hac vita reddes, & ad æternæ tranquillitatis, & pacis fruitionem in Beata illa Cœlorum Patria aditum reserabis, & totum hoc Christianæ Reipublicæ corpus, quod languidum, infirmumque, & morti vicinum, Tibi, tanquam peritissimo Medico, a Domino commissum est, sanitati, salutique restitues, & antiqui decoris, & pulchritudinis ejus stola ornatum ostendes; ut qualem fuisse in primordiis Fidei, Christianæ Religionis pietatem, puritatem, simplicitatemque in plerisque legimus, talem in hoc postremo sæculorum fine intueri, Te auctore, immo Te ministro, valeamus. Bonorum enim omnium unus auctor Deus ipse Optimus Maximus est; Creaturæ vero omnes non solum, quæ in terra, sed quæ in Cœlis etiam sunt, si boni aliquid operari videntur, ministri, & instrumenta summæ illius Bonitatis, & Potentiæ existimari debent. Tu vero, Beatissime Pater, secundum Apostolicam admonitionem ministerium tuum implebis, si ante omnia Christianorum Regum, Principum, & Potentiorum hominum miseram bellorum rabiem, qua sibi ipsis imprimis, & omni deinceps Christiano populo pacem, tranquillitatem adimunt, sedare, atque reprimere curabis, & arma ipsa, quæ contra semetipsos Christiani quasi in propriis visceribus sævientes, præteritis annis exercuerunt, & nunc ad eumdem usum parata habent, contra sævissimos Christiani nominis, Christianæ Fidei, Christianæque libertatis hostes moveri, exercerique pro Tua Sapientia, & auctoritate persuadere, atque imperare non dissimulabis; Et quod peritiores Medicorum facere consueverunt, si hos crudiores, iniquioresque odiorum humores, ampliandique Regni ambitiones, quæ non facile extrahi, consumi, evacuari, regularique possunt, ex nobilioribus membris ad aliam quamdam ignobiliorem partem, ubi aut minori, aut nullo penitus cum sanitatis discrimine, futuri sint, divertere tentabis. Pacem vero ante omnia Te Christianis populis dare velle ideo credimus, quoniam ejus Tu in Terris locum tenes, qui oriendo ex alto, pacem in Terris attulit, qui vivendo, pacem habendam docuit, qui ascendens ad Cœlos, pacem nobis quasi propriam hæreditatem reliquit, & Deus

& Deus Pacis ſæpius ab Apoſtolo ſuo appellari voluit . Sciſque præterea , quod ſi pacem familiæ tuæ, Chriſtiano ſcilicet populo dederis , cum pace bona omnia dabis. Sine pace autem, etiamſi multa alia dare coneris , nihil omnino dediſſe videberis , quoniam ſine pacis bono , nihil omnino eſt , quod bonum eſſe exiſtimari poſſit. Et vere, niſi ante omnia Chriſtianos Principes ad pacis jura conciliare Tibi a Domino permiſſum fuerit, nihil eſt, quod in hoc Tuo Pontificatus officio Deo gratum , aut hominibus utile Te facere poſſe ſperandum ſit . Pace autem confecta, nihil tam magnum, tamque arduum eſt, quod non facillime Te conſequi poſſe, ſit apertiſsimum. Pacem autem Chriſtianis omnibus reddere poteris, ſi propoſita contra Turcas expeditione , eos in omnes Fidei noſtræ hoſtes arma convertere perſuadebis , ſi ex Romanorum Cardinalium numero ad Hiſpanos , ad Gallos, ad Britannos, ad Helvetios, ad Pannones, ad Venetos, Tuæ, Apoſtolicæque Sedis auctoritate Legatos pro pace conficienda deſtinaveris ; ſi priuſquam ipſi ad proprias Legationes accedant , pluribus privatis internuntiis , nunc minis , nunc blandis pollicitationibus Chriſtianorum Principum animos ad eas ſuſcipiendas , quas pro Sapientia Tua pacis conditiones propoſueris , perſuadere curabis . Tanta enim apud omnes Chriſtianorum nationes Pontificis ſemper fuit auctoritas , quod Te (ſi hæc omnia feceris) aut ad pacem, aut ad inducias, propoſitis quibuſcumque conditionibus , conducere poſſe , nequaquam deſperamus . Et quamquam Chriſtiani Principes omnes univerſum Italiæ Imperium, aut ex animo optare , aut ſuaſionibus quibuſdam ſperare videantur, ſi tamen ditiora, & ampliora Europæ , Aſiæque Imperia ipſis propoſueris , ſi hujus ſanctæ expeditionis facilitatem declaraveris, nemini dubium eſſe poſſe credimus , hos omnes pacis , induciarumque conditiones ſuſcipere velle , & arma contra impios Fidei noſtræ inimicos convertere . Tu modo, quod Tuum eſt, Pater Beatiſſime, in expeditione proponenda, in Legatis deſtinandis, in Chriſtianorum Principum animis diſponendis , prius omnia conſulendo , & de Domini Jeſu Chriſti auxilio nequaquam diffidendo , nulla interpoſita mora adimpleas. Quoniam autem vera pax eſſe non poterit , ubi juſtitiæ æquitas defuerit, ideo juſtitiam paci conjungere Te curaturum ſperamus , ut in diebus tuis ortam eſſe juſtitiam, paciſque abundantiam dicere valeamus . Juſtitiæ autem munera cum multa ſint , ea Te potiſſimum ſervare velle exiſtimamus, quæ Eccleſiæ , Chriſtianorumque populorum omnium libertatem reſpiciunt . Si enim Chriſtianis Principibus , & aliis Civitatum Rectoribus prohibueris, Eccleſiaſticas Perſonas Decimis , aut exactionibus quibuſcumque onerare , ſi nullo modo permiſeris homines cujuſcumque Dignitatis fuerint , aut Virorum collegia , aut etiam Reſpublicas ad Eccleſiaſticarum dignitatum electionem procedere ; ſi perverſam conſuetudinem, quæ in pleriſque locis invaluit, ut ad poſſeſſionem Eccleſiarum capeſſendam armati homines accedant , tua fregeris auctoritate , & his ſimilia multa, quæ res Chriſtiana poſtulare videtur, & Tu melius omnibus cognoſcere poteris; ſi opportuna facere remedia non diſſimulabis , Eccleſiæ libertatem , quod juſtitiæ maximum munus eſt , conſervabis. Si vero Chriſtianos populos a Potentiorum oppreſſione liberare cupiens, violentas cujuſcumque generis exactiones, iniqua, & multum ab æquitate aliena pedagia ex omnibus Chriſtianorum civitatibus , aut auferre, aut moderari pro Tua auctoritate curabis ; ſi uſurarum peſſimum crimen , quo Potentiores ſanguinem pauperum exſorbent, delere volens, Judæis fœnerari nullo modo permittes ; Chriſtianos vero a fœneratione , ſub quocumque velamine fieri ſoleat, mortis pœna propoſita , deterrebis ; ſi litium , cauſſarumque longa diſpendia abſtuleris , omnemque controverſiam, non ad libelli examinationem, ſed ad ſummariam æquitatis definitionem deduxeris ; ſi Judicum quoque , & eorum , qui Judiciis inſerviunt , avaritiam tuo moderamine temperabis; ſi appellationes , quæ nimium certe ab ea , propter quam inſtitutæ ſunt, ſemita aberrarunt, ad legitimum uſum revocabis; ſi Hoſpitalium bona uſurpari , quemadmodum nunc fit a Potentioribus , non permittes , ſed Apoſtolica auctoritate ad eos uſus, in quos relicta ſunt , converti curabis ; ſi tertiam partem bonorum ſingularum Eccleſiarum, ſecundum ſacras Canonum definitiones , in pauperes erogari imperabis ; ſi piratis, ac prædonibus neque portum concedi, neque ea , quæ victui, aut navigationi neceſſaria ſunt, miniſtrari , anathematis pœna propoſita , mandare volueris ; ſi alia hujuſcemodi plurima , quæ quantum ſint Chriſtiano populo neceſſaria , optime noſti , facere Beatitudinem tuam non pigebit, Chriſtianorum populorum commodis optime conſuluiſſe videberis . Quæ ideo ſunt a Te , Beatiſſime Pater, amplius appetenda, ardentiuſque aggredienda , quoniam , dum his

his artibus pacis tranquillitatem, justitiæque æquitatem & hujus vitæ commoda pauperibus, & populis Christianis dare conaris, Potentioribus non minus, ac divitibus viam æternæ felicitatis Te aperire cognoscis. Dum enim Potentiores quosque ab injustitiis, & rapinis compescere studes, una & subditorum tranquillitati, & commodo consulis, & æternæ Potentiorum saluti Te consulere certum est; qui dum tranquillitatem, & vitæ commodum populis auferunt, ipsi sibi ante omnes æternæ salutis felicitatem adimunt; Cum vero pacis tranquillitatem, justitiæque æquitatem Christiano populo reddideris, omnia hujus terrenæ vitæ incommoda, perturbationesque omnes certissime abstuleris. Hæc enim potissima, solaque illa sunt, quæ si desint, humanum genus non secus ac navis sine gubernatoribus in sævissimo pelago variis ventis commota, omnibus perturbationibus, incommodis, miseriisque in hoc mare magnum, & spatiosum hujus vitæ agitatur; si vero adsint, omnem humanæ vitæ cursum, tranquillitatis, jucunditatisque plenissimum reddunt, & ad instar cœlestis illius felicissimæ vitæ hanc terreni incolatus nostri vitam effingunt, ita ut, si hæc duo, pacem scilicet, & justitiam Christianis hominibus reddideris, in his, quæ ad hanc vitam pertinent, omnia certe reddidisse videberis, nihilque Tibi reliquum futurum est, nisi ut perfectam Religionis Christianæ observantiam, per quam futuram vitam acquirere possumus, instituere, immo reparare, atque instaurare satagas, ut scilicet Religiosorum hominum ignorantia, superstitione, avaritia, aliisque hujuscemodi Religioni contrariis vitiis depulsis, quæ & illis ipsis Religiosis hominibus, & prorsus omni populo Christiano viam aditumque æternæ Beatitudinis præcludunt; Tu Religionis perfecta observantia instaurata, erroribusque omnibus expulsis, viam ad æternæ Beatitudinis felicitatem ostendas, & aditum beatæ, cælestisque vitæ omnibus pariter Christianis aperias. Et vero vitia, quæ puram Religionis Christianæ observantiam perturbant, Christianæque simplicitatis, & perfectionis mores corrumpunt, & proinde viam, aditumque æternæ Beatitudinis præcludunt, sicut omnia a Religiosis hominibus oriri certissimum est, ita notum est, quædam ex illis esse, quæ a Religiosis in populorum vulgus derivant, quæ scilicet non secus, quam sævissimæ viperæ illos ipsos, a quibus oriuntur, Religiosos viros ante alios miserrime perimunt, totumque deinceps Christianum populum venenis omnibus inficiunt, & quasi communis pestis nemini omnino parcunt; quædam autem, quæ ab ipsis Religiosis orientia, & in illis ipsis quotidie crescentia, quasi infestissimi vermiculi, & mordacissimæ tineæ totum Religionis corpus consumunt, & Christianæ Fidei puritatem, decorem, pulcritudinemque corrumpunt. Hæc autem mala omnia, quæ in Christiana Republica pestes quasdam, seu Christianæ Religionis hostes appellare possumus, multa varia, ac innumerabilia pene sunt. Eorum autem maxima, ac sæviora hæc nos esse existimamus, ignorantia, superstitio, dissensio, ambitio, avaritia, divitiarum abundantia, & propriarum regularum, professionumque minor, quam deceat, observantia, quorum superiora duo a religiosis hominibus initium sumentia illis, populisque omnibus communia sunt; reliqua vero illis ipsis, a quibus oriuntur, si ad æternæ vitæ acquisitionem spectes, peculiaria mala existimantur, quoniam Christiano populo æternæ vitæ aditum non præcludunt, præsentis tamen vitæ tranquillitatem sæpissime, & gravissime perturbant. Tu vero, Beatissime Pater, solus es, qui quasi peritissimus medicus a Domino ad familiam suam curandam vocatus, has a Christiana Tibi commissa Republica pestes amovere potes; & qui solus hos Christianæ fidei hostes, quasi sævissimos intra Dominicum Tibi commissum ovile ab adversario immissos lupos, non sicut mercenarium fugere, sed debellare, & ad nihilum reducere debes, si veri, legitimique Pastoris, non nomen tantum, sed munus in hac peregrinatione implere, & præmium in æterna patria possidere desideras. Horum autem, quæ numeravimus, maximum & malorum omnium caput, causamque ignorantiam esse, nemo est, qui possit ambigere; quæ quidem tanto gravior, periculosiorque infirmitas est, quanto magis in illis vigere comprehenditur, qui non solum scire ipsi debuerant, sed ad alios docendos, & instituendos ordinati esse videntur. Nulla enim pene salutis spes reliqua existimatur, ubi medici, qui languentes alios curare habebant, eadem ipsi infirmitate gravissime laborent. Quanta autem, qualisve nunc in Ecclesia Dei in religiosis hominibus omnibus ignorantia sit, sicut neminem prorsus latere poterit, ita nullus omnino est, qui pro merito valeat explicare. Millia multa religiosorum hominum invenies, qui neque legere quidem, neque scribere mediocriter sciunt. In omni autem tam numerosa Religiosorum multitudine vix duo ex centum, aut decem

e misse reperies, qui tantum Latinæ linguæ addiscerint, ut quæ Latino sermone conscripta quotidie in Ecclesiis legunt, plane valeant intelligere; Ex his vero, qui intelligunt, paucos admodum invenies, qui ulterius ad aliquam disciplinarum, atque scientiarum cognitionem progressi sint; Ex paucissimis vero illis, qui litterarum studiis incumbere quoquo modo videntur (rarus quippe est, qui non Poetarum potius mendacia, aut Philosophorum impietatem, quam Christianam pietatem amplexus sit) Ex rarissimis vero illis, qui veram, solamque Philosophiam, Christianam Disciplinam sequuntur, vix unum, aut alterum invenies, qui non inanissima recentiorum Scriptorum argumenta, simultatum sane, odiorumque irritamenta, potiusquam Sacrarum Sripturarum, antiquaque Patrum documenta sectetur; qui non inanibus quæstionibus, quæ ad nihilum quidem utiles sunt, potius quam Sanctorum Evangeliorum lectionibus occupetur; qui denique non illam potius vanam, quæ inflat, quæ extollit, disputativam disciplinam, quam illam sanctam, puram, castamque Sacrarum Scripturarum, quæ inflammat, & humiliat, doctrinam sequatur. Et si unum, aut alterum hujuscemodi reperire fortasse poteris, nunquid tantum profecisse ullum omnino invenies, ut in tota Ecclesia Dei hoc sæculo aliquem unum habeas, quem possis cum antiquioribus illis Patribus, quibus Græca, & Latina Ecclesia præteritis sæculis abundavit, comparare. Tanta vero cum sit religiosorum ignorantia, quanta cæterorum hominum inscitia existimanda sit, quilibet facile elicere potest. Unde certe dolere magis, admirari vero minus decet, si multi errores, ac falsæ plurimæ opiniones a fidei veritate alienæ, & multa Religionis, Christianæque pietati adversa religiosos istos homines, & Christianam plebem occupent, opprimantque, & miserabiliter per ignorantiæ cæcitatem, ad æternarum tenebrarum miseriam ducant. Dum enim cæcum vulgus cæcum religiosorum ordinem sequitur, illud evenit, quod a Domino in Evangelio dictum est, ut ambo in æternæ perditionis, & miseriæ foveam simul dilabantur, & cadant. Huic tamen magno malo, malorum, aut omnium, aut certe plurimorum origini sapientiam Tuam multa jam, efficacissimaque remedia excogitasse credimus, ut depravata nunc omnium litterarum studia rectius instituantur, negligentiores quique ad studia provocentur, studere volentibus commoda, in studiis vero proficientibus præmia proponantur; Nemo enim est, qui depravavata, contaminataque, & corrupta penitus studia emendare, recte instituere possit, nisi Tu unus, Beatissime Pater. Quæ quidem reparari, & meliorem familiam instruere poterunt, si præter eos, qui Gentilium litteris incumbunt, Dialecticorum cavillationes, ingeniorum certe depravationes, quæ sophistica ars appellari solet, in qua sine aliqua utilitate juniores & tempus, & ingenium conterunt, Te jubente, ita prohibeantur, ut nullus sit, qui deinceps eam valeat publice profiteri; si tot modernorum hominum commentaria, quæ nihil aliud sunt, quam illa, quæ a veteribus auctoribus diligentissime conscripta, sunt novis voluminibus deterius explicata, in ea potissimum disciplina, quæ per quæstiones traditur, locum omnino habere non permittantur; sed & veteribus auctoribus, his scilicet, qui legitime res ipsas pertractant, aliquis locus, honorque concedatur, si nemini, non dicam scribere, sed edere scripta liceat, nisi ea fuerint ab aliquibus doctioribus, qui a Te instituti sint, approbata, atque digna, ut edantur judicata; si in omnibus studiis non expositores auctorum, sed ipsi auctores potius legantur. Mirum enim est, & miserabile, quantum temporis consumimus, dum expositores omnes perquirimus, & nihil addiscimus de his, quæ facilius addiscere poteramus, si in auctorum potius, quam in expositorum lectione insudare voluissemus. Hæc, Sanctissime Pater, aliaque hujuscemodi plurima, quæ Tua, omnibus prudentius, excogitare sapientia potest, si institueris, Gentilia etiam ipsa studia multum juvare poteris, quamquam nisi ad divina studia, & ad sacras litteras hæc Gentilia studia dirigantur, nihil omnino curiosius, nihil vanius, nihil sine fructu laboriosius, nihil denique a Christianis hominibus magis alienum existimari debet, quam hæc ipsa Poetarum, Oratorum Gentiliumque auctorum studia; unde tunc maxime recte studia instituere Te judicabimus, cum pueris & ipsis, pro Gentilibus Oratoribus, pro Gentilibus fabulis, Christianam veritatem, Christianosque Scriptores proponi jusseris. Habent enim & suos Christiani historiographos, habent & suos Oratores, quos in utraque pariter lingua, Græca scilicet, & Latina cum Gentilibus conferre non erubescimus. Si enim hoc a Te jussum fuerit, incipient Christiani homines, non linguis addiscendis sine aliquo alio fructu ætatem omnem conterere, sed & linguam Græcam, & Latinam, ac Christianam simul disciplinam addiscere,

re. Proderit ad hoc, si antiqua illa Sanctorum Patrum, Sacrorumque Canonum Decreta instaurari curabis, quibus cautum est, ut in locis, ubi studia litterarum vigent, sint semper, qui Christianam Theologiam, non hanc Parisiensium cavillosiorem disciplinam, sed puram illam Sanctarum, Canonicarumque Scripturarum Doctrinam doceant; qui scilicet antiquæ legis, & Prophetarum obscura dilucident; qui Sacrum Evangelium, Apostolicasque Scripturas declarare non erubescant. Cum vero omnis Christiana Disciplina duplex sit; alia; in qua ea, quæ nos credere, quæ sperare, quæ amare debeamus, doceri possumus; alia vero, in qua quid agere, quid evitare conveniat, unusquisque instituitur; & illa quidem Theologia usitato vocabulo, hæc vero Canonici Juris Doctrina appellari consuevit; non satis Beatitudini Tuæ videri posse existimamus, nisi utraque earum rectius a Te fuerit instituta. Decet enim Summum Pontificem & veram illam jamdiu neglectam Christianam Theologiam, cavillsationibus, inutilibusque modernorum Scriptorum quæstionibus expulsis, & antiquioribus tam Græcis, quam Latinis Christianis auctoribus introductis, ornare atque illustrare, & aliam Christianæ Disciplinæ partem, eam scilicet, quæ ad Ecclesiasticum jus pertinet, emendare, atque in melius reformare. Satis vero partem hanc in melius reformatam fore aliqui existimant, si, Te jubente, jura ac leges non canonicæ modo, sed civiles etiam sine ullo commento, absque omni interprete, in publicis Scholis a Doctoribus legantur, & pure sincereque, ut sonant, intelligantur, interpretenturque. Obscura vero, & dubia si qua in eis inveniantur, ad Pontificis sententiam sine ulla prorsus disputatione deducantur. Tibi vero, Beatissime Pater, qui perfectam in omnibus plebis tuæ reformationem desideras, hoc fortasse satis futurum non est, sed ipsa Decretorum, Decretalium, Sexti, & Clementinarum volumina (quoniam quædam in se aut contraria, aut diversa, quædam sæpius repetita, & superflua omnino, quædam pro temporum conditione sæpius immutata habere videntur) reformari, instaurarique curabis; & non necessariis titulis amotis, eadem, quantum brevius, lucidiusque fieri potest, unico volumine redigenda sapientioribus, doctioribusque mandabis, ut his omnibus tam multis, tamque perplexis, quæ nunc habemus, cum omnibus expositoribus suis amotis, Christianus populus quid agere, quid evitare debeat, unico volumine instruatur. Super quod nemini liceat expositiones, interpretationes, aut alias quasvis glossulas, nisi de permissione tua, aut scribere, aut scripta habere, aut ullo pacto edere. Proderit etiam ad hoc tam magnum, lateque diffusum ignorantiæ morbum aut curandum, aut mitigandum, si, Te ita instituente, nemo Monachi habitum, nemo sacros aliquos ordines suscipiat, nisi Latinæ linguæ ita sit eruditus, ut quæ in Ecclesiis leguntur, aperte intelligat, nisi sacras paginas, vetus scilicet, novumque Testamentum semel ad minus legerit. Nam indecens, indecorumque est, multos esse in Ecclesia Dei religiosos, multos presbyteros, qui nunquam sacram Evangelii Historiam, quæ admodum brevis est, legerint; cum tamen fabulas multas, inanesque plurimas perlegerint quæstiones; si nemo, neque in sæculari, neque in Monachi habitum sacrum Sacerdotis characterem accipiat, nisi sit in Sacrarum Scripturarum Doctrina, in Sanctorum Doctorum, Gregorii scilicet, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, & aliorum scriptis vel mediocriter eruditus; si nullus ad curam aliquam animarum, nullus ad episcopalem dignitatem promoveatur, nisi & Sacræ Scripturæ, & Sacrorum Ecclesiasticorum Canonum, non tam doctoratus, quam recte doctus esse inveniatur. Turpe enim, & indecens est aliquem ad animarum languentium curam advocare, qui artem illam, qua possint animæ curari, non noverit. Hæc autem facilius fient, si nemini, qui religionis habitum, aut sacri alicujus Ordinis formam susceperit, ulterius liceat Gentilibus disciplinis, nisi pro linguarum erudimentis addiscendis, ullo modo vacare; si Sacerdotes curam animarum habentes singulis Dominicis diebus præcepta Decalogi, articulos Fidei, Symbolum, Dominicam Orationem, & alia de Evangelio, & Apostolorum Epistolis pertinentia ad salutem, aut prædicando, aut docendo, populis, commissæque sibi plebi proponere cogantur; si nemo ad audiendas peccatorum confessiones, nemo ad verbum Dei prædicandum accedere audeat, nisi Sacrorum Canonum & Sacrosanctæ Theologiæ studiis operam dederit, atque in illis fuerit approbatus; aut si nemo sine Tua, Beatissime Pontifex, concessione, quam diligens inquisitio de viri sufficientia præcedat, aut peccatorum confessiones audire, aut publice prædicare præsumat; si prædicatoribus omnibus præcipiatur, ut non quæstiones, non proprias opiniones, non diversas Doctorum sententias, quas non veritatis amore, sed vincendi libidine obstinatius, quam

deceat,

deceat, aliquando defendunt, sed sacram veteris, novique Testamenti Scripturam, Sanctos Ecclesiæ Doctores, illa scilicet, quæ ad salutem animarum apertissime pertinent, prædicent, atque declarent, Gentilium Philosophorum rationibus, modernorumque Scriptorum cavillationibus penitus dimissis. Hæc si a Te, Beatissime Pater, & alia hujuscemodi contra ignorantiæ malum instituantur, facilius, quam cogitari possit, eveniet, ut religiosi homines ea, quæ ad Christianam pietatem pertinent, cognoscere, & alios docere valeant.

Proderit etiam non minus ad Christianorum hominum miseram inscitiam delendam, si Tu vanas, impiasque divinandi artes, per astra scilicet, aut per quævis somnia, aut signa, & hujusmodi plurima, in quibus multi hominum, & tempus amittunt, & ingenium corrumpunt, & sibi ipsis, aliisque multis salutis aditum præcludunt, ita penitus damnabis, ut omnes harum impiarum, & vanarum artium libri, quorum magna nunc ubique copia est, comburantur; si ex numerosa Ecclesiasticorum librorum copia, qui sine ullo discrimine boni, malique promiscue leguntur, qui digni sunt, in Ecclesia legantur, & a Te approbentur; qui autem minus digni sunt, improbentur; illi maxime, in quibus Sanctorum historiæ, antiquorum Patrum vitæ a veritate alienæ describuntur. Dum enim nunc falsa multa pro veris, perversa pro rectis, a Fide etiam quædam dissentientia pro rectæ fidei institutis in ipsis Christianorum Ecclesiis, in religiosorum hominum conventibus sæpius leguntur, fit, ut non ignorantia solum, sed perversa quadam contra veritatem Christianam obstinatione multi laborent; si quatuor universalium Conciliorum, Nicæni scilicet, Constantinopolitani, Ephesini, & Chalcedonensis volumina, in quibus nostræ Fidei exordia, & fundamenta continentur, quæ Beatus Gregorius non semel, tanquam quatuor Evangelia suscipere, & venerari profitetur; quippe quod supra illa, quasi supra quatuor firmissimas columnas omnis Christiana institutio in ædificium consurgat; si hæc, inquam, aliaque Concilia, Te jubente, ex Bibliothecis Tuis, in quibus ea contineri existimamus, in manus Christianorum hominum impressa exeant. Si enim quasi quatuor Evangelia a tantæ auctoritatis viro existimantur, quantum Christianus populus detrimenti de eorum Conciliorum privatione patiatur, facile considerare Beatitudinem Tuam posse credimus. Multa pene, ac innumerabilia sunt, quæ contra hujusmodi ignorantiæ potestatem excogitari remedia possunt; unum tamen est, quod etsi superioribus contrarium esse videatur, patienter tamen Te audire, Beatissime Pater, optamus, quod (quoniam omnium efficacissimum, communeque omnibus tam religiosis, quam cæteris omnibus hominibus censemus) ultimo loco dicere voluimus. Cogitavimus enim sæpius, nihil magis omnes homines de Divinis, humanisque rebus instruere posse, quam Sacrosanctam veteris, novique Testamenti Scripturam, quæ ideo in Ecclesiis quotidie legi ab antiquioribus Patribus instituta est, ut maxima Christianorum pars, qui propter alias vitæ occupationes, aut propter legendi imperitiam, seu etiam propter librorum penuriam (non enim tunc abundabant, sicut nunc, Christiani voluminibus) minus hæc domi legere poterant, ad Ecclesiam convenientes, ibi verbum Domini audirent, quo multum proficere in rerum cognitione, & morum emendatione possent. Legebanturque, quemadmodum credimus, primis illis Fidei temporibus in Ecclesiis Hebraica, seu Græca lingua Divinæ Scripturæ. Inter Hebræos enim Hebraice, inter Græcos Græce legi congruum erat. Immo neque aliter legi poterant, cum totum vetus Testamentum Hebræo, novum vero, præter Matthæum, & unam Pauli Epistolam, Græco sit sermone conscriptum. At postquam multiplicari ex Romanis, Latinisque hominibus credentium numerus cepit, & major jam fidelium pars Hebræum, Græcumque sermonem nesciret, nihilque prodesse Sancti Patres intellexerunt, si Scripturæ in Ecclesiis legerentur, a populo autem minime intelligerentur; temporum ratione hoc postulante, Scripturæ in Latinum sermonem versæ sunt, & Latine in Ecclesiis legi ceperunt. Cum autem nunc ex multis millibus populorum, & magna Sacerdotum, religiosorumque hominum multitudine pauci admodum, rarique sint, qui Latinam linguam intelligant, quid, quæso, prohibet, antiquiorum Patrum mores imitari, & ex minus noto ad notiorem sermonem sanctam ipsam Scripturam convertere? Et sicut illi jam ex Hebræo & Græco sermone, in quo conscripta fuerat, in Latinum verterunt, ut Christianus populus, qui Latina utebatur lingua, divina posset præcepta, dum legerentur in Ecclesiis, intelligere; ita nunc ex Latino in vulgarem sermonem conversas Scripturas ad populorum ædificationem legere. Aliter enim quid prodest quotidie Sanctorum Evangeliorum, Apostolicarumque Epistolarum portiunculas in Eccle-

siis,

fiis, psalmosque decantare, si neque, qui legunt, neque qui audiunt, quæ dicant, intelligunt? Abhorrere vero, ut quidam, qui se peritissimos solos credunt, ab hac conversione sanæ mentis neminem decet; quoniam si rem ipsam, vimque rationis, potius quam vanam quamdam opinionem inspicimus, eadem omnino est sapientia, eademque doctrina, quæ in Evangelio, & cæteris Scripturis continetur, sive Hebræo, sive Latino, sive Græco, sive vulgari sermone scripta sint. Ad linguarum vero diversitatem si quis inspicere velit, unamque alia digniorem linguam existimare, apertissime videri potest, quod multo magis abhorrere ab ea translatione debuissent Christiani, quam ex Hebræo, & Græco fonte, ubi primum omnia scripta sunt, ad Latinum sermonem, in quo nihil penitus ex Canonicis Scripturis traditum est, conversa sunt omnia. Quod si illi Sanctissimi Patres, qui ante nos fuere, populorum utilitatem, non inanitatem opinionis respicientes, non abhorruerunt, ex propriis linguis sacras paginas ad peregrinum sermonem convertere, minus certe nos abhorrere debemus, ex una peregrina lingua ad peregrinam aliam transferre. Sicut enim divinis eloquiis peregrinum vulgarem sermonem non dubitamus, ita Latinum peregrinum eloquiis illis penitus esse certissime intelligimus. Si igitur, Te auctore, quæ in Ecclesiis leguntur, quæ psalluntur, aut ubique, aut in aliqua saltem regione, vulgari sermone legantur, atque psallantur jubeatur, mirum in modum prodesse ad cognitionem divinorum præceptorum, morumque emendationem posse existimamus. Cogitet Sanctitatis Tuæ Sapientia, quam multa millia sanctarum Monialium sint, ut religiosorum virorum transeamus innumerabilem multitudinem, quæ quotidie ex Scriptura psalmos, lectionesque legunt, & nihil omnino intelligunt; quantum proficerent, si quæ legunt, intelligerent! Omnis enim Scriptura, Apostoli testimonio, utilis est ad docendum, ad instruendum, intelligentes quidem, non autem eos, qui non intelligunt. Cogitet pietas Tua, quanto magis, quam nunc, sancta a populis frequentaretur Ecclesia, quantum fructum divina frequentantes officia ex Ecclesia Domini reportarent, si divina, quæ ibi leguntur, verba intelligerent. Utinam de hac tantum re nobis apud majestatis Tuæ sublimitatem sermo habendus esset. Nunc autem quoniam rudis sermonis prolixitate offendere amplitudinem Tuam timemus, multa prætermittimus, quæ ostendere manifestissime possent, nihil in tota Ecclesia magis necessarium esse, nihil utilius omnino futurum, nihil magis decorum, atque secundum Sanctorum Patrum disciplinam institui posse, quam hæc Sanctarum Scripturarum, quæ in Ecclesia leguntur, ex Latino in vulgarem sermonem permutatio, de qua nunc hæc dixisse sufficiat. Alias vero, si benignitatis Tuæ magnitudo permiserit, plura fortasse dicturi sumus. Quod autem de divinis Scripturis diximus, idem de omnibus aliis conventionibus, venditionibus, emptionibus quæ inter Christianos homines fiunt, intelligi cupimus. Prodesse enim multum ad instruendos de rebus suis homines, ad Latinam miseriam tollendam posse existimamus, si Notarii & Tabelliones ea, quæ rogant, & quæ stipulari consueverunt, materna lingua scribere aperte & clare jubeantur; ut qui contrahunt, & qui testes adhibentur, plene omnia intelligant. Hæc; quæ multi, qui latinæ linguæ peritia gloriantur, graviter audiunt, clementiam, sapientiamque Tuam benigne suscepturam non dubitamus. Intelligit namque Beatitudo tua, ex iis, quæ diximus, quam pium sit, ut Deus, qui tot linguarum diversitate in universo orbe laudatur, hac etiam nostra lingua incipiat laudari. Sciat præterea Sapientia Tua, quod omnes illi, quos superius nominavimus, Christiani populi, qui Asiam, Africamque incolunt, & aliqui etiam, qui in Europæ ambitu continentur, materna propria lingua in Sacris Missis, & divinis Officiis utuntur. Neque frustra institutum id esse credimus a Sanctis Patribus, qui ante Te Petri Sedem tenuerunt, ut Bulla, quæ in Cœna Domini legitur, non Latino tantum, sed vulgari etiam sermone ad populi eruditionem quotannis legatur. Si enim ex parvo non exigui instructionis fructus colliguntur, ex maximo quanta colligi messis possit apertissime quisque intuetur. Ex hac ignorantia malorum omnium matre superstitio exoritur, ex iniqua Matre nequior filia. Sicut enim nihil in humana vita recta religione sanctius, nihil omnino melius, ita certe superstitione, quæ vitium contra religionem esse a peritioribus definitur, nihil deterius, nihil penitus magis impium, atque nefarium est. Tot autem, tantæ, ac tam perversæ hac tempestate vigent inter Christianos populos superstitiones, ut nemo sane aut sermone comprehendere, aut pro merito deplorare valeat. Quidquid enim vanarum superstitionum orbis olim universus habuit, nunc ad Christianos populos fluxisse videtur. Divinationes per astrorum motus, dierum obser-

observationes, somniorum interpretationes, omnium generum vanissimas prædictiones, Chiromantias, Hydromantias, Pyromantias, Geomantias, aliaque hujuscemodi tam multa, tam vana, ut neque genera singula facile sit numerare. Quis enim numero aliquo comprehendere poterit innumerabiles pene execrabiles superstitiones, quæ contra religionis Christianæ puritatem pro futuris cognoscendis, pro amovendis, aut auferendis infirmitatibus fiunt? aut quæ sub devotionis, ac religionis umbra impia, sæva, ac nefanda perpetrantur? Nam, ut singula quæque perstringamus, omnis potissimum ad harum trium artium imitationem refertur superstitio; ad Divinationem, ad Medicinam, & & ad affectatam Cæremoniarum Religionis nostræ observantiam. Nulla enim est civitas, si Christianos nunc populos respicimus, nulla domus, nulla pene hominis mens est, quæ aliqua ex his tribus generibus superstitione non laboret; & quod dolendum magis est, palam nefandissima multa fiunt, eaque a Christiana veritate ita diversa, ut adversa penitus sint. Et nemo ex tanto Episcoporum numero obstat, ita ut, quod sine lacrymis scribere non possumus, vix aliqua religionis, Christianæ veritatis, ac puritatis apud Christianos populos forma reliqua sit, dum nulla publica, nulla privata, nulla profana, nulla sacra actio sit, quæ superstitione fædata non appareat. Sed hæc ipsa longiori volumine & deplorare, & impugnare instituimus. Nunc vero per Christi Jesu charitatem Te orare volumus, ut quemadmodum perversa hæc emendare solus potes, & ex officii tui munere debes (si Christianæ Fidei, Christianæ puritatis, ut Christi Vicarium decet, zelum habes, ut Te habere non ambigimus) sic velis, & studeas hæc ipsa emendare atque corrigere. Excita, pientissime Pater, contra has impias superstitionum fæditates, quæ Christianum Tibi commissum populum jam pene ad apertam Gentilitatem, & Idolorum servitutem deduxerunt, quasi Phinees alter, zelum justæ indignationis Tuæ, & Astrologorum libros, qui ad divinationem pertinent, ab Ecclesia, a Sanctis Conciliis, Sanctisque Patribus damnatos omnes comburе; Astrologosque ipsos, & omnes, qui per astrorum inspectionem, aut per quascumque alias observationes, futura prædicere audent, qui ab aliis Principibus foveri solent, Tu Dei zelo, & magna in populum Tuum pietatis forma, non spirituali modo, sed temporali etiam gladio, nisi ab impietate sua resipiscant, ad mortem usque percute. Tot somniorum interpretationes, quæ ut facilius incautam plebem decipiant, sub Danielis, sub Salomonis nomine, magnis impressas voluminibus habent; tot vanarum, atque impiarum artium publice venales libros, si pietas, sapientiaque Tua inter Christianorum manus ulterius versari sustinebit, quo confugere valeat, a quo auxilium petere Christiana pietas possit, non videmus. Perquirat Sanctitas Tua illicitarum artium impressa volumina, & inveniet sane tam multa, tam varia, quam vana & impia sint, ut neque credere facile, neque cogitare antea potuisset. Quæ nihil aliud sunt, quam multarum animarum venena, ac laquei inextricabiles, quibus tanto facilius, liberiusque Christianos populos in miseram captivitatem retinere Diabolus solet, quanto hæc a Christianis Pontificibus admitti, & aliquando etiam suscipi videntes, ac si mala non essent, Christiani populi talia non evitare, sed prosequi potius assueverunt. Perquirat pietatis Tuæ zelus alterius generis, earum scilicet, quæ ad medicinam referri videntur, vanissimas, scelestissimasque superstitiones, attendatque, quot ab omnibus Christianis hominibus hujusmodi fiant; & inveniet sane, nullam infirmitatem esse, nullum infortunium, quod non propriis execrabilibus superstitionibus mederi atque vitari posse credatur. Quæ enim infirmitas est, quæ non a quibusdam philateriis, brevibus, characteribus, suspensionibus, carminationibus, execrationibus, vanissimisque verbis, aliisque artibus, quæ non secundum medicorum doctrinam sunt, curari posse credant. Sunt, qui audent harum artium publicas officinas habere. Sunt, qui non timent execrabilia hæc populis in plateis civitatum vendere. Sed cum Te ad sublimitatem Apostolicæ Sedis sublevatum videmus, cui nihil magis cura est, quam Christianam pietatem omnibus modis fovere, speramus, impia hæc, & Christianæ Fidei inimica nunc demum finem habitura. Non enim Te permissurum credimus a Sacris Canonum Decretis prohibitas ligaturas, breves, suspensiones, incantationes, aliaque hujusmodi pene infinita Christianum ulterius populum corrumpere, Christianam Religionem destruere; sed præterea, quæ Medicorum ars comprobat, nihil omnino pro infirmitatibus curandis neque sumere, neque suspendere, aut alligari, neque ullo modo uti permittes. Nam certum est, quidquid aliud, quam quod secundum naturam suam sanitatem inducere valeat, tenetur id superstitiosum, & proinde impium ac cri-

mi-

minosum esse. Sed præter hæc tertium omnium detrimentum, superstitionum impiarum genus destruere non dissimulabis, Non poterit enim recta fidei, & pietatis Tuæ regula perversa multa, quæ sub devotionis, religionisque umbra fiunt, dissimulando sustinere, sed cum viderit tot vanas, non ab Ecclesia institutas cæremonias, insanias sane, & præstigia in omni actione observari; cum adverterit Orationes omnes fore execrationes effectas, dum vanissimis loci, temporis, numeri, modique dicendi observationibus dicuntur; dum hanc, si stans, illam, si prostratus quis dixerit, propriam gratiam vel sanitatis, vel consolationis, vel cujuscumque infortunii liberationem afferre existimant; dum hanc ab igne, alteram a ferro, tertiam ab inimicis liberare, singulis proprias virtutes tribuentes, affirmant; non poteris certe, non poteris, Sanctissime Pater, has nefandissimas contra veram Religionis puritatem observationes sustinere. Illud etiam forsitan Tibi placere non poterit, quod humana curiositas adinvenit. Nunc enim singulis Sanctis pro singulis infirmitatibus vota fiunt, quasi Sanctorum in Cœlis distributa unicuique propria sint officia, & singulis singula humana membra tradita sint curanda; Unde Dominus omnium creaturarum Pater, omnium infirmitatum solus curator minus invocari consuevit. Atque hæc cum aliis emendare pro Tua Sapientia curabis. Neque omnino id, quod deterius certe est, & nostris temporibus inter plebejos homines maximum jam locum habet, ulterius procedere permittes. Multorum enim nunc populorum opinio est, multique firmissime credunt, hanc tabellam, in qua Christi, vel Beatæ Virginis aut Sanctorum quorumdam imagines depictæ sunt, si ad eam recurrant, infirmitatem hanc, illam vero aliam infirmitatem curare existimant; si per civitatem deferatur, pluvias inducere, grandines amovere, serenitatem adducere, aliam, si domi habeatur, fulgura dissipare, nonnullas greges, aut boves fœcundare, ut penitus a diversis Ecclesiis, a diversis imaginibus, diversas gratias reportare posse omnis populus credat. Hæc autem qualia sint, nunc dicere omittimus, quoniam sapientiam Tuam latere non potest, hæc ipsa Gentilitatem, idololatriamque manifestissime sapere, & a Christiana pietate quammaxime esse aliena. Ad hæc vero omnia emendanda, Beatissime Pater, prodesse multum posse confidimus, si præstigiatores, circulatores, maleficos, magicisque artibus deditos, divinantes, quosque manuum inspectores, carminatores, somniorum interpretes, & similium omnium impietatum inventores omnes, magno pietatis zelo (si penitus has omnes superstitiones non abnegaverint) vivos etiam cremandos esse statueris, & illos, qui eos in domum suam pro hujusmodi impietatibus exercendis adduxerint, aut artes illas in se operari permiserint, facultatibus omnibus expoliari, perpetuoque propriæ patriæ exilio mulctari decreveris, & illorum imprimis destruere, atque delere genus curaveris, qui sub B. Pauli nomine fallacibus, diabolicisque artibus cum serpentibus civitates circumeunt, vendereque, non sancti Pauli gratiam, qua carent omnino, & quæ vendi nequaquam potest, sed diabolicam quamdam artem consuevere, & dum corporibus contra venenosorum animalium morsus oblatis curationem promittunt, populorum animas pestiferis venenis inficiunt; si psalmos, picturas, characteres, phylacteria, pittaciola, breves deferri nullo pacto permittes; si neminem ad ægros curandos, qui medicinam professi non sint, accedere imperabis, nihilque pro quavis infirmitate apponi constitues, quod non secundum propriam naturam, & secundum medicorum rationes curare posse existimetur; si nullas orationes neque deferri, neque scribi neque dici consenties, nisi quæ a sancta Ecclesia, a sanctis ab Ecclesia approbatis doctoribus sunt institutæ, & quæ falso Sanctis adscribuntur (plurima enim hujusmodi sunt) cremanda omnino esse curabis; si illas omnes præcipue manifesto edicto condemnabis, quæ propriis titulis, seu rubricis hanc aut illam sanitatis, aut consolationis gratiam, aut infortunii liberationem promittunt; si peculiares, votivasque missas, in quibus mille superstitionum genera exercent, absque Episcopi concessione, neminem celebrare posse institues; si ea omnia cæremoniarum genera, quæ a sancta Ecclesia instituta non sint, diabolicas esse observationes declarabis; si huic vel illi imagini tabellas pro votis, statuasque apponere non permittes; hæc enim & Gentilitatem sapiunt, & vana cum sint, religiosorum hominum mentes ad avaritiam procliviores facilius corrumpunt; si nullam imaginem pro peste amovenda, pro pluvia, aut serenitate impetranda deferri patieris; Hæc enim quantum a rectæ fidei semita, a Christianæ puritatis calle multos aberrare faciant, non Te latet. Dum enim hæc fieri permittuntur, eo jam deventum est, ut picta tabella, in qua Sancti alicujus imago sit, majori honore, atque reve-

reverentia a multis & fere omnibus suscipiatur, venereturque, quam ipsum Domini Jesu Christi Sacratissimum Corpus; si vota Domino potius fienda, reddendaque esse, Christianam plebem decere volueris; si quicumque fuerint, qui ad alliciendos populos miracula cujuscumque imaginis finxerint, prædicaverint, fallaciisque hujusmodi, & mendaciis in ignarum vulgus invexerint, qui semel, atque iterum admoniti ab his non destiterint, acerbo quovis mortis genere, Te jubente, e medio tollantur; si in Ecclesiis, aut alibi a religionis hominibus spectacula quæcumque seu Gentilia, seu Christiana fieri nullo pacto permittantur; si hæc omnia superstitiosa, vana, impia, a Christianæ fidei veritate aliena, & Christianæ puritati adversa, diaboli laquei, animarum perditiones, quæ tot tam varia, tam multiplicia sunt, ut neque numerari quidem facile possint, a Te cum eorum auctoribus, cum libris, cum his, qui ea aut exercent, aut in se exerceri permittunt, magna severitate condemnabuntur; si Episcopi, qui in suis civitatibus hæc locum habere patiuntur, dignitate priventur; aliter enim tam magnum, tamque in omnes fere diffusum, ulteriusque continue serpentem superstitionis morbum tollendum esse non existimamus.

Duo hæc mala, de quibus locuti sumus, ignorantia scilicet, & superstitio, & a religionis hominibus initium capiunt, & ex illis a quibus curari habebant, in Christianos populos derivant. Religiosorum enim opus fuisset, nisi ipsi eadem infirmitate laborarent, populorum ignorantiæ subvenire, eorumdemque sane munus esset, superstitiones omnes amovere, nisi perversa consuetudine instituere potius, ac eas fovere didicissent. Nunc vero, peccatis nostris sic facientibus, non religiosos solum homines hæ duæ pestes, sed omnem penitus Christianum virorum, & mulierum, nobilium, & ignobilium populum corrumpunt, & utraque earum, non secus ac lethalis cancer, quantum ab origine sua longius serpit, tantum sævior, magisque incurabilis efficitur. Illa autem, de quibus dicere secundum ea, quæ proposita sunt, nobis superest, religiosorum hominum magis propria mala esse existimantur, quam quæ diximus; non quod similibus infirmitatibus & qui religiosi non sunt, & ipsi religiosi non laborent, sed quoniam infirmitates istæ ex religiosis ad sæculares homines, aut non penitus derivant, aut si aliquo modo pertingunt, religiosos ipsos magis, quam alios inficiunt atque gravius corrumpunt. In his autem primas partes tenent dissensiones, discordiæ, divisiones, schismata, separationes. Non enim possumus nunc dicere, quod multitudinis credentium sit anima una, & cor unum, neque etiam una vivendi ratio, neque una de sacris humanisque rebus opinio; sed, ut exteriora etiam, qualia interiora sint, ostendant, neque habitus forma, neque color unus, neque sacrorum officiorum, atque cæremoniarum idem ritus, ac norma; Quæ quidem divisiones, ac diversitates, partim ex animorum dissensionibus oriri, partim vero easdem ipsas animorum discordias parare, atque fovere existimamus. Has autem delere Tibi perfacile futurum est, Beatissime Pater, si ad hæc intendere aliæ minus fortasse necessariæ, aut minus certe pastoralis curæ dignæ occupationes Tibi permittent. Si enim omnes Clerici, Monachi, Sanctimoniales, aliique cujuscumque conditionis viri, qui divina officia celebrare aut professione tenentur, aut devotionis gratia volunt, uno tantum modo, unica tantum forma divinas laudes persolvant, Missas celebrent, aliasque cæremonias observent; si omnis Ecclesia una Dei ejusdem semper Sancti memoriam non dispari celebritate concelebret, illis exceptis, in quorum titulis Ecclesiæ erectæ sunt, in quibus festivitatis, celebritatisque dissimilitudo conceditur; si de religionis hujus, vel illius præstantia, excellentia, ac puritate, de Sanctorum, a quibus institutæ sunt, aut qui in ea floruere, dignitate, & gloria, omnis disputatio, ac controversia sub anathematis pœna amoveatur, in quibus miseris contentionibus eo humana pervenit audacia, ut non formidet hunc, vel illum religionis institutorem tantum aliis Sanctis hominibus præponere, ut Christo Domino, magnis impressis voluminibus, comparare, & comparando æquare, immo potius præferre præsumat; & qui fidei propugnatores esse gloriantur, dum hoc dissensionis spiritu misere agitantur, his & hujusmodi vanitatibus omnem fidei pietatem corrumpunt; si quoties ad rogationes publicas religiosi ordines procedunt, non aliqua dignitatis ratione, sed sorte potius, quæ per Episcopos mittatur, modo hic, modo ille ordo præcedere incipiat instituat; si nullus ordo, nulla congregatio sit, quæ amplioribus, dignioribusve, quam reliquæ omnes, apostolicis, atque aliis gaudeat privilegiis, sed omnibus & in confessionibus audiendis, & in prædicando, & in aliis religiosis officiis obeundis æqualia munera concedantur, singulis sane secundum proprias institutiones; si omnes sub

Sancti

sancti Benedicti regula militantes habitum formæ colorisque ejusdem forte gerant, eademque denominatione, sancti scilicet Benedicti, Monachi appellari jubeantur, ut tot habituum diversitates, tot variæ denominationes amoveantur, si hoc idem ab illis, qui sub B. Augustini, aut Francisci, aut aliorum Sanctorum regulis professi sunt, observari instituatur, si disputationes de B. Virginis Conceptione, de Christi Sanguine, an in terra aliquid ejus remanserit, & de his similibus, quæ inter diversos ordines obstinatius, quam deceat, agitantur, ita amoveri penitus statuatur, ut de illis vel loqui, vel scribere, vel quovis modo disputare, anathema censeatur; si in his, in quibus Johannes Scotus Beato Thomæ contradicit, aut alii similiter Doctores ad invicem dissentiunt, in illis dumtaxat, quæ ad fidem spectare videntur, cujusnam sententia sit ab Ecclesia suscipienda, ita definiatur, ut opposita omnino damnabilis judicetur; si omnes, qui sub eadem regula pertinent, in victu, vestitu, & aliis omnibus vitæ muneribus, eamdem formam, modumque eumdem tenere cogantur; si declinantes Monachi, aut religiosi quique viri ad aliquod Monasterium, quamdiu in illo fuerint, hospites licet censeantur, fratrum tamen ibidem commorantium more vivere, & omnia munera obire teneantur; si omnium religiosorum cujuscumque ordinis bibliothecæ ita omnibus religiosis communes efficiantur, ut in eas omnibus ingredi liceat, & ex eis, chirographo, pignoreque pro librorum existimatione relicto, libros quoslibet asportare, & statuto tempore pro librorum magnitudine eos apud se habere; si ambulantibus simul, aut navigantibus vel ad quodcumque hospitium diversantibus diversorum ordinum fratribus, communis semper, eademque, Te jubente, sit mensa; si religiosus, cujuscumque ordinis sit, qui suum ordinem, aut monasterium scriptis, aut verbis aliis præferre, aut aliquem alium calumniari, atque damnare religiosum ordinem, aut monasterium præsumpserit, excommunicationis sententiam incurrat, aut alteri gravi pœnæ subjaceat; nulla tamen fortasse congrua magis videri poterit, quam si ex eo ordine, quem aliis præferre ausus fuerit, ad illum, quem damnare non timuerit, ita transire cogatur, ac si speciali voto eum professus ordinem fuisset; si alia de causa, aut ex nullo ordine ad alium ordinem, aut ex omnibus ad omnes transire religiosis permittatur; si qui reformari ad veram observantiam ordines non possunt, omnino destruantur, & loca eorum observantibus cedant; si hæc inquam, aut his similia, quæ aut a Sapientia Tua prudentius, saniusque cogitabuntur, aut ab aliis, qui rectius, quam nos hæc judicare possunt, Tibi suggerentur, apostolicis firmissimis definitionibus, gravissimisque animadversionibus decernantur, ac statuantur, omnes inter religiosos homines dissensiones, discordiæ, ac schismata e medio facile ita auferentur, ut non multi ac pene innumeri, ut modo sunt religionis ordines, congregationesque, sed unus omnium ordo, unaque congregatio, & omnium cor unum, & anima una, sicut una fides, esse videbitur. Tu vero, Beatissime Pontifex, & Domino, qui Te ad hanc dignitatem vocavit, & hominum expectationi, hoc etiam munere satisfacies, neque invicta illa animi Tui fortitudo, quæ difficillima, & ardua quæque superavit, in hoc postremo, quod facillimum esse credimus, deficiet, sed omnia perficies, quæ ad singulos Ecclesiæ ordines ad puram conversationis sanctitatem ac regularis observantiæ probitatem reducendos, opportuna, ac necessaria esse cognoveris, & quasi bonus agricola, postquam ex agro Dominico, cui colonus es constitutus, vitiorum spinas, malarumque consuetudinum sentes avulseris, ac eradicaveris, tunc demum virtutum semina sparges, & optimorum quorumcumque morum surculos plantabis, irrigabisque continue; quibus certe Deum incrementum postmodum daturum speramus, ut ex tuis laboribus, & in hac vita, & in futura quoque beatitudine fructum amplius etiam quam centuplum recipias.

Quoniam autem novit Beatitudo tua, nullum decretum, nullam legem tantum valere ad subditorum emendationem, quantum optimi Principis sanctissimos mores (Principum enim exempla magis multo, quam leges movere animos solent) Ideo a Temetipso incipies, relictaque malarum consuetudinum ab aliquibus præteritis Pontificibus nimium attrita via, ad rectam semitam pontificalis dignitatis ordinem reduces. Neque enim aliter Te facere posse ullo modo credimus. Qui enim ad pastoralem amplitudinem, eo ordine venisti, quo veniendum esse ille optimus Pastor Beatissimus Gregorius descripsit, & primam pastoralis regulæ ejus partem optime implesti, & reliquas etiam implere Tibi curæ futurum existimamus. Neque enim Tibi satis esse ullo modo poterit, rite, recteque ad pastoralem apicem ascendisse, nisi in eo Tu recte vivas, & alios recte vivere, aut prædicationibus, aut exemplo, aut

aut optimis institutionibus doceas, & Te demum cognoscere velis. Hæc enim quatuor illa sunt, quæ pastoralis regula adimplenda esse admonet. Quæ enim Tu ad unguem observanda tibimetipsi proposueris, jamque universo pene terrarum orbe testimonium perhibente, ad pastoralem dignitatem rite, recte, ac legitime ascenderis, primum perfectissime implevisti; reliquum itaque erit, ut & tres alias hujus magni muneris Tui partes adimpleas, recte scilicet vivere, ad bene beateque vivendum, aut verbo, aut exemplo, aut rectis optimisque institutionibus reliquos instruere, & temetipsum demum cognoscere; & sic qualis esse debeat optimus pastor, Te abundantissime præstabis. Dimittimus necessarias Pontificis virtutes recognoscere, quæ Te sæpius legisse credimus, memoriæque non solum mandasse, sed & eas etiam vitæ integritate, morumque sanctitate perfectissime attigisse.

Neque tamen hoc Tibi satis esse potest, nisi Romanam Curiam, omnes Cardinalium, Episcoporum, & Clericorum ordines, universas Religiosorum virorum ac mulierum congregationes, quaslibet Christianorum populorum multitudines, Tuo exemplo, Tuis admonitionibus, prædicationibus, institutionibusque eadem, quæ Tu sapere, eadem facere, eodemque modo vivere doceas, & quamquam per Temetipsum, incumbentibus Tibi majoribus negotiis, Verbum divinum prædicare non possis, Tui tamen candidissimi mores, Tua Sanctissima Decreta pro magna, efficacique prædicatione habenda sunt, Tuaque illa recte censeri prædicatio potest, quæ, Te jubente, per alios impleatur. Cum enim Tu omnium sis fidelium caput, & omnes Christianæ Religionis ordines, nonnisi quædam hujus capitis membra esse videantur, quidquid per quoscumque alios facis, per Temetipsum facere videris. Hæc igitur Tibi, Beatissime Pater, potissima semper cura futura est, sollicite scilicet curare, ut singuli Ordines sua munera impleant, singula membra suas legitimas, propriasque operationes habeant, & nulla sit Christianorum hominum conditio, quæ non propriam vivendi regulam, propriam institutionis normam diligenter custodiat, quoniam, sicut quidquid in tota Ecclesia, Te moderante, boni efficitur, illud Te fecisse, bonique illius operis mercedem expectare non ambigimus, sic sane quodlibet cujuscumque ordinis peccatum ad Te attinere existimamus; non enim culpæ expers caput esse potest, ubi membra ipsa, quæ capitis imperio subjecta sunt, proprias institutiones non recte servant; neque illi, qui aliis præpositus est, satis esse potest, se immaculatum ab omni peccato custodire, nisi & illos, quibus pro tempore præest, propria quæque instituta servare magna satagat sollicitudine; quoniam qui subjectorum errata corrigere, atque emendare negligit, & consentire, & peccata aliorum consentiendo propria facere, & viam delinquendi indulgentia aperire videtur; & cum miserum omnino sit propriis peccatis æternæ felicitatis beatitudine privari, miserrimum sane erit, non propriis, sed aliorum vitiis æternæ damnationis pœnam subire. Cum igitur temetipsum, Sanctissime Pater, secundum interiorem, exterioremque hominem, jam multo tempore ita formaveris, ut Deo per interiorem pulcritudinem placere, hominibus vero per exteriorem virtutem optimorum exemplorum lumen ostendere possis, reliquum est, ut ad aliorum vitas diligentissime considerandas, & exactissime corrigendas convertaris. Quid enim Episcopi nomen importet, nequaquam Te latere credimus, & Bernardum, non Eugenium modo, sed omnes in Eugenio Pontifices admonere nosti, ut non se tantum, sed & quæ circa se, & quæ sub se sunt, considerare diligentissime velint. Dimittimus ea, quæ supra nos sunt, quæ quarto ab eo loco annumerantur, recensere; quoniam de his non attinet nunc aliquid dicere; sed illud nunc agimus, ut Te summis laudibus extollamus, qui non solum talem temetipsum, qualem optimum Pontificem Maximum Christi Vicarium, bonumque Pastorem decet, omnibus Christianis præstas, sed maximas curarum sollicitudines subire paratus es, ut possis omnes Dominicas oves per quæcumque devia aberrantes, ad viam sanctæ conversationis, & Christianæ puritatis adducere, & parare Domino plebem perfectam, & Christianam, cui praees, Ecclesiam universam virginem castam exhibere Christo; quod te minime facere posse credimus, nisi sic omnium in universum curam suscipias, & singulorum ordinum, & singularum personarum non minor Tibi sit sollicitudo; sic singulos quoque ordines, singulos quoque homines corrigendos, emendandos, instruendosque Tibi proponas, ut universorum cura nequaquam imminuatur; oportet enim (credimus) Pontificem summum, Deum Optimum Maximum imitari, qui sic & universis hominibus providet, & singulis studet, ut omnium optimus, & singulorum pientissimus Pater esse cognoscatur. Quod cum Tu, quantum humana conditio patitur,

implere

implere desideras, omnes ecclesiasticos ordines ante mentis Tuæ oculos statuisti, & singulorum errata considerando, magnæ illius sapientiæ & pietatis Tuæ institutione, & omnibus & singulis saluberrima remedia præparare non dissimulabis.

Cardinalium ante omnes ordo sese Tibi offert, qui non solum sub Te, & circa Te, sed intra Te quodammodo esse videntur; fratres enim eos Tuos appellas, & sunt, cum quibus pontificalis curæ onera dispertiri mos est. In horum ordine, si quid aut temporis injuria, aut aliquorum pontificum indulgentia, ne incuriam dixerimus, vitium inolevit; si propter maximam, quam post Te iste ordo auctoritatem ac potestatem habere videtur, ad aliquam peccandi libertatem delapsus est; si sint ex eo numero aliqui, quibus quæcumque libuerint, eadem sibi licere videantur; si ad illud aliqui forte pervenerunt, ut dum neque peccare erubescunt, & Dominum offendant, & hominibus scandali ruinæque occasionem præbeant; nihil enim magis Divinæ Majestatis bonitatem spernere, magisque irritare existimamus, quam illorum peccata, qui alios a peccatis coercere deberent; nihil magis hominibus peccandi occasionem præstare censemus, quam majorum exempla virorum, & eorum maxime, qui ideo a Domino super ecclesiasticæ dignitatis candelabrum erecti sunt, ut quasi ardentes lampades per bonorum operum lumen omnibus, qui in hac universæ ecclesiæ domo sunt, lucentem suo exemplo veræ religionis & pietatis semitam demonstrent; si non majora crimina, sed vel minima aliqua macula hunc dignissimum præstantissimumque ordinem deturpet; quoniam in tam excellenti ordine minimum esse nihil omnino potest; peccata namque etiam ipsa, quæ in humili abjectoque homine parva existimari solent, in his, qui sublimiores sunt, maxima reputantur, & quanto aliis dignitate antecellunt, tanto eorum turpia atque deformiora sunt vitia. Si aliquid hujusmodi hic Celsitudini Tuæ proximus Ordo patitur, Tu vero, si quæ patitur, non intelligis, timendum sane est, ne pro maximo Tibi a Domino peccato imputetur, quod pretiosa hæc Domini Jesu membra, nobiliorem Ecclesiæ partem, sublimiorem ordinem, Tibique viciniorem vel tantillum dedecoris pati permittas. Tu, quem in Pastorem Episcopum animarum suarum elegerunt, si aliqua parti laborantem, minimeque sanum ordinem negligas, Tu temetipsum alienum a culpa existimare vix poteris. Si enim eos, qui a Te solo curandi instruendique sunt, quippe, qui alium, præter Te, in terris superiorem non habent, aut gratia, aut amore, aut timore, trepidationeve aliqua, aut alia quavis ratione curare dissimulabis, illi, a quo curabuntur? & quinam futuri sunt, qui curæ Tuæ pietatem aut sentire possint, aut sperare audeant, si viscera ipsa Tua, fratres Tuos, quos quotidie vides, cum quibus communi labore omnia Ecclesiæ sanctæ Dei negotia tractas, quos aut Tu tibi elegisti, aut illi Te in Pastorem & Principem delegerunt, si forte, quoniam & ipsi homines sunt, aberrare quoquomodo eos contingat, ad congruam dignitatis eorum sanctitatem deducere, non omni cura & sollicitudine invigiles & labores? Quomodo, qui & dignitatis ratione & officiorum diversitate & locorum distantia ita a Te longe absunt, ut pene extranei dici possint, licet nullus omnino Christiani nominis, nullus humanæ naturæ particeps a Te extraneus sit, suorum errorum correctionem sperare poterunt?

Quoniam autem hunc Cardinalium ordinem nimio beneficiorum honore & onere, rerumque omnium affluxu & abundantia, si quid aberrant, aberrare credimus, eorum saluti maxime conducere existimamus, si firma irrefragabilique sanctione decreveris, Cardinalibus nullum deinceps beneficium, eorum titulis dumtaxat exceptis, conferri posse. Et ne a Te summo eorumdem pontifice debitis pro suprema Cardinalatus dignitate stipendiis defraudentur, consulentes Tuæ & eorum utilitati, valde congruum fore judicamus, si certis pensionibus, nequaquam imminuto publico ærario, omnes alantur; quas pensiones Tu, Beatissime Pater, beneficiorum omnium habita ratione, quotannis diligentissime exigendas curabis. Hæc autem, Beatissime Pater, per excessum quemdam illius caritatis, quæ modum aliquem servare nescit, nos dixisse, Beatitudinem Tuam existimare putamus; non quod in præstantissimo Eminentissimoque hoc Cardinalium ordine minimum aliquid minus rectum, aut minus decens inesse suspicemur. Non enim nostrum est, sinistrum aliquid de tanti ordinis majestate suspicari, sed quoniam, si fortasse macula aliqua in tanta dignitate esse contigerit, Te, Sanctissime Pater, vigilem, sollicitum, magnanimum, intrepidum, magno caritatis zelo succensum, in eorum quamvis minimo errore correctorem optamus. Tu, quoniam ex horum paucorum vivendi rectitudine, universæ Ecclesiæ salus pendet, Tu, quem nihil utilius

lius illis facere posse sentimus, neque quam majorem illis gratiam referre valeas, qui te in Pontificem elegerunt, intelligimus, quam si errantes ab errore revoces. Cum enim errorum omnium animi sit infirmitas major quam corporis, majorem certe illis gratiam habere debemus, qui nos ab aliquo errore, quam qui a quavis corporis infirmitate liberaverit. Neque Te aliter Domino obtemperare posse videmus, qui semel quidem Petrum, Te vero semper, si illi cordis Tui aures libenter accomodaveris, admonet, ut conversus confirmes fratres Tuos, pro quibus sane Tua pastoralis cura majori sollicitudine invigilare debet. Quoniam si hi a Te omnes tales non fuerint, quales esse oportet, nullam in ceteris inferioribus ordinibus propriarum regularum observantiam futuram suspicari non sine ratione possumus. Si vero tales sint, quales hæc suprema dignitas expostulat, nulla ceterorum ordinum sollicitudo Beatitudini Tuæ relinquitur; nam illis pro Te inferiorum ordinum curam, sollicitudinemque subeuntibus, nullus omnino erit, qui vel tantillum ab institutionum suarum semita aut temere audeat, aut impunis valeat aberrare.

Archiepiscoporum enim & episcoporum ordo, si, Te jubente, Cardinalibus ita subjiciatur, ut singulis annis, aut quolibet saltem triennio apud ipsos Cardinales rationem villicationis suæ reddere episcopi omnes teneantur, & sub eorum judicio, an aliter, quam Episcopum deceat, vixerint, & ministerium suum non impleverint, quique commissam sibi plebem non visitaverint, non verbo & exemplo recte vivere docuerint, dignitatis privatione puniri, & perpetuo carceri ad panem doloris comedendum emancipari timuerint, facile eveniet, ut illi, qui episcopali fulgent dignitate, episcopi etiam condignos mores habere studeant; & qui congaudet honore ministrationum, onera quoque portare non recuset. Si itaque pro ignorantia, superstitione, ambitione, avaritia aliisque hujusmodi viriis, quibus multos hujus ordinis viros laborare non ambiguum est, vult Beatitudo Tua, Sanctissime Pater, his vitiis oppositas virtutes in hoc ordine inducere, optatque pietas Tua, ut omnes Ecclesiæ tales episcopos habeant, quales esse oportere Episcopos Divinus nobis sermo demonstrat, sine crimine scilicet, non superbos, non iracundos, non vinolentos, non litigiosos, non percussores, non turpis lucri cupidos, sed irreprehensibiles, sobrios, continentes, ornatos, prudentes, pudicos, hospitales, doctores, benignos, justos, sanctos, divina præcepta & sacræ scripturæ disciplinam amplectentes, qui possint Fideles in doctrina sana cohortari, & eos, qui contradicunt, arguere; oportet, ut credimus, Te ante omnia invigilare, ut, Te ecclesiam Dei moderante, nullus ad hanc dignitatem ambiendi sollicitudine, Principum gratia, importuna Tui vexatione, aut alia quavis non legitima ratione, sed sola vitæ integritate, morum sanctitate, Divinarum Scripturarum doctrina ascendat. In monasterio, ait quidam, omnes recipiendi sunt, spe proficiendi & meliorandi; ad episcopatum vero non sunt admittendi, nisi qui antea eo ordine digni sunt; nisi enim qui ad episcopatum veniens eas secum virtutes attulerit, quas habere episcopum oportet, quid de eo sperandum boni sit, non videmus; cum illos, qui mali antea sunt, dignitates non corrigere, sed depravare potius soleant.

Post hæc cura futura Tibi est, ut frequenter a Cardinalibus, aut a dignissimis integerrimisque familiarium Tuorum Episcopi visitentur, & ad eorum vitia cognoscenda clerus populusque illis commissus diligenter inquiratur, libenter audiatur, si in aliquo deliquerint, si negligentius, quam episcopos deceat, munera sua impleverint, & tunc corrigantur, & si opus erit, ea, quam recte possidere neglexerunt, dignitate priventur; & pro criminum enormitate, si quæ in illis apparuerint, gravius etiam plectantur. Discent profecto, qui a Te, aut a Tuis legatis frequentius sic visitentur, & sollicite corrigantur, clericos, sacerdotes, & omnes, qui sub illis sunt & ipsi visitare, examinare atque corrigere, & quales illi sint, quibus manum imponere habeant, diligentius inquirere. In quo sane negotio multum profuturum sperare possumus, si Tu, Beatissime Pater, episcopis omnibus jusseris, ut nemini nisi bene nato riteque educato, nisi bonæ indolis, nisi bonis moribus prædito, nisi pro ætate mediocriter literis instituto, minores ordines conferant; neminem nisi probatæ virtutis atque doctrinæ ad sacerdotalem dignitatem assumant, & cui insuper de officio aut beneficio, ex quo victui & vestitui necessaria habere possit, provisum sit; quod in Germaniæ partibus fieri solitum est. Multos enim nunc sacerdotes videmus, qui miseria, qua premuntur, paupertate vitæ, urgentibus necessitatibus, ad minus sacerdoti congrua negotia, ad illicitas quasque artes, ad turpissimam quamlibet vivendi rationem descendunt,

& eo-

& eorum fidei commissam populorum curam aut ignorantia implere nequeunt, aut aliis occupationibus distracti negligunt, aut, quod deterius est, propria etiam pravitate eos corrumpunt, quos corrigere, atque ad meliora studia invitare debebant. Quæ quidem non acciderent, si pastor & episcopus super eos invigilaret, & ignavos ac vecordes & vitiis obvolutos ad sacerdotium non admitteret; si quotannis aut etiam sæpius in anno clericos suos episcopus visitaret, admoneret, argueret, increparet, corrigeretque. Legimus olim, quod ad sacerdotalem ordinem non admittebatur quispiam, nisi, præter alia plura, omnes Prophetæ psalmos memoriter teneret, & qui ex psalmorum numero aliquem memoriæ non mandasset, difficillime a summo Pontifice ad Sacerdotium admittebatur; nunc vero miraculum reputatur, si quis ex sacerdotibus aut omnes, aut aliquos psalmos memoriæ tenere reperiatur, cum & multi sint, qui neque legere illos commode valeant. Olim post monasterii disciplinam, diuturnamque probationem, ad Sacerdotalem dignitatem, ad majoris scilicet perfectionis gradum aliquis evocabatur; nunc autem quisquis ex sacerdotali ordine ad monasterium convertitur, multum profecisse existimatur, non quod in monasteriis sit nunc perfectior, quam olim fuerat disciplina, sed quia, qui perfectissimus esse in ecclesia sacerdotalis ordo solebat, paulatim ita defluxit, ut imperfectissimus pene omnium effectus sit, & plurimorum ex eo ordine vita turpior, quam laicorum seu secularium hominum appareat. Hæc autem omnia singulorum membrorum, singulorum scilicet ordinum infirmitates a Capite ipso, a summis scilicet pontificibus ortum habere facile quilibet intueri potest. Sunt enim sic hæc ad invicem singula membra conjuncta capiti suo, omnia simul subjecta, ut qualem superiora membra mediis sanitatem, robur & decorem præstant, talem, quæ media sunt, inferioribus subministrent, suprema vero illa talem omnino præstant, qualem ipsa a capite recipiunt; qualem pontifex circa Cardinalium vitam & disciplinam curam & sollicitudinem habet, talem illi circa episcoporum mores custodiunt, & qualem episcopi a superioribus suis curam recipiunt, talem his, qui sub eis sunt, clericis scilicet & sacerdotibus impendunt. Sic enim in hac ecclesiastica hierarchia ordo se habet, ut illo, qui supremam sedem tenet, languescente, inferiores omnes ordines ægrotare necesse sit; eo autem convalescente, singula paulatim membra, ea etiam, quæ inferiora & infima sunt, convalescere soleant. Quare, Sanctissime Pater, cum totius ecclesiastici Deo militantis exercitus salutem aut infirmitatem Tibi imputandam esse non ambigis, maxima Tibi vigilandi necessitas incumbit, ut a Te ante omnes, & domus Tuæ familia, in quam omnes intuebuntur, rectæ institutionis, sanctæque conversationis exemplum omnes inferiores ordines accipere possint.

Familiam autem domus Tuæ, de qua dicere pene exciderat, omnes superiores, medios, inferioresque ordinis intuituros eos diximus, quoniam Teipsum intueri non omnium est, quomodo qui in domo Tua versantur, ita eos aliud a Te non existimant, ut qui illos intuebuntur, Te videre existimabunt, nam neque umbra figuram corporis, neque cera annuli imaginem expressius exprimunt, quam familiares domus principis vitam exprimere soleant. Ex domo autem, sive recte sive perverse instituta sit, principis vita & disciplina in totam civitatem diffunditur, & ex civitate in universum ejus imperium spargitur. Quare cum Te sanctissimis moribus ornatum, omniumque virtutum inextimabili pulcritudine decoratum videmus, talem futuram domus Tuæ familiam credimus, & Cardinalium superiorem, Episcoporum medium, Clericorum ac Sacerdotum inferiorem ordinem cito similem videre speramus. Te enim pastoralis dignitatis regulam diligenter servante, & sedulam de omnibus sollicitudinem habente, reliqui certe ordines suas sunt institutiones servaturi, religiosorum maxime virorum & mulierum, quibus Te, Beatissime Pater, speciali innatæ caritatis Tuæ prærogativa, majori quodam amoris affectu devinctus es. Semper enim religiosos omnes ordines, dum in minoribus ageres, fovere, ornare, beneficiisque cumulare contendisti; unde in maximam spem bonorum religiosorum animas erexisti, postquam Te ad supremam dignitatem ascendisse intuentur, & veteris in religionem charitatis minime oblitum esse existimant, ac Tuo nutu statim universos religiosorum ordines reformandos expectant. Non enim minus, quam ceteri omnes, immo & multo fortasse magis a regularum observantia, a rectis patrum institutionibus singuli fratrum, & sanctimonialium monacharum ordines aberraverunt, & quamquam alios quidem magis, alios minus a recta semita declinaverint, nequaquam tamen dubium est, omnes non mediocriter declinasse, & pene inutiles factos esse. Tuum igitur erit, Beatissime

Pater,

Pater, speciali quadam cura religiones omnes ad perfectissimam regularum suarum observantiam, & sanctam antiquiorem illam conversationem adducere. Quod si facere semel decreveris, nullum in hoc Beatitudo Tua laborem, nullam difficultatem sentiet, quoniam licet longius fortasse, quam reliquos ordines Ecclesiasticos, a sancta sua antiqua institutione monasticos ordines discessisse invenies, ceteris tamen faciliores ad qualemcumque correctionem atque emendationem recipiendam reperies; neque enim contradicere voluntati Tuæ, neque mandata Tua spernere, neque correctionem ex pietatis Tuæ manibus minus libenter suscipere recusabunt, immo quasi mollem ceram sese imperiis Tuis præstabunt, & ad qualemcumque eos formam deducere volueris, eam facillime ac libentissime suscipient. Tuum igitur est, Beatissime Pater, si recte existimamus, omnes religiosos ordines inspicere, omnes religiosorum virorum ac mulierum regulas, institutiones & vivendi rationes considerare; multæ etenim sunt ab invicem diversæ religiose vivendi institutiones, & quotidie nova aliqua resurgere videtur novæ religionis forma, & omnis pene civitas, præter communes, peculiarem habere videtur religionis ordinem, nullaque est sanctorum Patrum regula, sub qua non multæ diversæque militent religiosorum virorum & feminarum congregationes. Ut enim ex una ceterarum omnium conjecturam capiamus, sub unica beati Benedicti regula quamplures militant Monachorum ordines, & quilibet in semetipso minoris ac majoris observantiæ divisionem experitur. Has Tu tantas tam varias multiplicesque regularum & institutionum diversitates considerans, & singulas, quales sint, linceis illis mentis Tuæ oculis prospiciens, ante omnia ea, quæ approbationem Apostolicæ Sedis mereri videbuntur, si ante Te approbatæ fuerint, confirmabis; sin minus, Tu primus approbare non dissimulabis. Sunt enim aliquæ, quæ recte institutæ existimantur religiones, quibus, in quantum non adhuc ab Apostolica Sede approbatæ videantur, non ita libenter simpliciores mentes acquiescunt. Quas autem minus recte institutas, & proinde minus dignas, ut Apostolicæ Sedis & authoritatis virtute confirmentur, existimabis, eas palam improbare, manifeste damnare, destruere, atque ad nihilum redigere Beatitudinem Tuam non pigebit. Sicut enim nihil omnino sanctius in universa ecclesia existimatur, quam rectæ religionis institutio, ita nihil penitus detestabilius inter Christianos reperitur, quam perversa aliqua sub religionis nomine vivendi institutio. Si quæ vero earum erunt, quæ bonis multis institutionibus perversum aliquod unum, aut non multa permixta habeant, eas Tu, Piissime religionum Pater, corrigere ac emendare, sicque postea approbare, potiusquam destruere aut improbare non refugies, confirmandas a Te non solum, quæ olim ab Apostolica sunt Sede approbatæ, sed & quasdam alias recte institutas non ambigimus. Aliquas tamen improbandas esse credimus, quoniam perversas sub religionis nomine institutiones Sanctitatis Tuæ rectitudo ecclesiam sanctam Dei contaminare non patietur. Nonnullas etiam corrigendas, atque Sapientiæ Tuæ judicio in melius reformandas speramus. Quæ autem sint approbatione, quæ damnatione, quæ reformatione dignæ, dicere non audemus, ne in messem alienam falcem ponere voluisse temerario ausu videamur. Hoc unum tamen tacere non possumus, quasdam esse institutiones, quas sacri canones damnant, quas singulis annis in Cœna Domini ecclesia improbat, atque anathematizat, sicut Beguinarum ordo, qui in Gallia viget, aut eorum, qui Fraticelli de Opinione appellantur, qui Sabaudiam Pedemontanamque regionem misere corrumpunt. Alias præterea institutiones esse credimus, quas non Deo militandi gratia, sed ut per mille fallaciarum genera homines facilius decipiant, multi suscipiunt, qualis eorum existimatur, qui nudis pedibus, non velato capite, sacco induti, nulla certæ institutionis norma per secularium domos discurrunt; quos prudentissimus ille senex Hieronymus, post multas illorum fallacias atque perversos mores, quos recitat, tandem Satanæ Apostolos vocat. Hujusmodi, Sanctissime Pater, institutiones, si quæ sunt, quæ hæresim sapiant, quæ superstitionibus fædatæ sint, quæ non Deo, sed diabolo militare videantur, improbare atque destruere magnum pietatis opus existimabis. Si enim has quasi zizanias e Dominico agro evulseris, bonis insitionibus, rectarum scilicet institutionum religionibus uberiorem crescendi locum dabis, & a multis erroribus atque deceptionibus Christianam plebem liberabis.

Post hæc illud statim mentis Tuæ oculis occurret sub quarumcumque approbatissimarum regularum rectarum institutionum vexillo aliquos militare, qui quoniam eas ipsas regulas & institutiones servare nituntur, Observantes appellantur, aliquos vero, qui, quoniam præter hoc, quod in unum conveniunt, aut nihil

hil aliud sanctarum regularum ac institutionum observant, aut potiora omittunt, Conventualium sibi nomen reservant. Quam Tu singularum fere regularum divisionem, & alterius partis perversæ consuetudinis abusum depravationemque non ferens, omnes, qui Conventuales appellantur, ad propriarum regularum exactiorem observationem diligentissime reducere conaberis, ut hoc Conventualitatis nomen penitus destruatur. Quod facillime fiet, si in Conventualium monasteriis neminem posse religionem profiteri imperabis, ut omnes religiosorum virorum ac mulierum congregationes Observantes merito valeant appellari. Vanum enim esset de Observantiæ nomine sibi blandiri aut gloriari, nisi rebus ipsis per veram exactissimam perfectamque sanctarum regularum ac institutionum observantiam condignum nomen inveniretur. Quod facilius fiet, Beatissime Pontifex, si, Te sub anathematis pœna jubente, nullus monachorum quovis modo professus religionem extra claustrum, & extra monasterium, ac seorsum a congregatione valeat habitare, sed quisquis exire monasterium suum, & congregationem relinquere audebit, hic etiam monasticum aut religiosum, quem sumpserat habitum, deponere cogatur, sitque irregularis, ac excommunicatus, & secularibus potestatibus subditus; si, Te imperante, sanctimoniales omnes sic intra monasteria sua restringantur, ut non solum nullam exeundi facultatem habeant, sed neque videant ipsæ quidpiam, neque ab aliquo videantur, nimiaque illis cum viris alloquendi libertas auferatur; si omnes religiosorum ordines, quemadmodum jam a nostra Camaldulensi religione incepisti, ad reformationem invitabis, & quæ singularum religionum Patres in suis conciliis congregati pro bono religionis suæ recte instituerint, Apostolicæ authoritatis plenitudine confirmanda decreveris. Existimandum enim est singulos proprias infirmitates efficacius omnibus sentire, & quæ illis opportuna sint remedia, intelligere; si tam monachi quam sanctimoniales religiosique omnes penitus, quocumque nomine censeantur, ad episcoporum subjectionem, ut non multo ante hæc tempora esse solebant, Te instituente, revertantur, non quod in electionibus prælatorum aut in temporalium rerum administrationibus se intromittere possint episcopi, sed ut quotiens illis visum fuerit, monasteria per se solos, & non per alios vicarios visitare, errantesque corrigere, & ad veram regularum observantiam adducere valeant; quod monachi ipsi, quibus subesse, potiusquam præesse, proprium est, patientissime libentissimeque suscipient, si viderint prius episcopos tales esse, quales illos esse oportet, qui aliis recte vivendi viam exemplo & doctrina demonstrent. Neque enim alia de causa factam credimus subtractionem, exemptionemque hanc Abbatum & monachorum ac religiosorum ordinum ab episcoporum potestate, quam olim, cum ipsa fieri cepisset a sancto viro Bernardo, neque decere, neque licere, neque postremo expedire apud Eugenium Pontificem maximum multi conquerebantur, nunc non tantum licitam ac decentem, sed & utillimam & optimam experimur, nisi quod ea tempestate illi, qui episcopis subjiciebantur, pastores se habere sentiebant. Hac autem temporum, immo rerum omnium depravatione rapacissimos lupos pro pastoribus illi se habere, misere experiuntur, qui episcopis subiecti sunt. Unde cum subjiciendos episcopis monachos atque alios religiosos dicimus, ut ad perfectam regularum observantiam eos reducant, episcopos prius tales esse oportere intelligimus, ut ipsi propriam episcopi atque pastoris regulam observare didicerint; aliter enim non prodesse, sed obesse plurimum religiosis ordinibus possent; Sanius enim est nullis quam lupis gregem committere. Hæc aliquaque hujusmodi, quæ partim ad extirpationem ignorantiæ, superstitionis, dissensionis, ambitionis, avaritiæque a religiosorum animis opportuna jam diximus, partim consulto pertransimus, quoniam, quæ Tibi notissima sunt, longioribus persequi minus decet; Quæ, si Tu, Beatissime Pater, facienda studueris, fierique mandaveris, facillime omni labe vitiorum purgata, religiosorum omnium ordines ad sanctam conversationem, ac ad perfectam sanctarum regularum & institutionum observantiam redibunt, & quales fuisse in initiis suis monachorum & ceterorum religiosorum & mulierum ordines legimus tales in hoc seculorum fine sub Leone X, Pontifice Maximo intuebimur.

Sic sane omnibus Religiosorum hominum vitiis expurgatis, sanctaque in singulis propriæ institutionis observantia renovata, sicut nunc ex religiosorum hominum vitiis quasi ex propriis fontibus multi vitiorum rivuli in Christianam plebem scaturiunt, sic ex melioribus religiosorum studiis virtutes in plebem virentes exsurgent; talem enim semper plebem vidimus, quales illi religiosi sunt, qui plebi adhærent, ita ut si religionis vitia expurgaveris, eodem certamine secularium

vitia expurgasse videberis. Si autem præter majora apertioraque peccata, quæ a sacris tam ecclesiasticis, quam civilibus legibus, divinisque præceptis prohibita ac damnata sunt, quædam alia non tam peccata, quam peccatorum occasiones a Christiana plebe abstuleris, non solum perfectos religiosorum omnium ordines, sed etiam sanctam plebem habere poteris. Quæ autem illa sint, quæ occasionem peccandi populis præstent, ut ex infinitis pene quædam dicamus, juramenta ante alia peccandi occasionem dare credimus. Quoniam dum sæpius juramus, pejerare aliquando contingit. Unde Christianis populis profuturum existimamus, si nemo in juditio, aut extra juditium possit ad jurandum vocari, sine expressa episcopi sui concessione, qui & nemini jurare concedat, nisi prius & homines, vitam ac mores, & causam, in qua quisque jurare debeat, diligenter cognoverit; si ab omnibus collegiis, consiliis, congregationibusque secularium virorum ita hæc juramenta prohibeas, ut nulla sit lex, quæ sub pœna perjurii custodiri præcipiat, neque ad aliquid sub sacramenti lege possint ullo modo seculares adstringi. Multa enim sunt collegia, multi senatus, qui leges suas sub sacramento jurisjurandi observandas proponunt, quæ tamen minime observari consueverunt, & quod leve aliquando peccatum erat non observari, pro jurisjurandi obligatione mortale crimen efficitur.

Ludus præterea chartarum, taxillorumque, & omnia ludorum genera maximas præbent peccandi occasiones; per hæc enim lucrandi cupiditas, fallaciarum genera multa, iræ, blasphemiæ, inimicitiæque oriuntur, & quod horum non levius est, furandi aviditas crescit. Cum enim quis per lucrum proprias amisit pecunias, alienas furari omnino ac rapere stimulatur; unde si ludos omnes a Christianis populis auferri jusseris, multæ omnino tollentur peccandi occasiones. Sunt enim, qui minori quodam corporis, præsentisque vitæ detrimento ab iis, quæ animæ perditionem æternam operantur, cavere, bonum esse existimant, & hos, qui aut chartis ludere aut aleis audent, dextera mutilari; eos vero, qui horum ludorum instrumenta conficiunt, pœna capitis, si non destiterint, vellent puniri. Nos hæc, quæ occasionem delinquendi præstant, omnino prohibenda censemus; quæ vero pœna prævaricantibus sit statuenda, non facile audemus definire.

Sed & quædam sunt sancta ecclesiæ præcepta, quæ non propterea, quod ipsa non recti in se aliquid habeant, sed quoniam non observantes peccato subjiciunt; perversa autem quadam consuetudine, quæ temporum injuria jam inolevit, a pluribus minus observantur; ideo plurimorum peccatorum occasiones habere videntur; quæ quidem cum Divina præcepta non sint, quæ immutari ab hominibus non possunt (jus enim Divinum ex hominum judicio non pendet) sed de positivo jure censet ecclesia, scilicet potius quam immediata Dei præcepta, & proinde immutari propter populorum salutem non dedecet, propterea sicut multæ religiosorum institutiones habent, ut nullam obligent ad culpam, sed solum ad pœnam, ita si in ecclesiis, vel omnibus vel quibusdam præceptis intelligendum statueris, multa certe a populorum multitudine peccata resecabis; Inter ea autem, quæ hujusmodi sunt, quadragesimalis abstinentia atque jejunium esse manifestissime cognoscitur; dum enim abstinentia a carnibus, ac jejunare sub mortalis peccati pœna præcipitur, multi autem sint, qui a carnibus non se abstinent, plures, qui non jejunant, omnis fere Christianus populus hoc peccatorum laqueo irretitur. Unde quidam sic illud de jejunio præceptum moderandum censent; quadragesimale & vigiliarum indicare jejunium volunt; non autem sub mortalis peccati pœna, sed ut libenter observetur, jejunantibus plena peccatorum remissio offeratur; sine jejunio autem ab esu carnium se abstinentibus, dimidiæ peccatorum suorum partis indulgentia concedatur. Quomodo autem sint hæc moderanda & alia hujusmodi præcepta, ut neque nimia indulgentia peccandi libertatem præbere videatur, neque dum ad mortale peccatum obligant, quæ ad salutem instituta sunt, ad damnationem esse videantur, Tuæ solius sapientiæ munus esse censemus.

Alium præterea a diabolo paratum laqueum videre nobis videtur, qui multas secularium hominum animas capit. Mos enim in plurimis locis pessimus, ut nos credimus, inolevit; Contrahentes enim inter se seculares viri pro debito excommunicari se posse statuunt, nisi statuto tempore solverint; quod, si recte sentimus, idem est, quod in forma cameræ obligari, & cum minus possint, quæ promittunt, debito tempore exsolvere, excommunicationis pœnam incurrentes, pro temporalibus negotiis æternam salutem amittunt. Unde Sanctitatis Tuæ pietatem hæc passura non credimus, sed statues potius, Beatissime Pater, ut nullus, qui clericus non sit, possit aliquo modo neque

que in forma Cameræ se obligare, neque pro debito aliquo excommunicari.

Præbent multas viris delinquendi occasiones lasciviores mulieres. Dum enim & fuco & cerussa faciem pingunt, dum discoopertis crinibus in aliquibus locis procedunt, dum ad Missarum celebritates, ad divinum audiendum verbum permixtæ viris mulieres, & viri mulieribus conveniunt, magna & pene inevitabilia animarum incendia præparantur. Quare si fucis omnibus uti mulieres prohibeantur, si velato capite incedere præcipiantur, si in ecclesiis semper mulieres seorsum a viris, & viri a mulieribus esse statuantur, quod antiquæ legis præceptum est, ut usque ad præsentem diem ab Hebræis custoditur, ut ecclesiarum anterior pars mulierum, posterior virorum sit, multa peccatorum incitamenta & fomenta destruentur.

Sed & illud abominatione plenum esse videtur, quod cum olim meretricibus unus tantum in occultioribus civitatis partibus locus concederetur, nunc passim per omnes vicos & plateas habitare, maxime in ea, in qua Tu resides, Urbe permittatur. Quæ impia indulgentia multa millia animarum pessime perdit; dum & mulieres hoc pacto minus per verecundiam coercentur, & viris occasio peccandi ubique parata eos sæpius peccare invitat, & juniores adolescentulæ malarum feminarum, quas ubique videre possunt, exemplo, ad quascumque turpitudines incitantur. Hoc tam magnum malum auferre volens Tu, Beatissime Pater, cui non maximarum modo rerum, sed minimarum etiam cura incumbit, & pessimas feminas in aliquo civitatis cujusque angulo relegandas curabis, & illos, qui alibi in civitate domum illis ad habitandum concesserint, gravissime puniendos esse statueris. Communia hæc omnibus Christianorum civitatibus satis futura esse remedia contra hoc lethale malum existimamus. Romæ autem, quæ gravius turpi hucusque fœdissima deformitate laborat, majora efficacioraque sunt remedia excogitanda. Non enim facile potest perversa consuetudo, peccandique impunitas, quæ in Urbe prævaluit, auferri; in ea enim nulla est adeo frequentata via, in qua non plures meretrices inhabitent. Horret animus cogitare sacratum palatium tuum meretricibus circumdatum ita, ut neque Tu e domo pedem efferre possis, neque aliquis sedem Tuam adire, cui mille meretricum una spectacula non sint intuenda. Eam semitam, qua Tu sacratissimum Christi corpus sanctis manibus deferre soles, quinam, nisi turpissimæ meretrices inhabitant? eoque deventum est, ut palam media die per Urbis frequentissima loca Curiales ipsas meretrices in equis suis deferre non erubescant. Audiveramus olim; hæc ne credere potuissemus, nisi his oculis & hæc vidissemus, & turpiora, quæ pudor referre prohibet. Effecta est jam Roma, quæ civitas regia sacerdotalisque esse solebat, turpissimum fœdissimumque lupanar, ita ut ex sacerdotibus, & iis, qui in majoribus sunt dignitatibus constituti, non unam, sed plurimas concubinas habere, easque ex ecclesiæ redditibus delicatissimis cibis pascere, pretiosisque indumentis vestire nullus sit pudor. Hæc, si Tu non vides, quæ in oculis tuis fiunt, nescimus, quomodo episcopi munus adimpleas; si vides & dissimulas, timendum est, quod cum bona Sanctitatis Tuæ venia dixerimus, ne Heli sacerdotis pœnam incurras. Excita, Pie Pater, rectitudinis Tuæ zelum, & turpia hæc & fætida, quæ universum fere orbem ad indignationem commoverent, ex Urbe expelle, aut saltem longe a palatio Tuo remove. Dum enim hæc permittuntur, mirum non est, si apud Christianas nationes Romana Curia non ea, quæ decet, venerationem habeat. Quis enim has turpitudines audiens potest eos, qui hæc faciunt, aut fieri permittunt, ullo modo venerari? Sed unde digressi sumus, revertentes, his, quæ diximus, Beatissime Pater, multa similia esse credimus, quæ Christianæ plebi plurimas peccandi occasiones præstare videntur; quæ a Te corrigenda esse non minus optamus, quam speramus; dimittimus autem plura recensere, quoniam Sapientiæ Tuæ omnia notissima esse non ambigimus, & hæc pauca exempli potius gratia diximus, quam quod hæc ipsa Te latere ullo modo suspicati simus.

Christianæ Reipublicæ membris omnibus languentibus, Te, Beatissime Pater, singulis pro singulorum infirmitate remedia excogitare atque præparare (sicut jam diximus) dubitare non possumus. Sed & præter peculiarem singulorum membrorum medicamenta, quædam etiam universalia omnibus simul corporis hujus membris salutaria, ac multum omnibus profutura perquisisse atque jam advenisse Sanctitatem Tuam existimamus; inter quæ primum fortasse locum tenet illud unum, sine quo nulla religio, nullus ordo, nulla congregatio, nulla ecclesia rectæ conversationis, sanctæve alicujus institutionis regulam custodire diutius potest; sine quo neque pars hujus Christianæ Reipublicæ ulla, neque tota ipsa Fidelium congrega-

tio proprium robur, & proprium decorem ſervare diutius valet. Hoc autem eſt frequens Conciliorum celebratio. Te igitur, ſi omnia ſanctæ eccleſiæ membra juvare atque fovere deſideras, hoc potiſsimum ſtatuere decet, ut omnis religionis ordo, omnis religioſorum congregatio frequenter Patrum, qui in eo ordine ſunt, concilium, quod ipſi Capitulum vocant, ſtudeat advocare atque celebrare; ut omnis epiſcopus eorum, qui ſub ſe ſunt, clericorum ac presbyterorum & ſacerdotum omnium ſynodum ſæpius advocet, in qua cum Dei timore de ordinis ſui reformatione, atque de recta populorum inſtitutione quiſquis ſollicitus ſit; ut ad Metropolitanum epiſcopum ceteri ſub eo conſtituti epiſcopi, cum ſacerdotum ſuorum ſenioribus, atque præſtantioribus, quotannis ad ſynodum metropoliticum celebrandam ſtatuto die occurrant. Quibus epiſcopalibus, aut Metropolitanis conciliis ſæpius, aut ſemper aliquis ex Cardinalium numero, aut ex familiarium Tuorum probatiſſimus vir Tuo nomine aſsiſtat atque præſideat. Ut illud, quod tanto perfectius eſſe credimus, quanto commune eſt univerſali Eccleſiæ, cuſtodiatur, ut ſcilicet univerſalia totius Eccleſiæ Concilia non ſolum quolibet decennio, ſed omni quinquennio celebrentur; ſine his enim ſtare Eccleſiam Dei non poſſe experientia didicimus; nihil enim aliud ex optima atque perfectiſsima, eccleſiam Dei ad eum, in quo nunc eſt, miſerrimum ſtatum deduxit, niſi hujuſmodi Conciliorum omiſsio. In univerſali autem Concilio, ſi de totius Eccleſiæ unitate, ſi de ſingularum eccleſiarum reformatione agendum ſit, non videmus, cur, qui Chriſtiano nomine cenſentur, & illi, qui magis, quam reliqui omnes, reformatione indigent, nimirum Græci homines, atque ſex aliæ Chriſtianorum Nationes ad hoc Concilium non advocentur? Quantum enim legimus, univerſalia Concilia cum celebrari priſcis temporibus ſolebant, non ex Italia, aut ex Europa ſolum, ſed ex univerſo orbe Patres advocabantur; unde & œcumenica vocata eſſe cenſemus. Quem ſi morem, qui Apoſtolicam ſedem tenuerunt, ſtuduiſſent ſervare, non eſſet Romana Eccleſia, quæ caput cunctarum Eccleſiarum eſt, jam nobiliſsimis membris ſuis viduata, neque eſſent aliæ tam claræ ac præſtantes Africæ & Aſiæ Eccleſiæ a Romana omnium Eccleſiarum matre diviſæ, & his, qui Romæ degunt, incognitæ. Tibi vero Beatiſsime Pater, qui a Domino ad Eccleſiarum omnium ſollicitudinem habendam advocatus, univerſis Eccleſiis præpoſitus es, opus incumbit, ut quemadmodum nobiliſſimæ illæ Eccleſiæ per incuriam, ſocordiamque aliquorum, qui ſedem hanc Romanam tenuerunt, ab ipſa Romana Eccleſia ita diviſæ ſunt, ut vix aliqua earum memoria reſervetur, ita ſapientia ſollicitudineque Tua hæ ipſæ Eccleſiæ capiti ſuo, Romano ſcilicet Pontifici, conjungantur, uniantur, ac in manifeſtiorem cognitionem eorum, qui Europam incolunt, redire incipiant. Quod ſi non omnes ſimul ſtatim ad unitatem atque ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ reducere poteris, maxime niſi prius Infidelium, & Mahumetanorum hominum genus deleveris, quod quaſi inter Te & illas paries a Diabolo conſtructus eas longe retinet, ſatis futurum eſſe credimus, quod ſicut paulatim per multorum annorum tempora hæc diviſio facta eſt, ita paulatim per alicujus temporis curriculum ad unitatem redire, modo una, modo alia, incipiat; neque nunc parum erit, ſi tot jam ante annis dimiſſam penitus, nuperrime autem in lucem revocatam Conciliorum conſuetudinem ſtabilire decreveris, ut univerſale Concilium, quod apud Lateranum celebrare Julius cepit, & Tu proſequi non deſtitiſti, perfici curabis, ſi illud non ad aliud, quam ad Eccleſiæ veram unitatem atque reformationem celebrari ſtatueris; ſi ad Concilium illi advocentur potius, qui zelo fidei nihil veritati præponere audent, quam illi, qui ſublimioribus blandiri atque adulare conſueverunt; ſi iis, qui in eo fuerint, loquendi omnis penitus libertas tradatur, & veritas ita ſuſcipiatur, ut fallaciis & adulationibus nullus in eo locus eſſe videatur; ſi non veteri illo proverbio: Veritas odium, adulatio amicitiam, ſed potius adulatio indignationem, veritas gratiam pariat. Si tale, Beatiſsime Pater, Concilium celebrare ſtatueris, facillime fiet, ut in eo, & ſingulorum membrorum Chriſtianæ Reipublicæ, & univerſæ Eccleſiæ ſaluberrima remedia Domini benignitate, adminiſtrante Te, & libenter ſaniora conſilia recipiente, inveniantur, quibus ad veram ſanitatem ac perfectum decorem languida diu, & turpitudinibus multis fædata hæc Chriſti ſponſa reducatur, ut qualem in Salomone deſcriptam in Canticis Canticorum legimus, talem ipſam his oculis ſine ruga & ſine macula totam pulcherrimam & totam decoram intueamur.

In hoc autem Concilio nihil fortaſſe Beatitudini Tuæ magis curæ erit, quam exortum ſub Julii pontificatu ſchiſma, quemadmodum cepiſti, jam penitus ſedare, atque ſingula diviſa membra ad caritatis uni-

unitatem ducere. Quid enim boni in Ecclesia esse possit, si caritatis perfecta unio desit, non videmus; propterea sapientiam Tuam ante omnia curaturam credimus, ut ad imitationem illius Domini, qui omnes a se recedentes benigne advocat, revertentes læte suscipit, eos, qui quavis ratione ab ecclesia recesserunt, illa, qua maxime præstas, benignitate advocare non cesses, reversos autem non secus ac filios tractes, & eos, qui posthac reverti voluerint, læto animo ac serena fronte suscipias, non quantum erraverint, sed quantum Tibi eorum, ecclesiæque salus curæ esse debeat, respiciens; neque enim pius ille de Evangelio pater filium prodigum ad se revertentem, quod omnia bona sua dissipaverat, arguit, sed potius quod filius erat, magno gaudio suscepit, celebreque lætitiæ convivium parari jussit. Qui enim examinare præteritam culpam intendit, hic non parcere ac misereri, sed potius vindictam retribuere velle videtur; qui namque magnanime parcit, ille non errasse etiam eum, cui parcit, cupit videri. In hoc autem toto schismatis negotio, quod magni quidem momenti est, & Julio, qui ante Te beati Petri sedem tenuit, multas sollicitudines pariebat, nullus Tibi labor futurus est, cum Deus, qui omnia in hoc pontificatu Tuo mirabiliter operatur, ita ut verissime nunc dicere possint, qui videre redemptionem Israel expectant; Magnificavit Dominus facere nobiscum, ipse, Te hoc nec procurante, nec cogitante fortasse, & quasi dormiente, ipsos schismatis auctores his proximis diebus, præter omnium expectationem, in Tua posuit potestate, & eorum animos ita ad Tui reverentiam, atque Ecclesiæ caritatem convertit, ut magis a Julio, quam a Pontificis persona, magis ab eo uno homine, quam ab ecclesia dissensisse ostendere multis argumentis conati sint. Et Tu, qui pii parentis erga omnes affectum geris, hos ipsos schismatis auctores, Pontificis authoritate undequaque servata, ad pristinam dignitatem restituisti; pulcherrimum certe facinus, & pontifice maximo dignum; uno namque eodem die pœnitentibus magnanime pepercisti, divisa a Capite nobilissima membra omni cum dignitate ad unitatem reduxisti, oves, quæ perierant, invenisti, & ad gregem Domini propriis fere humeris reportasti, & perfectum certe pii parentis, pontificis maximi, pastoris munus implevisti. Cum vero ipsa Dei providentia hos duos totius schismatis principes ad te adduxisse videatur, & illi non corpore tantum, sed animo & voluntate, in quibus nulla potestatis Tuæ vis extenditur, sponte se se ad unitatem caritatis, ad subjectionis reverentiam obtulerint; quid aliud sperare nunc possumus, quam horum exemplo reliquos omnes schismaticos jamjam Tuæ subjectos esse voluntati? Qua quidem in re, si fuerit Tibi a Domino reliquos etiam conciliandi oblata occasio, Tu eam nequaquam spernes, ut vera Ecclesiæ pace atque unitate reddita, magno harum sollicitudinum onere liberatus, ad Ecclesiæ sanctæ reformationem majori cura, liberiorique animo vacare possis. Reliquos igitur schismaticos, Beatissime Pater, quos pro innata benignitatis Tuæ observantia, pro pastorali, quam geris, omnium cura, etiam retrocedentes revocare, ac repugnantes amare debes, cum se se ultro revertentes obtulerint, & obedire potius Tibi, quam repugnare ullo modo paratos esse confessi fuerint, suscipere ne differas. Aliter enim, nec fratrum Tuorum salutem amare, neque Ecclesiæ unitatem, neque ea, quæ unitati conjuncta sunt, bona diligere, calumniari poteris.

Vera autem atque perfecta reddita Ecclesiæ unitate, tunc ad reformationem Romanæ curiæ omnes mentis Tuæ vires extendere debebis. Ad quam perfecte instruendam tria Tibi potissimum, præter ea, quæ dicta sunt, necessaria existimamus. Primum quidem, ut Sapientiæ Tuæ oculos, nulla rerum magnitudine, nulla consuetudinis, immo perversæ abusionis causa perstringi aut obcæcari patiaris; sed & præsentem Ecclesiæ statum, ne ruinam ac desolationem potius dicamus, intuens, & in profundum vulneris ejus aciem dirigens, Ecclesiam ipsam Dei magna reformatione egere in animo statuas, eamque Tibi, non sicut est, possidendam, sed reformandam a Deo traditam, sine hæsitatione arbitreris, atque pro reformatione ejus multo magis quam pro quavis alia re Tibi laborandum esse statuere velis. Nisi enim laborare Ecclesiam credideris, nisi Tibi quasi medio ad sanandam traditam credas, nisi diligenter salutem ejus curare statuas, nihil est magni, quod sperare Christiana abs Te Respublica possit; nihil est momenti alicujus, quod Tu præstare valeas. Si vero hæc, quæ diximus, semel susceperis ac statueris, Secundum, quod non minus necessarium credimus, est, ut non tantum, quales illi nunc sint, qui sub Te Ecclesiæ sanctæ moderamina tenent, respicias, sed potius quales illi futuri sint, qui a Te ad hujusmodi regenda munera eligendi sunt, sancta intentionis perspicacia, sancta mentis

tis virtute intuearis. Vinea enim hæc Domini, quæ pro uvæ dulcedine, fellis parit amaritudinem, & venenum aspidum insanabile, non tantum est veterum vitium curatione in meliore mformam vertenda, quantum novis optimis surculis positis penitus innovanda; minor enim labor futurus est, novas teneriores vites alere, quæ dulces afferant fructus, quam veterum amaritudinem in dulcedinem commutare. Tibi præsertim, qui ea diei hora, eo ætatis Tuæ flore, ad colendam Domini vineam advocatus es, ut quos modo humiles surculos plantare incipies, eosdem altissimas vites videre possis, fructusque ex laboribus tuis desideratissimos abundantissimosque suscipere: Cum enim vetera quæquam paulatim deficiant, si nova Tu a veteribus diversa statuere decreveris, non post multum temporis fiet, pro veteribus novis semper crescentibus, ut tota innovata Ecclesiæ forma appareat. Et qualem Tu Tibi ipsi illam facere proposueris, talem Te videre continget. Summo etiam desiderio Te omnes Italiæ partes, omnes Christianas regiones jam perquirere credimus, & quoscumque viros moribus doctrinaque præditos invenies, eos in mentis Tuæ arcano seu aliquo etiam quasi catalogo describere censemus, ut cum aliquis ex iis, qui modo Ecclesiæ gubernacula tenent, decesserint, semper in promptu habeas, quem loco ejus subrogare debeas, sique paulatim his, quos ex universa Christiana Republica elegeris, sanctam Ecclesiam Dei committes, fiet quam cito, ut recedentibus veteribus, nova sint omnia. In hac autem electione, in hac electorum a Te promotione, atque in omni Pontificatus Tui munere non eos Te audire velle consiliarios credimus, qui blandiri, qui adulare, simulare atque dissimulare studeant, quales fere omnes futuros illos existimamus, qui a Te aut dignitatem, aut beneficium, aut propriam gratiam aliquam sibi reportare cupiunt; hi enim propriis affectibus devincti, dum illis inserviunt, raro veritatem propriæ commoditati, aut propriis desideriis anteponunt. Sed illis potius aures a Te sunt accommodandæ, qui non, quæ sua sunt, sed quæ Domini Jesu Christi quærere soleant, qui nihil a Te nisi commune omnium bonum aut postulare statuant, aut recipere sint parati, qui usque adeo non seipsos magis, quam Ecclesiæ sanctæ integritatem diligant, ut pro communi Christianorum bono morti, & si opus sit, se adjicere non recusent. Tales, qui sincere, nulla propria affectione ducti, veritatem ante omnia colere cupiant, si audire statueris, nullæ blanditiæ animi Tui virtutem emollire, nullæ adulationes mentis Tuæ aciem perstringere poterunt. Sed Te sapientissime excogitante, & his, qui ad aures Tuas loquuntur, recta animi Tui consilia non corrumpentibus, sed potius confirmantibus, eveniet certe, dum Tuum potius quam aliorum consilium suscipies, dum illud, quod proverbio dici solet, eos qui imperant, ab aulicis semper vendi atque decipi, evitabis; ut quod vix fieri nunc posse existimatur, statim ab omnibus factum esse conspiciatur, novaque quasi de Cœlo veniens ornata viro suo sponsa sancta apparebit Ecclesia. Maximam vero in electionibus ac promotionibus hoc pontificatus Tui initio Te habere velle rationem judicamus, quoniam omni dubio procul qualis futura sit sub Te Christi Ecclesia, qualis Pontificatus Tui cursus, in his initiis quasi in quodam speculo universi intuebuntur, & omnes jam, qui tam propria commoda quærunt, quam qui communem utilitatem desiderant, tam mali scilicet quam boni, ad hoc unum intentissime respiciunt, quales scilicet Tibi eligere, quales promovere viros incipias, ut inde argumentum capere possint eorum, quæ aut illi propria, aut isti communia bona sperare valeant. Magni certe momenti totiusque rei pondus hoc est; in quamcumque enim partem hæc primo libra inclinare ceperit, in eam per quam certissima tota deverget Ecclesia. Tertium post hæc, quod maxime omnium ad perfectam Ecclesiæ reformationem necessarium credimus, est, ut quæ sive a sanctis civilibus & ecclesiasticis legibus recte decreta sunt, sive quæ Tu in universali hoc Lateranensi Concilio, aut alio quovis modo decreveris atque statueris, custodiri atque observari inviolabiliter facias, impunisque nullus sanctarum institutionum prævaricator permittatur; aliter sanius certe est nihil statuere, quam statuta permittere, ut minus observentur; & nihil sane prodest ea sapientia, quæ recte novit excogitare, si illa justitia desit, quæ excogitata faciat custodiri. Tria hæc, quæ diximus, quæque etiam Te quotidie excogitare credimus, ad totius Ecclesiæ reformationem, quamquam alia minus certe necessaria deesse possint, satis sunt futura. Nam si Tu ad hanc reformationem toto animo respexeris, si ad hoc opus invigilare decreveris non deerunt sapientiæ Tuæ optima ad ipsam aggrediendam consilia. Si vero diligentissimorum, quorum consilia audias, considerabis, si quos ad Tecum regendam Ecclesiam suscipias, intuea-

intuearis, non deerunt Tibi auxilia, quibus suffultus rem ipsam pro votis perficere possis. Si postremo, quæ a sanctis Patribus decreta jam sunt, aut deinceps a Te statuentur, observari curabis, perfectioni firmitatem tantam adjicies, ut nulla perversitatis vis sanctam valeat amplius Ecclesiam conturbare, sed Petro & Paulo, qui Ecclesiæ Romanæ maximam semper curam habuerunt, intercedentibus, votis Tuis, immo bonorum omnium, Deus ipse & Dominus Jesus Christus ita propitius aderit, ut sicut in Cœlis ipso regente una est Beatorum omnium Ecclesia, sic etiam in terris unam sub Te humanarum creaturarum omnium Jesu christo servientium Ecclesiam intuebimur, ad instar illius cœlestis Hierusalem, pacis ac justitiæ plenam, in qua nullum vitium, sed perfectarum omnium virtutum plenitudo inhabitabit, cui Tu, Beatissime Pontifex, qui Christi vices geris in terris, dux, princeps & pastor, custos, solusque moderator assistes.

Hoc est, Sanctissime Pater, Ecclesiæ Dei curam habere, jura Ecclesiæ tueri; Ecclesiam enim regere nihil aliud est, quam humanarum creaturarum omnium gubernationem recipere; hoc est beati Petri domum, quam destructam, desolatamque, ac totam pene solo miserabiliter æquatam accepisti, reparare & erigere, ut in sanctum vivis ex lapidibus ædificium ad cœlum usque consurgat. Hæc quidem magni animi, magnæ prudentiæ, magnæque sanctitatis opera sunt, & quæ maximum atque magnanimum pontificem decent, quæque etiam illum possint veris laudibus, ac solida gloria ad Cœlum extollere, & cœlestis æternæque felicitatis participem facere. Qui autem putant, quod pretiosarum in conspectu Domini animarum cura neglecta, terrenum Ecclesiæ imperium aut tueri aut augere, atque in hoc uno omnes curas & sollicitudines ponere, magnanimi pontificis sit; illi certe non rerum naturas considerant, non recta judicant ratione, sed perversa quadam consuetudine obcæcati, rerumque visibilium ac præsentium nimio amore devicti falluntur quammaxime, dum caducis & vanis bonis perpetua ac vera bona præponere nequeunt, dum Ecclesiam sanctam Dei, non Fidelium congregationem, sed terrenum aliquod imperium putant, dum Pontificis curæ & fidei, non animarum salutem, sed terrenarum rerum administrationum commissam existimant, & illum, qui in terris est dignissimus Dei vicarius, & divinis solum atque æternis rebus intentus esse deberet, vilissimum terrenarum divitiarum negotiatorem faciunt. Quod siquis obdurato ita sit corde atque obcæcata mente, ut nihil aliud esse Ecclesiam Dei, quam civitates, regna atque imperia terrena arbitretur, ac dignissimum ac magnanimum illum vocare pontificem velit, qui hæc ipsa Ecclesiæ bona aut tueri, aut ex tyrannorum manibus vendicare invigilet atque laboret, nonne dementiæ atque insaniæ proximum est, illum magnanimum atque potentissimum pontificem credere, atque communi omnium voce acclamare, qui magna regna, magna Ecclesiæ imperia ab impiis tyrannis inique possideri permittat, neque ad ea consideranda, nedum vendicanda, aciem armatorum virorum, sed neque oculorum convertat, ad quasdam autem sarcinulas colligendas totus occupetur, omnes pontificalis dignitatis vires auctoritatemque exerceat, nescio quomodo non videat, quomodo pontifici maximo, & ei pontifici, qui pro magnanimo velit haberi, indecens atque indignum sit, cum universus orbis terrarum sub pontificis positus sit potestate, minutias quasdam atque exiguas portiones ipsius creditæ sibi universitatis diligentius quærere? Si vero ad temporale Ecclesiæ imperium augendum spectes, numquid Te animo & virtute Alexandro minorem sentis, cui unus non sufficit orbis? Numquid ullum unquam Romanum Principem Te majorem fuisse existimas? & tamen olim Romanis Pontificibus orbis serviebat universus. Numquid Te Urbano, aut Julianum fratrem Tuum Balduino aut Gottifredo conferre timebimus, qui Hierosolymam & alia circumjacentia loca, expugnatis Infidelibus, Christiano adjecere imperio? An propria hæc istorum hominum virtute facta existimas, an Domini auxilio perfecta? Si de humana virtute hæc evenisse sentimus, de Tua, quæ magna certe est, & omni major existimatione, cur talia & his majora sperare non possumus? si de divino auxilio procedunt; quid est, unde Sanctitatis Tuæ divinum defuturum auxilium suspicari valeamus, cum Tu sis super mortales omnes moribus optimis præditus, virtutibus præclarissimis ornatus, religionis zelo & pietatis fervore succensus, & maxima erga Deum & homines caritate plenus? Numquid sic affecto deesse unquam divinæ clementiæ munus potest? Aggredere, Beatissime Pater, aggredere opus, ad quod a Domino vocatus es, & hæc omnia, quæ diximus, quæ nobis magna videntur, in propriæ virtutis conscientia, Te nequaquam majora, existima, & de Divini auxilii confidentia ea

certe

certe non solum majora, quæ nobis apparent, sed parva & levia & ad conficiendum faciliora judica; aggredere jam opus, quod nisi incipere pigeat, nunquam incepisse pœnitebit; Perficies enim, si semel inceperis, facilius omnia, quam sperare aut optare potuisses. Id nos existimare ea faciunt, quæ in Te a Domino mirabiliter sunt operata. An sperare aliquis aut optare unquam potuisset, Te ex captivitate ad libertatem, ab exilio in patriam, ea quæ vidimus, facile reverti? An Tibi aliquis ita affectus est, ut Te trigesimum septimum annum agentem, ac juniore ætate, his adhuc florentibus annis, præter temporum consuetudinem, ad Apostolicæ dignitatis sublimitatem ascendere, aut sperare, aut optare ausus esset, & tamen, cum ceteris pene patribus omnibus Tuis Cardinalibus minor ætate sis, quasi alterum Josephum adoraverunt te fratres Tui, & quasi alius David, qui fratrum suorum minimus fuit, a Domino electus es, ita ut vere ad Te dicere possit Dominus: Posui adjutorium in potente, & exaltavi electum de plebe mea, inveni Leonem servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Lege, Beatissime Pater, quæ sequuntur, & vide, si non ille, qui hæc mirabiliter in Te operatus est, adhuc mirabilia promittat: Manus, ait, mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum; & ut magna cum fiducia inter cetera, quæ a Te perficienda sunt opera, ad Infidelium expugnationem accederes, de illis victoriam promittere Tibi non dissimulavit, dicens: Concidam a facie ipsius inimicos ejus, & odientes eum in fugam convertam. Vide, si non hoc jam præstare ipse abundantius voluit, quam aliquis Tibi optare potuisset. Quis enim Tibi tanta caritate devinctus est, ut optare aut sperare unquam potuisset, in his Pontificatus Tui auspiciis, schismatis auctores in Tua devenire potestate; reges ac Christianorum omnium Principes a Tua pendere voluntate? Quæ quidem omnia Divinæ in Te propensionis magna sunt argumenta. Non est igitur, unde hæc ipsa, quæ tam magna, tam ardue prima facie videbantur, exigua, leviaque ac facilia Tibi non appareant. Qui si & de virtute Tua (nisi humilius quam ceteri omnes de Te sentire didicisses) confidere satis posses, quique in arduissimis semper rebus Domini auxilium Tibi adfuisse expertus es, eumdem semper Tibi affuturum non est, cur sperare non debeas? Aggredere igitur Judæos, & Idololatras convertere, Mahumetanos aut ad fidem aut ad interitum deducere, Christiani nominis populos omnes Romanæ Ecclesiæ potestati subjicere, & quasi capiti suo membra conjungere, a fidelibus omnibus Ecclesiæ filiis vitia evellere, virtutes plantare, Ecclesiam Christi & numero & virtute Credentium & spiritualium rerum imperio augere. In quibus tamen conficiendis, si pro experienda animi Tui fortitudine, contradictiones, difficuttatesque aliquas insurgere Deus optimus rerum moderator permittet, Tu, Beatissime Pater, qui non cedere malis usu jam didicisti, contra omnia, quæ adversari votis Tuis videbuntur, audentior ibis; sciens, quoniam opera, quæ secundum fidei pietatem fiunt, contradictionem sustinere solent; omnes enim, qui pie volunt vivere in Christo, persequutiones patiuntur, & vita hominis militia est super terram. Quod pietatis Divinæ dispensatione fieri non ambigimus; qui enim nos gloria & honore coronare vult, his contradictionibus atque difficultatibus non opprimi quidem, sed exerceri permittit; quoniam coronari minime dignus videri potest, nisi qui legitime certaverit. Quæ Tu, Sanctissime Pater, optime intelligens, & quæcumque oppugnationes insurgent, in his perficiendis non ad opprimendam, sed ad exercitandam virtutem Tuam, non ad diminuendum laborum Tuorum fructum, sed ad mercedem augendam permitti cognoscens, tamquam strenuissimus miles læto animo excipies. Solent enim, qui magnanimitate pollent, in hac spirituali terrenaque militia, ad declarandam virtutis suæ præstantiam fortem atque ardentem, potiusquam ignavum aut desidem adversarium optare; ubi enim major pugna, & difficilior expugnatio, ibi & virtutis apertior est declaratio, & non recedentibus victoria lætior, mercesque copiosior certa fide promittitur.

Hæc tamen omnia cum Tu perfeceris, cum & alia assequutus a Domino, & majora fueris, quæ nec nos cogitare possumus, neque Tu optare fortasse audes, tunc illud, quod perfectionis multum plus habere certissimum est, quasi ultimum comœdiæ actum Tibi perficere superest; quod pastoralis officii ac muneris postremum esse beatissimus Gregorius affirmat. Hoc autem est, ut postquam & recte vivens, & alios omnes recte vivere docens, hæc omnia confeceris, Tu temetipsum consideres, ne magnitudo virtutis occasionem perditionis præbeat; & qui universum orbem deviceris, Temetipsum per veram humilitatem, quæ perfectior est victoria, & triumphi species magnificentior, vincere satagas, non de iis,

iis, quæ feceris, gloriam quærens, sed de iis, quæ omiseris, rationem reddere pertimescas; immo & in iis, quæ feceris, non Te auctorem, sed ministrum, ac Domini illius instrumentum cognoscas, qui pro sapientiæ potentiæque suæ immensitate & vilioribus sæpe & minus idoneis instrumentis mirabilia solet operari. Memineris, quale Tibi sit a Domino concessum ministerium, & dices cum Paulo: Si evangelizavero, si hæc omnia perfecero, non est mihi gloria, sed necessitas ita faciendi incubuit; & secundum Domini Jesu-christi præceptum, cum hæc & alia omnia, quæ ipse Dominus præcepit, impleveris, dices: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, hoc fecimus; neque propterea mercedem aut gratiam a Domino expostulare audebis, quia ea feceris, quæ imperavit, sed potius misericordiæ ejus confidens, Te totum miserationibus ejus committes; omnes enim cum peccaverimus, omnes misericordia ejus egemus. Hæc sunt, Beatissime Pater, quæ dicere debuimus. Tu nobis quæsumus, vestigia pedum Tuorum devoto corde osculantibus, benedictionis Apostolicæ munus impartire.

B. HIERONYMI A PRAGA EREMITÆ CAMALDULENSIS SERMONES

Tum in Concilio Senensi, tum contra Hussitas & Bohemos hereticos, tum alii in Sanctorum honorem, ad instantiam Episcoporum, Prælatorum & Virorum illustrium.

SERMO MODERNUS AD CLERUM FACTUS IN CONCILIO UNIVERSALI IN SENA.

ERunt *signa in Sole*. Hæc verba originaliter scribuntur Lucæ Capitulo XXI. & transumptive leguntur in præsentis Dominicæ Evangelio, Reverendi in Christo Patres, & Domini, ac diversarum facultatum Magistri & Doctores egregii. Quia mandatis obsequens Apostoli, qui sic inquit: Omnia quæcunque facitis in verbo, aut in opere, in Nomine Domini nostri Jesu Christi facite; Ad Collossenses III. Capitulo, & transumptive in Capitulo *Non licet* XXVI. Quæstione V. quam in Nomine Dei Patris Omnipotentis, qui ab initio Sæculi utramque de nihilo condidit Creaturam, Angelicam, & Humanam, ut habetur de Summa Trinitate, Capitulo *Firmiter* Ac in Nomine Filii ejus Domini Nostri Jesu Christi, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, æqualem se esse Deo, qua natura fuit & est semper æqualis, tamen exinanivit semetipsum, habitu inventus ut homo, quia sic in Virginis utero suscepit hominem, ut nec sine homine Deus sit, nec sine Deo homo, quamvis nec Humanitas sit Divinitas, nec Divinitas est Humanitas; non sunt confusæ in eo naturæ, quamquam ex duabus naturis una sit Persona, qua Deus & Homo unus est Christus, ut ait in Symbolo Fidei beatus Athanasius; In cujus Nomine omne genuflectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum; Ad Philippenses Capitulo secundo. Ac etiam in Nomine Sancti Spiritus, qui a Patre & Filio, non pluribus spirationibus, prout Græci suspicantur, & errant, sed unica tantum spiratione procedit, ut probatur Extravaganti de Summa Trinitate & Fide Catholica, Capitulo *Unica* Qui quidem Spiritus Sanctus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, aut quo vadat; Johannis tertio capitulo. Sed quia in omni actione ordinata tam naturali, quam artificiali est aliquod efficiens, aliquod recipiens, & aliquod proveniens; Hinc est, quod in actu sanctæ prædicationis, qui est actus hierarchicus valde sublimis, hæc tria necessario requiruntur, nam licet in omni actione agentium Deus ipse dici possit principaliter agere, quia tamen actus sanctæ prædicationis transcendit facultatem naturalis intelligentiæ, tam Angelicæ, quam humanæ, quia est de illo, qui superior est omni narratione, ut habetur in libro de Causis, Propositione VI. cui alludens Proclus Philosophus Propositione CXXIII. sui libri, sic inquit: Primum propter substantialem unionem indicibile est, & incognoscibile ab omnibus secundis. Multo minus dicibile erit a me, eo quod & vitæ meæ negligentia, & sermonis imperitia sistunt ex adverso, præsertim cum in præsentia tantorum Dominorum Patrum & Prælatorum universalis Ecclesiæ, ac Judicum totius Orbis, & Doctorum diversarum facultatum, quidquid dixero, imperitiæ meæ deputari, & veniam dari peto. Nam ut ait beatus Gregorius libro VI. Moralium prope finem: Quantalibet, inquit, doctrina mens polleat, grandis est imperitia velle docere meliores; in eo namque verba vim suæ rectitudinis amittunt, eo quod auditori non congruunt; unde & medicamina vires perdunt, quando sanis membris apponuntur. Hæc Gregorius. Verumtamen, ut audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor; Psalmo LXXXIV. Ideo de Divina confisus misericordia & vestra benigna patientia ceptum progredior. Quod ut facilius assequi valeam, pro impetranda Spiritus Sancti gratia, more solito ad Matrem misericordiæ, quæ sola ad omne bonum facilitat, ore recur-

recurramus, eamque devote salutemus, dicentes mente serena: *Salve Regina*.

Erunt signa in Sole: ubi thema, Reverendissimi in Christo Patres & Domini bases Ecclesiæ, ac Judices Orbis. Quia hoc Sacrosanctum Senarum Concilium reformare & supplere ea nititur, quæ in Sancta Constantiensi Synodo nondum completa fore cernuntur; Ideo de reformatione statu universalis Ecclesiæ, ac de nobis ipsis hodiernus sermo reddendus est, super eo, quod spectaculum facti sumus Mundo & Angelis & hominibus; prima ad Corinthios IV. Quare utens verbis beati Augustini de comuni vita Clericorum, & allegatur transumptive in Decreto, XII. Quæstione prima *Nolo* ubi dicitur: Nolo ut aliquis de nobis inveniat male vivendi occasionem; providemus enim bona, ut ait Apostolus, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, quia propter nos est nobis necessaria bona conscientia, & propter alios est nobis necessaria bona fama. Nam qui confidens de conscientia, negligit bonam famam suam, crudelis est, melius est enim nomen bonum, quam unguenta pretiosa; Ecclesiastes VII. Igitur omnis Episcopus, Sacerdos, Clericus, vel Prælatus in amore Dei profundatus, in proprio regulatus, in proximo dilatatus, scientifice obtinet veridice, ut in omni statu suo possit esse perfectus. Tenet consequentia, quia amor Dei, sui, & proximi de necessitate requiritur ad perfectionem cujuslibet Episcopi, Sacerdotis, Clerici, vel Prælati. Quo per primum in optimo quietatur objecto; Per secundum in proprio regulatur subjecto; Per tertium excluditur subjecti ad objectum oppositum in adjecto. Inchoatur autem amor Dei, secundum beatum Augustinum libro de Civitate Dei, Capitulo XVIII. a contemptu sui, cum ob divinam gloriam odium potius reportat homo, quam favorem, juxta sententiam beati Johannis Chrysostomi in Imperfecto sic dicentis: Melius est odium propter Deum, quam amor, qui est propter ipsum; cum enim propter Deum amamur, debitores Dei sumus. Cum vero odio habemur propter ipsum, debitorem nobis facimus Deum. Hæc Chrysostomus; præsertim cum & Canon in Decreto hunc eumdem confirmat sensum, dicens: Melius est pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione habere beneficium. Ita scribitur Causa x. Quæstione III. Quare ego in præsenti sermone totius adulationis cavens vitium, & solius Dei postulans auxilium, si in Sole mystico militantis Ecclesiæ quædam signa deformitatis reperire potero, sub brevitate indulti temporis enarrare curabo. Ad hoc namque Increata Veritas in Evangelio præsentis Dominicæ omnes hortatur, dicens: *Erunt signa in Sole*: Quæ fuerunt verba Reverentiæ vestræ loco thematis proposita.

In quibus verbis a me sic ruditer introductis sub metaphora solis propositi, triplex sol non incongrue potest intelligi, dicente Scriptura: Est triplex sol, exurens montes, & refulgens radiis suis, obcæcat oculos; Ecclesiastici XLIII. Est inquam Sol increatus, Sol justitiæ, Christus Dominus; Est Sol electus, idest Status militantis Ecclesiæ; Et est Sol creatus, iste materialis, figuræ circularis, seu sphæricæ, quæ figura circularis, ut probat Physicus, est perfectior inter omnes figuras, quia in eo proceditur ab eodem puncto ad idem per æqualem distantiam a centro. Et de isto Sole materiali, & de signis, quæ erunt in eo ante diem Judicii, quamvis Johel Propheta non tacuit, sed & beatus Hieronymus legisse se in Annalibus Hebræorum asserit, ac Methodius Martyr revelatum sibi in carcere fore testatur, tamen ista talia, quæ eadem facilitate reprobantur, qua probantur, causa brevitatis omittens, in primo & secundo Sole finem huic imponam sermoni. Est igitur primo Sol increatus Christus Dominus, de quo sub metaphora Ecclesiastes primo dicitur: Oritur Sol & occidit, & ad locum suum revertitur. Tunc enim Redemptor noster ortus fuit, quando de intemeratæ Virginis utero processit, tamquam sponsus procedens de thalamo suo; Psalmo XVIII. Tunc occasum fecit, quando in ligno Crucis pro nobis occubuit; Et renascens ad locum suum rediit, quando resurgens a mortuis, Cœlos ascendit; Unde Zacharias Propheta ait: Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto; Lucæ secundo. Tunc oriens ex alto, nos visitare dignatus est, quando Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; Johannis primo. Verbum inquam illud, non factum, nec prolatum, nec creatum, sed ante sæcula a Patre genitum pro nobis incarnari voluit in fine sæculorum; Qua quidem incarnatione omnium artium liberalium censuras, & omnium entium naturas mutavit, nam contra censuram artis grammaticæ fecit, eo quod Verbum illud, per quod facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, supponitur, & regitur, cum tamen sit substantivum; Occultatur & tegitur, cum sit indicativum; Subjugatur & vincitur, cum sit imperativum;

tivum; Vilificatur, & a Judæis sperni-tur, cum sit optativum; Dilatatur & in Cruce extenditur, cum sit conjunctivum; Terminatur & in Sepulcro clauditur, cum tamen sit infinitivum; Similiter mutavit censuras Logicæ, cum nomen infinitum finitum reputatur, & terminus transcendens in genere locatur. Insuper contraria simul dicuntur de eodem. Mutavit etiam in se censuras Geometriæ, eo quod linea infinita & longissima, absque minutione breviatur; Superficies ampla & latissima sine condensatione angustatur; Circumferentia magna, immo maxima, sine inclusione terminatur; Figura summe spherica absque mutatione conquadratur. Hoc namque pulcre declarans Philippus Parisiensis Cancellarius, Metrice inquit in hæc verba: Dum Factoris & facturæ mira sit conjunctio, quis est modus ligaturæ? quæ junctura? quæ ratio? quæ sunt juncta? quæ juncturæ? quæ unio? Stupet suo fracto, jure Geometræ proportio, immensum sub mensura terminorum clauditur; Spheram claudit quadratura, & semper ipsa clauditur. Signa autem in Sole isto increato sunt hæc: Mira humilitas & immensa Charitas. Nam de humilitate ipse ait: Discite a me, quia mitis sum & humilis corde; Matthæi XI. Et de caritate idem testatur, dicens; Majorem caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis; Johannis XV. Exemplo hujus Solis increati nostri Domini, Episcopi & Prælati sic suos subditos diligant, ut si opus fuerit, etiam pro eis animam ponant. Integritas namque præsidentium est salus subditorum. Ita scribitur in Decreto, Distinctione LXI. Capitulo *Miramur* Quoniam Prælati & Pastores prius in se ipsis debent ostendere, qualiter subditos in domo Dei oporteat ambulare, cum vita Pastorum subditis debet esse in exemplum; Secunda, Quæstione VII. Capitulo *Cum Pastoris* Vulnerato namque Pastore, quis curandis ovibus adhibebit medicinam? Prima, Quæstione prima Capitulo *Fertur* Quia totum corpus invadit morbus, si languor non fuerit curatus in Capite; Secunda, Quæstione VII. Capitulo *Sicut inquit* Unde Dominus per Exechielem Prophetam de malis pastoribus conqueritur dicens: Lac inquit comedebatis, & lanis operiebamini; quod crassum erat occidebatis; Gregem vero meum non pascebatis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia; Exechielis XXXIV. & transumptive secunda Distinctione, Capitulo *Habet* Talibus ergo & multo acrioribus, verbis arguendi sunt mali Prælati & Pastores, quibus non est cura de ovibus, cum tamen sanguis earum de manibus Prælatorum requiretur, ut habetur in Capitulo: *Irrefragabili*. Omnes enim Prælati declinaverunt, simul inutiles facti sunt; Psalmo XIII. Omnes inquam declinaverunt, sed diversimode, nam quidam declinaverunt a recto, idest Nominativo castitatis, in Genitivum luxuriæ & carnalitatis. Alii declinaverunt a recto æquitatis, in Dativum injuriæ & malignitatis; Alii declinaverunt a recto caritatis in Accusativum invidiæ & mordacitatis. Alii declinaverunt a recto humilitatis in Vocativum superbiæ & vanitatis. Alii autem declinaverunt a recto pietatis in Ablativum usuræ, & symoniacæ pravitatis. Et hii omnes sic incongrue & vitiose declinantes, maledicuntur a Deo, dicente Propheta: Maledicti, qui declinant a mandatis tuis; Psalmo CXVIII. Insuper & cum iniquis perpetue damnantur, dicente David: Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem; Psalmo CXXIV. Tunc quando Dominus dicet: Ligatis manibus & pedibus, projicite eos in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium; Matthei XII. & merito, quia moderni Prælati diligunt vanitatem, & quærunt mendacium; Psalmo IV. Et hæc est causa destructionis Ecclesiæ universalis, videlicet pompa, vanitas, & superfluitas Prælatorum, crebra, frequens, & generalis, quæ mentes laicorum ad invidiam suscitat; tyrannos ad diripiendum bona Ecclesiæ invitat; Schismata & hæreses multiplicat. Hæc namque est labes pestifera, & Dæmonium surdum & mutum, quod non ejicitur, nisi in oratione & jejunio. Unde beatus Ambrosius in libro de jejunio ait: Quoadusque deliciæ, quoadusque comessationes? Jejunantibus filiis Israel manna de Cœlo descendit, epulantibus eisdem culpa prævaricationis ascendit. Daniel trium hebdomadarum jejunio, vir desideriorum, audivit Angelum Dei loquentem: A die prima, qua posuisti in corde tuo, ut affligeres te in conspectu Dei tui, ego missus sum ad te, ut annunciarem tibi, quæ scripta sunt in libro veritatis; Danielis XV. Hester quoque Regina, triduano indicto jejunio, & oratione, salutem universo populo suo impetravit; Hester XIV. Doctrinam tribuens omnibus in hoc Sacrosancto Concilio congregatis, illud primum esse remedium pro reformatione Sanctæ universalis Ecclesiæ adhibendum, præcipere ac indicere, non solum in Italia, sed etiam per omnes orthodoxæ

thodoxæ fidei provincias jejunia, processiones, & devotas orationes, ut ipse Dominus, qui exaudit deprecationes pauperum, in tam arduo hujus Concilii negotio effectum & finem dignetur præstare optatum. Et hoc de prima parte sermonis.

Dixi secundo, & multo brevius, quod est Sol electus, idest status militantis Ecclesiæ, de quo secundo libro Machabeorum, Capitulo primo sic legitur: Tempus affuit, quo Sol refulsit, qui prius erat sub nubilo, & accensus est ignis maximus, qui totum consumpsit Sacrificium, itaut omnes mirarentur & orarent, Jonatha Summo Pontifice inchoante, & ceteris prosequentibus. Equidem tempus Sacri Concilii Constantiensis affuit, in quo Sol militantis Ecclesiæ refulsit, qui prius erat sub nubilo perversi schismatis, tribus pro Papatu litigantibus, sed accensus est ignis maximus, idest zelus populi Christiani utriusque status, Johanne Summo Pontifice de Papatu dejecto, facta est lætitia magna in populo. Nunc autem in hoc Sacro Senarum Concilio tempus adest, ut Sol militantis Ecclesiæ, qui in Constantiensi Synodo refulsit, in hoc Senarum Concilio reformatus continue fulgeat, ablatis certis impedimentis, quæ lucem Solis impedire solent, & auferre. Sunt autem duo, quæ lucem Solis impediunt, idest nubium opacitas, & noctis obscuritas. Sed quid per nubes nisi carnales voluptates intelliguntur; quæ in luxu & in crapula consistunt? Sed quia, ut ait beatus Chrysostomus super Mattheum, non solum proditor est veritatis, qui pro veritate mendacium loquitur, sed etiam ille proditor veritatis esse censetur, qui veritatem non libere pronunciat, quam libere & manifeste pronunciare oportet; Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; Ad Romanos x. Hinc est, quod ego libere utar verbis Domini in Apocalypsi sic dicentis Habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, pœnitentiam agant, quo minus veniam, & pugnabo cum eis in gladio oris mei; Apocalypsis II. Quænam est ista doctrina Nicolaitarum, pro qua Dominus tanta terribilia minatur? Nicolaitæ namque sunt hæretici, vocati a Nicolao Diacono, qui fuit unus ex septem cum beato Stephano ab Apostolis Diaconus ordinatus; Actuum VI. Iste Nicolaus cum suis sequacibus statim post Ascensionem Domini prædicavit, omnes mulieres omnibus debere esse communes more brutorum animalium, & propter hoc factus est hæreticus, sicut testatur beatus Augustinus in libro de hæresibus. Et allegatur transumptive in Decreto, XXIV. Quæstione III. De hac doctrina Nicolaitarum Hugo super Apocalypsim inquit: Multi Sacerdotes & Presbyteri adhuc hodie sunt de secta Nicolai, qui se turpiter in luxuria fundunt, omnes mulieres etsi non in actu, quia non possunt, affectu tamen & depravata voluntate concupiscentes. De quibus Canon in Decreto, Distinctione XXXII. sic inquit: Præcipiendo mandamus, ut nullus audiat missam Presbyteri, quem scit habere concubinam indubitanter, aut subintroductam mulierem. Unde & Sancta Synodus hoc sub pœna excommunicationis & privationis decrevit ex Carthaginensi Concilio, in quo dicitur: Placuit Episcopos, Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos abstinere ab uxoribus, quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio. Et rationem assignat Apostolus ad Corinthios VI. dicens: Nescitis, quod membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, & Christus habitat in vobis? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. Quæ rogo est communicatio Christi ad Belial? aut quæ conventio lucis ad tenebras? De quibus tenebris idem Apostolus in hodierna Epistola scribit, dicens: Fratres abjicite opera tenebrarum, & induite arma lucis; Ad Romanos XIII. Quæ autem sunt illa opera tenebrarum, quæ debemus abjicere, consequenter in textu Epistolæ exponit, dicens: Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis; & notanter præmisit, non in commessationibus & ebrietatibus, quia semper luxuria sequitur gulam, sicut filia matrem. Hinc est, quod Jovinianus monachus factus est hæreticus, quia comessationes & ebrietates non esse peccata mortalia Romæ publicæ prædicavit, sicut probat beatus Hieronymus libro secundo contra Jovinianum monachum & hæreticum; Cum tamen ex sacris Canonibus constitutum sit, ut Presbyter, Diaconus, aut Clericus ebrietati deserviens aut cesset, aut certe degradetur, ut probatur in Decreto, Distinctione XXXV. Tales namque Sacerdotes & Clerici cum Holoferne vinolenti, cum filiis Heli violenti, cum Saul dæmoniaci, cum Golia gigantici, Eliseum subsannant, Job quoque spernunt, quia Salomonis palatia & Jeroboam solatia quærunt. De quibus beatus Hieronymus in Micheam Prophetam sic inquit: Ecclesiarum Principes, Episcopi, Prælati & Abbates, qui deliciis affluunt, & inter epulas pudicitiam se posse servare credunt, propheticus sermo describit, quod ejiciendi sunt de spatiosis domibus, & de lautis conviviis, ac de epulis multo

to labore acquisitis, quia confusio & ignominia est Dominum Jesum Christum, pauperem, esurientem, sitientem & nudum farsis corporibus prædicare, & jejuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre. Denique si Episcopi & Prælati locum Apostolorum tenent, quia tenent non solum dignitatem eorum, sed conversationem, & abstinentiam, ac vitæ sanctitatem imitentur. Hæc non ego, qui nihil sum, sed sanctus Hieronymus, beato Gregorio causam hujus dicti assignante, & habetur in Decreto, Distinctione LXXXIII. ubi dicitur: Nemo in Ecclesia Dei magis nocet, quam is, qui perverse agens, nomen, vel statum prælationis tenet; delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & ad malum exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis homo peccator veneratur. Nam, ut ait Philosophus quinto Ethicorum: Honor est præmium virtutis; Ergo tales Prælati vitiosi, quantum ad personam ipsorum, magis sunt vitandi, quam venerandi, sed jam ego, cui rei similes dixerim ad hujusmodi inutiles Prælatos & Sacerdotes, nisi aquæ, quæ est in fonte Baptismatis? hæc aqua baptizatorum peccata abluens, illos ad regnum Cœlorum transmittit, & ipsa postmodum in cloacas effunditur, beato Gregorio in homilia XXIV. ad propositum sic dicente: Per nos siquidem fideles ad sacrum Baptisma veniunt, nostris manibus benedicuntur, per impositionem manuum nostrarum Spiritum-Sanctum recipiunt; & ecce illi ad regnum Cœlorum pertingunt, & nos deorsum tendimus. Ingrediuntur electi, manibus Sacerdotum expiati, ad regna Cœlorum, & ecce ipsi Sacerdotes per reprobam vitam ad Inferni supplicia festinant. Hæc Gregorius. Quæ namque sunt officia, aut sæcularia negotia, quæ Presbyteri & Sacerdotes non administrent? Nam modernis temporibus quidam Presbyteri sunt usurarii & mercatores; Alii sunt castellani & procuratores; Alii tabernarum rectores & taxillorum lusores ac lenones. Hoc solum deficit, quod non sunt birri & hominum tortores; & hæc est causa universalis Ecclesiæ destructionis, & persecutionis totius Cleri. Quia sicut est populus, sic & Sacerdos, immo pejus; nam modernis temporibus Clerici & Sacerdotes per officiales sæculares exauctorantur, Ecclesiæ spoliantur, & Sacerdotes pro pecuniarum debitis capiuntur, ligantur, & incarcerantur per nefas, in dedecus ac verecundiam totius Ecclesiæ. Ergo huic reformationi hoc Sacrosanctum Concilium debet intendere. Nam secundus modus reformationis est iste, videlicet ut Sacrum hoc Concilium eligat viros doctos, bonæ famæ & vitæ, quos per singulas provincias constituant, & ordinent plena auctoritate visitatores ac reformatores totius Cleri, exclusa omni appellatione; & hoc usque ad futurum Concilium celebrandum, ut & Clerus honeste vivat, & laici manus violentas in Clerum extendere non audeant, nec præsumant. Et hoc de secundo.

Dixi tertio & brevissime, quod secundum impedimentum est, quod Solis lumen aufert, hoc est noctis obscuritas, id est ignorantiæ cæcitas; unde beatus Hieronymus in prologo Bibliæ sic ait: Sancta rusticitas solum sibi prodest, & quantum ædificat Ecclesiam ex vitæ merito, tantum nocet, si destruentibus per scientiam non resistit. Elaborandum est itaque Sacerdotibus & Prælatis secundum Isidorum libro Sententiarum, & allegatur transumptive in Decreto, Distinctione XXXVII. ut ignorantiam a se quasi quamdam pestem abjiciant, ne dum per ignorantiam aliis ducatum cæcitatis præstare ceperint, simul utrique in foveam cadant. Ait enim Apostolus: Qui ignorat ignorabitur. Quod utique de illo dictum est, qui noluit intelligere, ut bene ageret, beato Augustino libro quæstionum sic dicente: Non omnis ignorans immunis est a pœna. Ille enim ignorans a pœna excusari potuit, qui quod disceret non invenit. Illis autem ignosci non potuit, qui habentes a quo discerent, operam non dederunt; de quibus dicit Canon causa prima, Quæstione prima: Vilissimus putandus est, nisi præcellat alios scientia, vel sanctitate, qui officio dignitatis aliis est præstantior. Nam si secundum Aristotelem primo Metaphysicæ: Intellectus noster sic se habet ad ea, quæ sunt naturæ manifestissima, sicut oculus vespertilionis ad Solem, quanto magis improportionata nostri mentalis oculi crassitudo erit ad cognoscendam lucem Divinæ voluntatis, si non per disponentes stellarum media graduum fuerit illuminata. Qua propter dicit Canon in Decreto, Distinctione XXXVIII. Sicut Stellas Cœli non extinguit nox, sic mentes Sacerdotum & Prælatorum inhærentes firmamento Sacræ Scripturæ non obscurat mundana iniquitas. Hinc est, quod David prius ex gratia Spiritus Sancti donum percepit scientiæ, & postea regni gubernationem assecutus est; Secundi Regum V., Sic & Deus prius posuit verba sua in ore Prophetæ, & postea constituit eum super gentes & regna; Jeremiæ primo.

mo. Propter quod beatus Petrus Apostolus, cum Prælatis Ecclesiæ scriberet, prima Petri tertio, inquit: Parati esse debetis reddere rationem omni poscenti vos de ea fide & spe, quæ est in vobis. Hujus dicti rationem assignante beato Gregorio, & allegatur in Decreto, Distinctione XLIII. Capitulo *Sit Rector* ubi dicitur: Præconis officium suscipit quis quis ad Sacerdotium accedit, ut ante adventum Judicis, qui terribiliter sequitur ipse, clamando gradiatur. Sacerdos ergo doctæ prædicationis nescius quos clamores dabit præconatus? In figura hujus Moysi in Exodo præcipitur, ut Sacerdos tabernaculum ingrediens tintinnabulis ambiatur, scriptum quippe est, ut audiatur sonitus, quando Sacerdos tabernaculum ingreditur, & non moriatur. Sacerdos itaque absque sonitu moritur, quia iram contra se justi Judicis exigit, qui absque sonitu prædicationis incedit. De quibus dicit Canon in Decreto, Distinctione LXI. Statuimus, ne illis Ecclesia Dei credatur regenda, qui legitimarum institutionum nescii, & totius humilitatis sunt ignari, cum valde absurdum sit, ut imperiti magistris, rudes præferantur emeritis. Si ergo Sacerdotii, aut Prælaturæ in te titillat desiderium, ex consilio beati Hieronymi in Epistola ad Rusticum monachum, discas, ut possis & alios docere, & rationabilem hostiam offerre Deo, ne sis miles, antequam tiro, ne magister sis prius, quam discipulus, ne doctor erroris inveniaris. Hæc Hieronymus; & in Decreto, XVI. Quæstione prima, Capitulo *Sic vive*. Præsertim quia non misit nos Deus baptizare, sed evangelizare, ut ait Apostolus, rationem hujus dicti assignante beato Gregorio homilia XXIV. in hæc verba: Est aliud fratres mei, quod me de vita Prælatorum vehementer affligit, eo quod ad exteriora negotia dispersi sumus, & aliud ex onere suscepimus, atque aliud in actione exhibemus. Relinquunt namque Deum hii, qui nobis subditi sunt, & tacemus; in pravis actionibus jacent, & correctionis manum non extendimus: Quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad Infernum tendere negligenter videmus, sed quomodo nos vitam corrigere valebimus alienam, qui negligimus & nostram? Curis namque sæcularibus intenti, tanto insensibiliores intus efficimur, quanto in hiis, quæ foris sunt, studiosiores esse videmur, ita ut & terra clamet adversum nos, quia fructus ejus absque pecunia manducamus; Job XXXI. Terra namque secundum beatum Gregorium contra possessorem suum clamat, quando populus terrenus juste contra suum Prælatum non murmurat, quia tollens stipendia alimenti, non erogat talentum verbi. Unde Apostolus ait: Mundus ego sum a sanguine omnium vestrum, non enim subterfugi, quominus annunciarem vobis omne consilium Dei; Actuum XX. Mundus itaque a sanguine ipsorum non fuisset, si eis omne consilium Dei non annunciasset; Quia dum increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio tacendo Prælatus occidit. Debent ergo Prælati subditorum peccata non dissimulare, sed eliminare, ut quos Divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat a peccato, ut habetur de vita & honestate Clericorum, Capitulo *Ut Clericorum* & de Electione *Cum in Cunctis* Tales itaque Prælati inutiles, voce Domini non dicuntur pastores, sed fures & latrones; Johannis X. Omnis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, ille est fur & latro. Quanti ergo hodie Prælati in Ecclesia sunt, qui per ostium non intraverunt? Nam quidam Simoniaci prece parentum, aut pretio, vel obsequio Ecclesiæ beneficia occuparunt; Alii commendarum non possessores, sed raptores, beneficia & monasteria sub nomine commendæ devorant & spoliant, de quibus Beatus Hieronymus ad Damasum Papam ait, & habetur in Decreto, prima, Quæstione secunda; Clericos, inquit, illos convenit Ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum, vel propinquorum nulla bona suffragantur; Qui autem de bonis parentum substentari possunt, si, quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt; Hæc Hieronymus. Et ista est tertia causa destructionis universalis Ecclesiæ, videlicet avaritia Cleri insatiabilis, & ambitio inexplicabilis in pluralitate beneficiorum, & in commendis; quorum primum destruit statum Ecclesiæ & Cleri, cum unus tot beneficia obtinet, unde plures substentari possent; Alterum destruit monasteria & statum Religionis. Quæ tamen in hoc Sacratissimo Concilio sunt reformanda ad laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu Sancto est super omnia Deus benedictus in sæculorum sæcula. Amen.

Explicit sermo modernus ad Clerum, quem fecit & prædicavit Domnus Hieronymus de Praga coram magnis Prælatis totius Orbis in Concilio Universali in Civitate Sena. Anno Domini M.CCCC.XXIII. *Dominica prima in Adventu Domini nostri Jesu Christi.*

Sermo modernus ad Clerum factus in Concilio Universali in Civitate Sena.

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Hæc verba Domini originaliter scribuntur Matthæi XX. Capitulo, & transumptive leguntur in præsentis Dominicæ Evangelio, Reverendissimi in Christo Patres & Domini, ac diversarum facultatum magistri & Doctores egregiissimi. Quia dogma sequens gloriosi Doctoris beati Augustini, & allegatur transumptive in Decreto, Causa prima, Quæstione prima, Capitulo *Interrogo*. Interrogo, inquit Augustinus, utrum majus sit Verbum Dei, an Corpus Christi? & si verum fatemur, non minus est Verbum Dei Corpore Christi, quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; Johannis primo. Oportet, inquit Augustinus, auditorem Verbi Dei providum esse & sollicitum, quia non minus reus erit, qui Verbum Dei negligenter audierit, quam qui Corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit. Debent itaque verba sanctorum prædicatorum devote & pie intelligi, secundum illum sensum, quem efficiunt, & non secundum omnem sensum, quem efficere possunt; alias enim ex quolibet pene quodlibet sequeretur. Unde Apostolus: Oportet, inquit, addiscentem credere, & non pharisæorum versutia omnia prædicatorum dicta carpere & impugnare, quia sic fieret processus in infinitum, præsertim dum prædicator regulam catholicæ fidei non excedat, nec vita reproba suam prædicationem confundat. Equidem omnis prædicator sanctus, ut ait super Exechielem beatus Papa Gregorius, omne quod docet, ad Divinæ auctoritatis fundamentum revocet, atque in eo ædificium suæ locutionis terminet, quia sancta prædicatio dulcedinem non habet, quam vita reproba intra conscientiam remordet. Unde necesse est, ut qui verba Dei loquitur, prius studeat scire, qualiter vivat, ut post ex vita sua colligat, quæ & qualiter dicat, beato Hieronymo in Epistola ad Nepotianum sic dicente: Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqui ceperis, tacite quilibet intra se tibi respondeat: cur ergo quæ dicis tu, ipse non facis? Quia valde delicatus est ille magister, qui pleno ventre de jejunio disputat, & simonia, aut sacrilegio corruptus avaritiam inculpat, nam etiam & latro accusare avaritiam potest, præsertim cum virum catholicum, & præcipue prædicatorem, seu Domini Sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari, ut probatur in Decreto, Distinctione XLVII. Capitulo *Virum* Hinc est quod beatus Gregorius in homilia ait: Ad regnum Cœlorum ille pervenire non valet, qui non vult opere implere, quod docet, quia cujus vita despicitur, restat, ut ejus prædicatio contemnatur; De quibus Canon in Decreto, Distinctione XXVII. Capitulo *Pluribus* sic ait: Sacerdotes quia sumus, alios in sacra doctrina & in bona vita præcellere debemus, sed hoc nequaquam facere poterimus, nisi dicta nostra bona factis melioribus confirmaverimus, beato Hieronymo super Psalmo CXXII. sic dicente: Ille plus didicit, qui plus facit: Ceterum si, quod tu dicis, ego facio, magis mea opera Scripturas tenent, quam tuus sermo, qui vane resonat. Equidem peccatori dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas? Psalmo XLIX. Sunt & alii prædicatores ac magistri mihi similes præsumptuosi, qui hoc, quod prædicant, aut suo ingenio, aut labori, vel studio, & non Deo adscribunt, de quibus in Decreto XVI. Quæstione prima, Capitulo *Convertimini* circa finem sic dicitur: Si quis doctus, vel eruditus in lege Domini alios potest erudire, non debet suæ assignare prudentiæ, ingenioque, quod possidet, sed gratias agat primum Deo, qui cuncta largitur, deinde Sacerdotibus ac ministris, a quibus doctus est. At ego, quia tardioris ingenii, ac impeditioris linguæ sum; Exodi IV. ad ipsius me pedes prosterno, in cujus conspectu luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ; Job XXV. Cui nihil est difficile, & sine quo nihil est possibile possideri, ut dicit Aristoteles. Qui cathedram tenet in Cœlis, & corda hominum docet in terris, revelans mysteria; Danielis secundo. Quod ut assequi possimus facilius, pro impetranda Spiritus-Sancti gratia, more solito beatam Virginem Mariam salutabimus.

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi: ubi thema, Reverendissimi in Christo Patres & Domini bases Ecclesiæ ac judices orbis. Quia hoc Sacrosanctum Senarum Concilium pro reformatione universalis Ecclesiæ cernitur congregatum in hac egregia civitate, cum firma spe adventus Domini nostri Papæ Martini V. qui est caput totius Ecclesiæ, sed quia spes adventus ejus non solum differtur, sed jam totaliter aufertur, ideo præfata refor-

reformatio Ecclesiæ, jam non posse fieri a multis desperatur. Quid enim filii absque patre, oves absque pastore, membra absque capite efficere possunt? Equidem, ut ait beatus Hieronymus in Epistola ad Rusticum monachum, & habetur in Decreto, Causa VII. Quæstione prima, Capitulo *In Apibus*. Apes, inquit Hieronymus, unum tenent principem, & grues unam sequuntur ordine litterato; ex quibus verbis medium arguendi assumens, corollarie talem infero conclusionem: Justum est, ut tota universalis Ecclesia ab uno regatur capite. Hanc conclusionem probat Cassiodorus Epistolarum suarum libro VII. Capitulo XVI. in hæc verba: Omnia, inquit Cassiodorus, absque capite confusa sunt, & dum unusquisque juxta voluntatem suam cogitat vivere, regulam cognoscitur amittere disciplinæ: Ergo utile est semper unum præesse, cui reliqui debeant obedire; Quia si voluntas diversorum vaga relinquitur, confusio culparum amica generatur. Hoc idem probat Aristoteles, quamvis ethnicus primo Politicorum, & in fine XII. Metaphysicæ, dicens: Entia non volunt disponi male, nec est bona pluralitas principum; sed quia malum formaliter est privatio, quamvis multa positiva materialiter & subjective mala sint, & denominentur, privatio autem per habitum oppositum habet cognosci; nisi enim de visu quis notitiam habeat, nunquam poterit agnoscere cæcitatem. Nemo autem est qui dubitet, Sedem Apostolicam, & Romanam Curiam esse caput & fundamentum totius Ecclesiæ, dicente Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam mea; Matthei VI. & in Decreto, XXIV. Quæstione prima. Sed mira supra modum res agitur, ut inde exemplar omnis mali progrediatur, unde Sanctitatis proesserat omnis norma. Illic jugum suave Domini abjicitur, & frangitur lex divina. Illic solus Chrysostomus colitur a Crisis Grece, quod est aurum Latine, & pro auro infinitæ comittuntur simoniæ, quia jus Canonicum illic respuitur, & pro nihilo ducitur, de quo omnes quidem murmurant, sed nullus clamat. Et quia in extremis malorum jam positi sumus, qua ratione ego tacere valeo, cum Dominus in hodierno præcipiat Evangelio vocare operarios in vineam suam, sed in fine ejusdem Evangelii terribilem infert conclusionem, dicens: Multi enim sunt vocati, pauci vero electi? Quæ fuerunt verba in themate proposita.

In quibus verbis a me sic exiliter introductis, primo Dominus innuit universalem omnium vocationem, sed excludi[t] paucorum electionem. Vocat autem Dominus omnes ad duo: Primo ad pœnitentiæ dignam satisfactionem; Secundo ad suæ humilitatis meritoriam imitationem. Sed quia perfecta Christi charitas fit per dilectionem, ideo tertio intulit paucorum perfectionem, dicens: Pauci vero electi. Quantum ad primum dico, quod vocat nos Dominus ad pœnitentiæ dignam satisfactionem; Matthæi IV. Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cœlorum; & Lucæ X. scribitur: Amen dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis, omnes una simul peribitis; Deus enim, ut ait beatus Gregorius, etsi veniam pœnitenti spopondit, peccanti tamen diem crastinum non promisit; & tamen multi desperati in peccatis & erroribus permanent obstinati, cum ipsa obstinatio sit gravissimum peccatum in Spiritum Sanctum, & ipsa procreat hæreses, & efficit hæreticos perpetue damnatos. Nam Apulejus, Epicurus, Virgilius, & Naso, quia mundum istum non esse creatum obstinate docuerunt, Infideles sunt; sed & Seneca cum Simone, Menandro, Apelle, & Cerdone, quia sex principia Mundo tribuit, in errorem falsitatis obstinate cecidit. Quod anima sit de natura Dei, hoc Manichei prædicantes obstinate, facti sunt hæretici. Quod materia prima est Deo æqualis, hoc perverse dogmatizavit Hermogenianus hæreticus, ab Apostolo damnatus. Quod omnes animæ sunt simul creatæ, & simul peccaverunt, hoc male sensit Origenes post Platonem. Quod Christus non fuit vere passus, neque mortuus, hoc prædicavit Mahumetanus Saracenis. Quod conjugia debent esse omnibus communia more brutorum animalium, hoc Epicurus non negavit, & Nicolaus ex Diacono hæreticus, publice prædicavit. Quod Deus flagitia facit, hoc Valentinianus hæreticus proposuit. Quod Latria colendi sunt Angeli, hoc quidam hæretici, nominati Angelici, stulte prædicaverunt. Quod non resurgent corpora mortuorum, hoc quasi omnes Philosophi defendunt, & Sadducei hæretici cum Severianis obstinate credunt. Quod pro animabus mortuorum vanum est quodlibet Sacrificium offerre, hoc Æriani asserunt, & Greci hæretici concedunt, immo defendunt. Quod in Sacramento Corporis Christi remanet panis materialis, hoc Viclef de Anglia hæreticus perverse dogmatizavit. Quod Dominus Papa, Cardinales, & moderni Episcopi sunt præcursores Antichristi, hoc Johannes Hus hæreticus prædicavit Bohemis, & reprobus Hieronymus. Quod Diabolus crea-

creavit substantiam humanæ carnis, hoc Paterini volunt. Quod gratia gratum faciens non sit necessaria ad salutem, hoc docuit Pelagianus hæreticus. Quod eodem modo moriuntur homines in corpore & in anima, sicut moriuntur jumenta, hoc dogmatizant Arabici hæretici. Quod amore martyrii, aut servandæ castitatis liceat sibimet necis manus inferre, hoc Circumcelliani hæretici prædicant, & multi Romani concedunt. Qud mille annis post futuram resurrectionem homines fruentur omni voluptate carnali, hoc Cœlestium hæreticum dogmatizare non ignoramus. Quod summa beatitudo consistat in deliciis & voluptate, videlicet edere, bibere, & fornicari, hoc Balaam docuit, & Epicurus hæreticus obstinate asseruit, & ob hoc dicitur Epicurus ab *Epy* Grece, quod est *supra* Latine, & *Curus* idest *porcus*, quasi supra porcos, quia in doctrina voluptatis porcos excedebat. Verumtamen beatus Hieronymus libro secundo contra Jovinianum hæreticum scribit, quod Epicurus assertor voluptatis, omnes libros suos replevit pomis & oleribus. Sed quanti hodie in Ecclesia Dei sunt Episcopi & Prælati voluptuosi, Epicurei, imo supra Epicurum, quia mensas suas non replent pomis & oleribus, ut Epicurus docuit, sed carnibus ferinis, & leporibus, turdis, gallinis & caponibus? Inter hæc vina miscentur vinis, & conchæ argenteæ vino plenæ succedunt scyphis deauratis; cumque unusquisque quatuor, aut quinque scyphos, immo conchas bibendo evacuaverit, statim de potestate Domini Papæ, & de Concilio universali quæstionem proponit. Arguitur pro & contra. Sed quodlibet argumentum sequitur vino plena concha, & mirum in modum qui plures conchas bibendo evacuat, ille magis argute disputat, juxta illud proverbium: Dum bibo vinum, tunc lingua mea loquitur Latinum. Ideo scribitur in libro revelationum Sanctæ Birgittæ, quod quadam die orabat beata Birgitta Romæ in Ecclesia Sancti Petri, & ecce in visione Dei vidit plenam Ecclesiam porcis infulatis. Tunc beata Birgitta conversa ad Dominum; Domine mi, inquit, qui sunt isti in Ecclesia tua porci infulati? & Dominus ad eam: Hii sunt, inquit, filia, moderni Episcopi, Abbates & Prælati. Hii sunt auctoritate excellentiores, sed vita inferiores, in vestibus decori, sed in actibus despecti. Hii sunt valentes in Regum & Principum curiis, sed locum cifræ occupant in Ecclesiis. Hii sunt viri potentes ad bibendum vinum, & sunt famosi ad miscendam ebrietatem usque ad vesperam. Quæro in eis, inquit Dominus, fructum scientiæ, & reperio tenebras ignorantiæ. Requiro in eis florem castitatis & pudicitiæ, & cerno fœtorem fornicationis & immunditiæ. Sed quia, quod a Prælatis male agitur, facile trahitur in exemplum subditorum; hinc est, quod inferioris gradus Clerici, Presbyteri ac monachi oblationes fidelium & eleemosinas consumunt in vanitatibus, & expendunt in epulis, & ebrietatibus, ac quidam dissipant Christi patrimonium cum meretricibus. Unde beata Catharina de Sena in libro suo Revelationum Divinæ Doctrinæ Capitulo LXX. testatur Dominum dixisse ad eam: Heu heu filia carissima, quid dicam de modernis Presbyteris & Clericis, qui bona Ecclesiæ, quæ ego acquisivi in ligno Crucis, ipsi expendunt cum mulieribus publicis, & de bonis pauperum & Ecclesiæ nutriunt filios & filias, facti templum Diaboli, & non Spiritus Sancti. Ideo beatus Hieronymus in epistola contra Vigilantium hæreticum, & habetur in Decreto, Distinctione XXXII. Capitulo *Nemo* & Extravaganti de ætate & qualitate, Capitulo *A multis*, ubi sic dicitur: Quod nemo ad Sacros Ordines permittatur accedere, nisi aut sit virgo, aut probatæ castitatis existat. Quanto ergo a fortiori in Episcopis & Prælatis requiritur integritas carnis, cum vita Prælatorum subditis debet esse in exemplum, ut probatur in Decreto, secunda, quæstione VII. Capitulo *Cum Pastoris*; Rationem hujus dicti assignante beato Gregorio, & habetur in Decreto, XI. quæstione III. Capitulo *Præcipue*; Ubi dicitur, quod Prælati tot mortibus digni sunt, quot perditionis exempla ad subditos transmittunt, nam qui bona fecerint, & meliora desideraverint, non cadent in conspectu Dei. Ita inquit Canon, XVII. Quæstione prima, Capitulo *Qui bona*. Sed de modernis Prælatis & Clericis ista verba Prophetæ cecinerunt: Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt; Jeremiæ IV. Unde hodie in statu Ecclesiæ, sive sit Episcopus, Abbas, vel Præpositus, Decanus, Prior, vel Cappellanus, Canonicus, vel Monachus, Bernardita, sive Carmelita, Carthusiensis, vel Præmonstratensis, Camaldulensis, vel Augustinensis, Ordinis Minorum, vel Prædicatorum, & breviter ab individuis usque ad generalissima, juxta Davidicum sonum, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum; Psalmo XIII. Et ratio est ista, quia omnis Prælatus & Clericus, ut dixit David, cum psalleret: Noluit intelligere, ut

ut bene ageret ; Psalmo xxxv. Ideo ex prænominato hæreticorum numero , & Prælatorum ac Cleri inordinatæ vitæ dispendio concluditur veram esse Domini sententiam, qua dixit: Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Et hæc de primo.

Dixi secundo & brevius , quod multos vocat Dominus ad humilitatis suæ meritoriam imitationem; Matthei xviii: Amen dico vobis nisi conversi fueritis , & efficiamini sicut parvuli , non intrabitis in regnum Cœlorum . Nam ab inferiori ad superius secundum Logicam semper est bona consequentia; dicente Domino : Recumbe in novissimo loco, ut dicatur tibi: Amice ascende superius, & erit tibi gloria; Lucæ xiv. A superiori autem ad inferius secundum Logicam non valet consequentia, cum dicetur tibi: Da huic locum , & tunc incipies cum rubore ultimum locum tenere , quia omnis, qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur ; Lucæ ibidem . Ex quibus medium arguendi assumens, corollarie secundam infero conclusionem, quæ est talis . Quod omnis altitudo temporalis & creata, nisi lege Dei fuerit regulata, proculdubio est casura . Hanc conclusionem probat Cassiodorus super Psalmo xliv. dicens: Superbia de Angelo Diabolum fecit , & primo homini mortem intulit : Hæc turrim Babilonicam destruxit, & linguam confusit: Hæc Pharaonem submersit, & Nabucodonosor quasi brutum animal fecit : Hæc Senacherib Regem interfecit , & Aman suspendit : Hæc Goliam prostravit , & Antiochum peremit . Ipsa inter omnia vitia est prima ; Ipsa est ultima . Nam omne peccatum , ipsa accedente committitur, & ipsa recedente, dimittitur. Est etenim superbia, sicut negatio secundum Logicam, malignantis naturæ, quia quidquid post se invenit, hoc totum destruit, & oppositum ejus inducit, in tantum quod Dominus per Prophetam ait: Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam ; Psalmo c. Equidem ex hac mala matre superbia nascitur pessima , cæca & venenata filia , quæ dicitur ambitio. Hanc beatus Bernardus sermone xl. super Cantica definit in hæc verba: Ambitio est radix iniquitatis, subtile malum , secretum virus , pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis , livoris parens , vitiorum origo , criminum fomes , virtutum ærugo , tinea sanctitatis, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem . Hoc pulcre declarans Innocentius Papa III. Rubrica vi. inquit : Ambitiosus statim ut est ad honores promotus , in superbia extollitur , & in jactantia effrænatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse , præsumit se meliorem, quia videt se esse superiorem, amicos dedignatur , & notos ignorat, sublimia meditatur , subesse non patitur , præesse molitur . Subditis est onerosus , omnibus infestus, molestus, arrogans, gravis & importunus. Ideo beatus Hieronymus in Regula sua ad Eustochium virginem ait: Cave honores, quos sine culpa tenere non potes, quia sublimitas honorum est magnitudo scelerum; rationem hujus dicti assignante beato Gregorio in registro , & habetur in Decreto , viii. Quæstione prima, Ubi dicitur : Sicut locus regiminis omnibus desiderantibus negandus est , ita fugientibus & nolentibus est offerendus . Et Distinctione xl. hæc verba scribuntur: Inter servos Christi non computabitur , qui de primatu tractaverit, beato Hieronymo in Regula dicente: Si fuissem de numero episcoporum , fuissem de numero damnatorum . Sed quidam ambitiosi allegant Apostolum ad Timotheum scribentem : Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat . Bonum opus inquit , sed non bonas possessiones , nec bonos equos, aut vestes, sed bonum opus , idest martyrium , & evangelicam paupertatem , quæ est bona , quia beati pauperes spiritu , quoniam ipsorum est regnum Cœlorum ; Matthæi v. Nec per hoc contradico, ne Ecclesia habeat possessiones. Absit : Cum in Canone sic legitur: Aurum habet Ecclesia, non ut servet , sed ut pauperibus eroget ; juste tamen detestor Ecclesiæ abusiones , & reprehendo Cleri pompas & superfluitates , quibus orbis scandalizatur universus. Unde Hugo in libro de claustro animæ sic ait : Sunt quidam moderni Episcopi & Prælati , quorum thalamus est ornatior Ecclesia, mensa pulchrior altari, scyphus Calice pretiosior , equus carior Missali , Cappa pulchrior Casula , camisia delicatior Alba, plures serviunt ei ad mensam, quam ad Missam , famulos & famulas secum habere volunt, sed Clericos habere non possunt, quia nolunt . Hii tales libentius porrigunt panem cani, quam pauperi; tardi ad investigandum culpam peccatoris, sed parati ad quærendum vestigia leporis. Hii tales assidui sunt in plateis , sed in Ecclesia rari . Ecce quomodo obscuratum est aurum , mutatus est color optimus . Hæc Hugo ; super Matthæum beato Johanne Chrysostomo sic dicente : Aliud est opus bonum , & aliud est primatus honoris ; & opus bonum desiderare bonum est ; primatum autem concupiscere peccatum est; & subdit : O ambitio

tio semper cæca, tu confundis ordinem, tu opprimis naturam, tu cædis insontes, tu condemnas Salvatorem. Equidem Herodes, nato Christo, timuit perdere regnum, & ambitione excæcatus, occidit tot millia innocentum parvulorum; Matthæi secundo. Sed & Pilatus timens Cesarem, ne amitteret præfecturam, non timuit miser Dominum gloriæ flagellare, & flagellatum Judæis tradere crucifigendum; Johannis XVIII. Jamque beatus Bernardus dicit (ego forsitan non dicam, ne Prælatorum indignationem incurram, quamquam nihil dico de bonis, sed de ambitiosis) dicit itaque beatus Bernardus super Cantica: Videte fratres mei, quod moderni Prælati facti sunt Pilati, sed quare Prælati sunt Pilati? quia sunt ambitiosi. Nam priusquam honores & beneficia perderent, si possibile foret, denuo Christum traderent etiam Judæis ad crucifigendum; etenim secundum beatum Bernardum quid est tradere Christum? nisi vendere Christum. Et quid est vendere Christum? nisi alienare Christum. Ergo quando malus Prælatus a seipso per ambitionem, & subditis per negligentiam Christum alienat, Christum vendit. Si vendit, tradit, beato Gregorio homilia XXV. sic dicente: Quid ad hæc nos o Prælati dicimus? qui nulla animarum lucra quærimus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus, & quia hoc ipso, quod ceteris prælati sumus, benedictionis mysterium vertimus ad ambitionis augmentum, Dei causas relinquimus, & ad terrena negotia vacamus, locum sanctitatis accipimus, & peccatis ac vitiis implicamur, & ideo nostro peccato turba populi damnatur, quia faciente nostra negligentia & reproba vita ad bonum non est erudita, cui ergo hoc nisi nostro vitio imputandum est? Ad hæc beatus Bernardus inquit: O mira abusio ambitionis Prælatorum, quia cum ascendere sit difficillimum, & descendere facillimum, ipsi leniter ascendunt, & difficulter descendunt, nec considerant, quia quanto gradus est altior, tanto casus fit gravior. Quare Propheta ait: Vidi impium superexaltatum & elevatum, & transivi, & ecce non erat; Psalmo XXXVI. Quid est transivi & non erat? non erat jam in pompa & ambitione, non erat in terra, sed est in Inferno, & torquetur cum Pilato in igne æterno. Unde Scriptura ait. Potentes autem potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatus; Sapientiæ VI. & in Decreto, VIII. Quæstione prima. Et ratio est ista, quia judicium durum fiet hiis, qui præsunt; exiguo autem concedetur misericordia; Sapientiæ VII. Vos autem præstantissimi Patres & Domini humiliemini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in die judicii; prima Petri V. quia in cervice Prælati humilitas fulget splendidius. Ita scribitur in Canone, Distinctione c. *Contra morem*. Ideo beatus Hieronymus super Matthæum ait: Nihil est, quod ita Deo & hominibus gratum faciat, quam si, non dignitate magni, sed humanitate infimi videamur. Verumtamen quia pauci Prælati sunt humiles, ideo concluditur veram esse Domini sententiam, qua dicit: Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Et hoc de secundo.

Dixi tertio, & brevissime, quia perfecta Christi imitatio fit per dilectionem, ideo Dominus testatur paucorum perfectionem, dicens; pauci vero electi. Unde secundum beatum Augustinum sola caritate distinguuntur filii regni a filiis perditionis. Hoc probat Apostolus prima ad Corinthios XIII. dicens: Si linguis Angelorum loquar & hominum; Et si distribuero in cibos pauperum omnem substantiam meam, & tradidero corpus meum in ignem, ita ut ardeam; caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quid ergo prodest, cum Ptolomæo stellarum cursum investigare, aut cum Euclide secreta punctorum rimari, Cœlique altitudinem mensuræ? Aut quid prodest, cum Aristotele ancipiti Dialecticæ gladio aerem verberare? aut cum Zenone sophismata mira tractare? & post mortem ignem inextinguibilem intrare, & perpetuam damnationem incurrere. Cum scriptum sit: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Ubi sapiens? Ubi scriba? Ubi inquisitor hujus sæculi? prima ad Corinthios primo. Ex quibus medium arguendi assumens corollarie, tertiam infero conclusionem, quæ est talis; quod stante veritate Scripturæ, nullus utens ratione, ætatisque perfectæ absque caritate secundum potentiam Dei ordinariam potest salvari, quia nullus absque caritate Dei potest mandata Dei implere. Hanc conclusionem probat beatus Augustinus in libro de hæresibus dicens: Ad errorem Pelagii pertinere, si quis credat, absque charitate posse mandata Dei implere. Patet hoc etiam per Magistrum sententiarum libro secundo, Distinctione XVIII. Capitulo primo, quia sola caritas est totius Sacræ Scripturæ materia pariter & subjectum. Hæc itaque charitas est Confessorum vera Ethica, virtutum omnium late moribus decorata. Hæc est Prælatorum utilis politica, juste regentium Clerum

rum & populum universum. In hac charitate consistit omnis Physica Doctorum & Martyrum, vim Cœlis inferentium. Est & Angelorum ac omnium Beatorum Divina Methaphysica in Summum bonum incessanter intenta. Constat ergo verissime, quod sola caritas est ars artium & scientia scientiarum, ad omnia Methodorum principia viam habens; nam sola caritas docet utilem Grammaticam, videlicet congrue mores construere, & sensus bene regere. Docet etiam utilem Logicam; linguam falsam non habere, & semper veritatem dicere. Docet & utilem Rethoricam, honeste ac composite orare, & devotas exclamationes in oratione facere. Insuper ipsa caritas docet utilem Geometriam, terrena debita consideratione mensurare, & quia sunt transitoria, ea non diligere, sed spernere & contemnere. Docet etiam utilem Arithmeticam, Dei beneficia omni die computare, & pro hiis Deo grates referre. Docet & utilem Astrologiam, cœlestia semper contemplari, & quia sunt æterna, toto ea affectu desiderare. Docet etiam utilem Musicam, devotis sonis jubilare, & Deum semper laudare. Et ut breviter concludam: Caritas omnia suffert, omnia sustinet, nam sive Prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cassabunt, sive scientia destruetur, Caritas vere nunquam excidit; prima ad Corinthios XIII. Et ratio est ista, quia Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo; prima Johannis IV. Ideo beatus Augustinus definit caritatem in hæc verba: Caritas est actio restitudinis, oculos semper habens ad Deum, glutinum animarum, societas fidelium, optio non frigida, actio non fracta, non præceps, non audax, non nugax. Nugaces enim sunt doctrinæ Philosophorum & Poetarum; nam beatus Hieronymus libro tertio contra Pelagium hæreticum fatetur expresse philosophos fuisse mentitos, ubi scripserunt, Socratem semper eumdem vultum habuisse. Quis namque christianæ fidei prædicator, aut Doctor potest palam & impune in Ecclesia commendare, laudare & extollere Philosophos, Magos, Ariolos, Nigromanticos, & dæmonum cultores? nam, si credimus beato Augustino, Pythagoras primus philosophus Nigromanticus fuit. Socrates quoque cunctis determinationibus suis dæmonum præferebat responsa. Et de Jure Canonico quisquis familiaris est dæmonum, pro hæretico est habendus, nisi quis credat Aristotelem fuisse fidelem, quia in libro de Cœlo & Mundo commendat trinarium numerum, non habens respectum Sanctæ Trinitatis, quam nunquam in vita sua cognovit. Sic & Maro esset fidelis, quia in Bucolicis dicit: numero Deus impare gaudet. Hac ratione & Plato erit christianus, quia scripsit de Verbo, non pro una divina persona, sed pro quadam ideali ratione. Sic dicemus & Tragicum fuisse de Christo locutum, quia in persona Herculis cecinerit: Ego, qui relicta morte cum spoliis redii. Hii namque pagani & sæculares homines, ut ait beatus Augustinus, pluribus Diis sacrificare sanxerunt, & præcipua dicta a Sacris litteris mutuantes, diabolica falsitate miscuerunt. Ideo doctrina philosophorum non est præferenda doctrinæ Christi & Apostolorum. Ego namque secure præfero doctrinam Christi & Apostolorum doctrinæ Mercurii, Pythagoræ, Socratis, Aristotelis, Platonis, Varronis, Tullii, Senecæ, Porphyrii & aliorum ethnicorum, quorum sunt portenta potiusquam nomina. Nam in hac causa tamquam expertus loquor, quod pro majori parte non essent tot hæreses in Ecclesia, si seculari philosophia non vociferarent in scholis, neque disputarent in Ecclesiis. En ecce opulentissimum regnum Bohemiæ & Moraviæ nunquam perfidiæ hæreticorum subjectum fuisset, si libri Aristotelis & Platonis Pragam non venissent. Sunt & hodie aliæ multæ hæreses occultæ in Ecclesia, & præcipue in Italia, quæ ex hac radice prodierunt. Sicut sunt Destini hæretici, qui putant & credunt omnia de necessitate evenire. Alii vocantur Geneologi hæretici, qui gubernationem humanam syderibus concedunt. Alii vocantur Fatales hæretici, qui fatis & fortunæ credunt. Alii dicuntur Fraticelli de opinione hæretici, qui negant esse verum Papam. Alii vocantur Simoniaci hæretici, quia beneficia & Ecclesiæ Sacramenta vendunt, aut emunt; de quibus dicit Damasus Papa, & habetur in Decreto, prima, Quæstione prima, Capitulo *Qui studet*; ubi dicitur, quod omnia crimina in comparatione simoniacæ hæresis pro nihilo computantur. Quæ hæresis tribus modis comittitur, videlicet pretio, prece, & obsequio. Potest etiam comitti sola voluntate, velut usura, sicut recitat Canon Quæstione III. Capitulo *Si fœneraveris*. Et propter hanc simoniam Josias Rex occidit omnes Sacerdotes excelsorum, & super altare cremavit ossa eorum; IV. Regum XXIII. Helias quoque Propheta propter simoniam occidit CCCC. Sacerdotes in torrente; III. Regum XVIII. Tales enim sunt similes filiis Heli Sacerdotis, de quibus scribitur primo Regum II. & habe-

habetur in Extravaganti de Simonia, Capitulo *Licet Heli*; qui per Simoniam interfecti, simul cum Patre male interierunt. Et ut recentiora exempla proferam; Ecce infra hoc triennium in regno Moraviæ & Bohemiæ plures quam xv. mille sacerdotes ab Hussitis interfecti sunt. Unde beatus Chrysostomus homilia xxxvii. super Matthæum sic ait: Hii sunt Sacerdotes iniqui, qui fidem prædicant & infideliter agunt, pacem aliis dant, & sibi non habent, reformationem laudant, & reformari nolunt, avaritiam vituperant, & simoniam exercent: Sed quia hiis temporibus multi sunt hæretici pagani & infideles, pauci vero christiani & boni fideles, ideo concluditur veram esse sententiam Domini, qua dixit: Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Quæ verba Domini magis sunt timenda, quam exponenda, quia scriptum est: Beati omnes, qui timent Dominum. Ad quam beatitudinem nos perducat Dominus Jesus Dei filius, qui &c.

Explicit sermo modernus ad Clerum, quem fecit Domnus Hieronymus de Praga in Concilio universali Senarum Anno Dominicæ Incarnationis M.CCCC.XXIII

SERMO MODERNUS DE CORPORE CHRISTI DOMNI HIERONYMI DE PRAGA CONTRA HUSSITAS HÆRETICOS.

HOc est Corpus meum: Hæc verba Domini originaliter scribuntur Lucæ XXII. & transumptive in Decreto, Causa XI. Quæstione tertia, Capitulo: *Evidenter*, & de Consecratione, Distinctione secunda, Capitulo *Quia Corpus*. Reverendi Patres & Fratres in Christo carissimi. Quia nemo confidere potest de acumine ingenii, nec de subtilitate scrutinii, neque de sedulitate studii ad investigandum tantum mysterium Sacrosancti Sacramenti Corporis Christi, sed de bonitate Dei, & pietate orationis, ac humilitate cordis; Ait enim Filius Dei, loquens ad Patrem: Confiteor tibi Pater, quoniam abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis; Matthæi XI. & transumptive XXIV. Quæstione III. Capitulo *Si habes*. Ideo Sapientiæ VII. dicitur: Optavi, & datus est mihi sensus; invocavi, & venit in me spiritus Sapientiæ. Unde Cassianus in Collationibus Patrum inquiebat: Servum Dei cupientem ad notitiam Scripturarum & Sacramentorum pertingere, nequaquam debere labores suos erga comentariorum libros impendere, sed omnem industriam mentis, & intentionem cordis erga emendationem vitiorum carnalium detinere, quibus expulsis, sublato velamine passionum, Scripturarum Sacramenta Spiritus Sancti illustratione contempletur. Homo quippe manu Dei factus est, cooperante Filio & Spiritu Sancto juxta illud Job: Manus tuæ Domine fecerunt me. Sed secundum animam ad imaginem & similitudinem Dei creatus est; Genesis primo. Facilius ergo ad operis sui gratiam favor inclinatur Auctoris, & grandis etiam hominis prærogativa monstratur; pretiosum quippe opus Dei est homo; nam secundum beatum Gregorium: De aliis namque operibus dixit Deus, & facta sunt, hominem vero propriis manibus figuravit, de quo quasi quodam consilio ante tractat, quam fiat, dicendo: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Discat ergo homo, quam generosus & pretiosus sit. Vilem namque terra eum demonstrat, sed pretiosum virtus, gloriosum reddit imago. Qua neglecta, in vitia cadens, aut serpentem, aut vulpem, aut mulum, aut jumentum hujusmodi vocat Scriptura. Unde Propheta dicit: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; Psalmo XXXI. Et dominus de Herode in Evangelio ait: Dicite vulpi illi. Ideoque in Exechiele geminato nomine dicitur: fili hominis, ut qui exterius formam hominis habet, interius imaginem Dei servet. Hunc igitur hominem ita sibi unitum, & excellentiorem creatum, primi Parentis peccato depressum disperdere nolens Dei Filius, charitatis vinculo ante passionem suam memoriæ commendavit dicens: Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum; quæ fuerunt verba in themate proposita, pro quorum declaratione & intelligentia, ac pro impetranda Spiritus Sancti gratia salutabitur Virgo gloriosa.

Hoc est Corpus meum; ubi thema, Reverendi Patres & Fratres in Christo carissimi. Quia in singulari cibo, qui fuit manna cœlicum, triplex, ut ait Scriptura, reperiebatur proprietas, hoc est decor allectivus, dulcor refectivus, & vigor substantialis, nam decorem allectivum arguit suspensio contemplantis oculi, quia pluente Domino manna de Cœlo per circuitum castrorum, surgentes filii Israel, dixerunt. Man-hu: idest quid est hoc? Exodi XVI. Dulcorem vero refectivum arguit conversio cibi in ore manducantis populi; erat namque manna saporis quasi similæ cum melle, ac panis oleati, & ad quid

quid aliquis volebat, ad hoc convertebatur. Unde in libro Sapientiæ dicitur: Panem de Cœlo dedit eis, habentem omnem saporem, & omnem suavitatem. Vigorem autem substantivum arguit extensio temporis, quia XL. annis illo cibo filii Israel fuerunt pasti. Et quia carissimi omnia prædicta non fuerunt veritas significativa, sed figura, ideo super prædictis tamquam super defectivis nauseans omnis turba, & vociferans tota nocte, in tenebris figurarum gradiens, flevit, dicens: Quis dabit nobis carnes ad vescendum? Numeri XI. Hoc igitur murmur audiens & exaudiens misericors & miserator Dominus, nobis, qui pervenimus ad vesperam hujus sæculi, desideratam escam tribuit, sicut promisit, dicendo: Vespere comedetis carnes; Exodi XVI. In qua esca omnia prædicta sunt perfecta & non defectiva, sicut pulcre innuitur in verbis Domini nostri Jesu Christi, cum dicit: Hoc est Corpus meum, quæ fuerunt verba charitati vestræ in Themate proposita. In quibus verbis a me sic introductis, tria implicantur ad nostram informationem. Primo implicatur sensifica Corporis dimensio, quæ nulli subjecto innititur, cum dicirur Hoc. Secundo substantifica Corporis conversio, quæ sub secreto speciei efficitur, cum dicitur Est. Tertio mirifica sensuum adhæsio in signo, quod objicitur, cum dicitur: Corpus meum. Quantum ad primum dico, quod in verbis propositis implicatur sensifica Corporis dimensio, quæ nulli subjecto innititur, cum dicitur Hoc, idest accidens sine subjecto monstratur, quod æternaliter oculus naturæ miratur. Unde hæreticus Hussita sic argumentatur. Accidens non potest stare sine subjecto; Ergo in Sacramento remanet panis materialis, & sub pane fit Corpus Christi. Contra hunc hæreticum exclamat Sanctus Doctor Hieronymus, dicens: O Jesu ineffabilis admiratio: Oculi in tuo Sacramento vident albedinem, saporem sentit gustus, odorem olfactus, tactusque subtilitatem reperit, sed auditus cordi repræsentat in te illa non fore accidentia. In te certe sola per se existunt accidentia sine subjecto, quia non, ut humanis videtur sensibus, panis es, sed totus Christus Jesus integer, sicut in Cœlo ad Patris dexteram resides, Deus & Homo. Ideo beatus Ambrosius inquit: Panis est in Altari ante consecrationem, sed post consecrationem non panis, sed verum Corpus Christi est, quia sub specie panis Caro Christi in veritate sumitur; & sub specie vini Sanguis Christi in veritate bibitur; beato Thoma de Aquino sic dicente: Dogma datur Christianis, quod in Carnem transit panis, & vinum in Sanguinem. Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides præter rerum ordinem. Quare beatus Bernardus ait: Christus invisibilis Sacerdos visibiles creaturas panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis verbo suo secreta potestate convertit. Habemus ergo decorem allectivum, Hoc, idest Corpus Christi benedictum, talibus speciebus tectum & velatum. Quamquam illud pronomen, Hoc, prout cadit sub forma Sacramentali verborum, non facit demonstrationem conceptam, sed exercitam, & hanc non ad intellectum, sed ad sensum, & hanc non ad Corpus Christi, quia sic verba illa Eucharistiam non efficerent, sed præsumptionem, [quod est hæreticum, nec demonstrarent panem, vel substantiam ejus, quia falsus esset orationis intellectus, sed demonstrarent, quod comune est utrique termino in transubstantiatione. Tamen in auctoritate assumpta assumitur ad exponendum, & demonstrat verum Corpus Chtisti, ut tectum & velatum, & hoc mirabiliter & congrue, si attendantur, quæ per illud pronomen Hoc, quamdam evidentiam, quia pronomen ostensivum Hoc demonstrat aliquid; demonstrat enim quamdam existentiam. Est namque pronomen neutro passivum Hoc, quia substantivus in neutro genere, ut dicit Grammaticus. Demonstrat etiam quamdam excellentiam, quia est signum distinctivum Hoc, quia distinguit hoc ab illo. Et quia dicta tria mirabilia quodammodo reperiuntur in Corpore Christi sic considerato, ideo merito de eo dicitur, Hoc, Ut ad hoc exponamus auctoritatem unicam convertentem in tria, ut scribitur in Exodo, ubi dicitur: Hoc est, quod fecit tibi Deus, quando egressus es de Ægypto, & erit signum memoriale ante oculos tuos, ubi attendamus dicta tria importata per pronomen Hoc; Nam in hoc venerabili Sacramento evidentiam obviam admiratur sensus insufficiens Hoc, existentiam substantivam operatur virtus indefficiens. Fecit Deus. Excellentiam substantivam veneratur aspectus se reficiens. Et erit signum memoriale ante oculos tuos. Dicit ergo hoc est, quod tibi fecit Deus, ubi vehemens stupor erit de eo, quod nobis demonstratur per pronomen Hoc, quia interrogatio stuporis est, & admirationis facta ab omni sensu. Dicit enim visus in consideratione hujus Sacramenti illud Danielis. Quid est hoc, quod video? Dicit & auditus illud Jeremiæ: Quid est hoc, quod audio? Dicit & gustus

stus illud Exodi: Quid est hoc, quod fecit tibi Deus? Dicit & omnis sensus stupens illud Actuum tertio: Repleti omnes stupore & extasi, dicebant, quid est hoc? Et ille stupor & admiratio humanorum sensuum in Corpore Christi nobis demonstrato, mirabiliter figuratur Genesis XXVII. ubi dicitur, quod senuit Isaac & videre non poterat, ac in omnibus sensibus deceptus fuit, præter auditum, quia solo auditu verum cognovit, quando dixit: Vox quidem vox Jacob est. In qua figura Esau typum gerit specierum panis & vini; Jacob tectus pellibus typum gerit veri Corporis Christi, sed Isaac deceptus typum gerit sensus humani. Attendamus ergo in hac figura, quia sicut in Isaac sene visus caligabat, tactus hæsitabat, & gustus litigabat, sic in hoc venerabili Sacramento visus noster caligat. Nam quod visus alicujus caliget, & non possit ferri in rem, quæ sibi objicitur, contingit vel propter defectum organi, sicut patet in senibus albuginem habentibus; vel propter terminum ad visum non bene dispositum, sicut caligatur oculus in pervio interminato, cum objectum proportionatum visus sit pervium terminatum, quod est color. Ad propositum ergo adaptando, in intuitu hujus Sacramenti caligat humanus sensus, & omnis intellectus, & propter defectum animi, quia nulla potentia est tanti gradus, ut attingat, & propter velamen organi, quia quousque sumus in via, nonnisi per velamina videmus, & propter excellentiam termini & objecti, quia substantia Corporis Christi, quæ ibi continetur, nullo visui, nec intellectui est pervia, ut videatur. Et hoc est, quod notabiliter dicitur Actuum IX. Viri autem, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes vocem, neminem autem videntes; idest Apostoli comites, & Socii Christi, qui semper ibant cum eo, viri lumine fidei præ ceteris illustrati, & tamen habebant depressionem mentalem, quia stabant stupefacti propter inconsuetam excellentiam objectibilem, audientes vocem Christi dicentis: *Hoc est Corpus meum*; neminem tamen videbant. Istud est mirabile. quomodo dicitur aliquis videre neminem, dicit enim Grammaticus, quod hæc constructio est bona: neminem video, non autem video neminem, cum nihil visum non possit terminare, & ego dico, quod præsens locutio est verissima, siquidem quod potentia visiva & intellectiva ad hoc elevetur & pertingat, ut dicatur videre neminem. Dicitur enim, quod potest esse uno modo remotive & negative. Sic quando intellectus in speculatione Dei omnia ab eo removet, omne sensibile, omne intellectibile creatum, dicendo, nihil prædictorum Deus est. Relinquitur ergo, quod intellectus se inveniat in pervia entitate infinita, in qua constitutus, caligat in ea, neminem videndo propter ipsam infinitam pervietatem, abstrahentem ab omni phantasmate; Et ista est caligo, quam ad litteram solus Moyses dicitur intrasse in monte; Exodi XXIV. Et iste est altus cognitionis modus de Deo possibilis in via. De quo beatus Dionysius de cœlesti Hierarchia ait. Tunc optime Deum novimus, cum sibi conjungimur, ut omnino ignoto. Alio modo dicitur quis videre neminem objective & positive; verbi gratia si hic esset columna una, quam viderent omnes, & divina potestate subito verteretur in substantiam Angelicam, quid videret visus? certe meram absentiam columnæ, & sic videret neminem; Et ita est in proposito, nam ante consecrationem in hoc Sacramento substantiam panis videt quilibet, sed post consecrationem intellectus non videt substantiam panis, quia non est ibi, sed est substantia Corporis Christi, quia dicto modo intellectui in puris naturalibus pervia non est, videt ergo meram absentiam substantiæ panis, & sic videt neminem. Et certissime Apostoli erant neminem videntes post verborum prolationem, quia non substantiam panis, quam prius videbant, nec Corpus Christi, quia non potest videri in Sacramento naturali lumine, sed in supernaturali luce bene videbitur in patria cœlesti, quia videbimus eum facie ad faciem, sicuti est. Et hoc de primo.

Dixi secundo, quod in verbis in themate propositis implicatur substantifica Corporis conversio, quæ sub speciei secreto efficitur, cum dicitur Est, convertendo substantiam in substantiam, sed tamen in ipsum convertimur manducando, & non e converso, ut dicit beatus Augustinus. Ideo in figura Genesis XXVII. dicitur, quod Isaac per tactum hæsitabat, non in se, sed in eo, quod palpabat, quia pilosæ manus similitudinem prioris, id est Esau expresserant. Et istud tactus naturæ miratur; Unde hæreticus Ussita sic argumentatur: Omnis relatio realis requirit terminum realem; & prius & posterius relatio realis est; ergo in Sacramento necesse est esse panem materialem, tamquam terminum realiter distinctum, alias in fractione Sacramenti oportet frangi Corpus Christi. Sed contra hunc hæreticum exclamat Sanctus Doctor Hieronymus, dicens: O humanorum illusio sen-

ſenſuum, panis accidentia franguntur per partes, & tamen in qualibet particula permanes totus & integer Chriſtus, ſicut eras ante ea; franguntur illa, quæ in te humanis ſenſibus videntur accidentia, & tamen nec frangeris, nec corrumperis. Te dentes videntur maſticare velut materialem panem, & tamen nunquam maſticaris; beato Thoma de Aquino ſic dicente: Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento, tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur; Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura, qua nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur. Ideo beatus Bernardus ait: Sacramentum Corporis Chriſti, ſicut eſt individuum, quod dividitur, ſic manet incorruptum, cum fuerit ſumptum. Nam Chriſtus in Sacramento per partes manducatur, & manet integer; Totus in fracto, totus in integro; Tantum eſt in exiguo, quantum conſtat eſſe in toto; dicit enim, quod piloſæ manus ſimilitudinem prioris expreſſerant, cum piloſitas illa ſpecierum panis & vini typum gerat. Ubi ergo ſunt priores & poſteriores ſpecies, numquid non ſunt eædem, cum ſunt panis, & poſtea cum ſunt Corpus Chriſti? Ubi notandum eſt, quod in illis ſpeciebus eſt idemtitas, & non idemtitas. Idemtitas quidem eſt realis numero, quia eædem ſpecies numero, quæ fuerunt panis, ſunt Corporis Chriſti, ſed non eſt idemtitas habitudinis, quia cum erant ſpecies panis & vini, erant ibi ſubſtantive & per contactum; Nunc autem, cum ſunt ſpecies Corporis Chriſti, non ſunt ibi ſubſtantive, nec ipſum velant tangendo; quin potius, ſicut converſio ſupernaturalis eſt, ſic & habitudo eſt ſupernaturalis, & propter hanc diverſitatem ſpecies dicuntur priores & poſteriores, ut ſit ſenſus, quod eadem accidentia numero, cum ſunt Corporis Chriſti, habent omnia illa, quæ habebant, cum eſſent panis & vini, quia idem color, ſapor & odor, pondus & hujuſmodi, quia piloſæ manus per omnia ſimilitudinem prioris expreſſerant. Et de hoc ſtupet humanus ſenſus, qui ſtupor optime figuratur in Job, ubi dicitur: In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines, tremor apprehendit me, ſtetit quidam cujus vultum non agnoſcebam, imago coram oculis meis. Viſio illa nocturna contemplationem tacitam & elevationem mentis ſignificat, quam habet Sacerdos in conſecrando hoſtiam, ſtat tunc poſt conſecrationem quidam, cujus vultus non videtur, quia natura hypoſtaſis Dei & hominis, qui velatus ſub ſpeciebus panis & vini, & occultus, ſtat imago coram oculis, ideſt accidentia non innixa; & de hoc ſtupet humanus ſenſus, dicens: Cujus eſt imago hæc? quia non panis & vini, ut protendit, ſed Corporis Chriſti, ad quod noſter intellectus non attingit; & tamen ſic eſt, nam hoc verbum Eſt dicit infinitatem, quia quod eſt, non habet finem; omnia enim alia verba dicunt aliquid determinate, ſicut amo, lego & cetera, ſed hoc verbum Eſt dicit infinitatem, quæ proprie non poteſt dici, niſi de Deo. Unde Moyſes ait: Qui eſt, miſit me ad vos, ut educam vos de terra Ægypti; Exodi III. quia omnia deficiunt, ſed Eſt ſemper eſt; nam incipere, nec deficere neſcit, & quia Corpus Chriſti eſt in hoſtia ſecundum ſignificatum primum hujus verbi Eſt, cum dicitur: Hoc eſt; quod eſt excludere actionem & paſſionem, quia omnis diviſio debetur quanto, nam nihil dividitur niſi quantum, & nihil agit naturaliter, niſi quantum, & nihil patitur, niſi quantum. Cum ergo Corpus Chriſti non ſit in hoſtia ſecundum quantitatem, immo quantum, ideo nulla diviſio ab extra ſibi convenit. Hujus exemplum habemus, quia eadem figura eſt in facie & ſpeculo, ſed quare in ſpeculo figura non poteſt dividi, & in facie dividitur? quia in facie prius eſt quantitas, quam qualitas, ſed in ſpeculo prius eſt qualitas, quam quantitas, & quia qualitas eſt immutativa, & conſequitur qualitas quantitatem, unde non eſt in ſpeculo quantitas terminative, ſequendo qualitatem, & ideo eſt ibi modo indiviſibili, quia non ſecundum eſſe phyſicum ſuum, quare & totus orbis poſſet apparere in ſpeculo. Ita quoque Corpus Chriſti extra hoſtiam & Sacramentum habet quantitatem, & ſecundum eſſe naturæ dividi poteſt, ſed in Hoſtia non habet quantitatem, niſi quantum ſubeſt ibi, & non modo phyſico, ideo dividi non poteſt in Hoſtia, ſicut nec figura in ſpeculo. Unde legitur Matthæi XVII. Quod Petrus, Jacobus, & Johannes videntes in monte Jeſum transfiguratum, ceciderunt in rerram, & elevantes oculos, neminem viderunt, niſi ſolum Jeſum. Sic eſt in ſtatu viæ; quilibet habet oculos depreſſos, & non elevatos, ſive in cognitione prophetica, ſive in enygmatica, & ſcimus quia oculis clauſis apparent homini multa phantaſmata, ſed non cum oculos aperit, & ideo cum ducemur in montem valde excelſum, ideſt in Cœlum, tunc videbimus Dominum Jeſum Chriſtum transfiguratum, nam res transfigurata abſolvitur ab actione, quia cum omnia pro-

batica agant per contactum, si Corpus Christi, quod adhuc est in Sacramento; non est ibi sub ratione quantitatis, non potest agere in aerem, ut videatur, sicut nec figura hominis in pervio, nisi ab ista quantitate absolvatur. Ulterius videbimus eum extrinseco associatum, quia ecce Moyses & Elias. Quis, inquit beatus Gregorius in quarto Dialogorum, fidelium dubitare potest, in illa immolationis hora Cœlos aperiri, ima summis, terrena cœlestibus sociari, spiritus quidem omnes & Angeli currunt ad miraculum, sicut servi post Regem, quando facturus est aliquid grande; Ideo dicit Moyses & Elias: Sed tremunt ad miraculum consecrationis, sicut tremunt homines, quando terra tremit. Ideo dicitur: Ceciderunt Apostoli, & timuerunt valde. Unde in Præfatione dicitur: Per quem Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Sed laudant per oraculum, & tremunt per stuporem. Timor enim incussus stuporis cogit clamare Dei magnalia. Quare Petrus clamavit dicens: Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula. Mira simplicitas! Dicit Evangelista: Petrus nesciebat quid diceret; & merito. Si enim ita delectabile est hic esse cum Christo sub velamine, quanto magis erit sub nuda veritate. Ergo carissimi alibi affectemus tabernacula nostra ponere, & non hic, quia non est bonum nos hic esse, sed ibi. Ulterius videbimus eum intrinseco solitarium, quia elevantes oculos neminem viderunt, nisi solum Jesum, quasi dicat: Hic habentes oculos depressos, & clausos, videmus plura phantasmata, & aliquos errores, sed elevantes oculos in lumine gloriæ, videbimus eum solum, non associatum per substantiam panis, ut dicit Berengarius, vel sub velamine specierum, aut naturæ alterius, sed solum videbimus eum, & neminem alium, & ibi erit nostra beatitudo, juxta illud: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum; Johannis XVII. & in Canone de Pœnitentia, Distinctione IV. Capitulo *Si ex bono*. Et hoc de secundo.

Dixi tertio, quod in verbis in themate propositis implicatur mirifica sensuum adhæsio in signo, quod objicitur, cum dicitur: Corpus Meum, in quo habemus dulcorem conversivum, & vigorem connexivum. Ideo in figura Genesis XVII. scribitur, quod in Isaac gustus litigabat, dum comedens carnes domesticas, putabat se de venatione edere, unde stupens, & ultra quam credi potest, admirans, ait: Quis igitur est ille, qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi? Sic in hoc Sacramento Corporis Christi anima devota, sumpta Sacramenti digna refectione, & præ nimia dulcedine quasi alienata, stupens, & ultra quam credi potest, admirans, ait: Quis est, qui captam venationem attulit mihi, & comedi? Quare beatus Ambrosius dicit: Panis Sancte, Panis vive sana palatum cordis mei, ut sentiat suavitatem amoris tui. Et sanctus Augustinus inquit: Introducis me Domine nescio in quam dulcedinem, & audio quasi vocem dicentem: Cresce & manducabis me. Ergo quando sensus deficit quoad visum caligantem, qui panem verbo carnem efficit; quoad tactum hæsitantem, Quæ caro mentem reficit; quoad gustum litigantem, In hoc omnis humanus sensus deficit. Ideo Ecclesia canit: Præstet fides supplementum sensuum defectui propter evidentiam objectivam, quam admiratur sensus insufficiens, cum dicitur: Corpus Meum. Unde hæreticus Hussita sic argumentatur: Quomodo potest esse Corpus Christi, cum dicit Corpus Meum, tam magnum in hostia tam parva; cum videmus, quod sumptione minuitur, & consecratione non augetur? Ergo oportet, quod in Sacramento remaneat panis materialis, qui cooperiat Corpus Christi. Sed contra hunc hæreticum exclamat Sanctus Doctor Hieronymus, dicens: O nobile convivium, in quo sub panis & vini specie totus Christus Deus & homo sumitur, & ita totus in panis specie, & in qualibet ejusdem particula, quamvis minima; & ita totus in vini specie, & in qualibet ejusdem gutta, quamvis minima, sicut in panis & vini specie simul; beato Thoma de Aquino sic dicente: Sumit unus, sumunt mille, tantum isti, quantum ille, nec sumptus consumitur; Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inæquali, vitæ, vel interitus. Quare beatus Bernardus ait: Sicut de Virgine per Spiritum Sanctum vera Caro Christi creatur, sic per eumdem Spiritum de substantia panis & vini idem Corpus Christi consecratur. Et sicut quod ubique offertur, unum Corpus est, & non multa corpora, quia tantum est in exiguo, quantum constat esse in toto, nihil minus habent singuli, quam universi; Totum unus, totum duo, totum plures, sine diminutione percipiunt, quia non in specie, vel quantitate Sacramenti est gratia, sed in virtute Christi, præsertim cum hoc totum fiat supernaturaliter, sicut in figura legitur Exodi XVI., quod manna de Cœlo tantum habebat, qui minus

nus

nus parabat , quantum ille , qui plus , quia non oportet, quod consecratione crescat , eo quod in transubstantiatione absolvitur a motione , cum nihil potest moveri , nisi quantum , & Corpus Christi , cum non sit in Sacramento ratione quantitatis, non oportet , quod uno Sacerdote elevante, & altero deponente idem Corpus contrariis motibus moveatur ; sicut nec figura in speculo movetur , cum deponitur , vel elevatur . Ideo Isaac admiratur, dicens : Quis est ille , qui attulit mihi venationem? Nunquam enim aliqua caro venatione fuit tantum quæsita ad mortem , sicut caro Christi , ut recitant Sancti Evangelistæ , quia nullus poterat hominem ad primum statum reformare , nisi Christus, Deus & homo , qui peccatum non fecit , nec inventus est dolus in ore ejus ; prima Petri III. Nam dignum fuit , ut caro devicta per passionem condigne satisfaceret, ut probat Magister Sententiarum Distinctione XII. Capitulo secundo . Et tunc secundum Bedam immutatus est ordo noctium , ita quod noctes præcedunt , & dies sequuntur , quia per Christi passionem homo de nocte culpæ rediit ad diem gratiæ, quod notat Glossa in Decreto , Distinctione LXXV. Capitulo *Quod die* . Quia efficacia Sacramentorum data fuit in Passione Christi . Unde ipse ad Latronem ait : Hodie mecum eris in Paradiso; Lucæ XXIV. & in Decreto de Pœnitentia , Distinctione prima , Capitulo *Importuna* . Nam porta Paradisi non erat aperta , nec Sacramentum Corporis Christi ante Passionem Domini fuit institutum, ut probatur in Decreto de Consecratione , Distinctione IV. sed tempore Passionis , hoc est in ultima Cœna virtute Divina fuit consecratum . Quare beatus Augustinus ait : Excelsa Cœlorum, vasta terrarum , profunda fluctuum pari potestate, ut præcipit virtus, servit effectus; nam omnia dixit , & facta sunt. Sic quia : Hoc Est Corpus Meum dixit, & hoc factum est, ut probatur in Decreto de Consecratione, Distinctione II. Capitulo *Quia Corpus* . Caveat ergo quisque, nec dubitet , quia judicium sibi manducat, & bibit, qui indigne accedit, non dijudicans Corpus Domini; prima ad Corinthios XI. & de Consecratione , Distinctione II. Capitulo *Qui scelerate* . Unde beatus Ambrosius ait: Unusquisque fidelis se præparet , & emendet , ut digne Dei & Domini sui Carnem valeat manducare , ut probatur in Decreto de Pœnitentia, Distinctione prima, Capitulo *Qui Sanctus* . Ita figura hujus, Exodi XII. Moysi præcipitur, ut die decima tollat agnum , & quartadecima die immolet eum, & de sanguine agni liniat super utrumque postem , & comedat festinanter cum lactucis agrestibus & azimo pane . Sic & nos debemus sumere Corpus Christi post impletionem decem mandatorum & quatuor Evangeliorum , & comedere festinanter , idest cum devotione, cum lactucis & azimo pane , idest cum contritione & puritate cordis , ut probatur in Canone de Consecratione , Distinctione II. Quare beatus Gregorius ait : Tergat sordes pravi operis, qui præparat Deo hospitium cordis. Quod nobis præstare dignetur Deus &c.

Explicit sermo in Festo Corporis Christi, quem compilavit & dictavit Dominus Hieronymus de Praga contra hæreticos Hussitas.

TRACTATUS

CONTRA HÆRETICOS BOHEMOS.

AMANTISSIMO AC MERITO VENERABILI IN CHRISTO PATRI A.. PRIORI MONASTERII CARTHUSIÆ . FRATER HIERONYMUS DE PRAGA SACRÆ EREMI CAMALDULI EREMITA RECLUSUS , ET OMNIUM SERVORUM CHRISTI INFIMUS OPTAT SALUTEM.

EXegisti a me, Pater optime atque suavissime , ut exercitii causa disputationem catholicam , quam nuper contra Bohemos hæreticos in Sacro Basileensi Concilio disputavimus , calami officio tibi exprimerem , ac in unum redigerem tractatum . Ajebas enim fore optimi auspicii , si hujuscemodi monumentis primitias studiorum tuorum consecrarem; facturumque rem convenientissimam, & voto, & instituto tuo , si non minus studii opere & diligentiæ facerem , quam Sanctissimi Doctores Hieronymus , Ambrosius , & Augstinus fecerunt , qui contra hæreticos plurima scripta reliquerunt . Ego itaque etsi Viris illis Sanctissimis ingenio , doctrina & devotione longe inferior sim , nullaque ratione hiis conferendus , nihil tamen minus integrum existimavi , quam votis tuis, tuæque adeo rationabili deesse postulationi . Utinam tam fauste & feliciter , quam prompte & obtemperanter aggressus sum. Id igitur eo libentius describere institui , quo vestris summæ spei Carthusiæ fratribus , atque omnibus catholicæ

tholicæ fidei cultoribus summo solatio, usui, & ædificationi fore arbitratus sum. Tu itaque Pater mi optime atque jucundissime hunc tractatum ita leges, ut ab ingenio parum exercitato editum & compilatum me memineris, in quo si quid incongrue dictum offenderis (offendes autem plurima) imperitiæ meæ imputes velim; Neque enim tantum mihi arrogo, ut materiam catholicam vario colore Rhetorum obtundi & obumbrari non ambigerem, si eam hujuscemodi coloribus subjugarem; ego namque cum tuam istam petitionem mihi, minime spernendam arbitrarer, malui in me eloquentiam culpari, quam fidem, & incultum sermonem detestari, quam amorem; Tibique soli in primis Pater optime imputare debebis, qui immemor virium mearum, easque amore potius, quam ratione metiens, rem Sanctissimorum atque peritissimorum virorum ab imperito requisisti. Verum quidem esset profecto parum grati & minime officiosi animi hujusmodi abs te injunctum laborem recusare, cum mihi satis gratam domus Carthusiæ mansionem dignatus es exhibere, sed ut hoc, vel minimo servitio incredibili in me amori tuo satisfaciam; ita tamen ut pro qualicunque opere meo amplissimum semper orationum tuarum munus abs te reposci intelligas. Quare in primis quidem notandum est, quod Bohemi hæretici hæresim suam ab Anglia Pragam detulerunt, in qua quidem hæresi plures quam XXIV. articulos hæreticos & per Sacrum Constantiæ Concilium damnatos, retinent; Ex quibus omnia monasteria & omnes Ecclesias in toto Regno Bohemiæ igne combustas, funditus destruxerunt: Omnes Religiosos, Episcopos & Sacerdotes exquisitis tormentis affectos, crudelissime interfecerunt; Vasa Sanctuarii, Calices & ornamenta Altaris & Sanctorum Reliquias prophanantes; ex hiis concubinas suas ornaverunt. Omnes imagines Christi, Beatæ Mariæ Virginis & Sanctorum in omni loco gladio & igne ubique deleverunt. Sanctissimum Corpus Christi ubicumque reperiunt, in terram dejiciunt, & pedibus suis conculcant. Sacerdos ipsorum hæreticus dicit Missam in foro absque ornatu ecclesiastico, armatus, vel in sola tunica, dicens alta voce: Pater noster & verba consecrationis in lingua Bohemica. Consecrat, ut ipse putat, simul centum Calices, & propinat laicis, mulieribus, & parvulis sugentibus ubera; & cum sint pessimis erroribus involuti, tamen magistros suos & legatos destinaverunt Basileam, ut probarent quatuor articulos, quos vocant divinas veritates, & cum illis quatuor articulis totam hæresim suam volunt excusare, nam ut ait Isidorus de Summo bono, Capite XIV. quod hæretici ingenti studio mendacia sua discunt, & labore vehementi, ne ad unitatem Ecclesiæ veniant, decertant. Aliquando autem hæretici invicem se collidunt, ut contra Ecclesiam pari erroris spiritu decertent, & qui invicem sunt divisi, in adversitatem Ecclesiæ simul existunt uniti, & sub hac occasione hæreticorum propagati sunt doctores in Ecclesia Dei, quia causa hæresum illustrant obscuritatem divinarum Scripturarum, in qua caligantes hæretici, aliud, quam se res habet, intelligunt. Ego vero ad improbandum illos quatuor Bohemorum articulos, quia sufficiens non sum, quatuor verba Domini Jesu Christi illis objicio, quæ ipse Dominus proposuit, dicens: Hoc est Corpus meum. Hæc verba Domini originaliter scribuntur Lucæ XXII. Capitulo, & transumptive in Canone de Consecratione, Distinctione secunda, Capitulo *Quia Corpus*. Nemo itaque confidere potest de acumine ingenii, nec de sedulitate studii, sed de bonitate Dei, & de humilitate cordis sui ad investigandum tantum mysterium catholicæ fidei, dicente Domino: Confiteor tibi Pater Domine Cœli & Terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis; Matthæi XI. & transumptive in Decreto, Causa XXIV. Quæstione III. Capitulo *Si habes*. Ideo Sapientiæ VII. scribitur: Optavi, datus est mihi sensus, invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ. Unde Venerabilis Cassianus in Collationibus Patrum inquiebat: Servum Dei cupientem ad notitiam Scripturarum & Sacramentorum pertingere, nequaquam debere labores suos erga Commentariorum libros impendere, sed omnem industriam mentis erga humilitatem cordis detinere, quia humilibus & parvulis Scripturarum Sacramenta Spiritus Sancti gratia revelantur, præsertim in materia sacrosanctæ Fidei catholicæ & Apostolicæ, beato Maximo Episcopo in homilia sic dicente: Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, Fidem veterem quasi novellam discutere præsumas, & post morientium pro ea sudores otiosa disputatione contendas, nam ut ait beatus Hilarius libro secundo de Trinitate: Hæresis de intelligentia, non de scriptura est. Sensus & non sermo fit crimen. Ideo hæretici, etiamsi totam legem & Prophetas adimplerent, ex eo tamen quod catholici non sunt, salvari non possunt,

sunt, quia non est Deus in eorum conventibus. Unde Dominus ait: Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Per Moysen & Samuel Lex intelligitur & Prophetæ, quos quamvis hæretici opere implere contendant, tamen propter impietatem erroris a vultu Dei projiciuntur; Nam, ut ait Isidorus, si hæretici aliqua bona faciunt opera, nihil eis prosunt, dicente Domino per Jeremiam: Et opera tua non proderunt tibi. Hæretici namque per se placere Deo non possunt, nisi per Ecclesiam catholicam: Sicut & amici Job per se placere Deo non potuerunt, nisi pro eis Job sacrificium obtulisset, quia secundum beatum Augustinum: Ubi sana fides non est, non potest esse justitia, neque vita, quia justus ex fide vivit. Ad Hebræos XI. Quam fidem si haberent hæretici, non dilaniarent Corpus Christi, quod est Ecclesia. Et habetur in Canone, XXIV. Quæstione prima, Capitulo *Ubi sana*. Unde idem in libro de Fide ad Petrum, ait: In eo, quod quis singulis non credit articulis & Ecclesiæ institutis, apparet hæreticus, & christianæ fidei inimicus, nam qui delinquit in uno, factus est omnium reus; Jacobi secundo. Et sicut manus, vel pes a corpore abscissus est mortuus, Ita hæreticus a corpore Ecclesiæ catholicæ abscissus inter mortuos est deputandus. Dicitur autem ideo Ecclesia Catholica, quod universaliter per totum mundum sit diffusa, sed hæretici in aliquo angulo mundi, aut in aliqua provincia, vel in una gente inveniuntur versari: Hæc Isidorus. Bohemi ergo hæretici, licet sint in uno angulo mundi, tamen venerunt Basileam ad generale Concilium Anno Domini M. CCCC. XXXII. ut probarent suos IV. articulos, qui videntur minus esse hæretici; & per illos IV. articulos totam hæresim suam defendere volebant.

Primus articulus propositus per Bohemos hæreticos est iste. Cum communio sacramentalis) sit de necessitate saluais, dicente Domino: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis; Ideo sub utraque specie populo laicali utriusque sexus debet ministrari. Sed quia catholici non ministrant de Calice Sanguinem Christi laicis & mulieribus, ac parvulis, ideo graviter errant & mortaliter peccant, ac sunt in statu damnationis. Sed hunc primum Bohemorum articulum Dominus noster Jesus Christus improbat, confundit & destruit primo verbo, cum dicit *Hoc*, in quo verbo ad nostram informationem exprimitur sensifica Corporis Christi dimensio, quæ nulli subjecto innititur. Cum dicitur Hoc, idest accidens sine subjecto, monstratur quod æternaliter oculus naturæ miratur. Sed in oppositum hæreticus Bohemus sic argumentatur, teste Philosopho: Accidens non potest stare sine subjecto; Ergo in Sacramento Altaris panis non transubstantiatur in Corpus Christi, sed remanet panis materialis, in quo accidentia, idest albedo, sapor, rotunditas tamquam in suo subjecto remaneant. Sed contra hanc hæresim exclamat sanctus Hieronymus in sermone ultimo dicens: O Jesu ineffabilis, admiratio omnium novitatum. Oculi in tuo Sacramento vident albedinem, saporem sentit gustus, odorem olfactus, tactusque subtilitatem reperit, sed auditus cordi repræsentat in te illa non fore accidentia, certe in te sola accidentia existunt sine subjecto, quia non ut humanis videtur sensibus, panis materialis es, sed totus Christus Jesus integer, sicut in Cœlo ad dexteram Patris resides Deus & homo. Ideo beatus Ambrosius inquit: Panis est in Altari ante consecrationem, sed post consecrationem non panis, sed verum Corpus Christi est, quia sub specie panis Caro Christi in veritate sumitur, & sub specie vini Sanguis Christi in veritate bibitur, a beato Thoma de Aquino sic dicente: Dogma datur Christianis, quod in carnem transit panis, & vinum in Sanguinem. Unde Bernardus ait: Christus invisibilis Sacerdos visibiles creaturas panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis verbo suæ secretæ potentiæ convertit, ubi vehemens stupor est de illo, quod nobis demonstratur per pronomen *Hoc* quia interrogatio superioris est & admirationis, facta ab omni sensu; Dicit enim omnis sensus stupens illud Actuum tertio: Repleti omnes stupore & extasi, dicebant, quid est hoc! Et ille stupor & admiratio humanorum sensuum in Corpore Christi nobis figuratur Genesis XXVII. ubi dicitur, quod jenuit Isaac, & omnibus sensibus deceptus fuit, præter auditum, quum dixit: Vox quidem vox Jacob est. Sic omnes sensus nostri in hoc Sacramento decipiuntur, præter auditum, quia audivimus Dominum dicentem: Hoc est Corpus meum; & sic verum esse credimus. Sed adhuc argumentatur Bohemus hæreticus, dicens: Omnis relatio realis requirit terminum realem; & prius & posterius relatio realis est; ergo in Sacramento Altaris post Consecrationem necesse est esse panem materialem tamquam terminum realiter distinctum; Alias in fra-

ctione

ctione Sacramenti necesse est frangi Corpus Christi. Sed contra hunc hæreticum exclamat Sanctus Hieronymus, dicens: O humanorum illusio sensuum, panis accidentia franguntur per partes, & tamen in qualibet particula permanes totus & integer Christus, franguntur illa, quæ in te videntur accidentia humanis sensibus, & tamen nec frangeris, nec corrumperis. Te dentes videntur masticare velut materialem panem, & tamen nunquam masticaris; beato Thoma de Aquino sic dicente: Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento; quantum toto tegitur. Ideo beatus Bernardus ait: Sacramentum Corporis Christi sicut est individuum, cum dividitur, sic manet incorruptum, cum sumitur, nam Christus in Sacramento per partes manducatur, & manet integer, totus in fracto, totus in integro, tantum est in exiguo, quantum constat esse in toto. Ubi ergo sunt priores & posteriores species, numquid non sunt eædem, cum sunt panis, & postea cum sunt Corpus Christi? Ubi notandum, quod in illis speciebus est idemtitas & non idemtitas. Idemtitas quidem est realis numero, quia eædem species numero, quæ fuerunt panis, sunt Corporis Christi, sed non est idemtitas habitudinis, quia cum erant species panis & vini, erant ibi substantive & per contactum; Nunc autem cum sunt species Corporis Christi, non sunt ibi substantivæ, nec ipsum velant tangendo, quin potius sicut est conversio supernaturalis, sic & habitudo est supernaturalis. Et propter hanc diversitatem species dicuntur priores & posteriores, ut sit sensus, quod eadem accidentia numero, cum sunt Corporis Christi, habent omnia illa, quæ habebant, cum essent panis & vini, quia idem color, sapor, pondus & hujusmodi; Et de hoc stupet humanus sensus, qui stupor describitur in Job, ubi dicitur: In horrore visionis nocturnæ stetit quidam, cujus vultum non cognoscebam. Imago coram oculis meis visio illa nocturna contemplationem tacitam significat, quam habet Sacerdos consecrando hostiam. Stat tunc post consecrationem quidam, cujus vultus non videtur, quia natura hypostasis Dei & hominis, qui velatus sub speciebus panis & vini est occultus, stat & imago coram oculis, idest accidentia non innixa, & de hoc stupet humanus sensus, dicens: Cujus est imago hæc? quia non panis & vini, ut protendit, sed Corpus Christi, ad quod noster intellectus non attingit, sed Christo firmiter credit, dicenti: Hoc est Corpus meum. Illud nempe pronomen *Hoc* assumitur ad exponendum & demonstrandum verum Corpus Christi ut tectum & velatum; Et hoc mirabiliter & congrue, est namque pronomen hoc neutro passivum, quia substantivatur in neutro genere, ut dicunt Grammatici. Importat etiam pronomen hoc quamdam evidentiam Corporis Christi mystici & spiritualis, est namque pronomen Hoc distinctivum, distinguit enim hoc ab illo, quia in veritate auctor Grammaticæ edocet, quoniam pronomina demonstrativa manent in eodem genere eorum, quæ demonstrantur, ideo necessarium est hoc esse, quod demonstratur. Unde Dominus ait: Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Caro autem non prodest quidquam; Johannis VIII. In quibus verbis duplicem insinuat sui Corporis manducationem, carnalem & spiritualem; Sed carnalis manducatio absque spirituali non prodest quidquam, ut ait Veritas; Spiritualis autem manducatio absque carnali prodest multum, quia vivificat, prout patet in multis martyribus, qui absque manducatione Sacramentali in sola Fide, quæ est manducatio Spiritualis, pro Christo mortui, habent vitam æternam. Nam ut ait Augustinus in libro de Vera Pœnitentia, & habetur in Textu Sententiarum, libro IV. Distinctione IX. & in Canone de Consecratione, Distinctione secunda, Capitulo *Ut quid*, ubi sic ait: Ut quid paras dentem & ventrem; crede, & manducasti. Ex quibus verbis in oppositum primi articuli Bohemorum, medium arguendi assumens, corollarie primam infero conclusionem, quæ est talis. Cum duplicis speciei Communio Sacramentalis populo laicali utriusque sexus jamdudum per Rectores Catholicæ Ecclesiæ virtute clavium legitime sit immutata, igitur non est de necessitate salutis, nec debet contra Constitutionem Ecclesiæ universalis populo laicali utriusque sexus sub utraque specie Communio ministrari. Hanc conclusionem probat beatus Augustinus ad Januarium, & habetur in Decreto, Distinctione XII. in hæc verba: Illa, inquit, quæ non sunt scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum observantur, quia datur intelligi, quod ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, statuta & confirmata retinentur. Hæc Augustinus. Probatur etiam hæc conclusio per Constitutionem sextam primi Toletani Concilii, in quo præsupponitur diu fuisse ablatam a laicis Communionem Calicis, & etiam in necessita-

cessitatis articulo nullo modo laicis sub specie vini Communionem ministrandam. Sacra quoque Constantiensis Synodus noviter celebrata, ut obstrueretur os loquentium iniqua, vetustam illam & sanctam, tantum sub specie panis communionem laicam per Constitutionem suam Canonicam confirmavit & approbavit, ac Bohemos hæreticos oppositum docentes & facientes condemnavit & excommunicavit. Nulla quippe doctrina nec Evangelica, nec Apostolica præcipit, quod sub specie vini laicis Communio præbeatur, sed imperiti Bohemi ad excusandam suam hæresim hæc dogmatizare præsumunt, nec considerant magna pericula, quæ incauti homines per negligentiam possunt committere, tum quia in Communione xx: millium personarum oportet habere multos Calices consecratos, & sæpe reimplere & consecrare, ut sufficiat omnibus, ex quibus vinum infundi non potest absque distillatione in terram. Etiam quia vinum consecratum non potest conservari, quin putrescat, flores emittat, vel in acetum vertatur. Etiam quia sine periculo ad infirmos in Calice deferri non potest. Et etiam quia multæ sunt provinciæ frigidæ, quæ carent vino. Ideo Sancta universalis Ecclesia caute providit & præcepit, quod sub sola specie panis populus communicaret, quia ibi est vera caro Christi & Sanguis, Anima & Divinitas perfecte integraliter, & qui de hoc dubitaret Christianus non esset. Et ratio est ista, quia ubi fides catholica non est, nullius boni fundamentum esse potest. Ita scribitur in Decreto, Prima, Quæstione secunda, Capitulo *Cum Paulus*. Ideo beatus Thomas secunda secundæ, Quæstione x. Articulo xII. inquit: Maximam habet auctoritatem Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, quæ semper est imitanda in omnibus, quia & ipsa doctrina doctorum catholicorum ab Ecclesia habet auctoritatem. Hoc confirmans doctor catholicus Sanctus Augustinus contra Manicheum hæreticum, & habetur in Canone, Distinctione xI. Capitulo *Palam*, ubi sic ait: Palam est, quod in re dubia Fidei Ecclesiæ Catholicæ valet auctoritas, quæ ab ipsis Apostolis usque hodie recta persevérat. Gloriosus quoque doctor Sanctus Hieronymus in Epistola ad Evodiam viduam & habetur in Decreto, Quæstione x. in hæc verba: Nobis nihil aliud placet, nisi quod ab Ecclesia Catholica & Apostolica receptum est, & quod in Ecclesia catholica publice dicere non timemus. Hæc Hieronymus. Omnis namque Christianus, qui Ecclesiæ catholicæ & apostolicæ obedire contemnit, hæreticus est, & peccatum infidelitatis incurrit. Ita probatur in Canone, LXXXI. Distinctione, Capitulo *Si quis*. Et quicunque contra Ecclesiam catholicam derogando loquitur, hæreticus reputatur. Ita habetur in Decreto, XXII. Distinctione, Capitulo *Omnes* & Distinctione XII. *Nulli fas est*. Sed jam ad argumenta Bohemorum hæreticorum respondeamus. Arguit primo Bohemus hæreticus, immo blasphemat Ecclesiam, dicens: Ecclesia universalis non potuit mutare ordinationes & ritum primitivæ Ecclesiæ in non communicando laicos sub utraque specie: Ergo Communio Sacramentalis debet populo utriusque sexus & parvulis sub utraque specie ministrari. Responsio. Negatur assumptum, quia præsupponit falsum, Quod probatur sic: Ecclesia universalis potuit mutare quædam præcepta Dei & præcepta Apostolorum, quæ sunt majora: Ergo potuit mutare minora: Consequentia patet, sed antecedens probatur Exodi XII. Ubi præcepit Deus sanctificare & celebrare diem septimum, hoc est Sabbatum ritu sempiterno, & quicunque violaverit Sabbatum morte moriatur: Tamen Ecclesia universalis cum salute subditorum mutavit diem septimum in diem octavum, & Sabbatum mutavit in diem Dominicum, quod videtur esse contra Dei præceptum. Denique Actuum XV. scribitur, quod Apostoli & Seniores Jerosolymis in Concilio congregati decreverunt magna quatuor præcepta omni populo fideli servanda, quæ præcepta beatus Paulus Apostolus, discurrens per totam Syriam, Phœniciam & Macedoniam prædicabat omnibus servanda esse illa quatuor Apostolorum præcepta in hac forma: Visum est Spiritui Sancto & nobis nihil aliud vobis præcipere, quam ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & a fornicatione. Tamen Ecclesia universalis mutavit duo ex hiis quatuor Apostolorum præceptis, docta a Spiritu Sancto, nam cum bona conscientia nos utimur sanguine & suffocatis, quia determinatio Sanctæ universalis Ecclesiæ est determinatio Spiritus Sancti in necessariis ad salutem. Ergo prima objectio Bohemorum est falsa. Iterum arguit Bohemus hæreticus, dicens: Christus in Evangelio Lucæ XXII. præcepit Communionem sub utraque specie, cum accepto pane & calice, dixit discipulis & omnibus fidelibus: Hoc facite in meam commemorationem. Apostolus quoque ad Corinthios XI. præcipit, dicens: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat: Ergo populus laicus utriusque

que sexus & parvuli debent de Calice bibere sicut Sacerdos. Responsio. Negatur argumentum, quia implicat contradictionem, quod probatur sic; nam Christus in hiis verbis non præcipit manducationem & bibitionem Sacramentalem Corporis & Sanguinis sui, sed in illis verbis ordinavit Apostolos Sacerdotes, dans eis potestatem & omnibus Sacerdotibus consecrandi Corpus & Sanguinem suum, quando dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Sacerdotes namque in persona Ecclesiæ tenentur sub utraque specie communicare in commemorationem Passionis Christi; Laici vero tantum sub specie panis debent communicare. Et ratio est ista, quia non plus, nec minus est totus Christus sub sola specie panis, sicut est totus sub utraque specie simul, quod probat gloriosus Doctor Sanctus Hieronymus in ultimo sermone dicens: Sed quomodo pie Jesu, quem Cœli & terra continere non possunt, sub modica specie panis & vini contineris integer & totus, & sic sub sola specie panis totus, sicut sub utraque specie simul. Sacerdos namque communicans sub utraque specie, non plus, nec minus sumit de re Sacramenti, quam laicus, qui communicat tantum sub specie panis, ut probat Sanctus Thomas parte tertia, Quæstione LXXX. Articulo XII. & Magister Sententiarum libro IV. Distinctione XII. dicit: Sub utraque specie totus sumitur Christus, nec plus sub utraque, nec minus sub una tantum sumitur. Eadem quippe ratio est, ut ait beatus Hilarius in Corpore Christi, quæ in manna præcessit; Exodi XVI. de quo qui plus collegerat, non habuit amplius, nec qui minus paraverat, non habuit minus. Et habetur in Canone, Distinctione secunda, Capitulo *Ubi pars, ibi totum*: Sancta itaque viatrix Ecclesia Catholica & Apostolica fideliter credit, & tenet, quod sub specie panis per se in Sacramento Altaris est verum Corpus Christi, & Sanguis secundum qualitatem & quantitatem, cum Divinitate & cum Anima, conferens vitam & gratiam digne sumenti, quod probat Dominus noster Jesus Christus Johannis VI. dicens: Et qui manducat me, vivet propter me. Non dicit, vivet propter utramque speciem panis & vini, quia talem vitam species panis & vini conferre non possunt. Ideo Catholicus Doctor Sanctus Hieronymus sic ait: Dupliciter intelligitur Caro Christi, vel illa, quæ crucifixa est, vel illa spiritualis, de qua Dominus ait: Quid est manducare Carnem Christi & Sanguinem ejus bibere? nisi in Christo manere, & Christum in se manentem habere? nam qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, non manducat Carnem Christi, quamvis videatur Sacramenta Corporis Christi masticare dentibus suis. Ex quo patet, quod illa verba Evangelii, quæ allegant Bohemi hæretici: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis, non possunt verificari de manducatione & bibitione carnali & Sacramentali Corporis & Sanguinis Christi. Quod probatur sic. Quia illa verba Evangelii sic intellecta primarie de manducatione & bibitione Sacramentali falsificarentur in parvulis pueris noviter baptizatis & statim mortuis, & in beato latrone, qui fuit crucifixus cum Domino, ac in beato Porphyrio & quinquaginta Oratoribus, quos Sancta Catharina convertit ad Christum, & aliis pluribus Martyribus, qui nunquam manducaverunt Corpus Christi, nec biberunt ejus Sanguinem Sacramentaliter, & tamen habent vitam æternam, quod probat beatus Augustinus libro secundo de Baptismo parvulorum, & habetur in Canone de Consecratione, Distinctione IV. Capitulo *Nulla*: Ubi sic ait: Nulla præter Baptismum salus promittitur infantibus, quia infantes, si per Sacramentum Baptismi in credentium numero non transeant, in tenebris manent, nam ad hoc valet Baptismus, ut baptizati Christo incorporentur, & in illo vivi, salvi, liberati & redempti fiant, nam gratia Dei est sufficiens causa gloriæ; Ideo omne illud, sine quo potest haberi gratia, non est de necessitate salutis. Hoc autem Sacramentum Corporis Christi gratiam præsupponit, quia præsupponit Baptismum, in quo datur gratia, nec debet peccato præveniri, quod gratiam privet; Et ideo quantum est de se, non est de necessitate salutis, unde illa verba Evangelii, quæ allegant Bohemi hæretici: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis &c. debent intelligi de manducatione spirituali, sine qua non potest esse salus. Potest itaque incorporatio ad Christum fieri sine manducatione Sacramentali Corporis Christi, sicut per Baptismum & per Pœnitentiam, per quæ a peccatis mundamur, & Christo incorporamur; Et quia illa sunt de necessitate salutis, ideo omnibus conceduntur in casu necessitatis, sed hoc Sacramentum per solos Sacerdotes confici potest, quia Christus in ultima Cœna, accepto pane & Calice, solis discipulis dixit: Hoc facite in meam commemorationem, & non dixit omnibus fidelibus, ut dicunt Bohemi hæretici,

retici,

retici, quia laici fideles non possunt consecrare Corpus Christi; nec oportet, quod susceptio Sacramenti Corporis Christi sit omnibus de necessitate salutis, loquendo de necessitate absoluta, sed forte de necessitate conditionata, vel secundum quid, hoc est propter præceptum Ecclesiæ, ut dicit Magister Sententiarum libro IV. Distinctione IX. Quæstione secunda. Sed ad præceptum Apostoli ad Corinthios XI. Ubi ait: Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat. Responsio. Dicendum, quod per hæc verba Apostolus non præcipit communicare sub una specie, nec sub utraque, sed solum præcipit, quod probet se homo, antequam communicet; Et per hoc non possunt hæretici probare, quod Apostolus tradidisset eis, quod laici utriusque sexus sub utraque specie communicarent, quia verba illa: Et sic de Pane illo edat & de Calice bibat, non possunt esse præceptum sub una specie, neque sub utraque specie communicandi, sed solum ut nullus audeat edere, seu communicare, nisi probatus. Et illud verbum: Tradidi vobis: supple doctrinam. Et illud verbum: Donec veniam: refertur ad illud: Quotiescunque: Quæ est conditio; Ideo non est præceptum, quia præceptum factum sub aliqua conditione uon obligat. Illa ipsa ergo conditio non potest cadere sub eodem præcepto, quia eadem conditio non potest seipsam præsupponere, eo quod nihil est prius seipso. Ergo edere de pane & de calice bibere constat, qud istud præceptum nunquam obligat hominem, nec quando inest eidem ipsa eadem conditio, quæ præmittitur: Quotiescumque manducabitis: Quia qui nunquam manducat, non erit obligatus aliquando manducare; Et si ad hoc non erit obligatus, sequitur, quod hoc non erat sibi simpliciter præceptum, quod implicat contradictionem. Ergo secunda objectio Bohemorum hæreticorum est falsa.

Iterum arguit Bohemus hæreticus dicens: In primitiva Ecclesia omnes Fideles laici utriusque sexus, & pueri parvuli sub utraque specie communicabant. Ergo & nunc omnes sub utraque specie debent communicare.

Responsio. Negatur assumptum, quia præsupponit falsum; Quod probatur sic; Nam in veritate nulla Scriptura testatur, quod in primitiva Ecclesia omnes fideles sub utraque specie communicarent, sed aliquæ provinciæ, sicut Græci hæretici & Nestoriani. Huic veritati facta veteris legis fidem afferunt, nam esus Agni Paschalis fuit figura hujus Sacramenti, in cujus Agni manducatione de potu non fit aliqua mentio. Similiter manna de Cœlo veniens absque potu populum reficiebat, quæ hoc Sacramentum figurabat. Sapientiæ XV. Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & pane de Cœlo, habente in se omne delectamentum. Quod si forte in primitiva Ecclesia propter paucitatem fidelium sic communicassent, tamen non sequitur, quod nunc in Ecclesia universali sic debent communicare, quia implicaret contradictionem, quod probatur sic; Quia in primitiva Ecclesia multa faciebant, quæ tunc erant bona, hæc si fierent modo, essent mala, sed bonum & malum contradicunt. Nam in primitiva Ecclesia Baptismus in nomine Jesu erat bonus, ut scribitur Actuum VII. & XIX: qui nunc esset malus, immo non esset Baptismus, nisi fieret in nomine Sanctæ Trinitatis. Similiter in primitiva Ecclesia Paulus circumcidit Timotheum. Actuum XVI. Quod si nunc Dominus præsidens Concilio præciperet omnes circumcidi, qui sunt in Basilea, certum est, quod Bohemi hæretici, qui nunc sunt in Basilea, primi contradicerent, nec vellent circumcidi juxta ritum primitivæ Ecclesiæ. Multa enim pro tempore & loco & personis laudabiliter sunt mutata, ut inquit Canon, Distinctione XL. prima, Capitulo *Quisquis*: Unde beatus Augustinus ait: Hæc communio utriusque speciei, & alia in hunc modum non pauca tam in lege Dei, quam in usu Sacramentorum sola Ecclesiastica Constitutione mutata sunt, & laudabili consuetudine sunt firmata; Et habetur in Decreto, Distinctione XI. Capitulo *Ecclesiasticorum*. Jam enim sagena Ecclesiæ impleta est bonis & malis, ideo universalis Ecclesia sub una specie panis populum communicare instituit, cujus institutioni Bohemi hæretici obedire debent. Unde beatus Thomas in postilla super Johannem dicit, quod solus Sacerdos debet sub utraque specie commuuicare, hoc est de pane edere & de Calice bibere; Laici vero utriusque sexus debent sub sola specie panis Corpus Christi sumere, quia Corpus Christi non est absque Sanguine, alias non fuisset perfecta, nec vera Christi resurrectio. Sed sic Corpus Christi surrexit a mortuis, ut simul totus Sanguis cum Corpore resurgeret, etiam ille Sanguis, qui effusus jacebat sub Cruce. Ideo qui manducat Corpus Christi, etiam bibit Sanguinem Christi, quia manducare & bibere, idem est quod communicare. Nam & nunc adhuc vivit una Virgo in partibus Hollandiæ, quæ jam annis XXIV. nihil omni-

no comedit, neque bibit, nisi quod ter in septimana sub sola specie panis Corpus Christi suscipit, & illius exemplo Dominus Jesus ostendere voluit, quod Communio Sacramentalis sub sola specie panis populo laicali utriusque sexus est sufficiens ad salutem. Nec hoc fit contra præceptum Christi, quum dixit: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis & biberitis ejus Sanguinem, ut asserunt Bohemi hæretici, quia illa verba *Nisi manducaveritis* intelliguntur de manducatione spirituali, & non carnali, seu Sacramentali, quod probat ipse Dominus Johannis VI. dicens: Caro mea vere est cibus, supple animæ, & Sanguis meus vere est potus animæ; species autem panis & vini non sunt cibus animæ, sed corporis. Unde refert Sanctus Evangelista, quod quando Christus dixit illa verba *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis* statim discipuli ejus scandalizati sunt, & recesserunt a Domino. Tunc Dominus convocatis XII. Apostolis, dixit eis: Hoc vos scandalizat, quia dixi: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis; Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt, caro autem non prodest quidquam. Super quo beatus Augustinus dicit: Quid est verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt? idest spiritualiter intelligenda sunt, & non carnaliter; sicut Bohemi hæretici intelligunt, & propter hoc dant bibere de Calice laicis, mulieribus & parvulis, cum sub una specie panis sufficit omnibus communio Sacramentalis. De qua communione intelligenda sunt dicta doctorum Thomæ, Richardi, Hugonis, Innocentii tertii, & Alberti magni, quæ quamvis diversa esse videantur, quia ad diversa tempora referuntur, non tamen sunt adversa. Quare Augustinus in Homilia de Pœnitentia, & ponitur in Decreto, secunda, Quæstione prima, Capitulo *Si peccaverit*, ubi sic dicitur: Distingue tempora, & concordabis Scripturas; Et idem Augustinus in libro de Doctrina christiana, & habetur in Canone, Distinctione XL. prima, Capitulo *Quisquis*, ubi sic ait: Quid locis, temporibus, & personis conveniat, diligenter attende. Ergo tertia Bohemorum est falsa.

Sed adhuc arguit Bohemus hæreticus, dicens: Ecclesia Orientalis Græcorum communicat laicos & mulieres sub utraque specie. Ergo Ecclesia universalis catholicorum sic debet laicos utriusque sexus sub utraque specie communicare.

Responsio. Negatur consequentia, quia arguitur a particulari ad universale, quæ particularis est suspecta: Quod probatur sic: Quia Ecclesia Orientalis Græcorum non est Ecclesia fidelium, sed est Ecclesia malignantium, de qua Spiritus-Sanctus dicit per David Prophetam: Odivi Ecclesiam malignantium, idest Græcorum, & cum impiis, idest cum Bohemis hæreticis non sedebo. Talis Ecclesia impiorum sunt omnes schismatici & hæretici, qui a Fide catholica apostatarunt, ideo non sunt Ecclesia Dei, sed sunt Ecclesia Diaboli, ut habetur in Decreto, XXXII. Quæstione secunda, Capitulo *Sicut non omnis*: Quod probat Dominus Johannis VIII. dicens: Vos ex patre diabolo estis, & opera patris vestri facitis. Ille homicida fuit sui per superbiam, dicens illud Isaiæ XIV. In Cœlum conscendam & ero similis Altissimo. Et vos ex eadem superbia latratis contra fidem catholicam, quia estis Ecclesia malignantium; Hujus Ecclesiæ malignantium caput est Antichristus, ideo Bohemi hæretici sunt præcursores Antichristi. Danielis XII. Et erit in templo desolatio abominationis, & conculcabitur juge Sacrificium, & faciet juxta voluntatem suam, cum completa fuerit dispersio populi Sancti, & dejicietur locus Sanctificationis, & Sanctuarium desolabitur; Nam Antichristus jam operatur mysterium iniquitatis per Bohemos hæreticos, qui destruxerunt Ecclesias, & loca Sanctificationis desolaverunt; Secunda ad Thessalonicenses secunda: Unde idem Apostolus ait: Rogo autem vos fratres, ut abstineatis ab illis, qui dissensiones & offendicula faciunt, præter doctrinam, quam didicistis a nobis; Tales enim Christo non serviunt, sed Diabolo, seducentes innocentes per dulces sermones; Ad Romanos VI. Nam ubi fides catholica non est, nullius boni operis ædificium esse potest; prima, Quæstione prima, Capitulo *Cum Paulus*: Et extravaganti de Sacra Unctione, Capitulo *Quia vero*. Ideo Apostolus prima ad Corinthios secundo, dicit: Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; Nam schisma est illicita dissensio quorumcunque in aliquo, in quo uniti esse debent. Sic Dathan & Abiron schisma fecerunt contra Moysen, & ideo perierunt, dicente Propheta *Aperta est terra, & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abiron*: Unde Bernardus ait: Sicut in unitate fidelium factus est locus Dei; ita in schismate locum fieri Diabolo manifestum est, quia schisma est origo subversionis, fovea hæresum, nutrimentum scandalorum, quia modicum fermenti totam massam corrumpit; Prima

ad Corinthios primo. Immo schisma inveteratum convertitur in hæresim; Duo namque faciunt hæreticum. Primum error in fide catholica, qui est initium hæresis. Secundum pertinacia in schismate, & hoc est hæresis complementum, ut dicit beatus Thomas super IV. Sententiarum, Distinctione XIII. & habetur in Canone, XXIV. Quæstione tertia, Capitulo *Qui in Ecclesia &c.* Ideo hæresis sic potest describi: Hæresis est dogma falsum sacræ fidei, vel Ecclesiæ contrarium, & pertinaciter defensatum. Tales sunt Græci & Bohemi hæretici, qui contra Ecclesiam catholicam multos tenent articulos, & pertinaciter defendunt communionem sub utraque specie laicis & mulieribus ministrandam, quamvis illa communio est eis ad judicium & ad æternam damnationem. Unde beatus Augustinus in libro Prosperi sic ait: Hæretici, quum hoc accipiunt Sacramentum, testimonium contra se accipiunt, quia illi quærunt divisionem, cum panis iste indicet unitatem. Hilarius quoque ait: Hæc ergo vitæ nostræ causa est, quod in nobis manentem Deum per Carnem Christi habemus, non enim in eo erit, nisi in quo ipse fuerit. Ideo in hæreticis non est, quia ipsi in eo esse non possunt, licet sub utraque specie communicent, quamvis Græci laici non bibunt de Calice Sacramentum, sicut Bohemi, quia Græcorum Sacerdos, quum dicit Missam, ingerit panem fermentatum in vinum in Calice ligneo, & quum communicat, tunc manducat Sacramentum cum cocleari ligneo de Calice, sicut manducaret potagium, & sic ministrat Sacramentum de Calice cum cocleari ligneo laicis & mulieribus Græcis, quemadmodum si aliquis coquus ministraret cum cocleari potagium canibus, vel capris. Græci enim in scriptura per capras significantur; Danielis IV. ubi Angelus exponit visionem Danieli, dicens: Quod hircus caprarum erat Rex Græcorum, quia Græci sunt inutiles & fœtidi sicut capræ, ideo perdiderunt totum Regnum, & jam nisi unam habent civitatem, Constantinopolim. Sacerdos vero Bohemorum, cum dicit Missam in platea, sive in taberna absque ornatu, consecrat ducentos calices plenos vino, dicens cum uno verbo in lingua Bohemica alta voce Pater noster *Hic est Sanguis meus*, eo quod in Bohemia & in Praga est populus multus & stultus, ita quod in una Missa erunt communicantes quinque, vel decem millia, taliter ut non sufficiant eis sexcenti Calices consecrati, sed cum evacuati fuerint illi ducenti Calices consecrati, iterum implet eosdem vino, & dicit alta voce *Hic est Sanguis meus*, & statim propinat laicis, mulieribus, & parvulis. Quod si quæritur, unde habent Bohemi auctoritatem consecrandi tot Calices cum uno verbo. Responsio. Certum est, quod non habent auctoritatem ab universali Ecclesia catholica, neque a Christo, sed habent ab Antichristo & a Diabolo, quod probat Apostolus Paulus secunda ad Thessalonicenses, secundo, dicens: Jam, inquit, Antichristus, supple per Bohemos hæreticos, operatur mysterium iniquitatis. Ideo catholicus Doctor Sanctus Ambrosius super Lucam ait: Dominus noster Jesus Christus, ut formam consecrandi daret discipulis suis, unum tantum Calicem consecravit, quem tradens discipulis suis, expresse dixit: Dividite inter vos; ut non plures Calices consecraret, nec dixit, dividite aliis, ne Bohemi hæretici laicis & mulieribus de Calice propinarent. Quare beatus Gregorius in homilia paschali ait: Tanta est unitas Christi & Ecclesiæ fratres mei, ut unus sit Panis Corporis Christi, & unus Calix Sanguinis ejus. Calix enim, quem Sacerdos sacrificat, non est alius nisi ille, quem Dominus dedit Apostolis suis, de quo soli Sacerdotes bibere debent; Laicis autem & mulieribus fidelibus sufficit ad salutem sub specie panis Communio, nam communicantes, quidam sumunt rem & Sacramentum, ut illi, qui digne communicant; Alii sumunt Sacramentum & non rem, ut illi, qui in peccato mortali communicant; Alii vero sumunt nec rem, nec Sacramentum, ut hæretici & schismatici, qui sunt extra Ecclesiam catholicam. Alii sumunt non re, sed voto, & voto proprio, vel alieno, ut pueri. Sed mira res, cum Bohemi hæretici nullum ritum Græcorum observent, tamen vellent, ut sancta universalis Ecclesia imitaretur Græcos hæreticos, ac si vellent, ut Christus imitaretur Diabolum, quod est inconveniens. Ergo & illa objectio Bohemorum est falsa. Quare pro improbatione illius primi articuli Bohemorum hæreticorum, finaliter sic concludo, quod omnis homo pertinaciter asserens communionem Sacramentalem sub sola specie panis populo laicali utriusque sexus non esse sufficientem ad salutem, talis est hæreticus, & est in statu æternæ damnationis, quod probat Doctor catholicus beatus Augustinus in libro de Fide ad Petrum, dicens: Firmiter credas & nullatenus dubites, omne hæreticum & schismaticum cum Diabolo & angelis ejus æterni ignis incendio condemnandum, nisi

nisi ante finem vitæ suæ Ecclesiæ catholicæ fuerit unitus. Talibus enim hæreticis & schismaticis non prodest Baptismus, nec eleemosyna quantumcumque copiosa, nec mors pro fide Christi suscepta.

Secundus articulus Bohemorum hæreticorum est iste. Possessiones & dominium temporale, quod contra præceptum Christi clerus occupat in præjudicium sui officii & in damnationem animarum suarum, per laicos & potentiam sæcularem auferatur & tollatur. Hunc secundum articulum, immo hæresim Dominus noster Jesus Christus improbat, confundit & destruit secundo verbo, cum dicit *Est:* Nam secundum grammaticos hoc verbum *Est* dicit infinitatem, quia quod est, non habet finem, omnia enim alia verba dicunt aliquid determinate, sicut amo, doceo, lego &c.; sed hoc verbum Est dicit infinitatem, quia quod est, non habet finem, & ideo proprie non potest dici nisi de Deo. Unde Moyses ait: Qui est, misit me ad vos; Exodi III. quia omnia deficiunt, sed est, semper est. Sicut beatus Petrus Vicarius Christi, quia solida petra Ecclesiæ est, ideo Ecclesia Christi nunquam deficiet, quod confirmat Dominus in Evangelio dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferni non prævalebunt adversus eam; Matthæi XVI. & in Decreto, XXIV. Quæstione prima, Capitulo *Super hanc petram:* Sed quæ sunt portæ Inferni, quæ non prævalebunt adversus Christi Ecclesiam? Portæ Inferi sunt hæretici, quia per hæreticos homines simplices seducti intrant in Infernum, sicut per portas in domum; quos Dominus increpat per prophetam, dicens: Tollite portas Principes vestras, & introibit Rex gloriæ; Psalmo XXIII. Sed qui sunt isti Principes portarum Inferni, idest hæreticorum? Responsio. Dicendum, quod sunt tres principes modernorum hæreticorum. Primus est Johannes Vicleff Anglicus; Secundus est Johannes Hus Bohemus; Tertius est reprobus Hieronymus. Sed nec isti principes hæreticorum, nec portæ Inferi, id est hæretici prævalebunt adversus Ecclesiam Christi. Vere non prævalebunt, quia Christus, qui est increata veritas, hoc in Evangelio promisit. Dicitur autem beatus Petrus Petra Ecclesiæ, quia primus in nationibus fundamenta fidei posuit, ut tamquam saxum immobile totius Ecclesiæ compagem molemque contineat. Ita habetur in Canone, Distinctione L. Capitulo *Felicior:* Unde Sanctus Marcellus Papa ait: Rogamus vos fratres, ut non aliud doceatis, quam a beato Petro & reliquis ejus successoribus accepistis, ipse enim est caput Ecclesiæ, cui Dominus ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; Et habetur in Decreto, XXIV. Quæstione prima, Capitulo *Rogamus vos fratres:* Est autem duplex Ecclesia; Materialis, & spiritualis. Prima est figura, secunda figurata. De prima Psalmus *In Ecclesiis benedicite Dominum:* Et Lucæ XIX. Domus mea domus orationis est cunctis gentibus: Et originaliter Isaiæ LVI. & in Canone, XVI. Quæstione prima, Capitulo *Et hæc dicimus:* Nam in Ecclesia materiali nihil debet incongruum, vel inhonestum agi, ut probatur in Decreto, Distinctione XLII. Capitulo *Nulli Episcopi*. Unde beatus Augustinus in Regula ait: In Oratorio nemo aliud agat, nisi ad quod factum est, unde & nomen accepit. Et Genesis XXVIII. scribitur: Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Salomon quoque fecit templum, & in Festo Dedicationis nebula replevit totum templum, ita quod Sacerdotes non poterant ministrare; Tertii Regum VIII. Quanto magis in nova lege, ubi offertur Corpus Christi, debet Ecclesia ornari & venerari. Unde Ambrosius in libro de Officiis sic ait: Maxime Sacerdotibus hoc convenit, ornare Dei templa cum honore congruo, ut decenti cultu Aula Dei resplendeat, & habetur in Canone, Distinctione VI. Capitulo *Non satis:* Secunda Ecclesia est spiritualis, quæ est una Sancta & Catholica, ratione universalis auctoritatis & Ecclesiasticæ potestatis, concludens omnes salvandos a primo Abel justo usque ad ultimum justum inclusive. Hæc Ecclesia dicitur una propter unam fidem, unum Baptisma, unum Caput, quod est Papa: Hæc est Ecclesia Romana, quæ est mater & caput omnium Ecclesiarum, ut probatur in Decreto, tertia, quæstione VI. Capitulo *Damnamus* Et XXII. Distinctione, Capitulo *Omnes:* Unde beatus Hieronymus in Epistola ad Pamachium & Oceanum ait: Istam fidem senex tenebo, in qua puer natus usque ad hanc diem permansi; nam sine ista nova doctrina hæreticorum jamdudum mundus christianus fuit, ideo Dominus ait; Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua; Lucæ XXII. fidem Petri vocando fidem Ecclesiæ, & exauditus est pro sua reverentia; Ad Hebræos XXI. Hæc Ecclesia est Corpus Christi mysticum, nec habet duo capita, sed unum, quia unum succedit alteri; Prima ad Corinthios XII. sicut corpus unum membra habet multa: Sic in Christo sive servi, sive liberi omnes unum

unum corpus efficiunt. Hæc Ecclesia est sponsa Christi, non habens maculam, neque rugam? Ad Ephesios primo Christus dilexit Ecclesiam, non habentem maculam perfidiæ, neque rugam erroris, extra quam nullus potest salvari; Sicut nec extra arcam Noe tempore diluvii aliquis salvus fuit. Hæc autem una Ecclesia in multitudinem suppositorum extenditur, sicut una arbor in multos ramos, ut habetur in Canone, XXIV. Quæstione prima, Capitulo *Loquitur*: Ex quo patet, quod nullus hæreticus, & nullus infidelis est in Ecclesia, quia introitus in Ecclesiam est per fidem integram. Quare Dionysius de cœlesti hierarchia ait: Lex sacratissima Divinitatis est ultima per media reducere ad suprema, quia infima purgantur & illuminantur per media, & media per suprema. Sic est Ecclesiastica hierarchia; Job XXXVIII. numquid nosti ordinem Cœli, ponens similitudinem ejus in terra. Sic in Ecclesia Papa tenet locum Christi, Cardinales & Episcopi tenent locum Apostolorum, Sacerdotes & alii Prælati tenent locum LXXII. Discipulorum. Sic politia domestica, in primo Paterfamilias, secundo loco filii, tertio servi, vel famuli. Ideo ad Papam tamquam ad Vicarium Christi & successorem Petri Apostoli circa fidem, quando dubitatur, est recurrendum, ut probatur in Decreto, XXIV. Quæstione prima, Capitulo *Quoties*; Ubi sic dicitur: Quoties ratio fidei ventilatur, arbitror omnes nonnisi ad Petrum, & sui nominis successores auctoritatem referre. Unde magnus Doctor Sanctus Hieronymus in explanatione fidei sic ait: Hæc est fides Papa Beatissime, quam in Ecclesia catholica didicimus, quamque semper tenuimus, in qua si quid minus caute positum sit, emendari petimus a te, qui sedem Petri tenes & fidem. Si autem hæc nostra confessio tui Apostolatus judicio comprobatur, quicunque me culpare voluerit, se non catholicum, sed hæreticum comprobabit. Et habetur in Decreto, XXXIV. Questione prima, Capitulo *Hæc est fides Papa Beatissime*: Ecclesia namque Romana regitur a Spiritu Sancto in fide, ut non possit in errorem pertrahi; & a recto tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse comprobata est: & habetur ibidem, Capitulo *A recta*: Quare Dominus ait Deuteronomii XVII. Si quis (supple Bohemus, aut Moravius) superbierit, & noluerit obedire Summi Sacerdotis imperio, morte morietur homo ille, & auferes malum de medio tui. Cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat in superbiam. Hæc verba allegat Innocentius Papa tertius in Capitulo *Per venerabilem*. Apostolus quoque prima ad Corinthios VI. dicit: Nescitis quoniam & Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia. Ideo catholicus doctor Sanctus Hieronymus in Epistola ad Demetriadem Virginem ait: Dum esses parvula, & Sanctæ memoriæ Anastasius Papa Romanam regeret Ecclesiam, de Orientis partibus hæreticorum sæva tempestas simplicitatem Fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polluere & labefacere conata est, sed vir Sanctus Anastasius ditissimæ paupertatis & Apostolicæ sollicitudinis, statim noxium contrivit caput, & sibillantia hydræ ora compescuit; Et quia vereor adhuc vivere & pullulare venenata plantaria hæretieorum, ideo te pio caritatis affectu admoneo, ut Sancti Innocentii Papæ, qui Apostolicæ Sedis & beati Anastasii successor est, fidem teneas, nec peregrinam alicujus doctrinam recipias. Hæc Hieronymus. Nam in Papa, vel in quolibet Prælato duo sunt, vita & officium. Vita propter ipsum, officium propter alios. Si bonus est, prodest sibi, si malus est, nocet sibi, sed non mihi. Unde Judas unus de XII. Apostolis, cujus Baptismum Augustinus præfert Johannis Baptismo, sed quia malus fuit, ipse damnatus est. Similiter Caiphas, cum esset Pontifex, prophetavit aliis, sibi autem, quia malus erat, æternam damnationem aquisivit. Quare Augustinus contra Donatistas inquit: Sacerdos sive bonus, sive malus non ligat, vel solvit vita sua, sed officio & potestate, dumodo non sit præcisus ab Ecclesia; & habetur in Canone, prima, quæstione prima, Capitulo *Sicut urgeri*. Ideo beatus Ambrosius libro de Sacramentis ait: Cum Scriptura testatur, ad preces Eliæ ignis de Cœlo missus est, qui sacrificia consumaret, datur intelligi, quod Deus non merita personarum considerat, sed officia. Et habetur in Canone, prima, Quæstione prima *Cum Scriptura*: quia secundum Augustinum nihil a bono magis, vel a malo minus perficitur Sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritus-Sancti; Et habetur in Canone, prima, quæstione prima, Capitulo *Inter hæc*. Ideo quilibet christianus tenetur cognoscendo profiteri Romanam Ecclesiam esse caput & matrem omnium Ecclesiarum & omnium Christi fidelium super terram, ut probatur in Decreto, tertia, Quæstione VI. Capitulo *Dudum*: Nam qui spernit Sanctam & catholicam Ecclesiam Romanam, hæreticus judicatur, ut habetur

in

in Decreto, XXIV. Quæstione prima, Capitulo *Hæc est*: & Distinctione XII. Capitulo *Nulli fas*: Unde David electus & prædestinatus ad vitam Saul præscitum ad damnationem venerabatur; Primi Regum XXVI. Et Salvator Matthæi XVIII. ait: Si te frater tuus non audierit, dic Ecclesiæ. Ideo beatus Augustinus libro XI. contra Faustum ait: Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas; Planum est enim, quod multi scripserunt Evangelia, ut habetur in Canone, Distinctione XV. Capitulo *In primis*: Ubi ponuntur multa evangelia apocrypha, videlicet Evangelia Thomæ, quibus utuntur Manichei; apocrypha Evangelia Thaddei; apocrypha evangelia Barnabæ; apocrypha evangelia Petri; apocrypha evangelia Bartholomæi; Evangelia Andreæ apocrypha. Sola quatuor Evangelia sunt a Christo, atque ab Ecclesia catholica sunt approbata. Ergo si Ecclesia posset errare, Evangelia quatuor essent erronea. Propter hoc beatus Augustinus Ecclesiam Romanam ita exaltat, ut ei tamquam Evangelio fidem adhibeat; Sic Hieronymus, Gregorius, Ambrosius, & alii Sancti Doctores. Quidquid enim Sancta Romana Ecclesia approbavit in materia fidei, aut in opusculis, hoc est ab omnibus acceptandum, & tenendum, ut probatur in Decreto Distinctione XII. Capitulo *Non licet*; Et Capitulo *Præceptis*; Et XIX. Distinctione, Capitulo *Si Romanorum*: Quia omnis christianus, qui Romanæ Ecclesiæ obedire contemnit, peccatum infidelitatis incurrit, ut habetur in Canone, LXXXI. Distinctione, Capitulo *Si quis*; Et quicunque contra Romanam Ecclesiam derogando loquitur, hæreticus reputatur; Ibidem XXII. Distinctione; Capitulo *Omnes*: Non enim est potestas, nisi a Deo, & qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit, & ipse sibi damnationem aquirit; Ad Romanos XIII. Unde catholicus Doctor Sanctus Hieronymus in Epistola ad Anastasium Papam, & habetur in Decreto, XXIV. Quæstione prima, Capitulo *Hæc est*: Sancta, inquit, est Romana Ecclesia, quæ semper immaculata permansit, Domino providente, & beato Petro Apostolo opem ferente, ac in futurum permanebit sine ulla insultatione hæreticorum, atque firma & inviolabilis omni tempore persistet. Hæc Hieronymus. Et in Canone XXII. Distinctione, Capitulo *Sacrosancta* dicitur. Uno die eodemque tempore Petrus & Paulus Sanctam Romanam Ecclesiam consecraverunt, atque aliis urbibus omnibus in universo mundo tam sua præsentia, quam venerando triumpho prætulerunt.

Ex quibus omnibus in oppositum secundi articuli Bohemorum hæreticorum medium arguendi assumens, corollarie secundam infero conclusionem, quæ est talis. Justum est, ut tota Ecclesia catholica ab uno regatur capite & Principe Sacerdotum; Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia sit Regina & Domina, ac Mater omnium salvandorum. Hanc conclusionem secundam probat & comendat Commentator eloquentissimus Cassiodorus Epistolarum suarum libro VII. Capitulo XVI. in hæc verba: Omnia sine capite confusa sunt, & dum unusquisque juxta voluntatem suam cogitat vivere, regulam cognoscitur amittere disciplinæ. Ergo utile est semper unum præesse, cui reliqui debeant obedire, quia si voluntas diversorum vaga relinquitur, confusio amica culparum generatur. Hæc Cassiodorus. Maximus quoque Doctor Sanctus Hieronymus confirmat eamdem conclusionem in Epistola ad Rusticum monachum, & habetur transumptive in Decreto, VII. Quæstione prima, Capitulo *In apibus*; ubi sic ait: Apes unum habent principem, & grues unam sequntur ordine litterario, Imperator unus, Judex provinciæ unus, Roma etiam condita duos simul reges habere non potuit, & fratricidio dedicatur, Unus gubernator in navi, & Unus paterfamilias in domo, Unus etiam debet esse Ecclesiæ princeps, quia ex regali ordinatione nullus populus, nulla universitas absque rectore dicitur, cum sine rectore regi non possit. Ita habetur in Canone, VIII. Quæstione prima, Capitulo *Qui Episcopatum*: Nemo enim est, qui dubitet, Romanum Pontificem caput esse totius Ecclesiæ, dicente Domino: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; Matthæi XVI. Quare beatus Symmachus Papa sic ait: Quis enim dubitet, Sanctum esse Summum Pontificem, quem apex tantæ dignitatis attollit; In quo & si desunt bona per meritum acquisita, sufficiunt illa, quæ a prædecessore suo beato Petro testata sunt; & subdit rationem: aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui eriguntur, illustrat. Hæc beatus Papa Symmachus, & habetur in Decreto de verbo ad verbum Distinctione XL. Capitulo *Non nos beatum Petrum*: Tenet namque Summus Pontifex locum Dei in terra; Extravaganti, Capitulo *Ut Ecclesiastica Beneficia* & Capitulo *Ut nostrum*: Nam de Summo Pontifice loquitur Dominus per Prophetam dicens: Inveni Papam servum meum; oleo Sancto meo unxi eum, Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confirmabit eum; Psal-

mo LXXXVIII. Et in Canone, prima, Quæstione VII. Capitulo *Si quis*: Unde Aristoteles physicus, quamvis Ethnicus & infidelis hoc idem sentit primo Politicorum & in fine XII. Metaphysicæ, dicens: Entia non volunt disponi male; & quia pluralitas principantium mala, Unus ergo sit Princeps. Sed quia malum formaliter est privatio, quamvis multa positiva materialiter & subjective mala sint & denominentur, privatio autem per habitum oppositum habet cognosci; nisi enim quis de visu notitiam habuerit, non potest agnoscere cæcitatem; Sic nemo est, qui dubitet, majorem esse dignitatem Papæ & Sacerdotum, quam laicorum etiam Regum & Imperatorum, quia secundum Apostolum major est, qui benedicit, quam qui benedicitur. Imperator namque dependet ex Papæ Judicio, sed non e converso, ut probatur in Decreto, Distinctione LXXXXVI. Capitulo *Duo sunt*: Unde Papa Gelasius Imperatorem Anastasium, & Innocentius primus Arcadium Imperatorem excommunicaverunt. Zacharias quoque Papa deposito Rege Franciæ, dedit Regnum Pipino patri Caroli, ut habetur in Decreto, XV. Quæstione VI. Capitulo *Alterius*: Ob hoc quilibet Imperator jurat fidelitatem Papæ, & augere, ac tueri bona Ecclesiæ, ut habetur in Canone, LXIII. Distinctione, Capitulo *Tibi Domino & Patri*: Nec mirum, cum in Testamento veteri ex præcepto Domini Samuel unxit & consecravit Saul & David Reges; Primi Regum XVI. Sadoch quoque Summus Sacerdos unxit Regem Salomonem; Paralipomenon XXIII. Et Dominus dixit ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis; Exodi VII. Et idem Dominus per Prophetam ait Sacerdotibus: Ego dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes; Psalmo LXXX. Ergo Bohemi hæretici non possunt facere Papam & Sacerdotes Domini mendicos, pauperes & miseros, quos Deus fecit Dominos & Deos, ac omni populo superiores. Quod probat beatus Ambrosius, & habetur in Canone, VII. Quæstione prima, Capitulo *In castitate* in hæc verba: Episcopalis & Sacerdotalis sublimitas nullis potest comparationibus adæquari; nam si Regum & Principum diademati compares, longe inferior erit, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum, & osculata eorum dextera, se credunt eorum orationibus communiri. Hæc Ambrosius. Sanctus quoque Papa Gregorius ait: Quis dubitet Episcopos & Sacerdotes Regum & Principum, omniumque fidelium prælatos & magistros esse censendos, & habetur in Decreto, LXXXXI. Distinctione, Capitulo *Quis dubitet*: Quia Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, ut ait Sanctus Anacletus Martyr & Papa, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino & Salvatore nostro Jesu Christo primatum obtinuit, quando dixit: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ideo merito Romana Ecclesia est Regina & Domina ac Mater omnium salvandorum; De qua Dominus per Prophetam ait: Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate; Psalmo XLIV. Et de dominio ipsius Sanctæ Matris Ecclesiæ catholicæ, audi Dominum dicentem Isaiæ LIX. Ecce ego levo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas in humeris portabunt, & erunt Reges nutritii (idest Ecclesiæ) & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram dimisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent, & scies, quia ego sum Dominus Deus tuus, qui exaltavi te. Hæc Prophetia Isaiæ completa fuit, quando catholicus Imperator Constantinus purpura se exuit, & Sanctam Matrem Ecclesiam vestivit, ac Reginam & Dominam omnium fidelium constituit. Et ab illo tempore Reges, Duces & Principes fideles vultu in terram dimisso Sanctam Matrem Ecclesiam adorant; Quam Bohemi hæretici contra voluntatem Dei mendicam, pauperem & miseram facere volunt, extollentes se in superbiam supra omne, quod est Deus, sicut facient, cum venerit Antichristus.

Sed jam ad argumenta Bohemorum hæreticorum respondeamus. Primo arguit Bohemus hæreticus volens probare secundum articulum in hæc verba: Lex Divina prohibuit Levitis, seu Clero veteris Testamenti habere possessiones & dominium. Ergo Papa, Episcopi & Clerus novi Testamenti non debent habere possessiones & dominium in terra. Responsio. Negatur assumptum, quia præsupponit falsum. Quod probatur sic, quia lex Divina non prohibuit simpliciter possessiones Clero veteris Testamenti, sed prohibuit Levitis sortem habere inter filios Israel, quia Deus sors ipsorum esse voluit. Cleros enim Grece, sors dicitur Latine, nam Levitæ, seu Clerus veteris Testamenti, qui erat modicus respective ad Clerum novi Testamenti, tamen ex præcepto Dei fuit valde ditatus in multis possessionibus, agris, decimis, votis, sacrificiis & oblationibus. Numeri XVIII. dixit Domi-

Dominus ad Aaron : Omnis oblatio , sacrificium & decimæ pretium est pro ministerio, quo servitis mihi , tuum erit & filiorum tuorum lege sempiterna . Quod autem Levitæ , seu Clerus veteris Testamenti fuerit valde ditatus in possessionibus & pecuniis , probatur ex textu Bibliæ , nam Josue XXI. scribitur , quod Levitæ ex præcepto Dei habuerunt XLIV. Civitates munitas, & multo plura suburbia ad alendos greges. Habebant etiam Sacerdotes & Levitæ omnes decimas & primitias frumenti & olei , quas vendebant pro multis pecuniis . Habebant insuper oblationes , Sacrificia & omnia vota tam in agris & possessionibus, quam in jumentis & aliis mobilibus , nec poterant redimi vota , sed perpetuo jure erant Sacerdotum , ut patet Levitici ultimo . Possidebant etiam Sacerdotes & Levitæ paterna bona jure hæreditario ; Multasque pecunias accipiebant pro redemptione primogenitorum tam hominum, quam mundorum animalium , ut scribitur Deuteronomii XVIII.

Summi quoque Sacerdotes Judæorum erant affines Regum , quia copulabantur regali Matrimonio , & post transmigrationem Babylonis Summi Sacerdotes Judæorum imposuerunt sibi diademata & regnabant in Jerusalem usque ad Regnum Herodis , ut scribit Egesippus historiographus & Apostolorum tempori vicinus . Nostri autem Episcopi & Sacerdotes novi Testamenti non sunt Reges temporales , sed sunt Domini & Principes, quia Deus constituit eos Principes super omnem terram, sicut Spiritus Sanctus per os David Prophetæ promisit , dicens : Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii , constitues eos Principes super omnem terram ; Psalmo XLIIII. Quia secundum beatum Augustinum Sancta Mater Ecclesia catholica genuit filios , idest Episcopos & Sacerdotes pro Patribus, id est pro Apostolis, vel loco Apostolorum , ut habetur in Decreto, LXVIII. Distinctione , Capitulo *Quorum vices:* Et illos suos filios, idest Episcopos & Sacerdotes constituit Principes super omnem terram , ubi non excipit terram hæreticorum Bohemicam , Quia , placeat Bohemis hæreticis, vel displiceat, oportet quod habeant Dominos & Principes Episcopos & Sacerdotes , nam teste veritate prima, non potest solvi Scriptura . Ergo illa objectio Bohemorum est falsa. Iterum arguit Bohemus hæreticus dicens: Clerus novæ legis debet esse perfectior Clero veteris legis. Ergo ratione perfectionis Clerus novæ legis non debet habere dominium temporale, nec possessiones. Responsio. Negatur consequentia , quia perfectio christianæ vitæ non consistit essentialiter in voluntaria paupertate , ut probat Sanctus Thomas secunda secundæ , Quæstione CLXXXV. articulo VI. & ponit exemplum de Abraham , Job & David , qui erant divites in possessionibus & auro & argento, & tamen erant perfecti ; nam , ut ait Philosophus in prohemio Metaphysicæ, quod hominum natura multipliciter est serva. Et Seneca inquit, quod unicuique naturaliter indicta est sui corporis cura . Ideo Sapiens rogat Dominum Proverbiorum XXX. dicens : Paupertatem ne dederis mihi , ne forte compulsus furer , aut perjurem nomen Dei mei. Quia propter inopiam multi deliquerunt ; Sapientiæ VII. Unde Philosophus commemorat, quod apud Ægyptum Sacerdotum gens vacare permissa est, cui de publico stipendio assignata fuit provisio , ne procurandis necessariis distraheretur, quia omnium aliorum in civitate Sacerdotium est dignissimum, ut scribitur Politicæ VII. Sanctus quoque Joseph in Ægypto tempore famis totam terram Ægypti Pharaoni subjugavit , præter terram Sacerdotum , quibus præbuit etiam cibaria absque pecunia ; Genesis XLVII. Unde Apostolus ad Timotheum V. ait : Sacerdotes & Presbyteri duplici honore digni habeantur, idest honore sumptus, & honore reverentiæ ; Quia si Sacerdos cibo indiget , populus tenetur sibi victus & vestitus necessaria ministrare. Ideo Salvator inquit: Dignus est operarius mercede sua . Et Apostolus prima ad Corinthios IX. ait : Quis militat suis stipendiis ? Aut quis plantat vineam , & de fructu ejus non edit ? An ignoratis, quod qui in Sanctuario operantur , quæ Sanctuarii sunt, edunt ? Et qui servit Altari, vivit de Altari ? Insuper secunda ad Thimotheum II. Laborantem , inquit , agricolam oportet primum de fructibus percipere. Sed audite quid de Sacerdotibus novæ legis dicat Spiritus Sanctus per os Isaiæ Prophetæ . Vos Sacerdotes Domini vocabimini , ministri Dei nostri dicetur vobis ; Fortitudinem gentium comedetis , & in gloria earum superbietis; Isaiæ LXI. Nam, placeat Bohemis hæreticis, vel displiceat , oportet quod Sacerdotes comedant fortitudinem Bohemorum, & superbiant in gloria eorum , quia necesse est impleri Prophetarum Scripturam . Ergo secunda objectio Bohemorum est falsa.

Sed adhuc argumentatur Bohemus hæreticus dicens : Christus præcepit discipulis suis, & eorum successoribus, Clero & Sacerdotibus in Evangelio , dicens : Nolite portare sacculum , neque peram , &

nolite

nolite possidere aurum, nec argentum, neque æs in zonis vestris. Ergo Sacerdotes & Clerus novæ legis ex præcepto Christi non debent habere dominium temporale, nec quidquam debent possidere. Responsio. Dicendum, quod hæc auctoritas Evangelii impertinenter allegatur, quod probatur sic. Quia Christus Dominus dixit Discipulis suis: Nolite portare sacculum, neque peram; tempore pacis, quando misit eos prædicare in vicina Judæa tantum; Quæ verba statim revocavit tempore persecutionis, quum misit eos prædicare in Orbem universum, tunc dixit Discipulis suis: Qui habet sacculum, tollat similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam, & emat sibi gladium; Lucæ XXII. Quod exponens catholicus Doctor Sanctus Ambrosius super Lucam, ait: Mira res Domine! Cur præcepisti Ecclesiæ primitivæ, ut emat sibi gladium? Tamen ipsa non habebat opus gladio, quia suum erat decertare contra infideles per miracula & per passiones, sed postquam Ecclesia universalis dilatata est, & sagena Ecclesiæ continet bonos & malos, tunc vere necesse est, ut Ecclesia habeat gladium, idest potestatem & temporale dominium, ut quos timor Dei a malo non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat a peccato. Unde beatus Augustinus in Epistola ad Bonifacium, & habetur in Decreto, XXIII. Quæstione IV. Capitulo *Si Ecclesia*: Ubi respondet objectioni hæreticorum dicentium, quod Ecclesia non debet invocare auxilium seculare contra malos, quia Apostoli hoc non fecerunt; inquit Augustinus: Hoc hæretici dicunt, qui contra suas impietates leges justas institui nolunt, tamen Ecclesia, quæ a Spiritu Sancto dirigitur, contra malos habet gladium, hoc est potestatem & temporale dominium, quia Salvatoris intentio magis colligitur ex ejus operibus, quam ex verbis; Nam ipse dixit: Qui percusserit te in maxillam, præbe ei alteram, & tamen ipse percutienti se respondit: Cur me cædis? Johannis XIX. Et qui videtur prohibuisse discipulis, ne haberent duas tunicas, ipse Dominus legitur plures tunicas habuisse. Unde Apostolus Paulus habebat secum fratres, qui pecunias habebant, & ipse personaliter pro futura fame faciebat collectas; Actuum XII. quia bonorum possessio non repugnat statui perfectionis eorum; nam & Abraham fuit valde dives, cui a Domino dicitur: Ambula coram me, & esto perfectus; Genesis XVII. quia majoris meriti est esse pauperem in divitiis, quam esse pauperem ex necessitate; Sicut fuerunt Sancti Patres & Doctores, Sancti Silvester, Gregorius, Ambrosius, Hilarius, Sanctus Adalbertus Episcopus Pragensis & Martyr. Sanctus quoque Stanislaus Episcopus Cracoviensis & Martyr Petrasium mortuum post tres annos de monumento suscitavit, ut villam Ecclesiæ redderet, quam, dum viveret, ipsi Sancto Stanislao Episcopo vendiderat. Hii enim Sancti Patres & Sacerdotes patrimonia sua & bona propria pauperibus erogaverunt, sed bona Ecclesiæ tamquam dispensatores domus Dei juste possederunt, auxerunt & ampliaverunt, & præcepta Christi multo melius, quam Bohemi hæretici intellexerunt. Ex quo patet, quod tertia objectio Bohemorum est falsa.

Sed adhuc arguit Bohemus hæreticus, dicens: Apostoli in primitiva Ecclesia nihil possidebant, & nihil proprium habebant. Ergo Sacerdotes & Clerus modernus nihil debent possidere, & nihil proprium debent habere. Responsio. Dicendum, quod istud argumentum facit contra Bohemos; quod probatur sic: In primitiva Ecclesia non solum Apostoli, sed etiam omnes fideles nihil proprium possidebant, ut habetur Actuum IV. Nemo aliquid dicebat proprium, sed erant eis omnia communia, & dividebatur unicuique, sicut unicuique opus erat. Hoc idem Christus Dominus omnibus fidelibus præcepit dicens: Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus; Lucæ XIV. Omnes ergo Bohemi laici & clerici, si volunt esse Christi discipuli, oportet quod nihil possideant, & nihil proprium habeant, & sic stulti magis contra seipsos, quam contra Sacerdotes allegant. Tollatur ergo omnibus laicis & secularibus proprium, & non sint Reges nec Duces, neque Principes, nec Domini; quod esset destruere omnem ordinationem Dei. Nam si propter pompam & abusionem debent auferri Clero possessiones, multo magis auferendæ sunt a secularibus possessiones, qui magis abutuntur eis, quam Clerus; quia si Salvator Clero prohibuisset dominium, nunquam Apostolus dixisset: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ad hoc autem, quod Apostolus scribit ad Timotheum VI. Habentes alimenta, & quibus tegamur, hiis contenti simus; in hoc non prohibet possessionem, sed cupiditatem, nam statim subdit: Radix omnium malorum est cupiditas; quam Bohemi maxime sequuntur in rapinis, spoliis, homicidiis, & in multis sacrilegiis, ideo non sunt servi Christi, sed sunt præcursores Antichristi; Nos autem veri discipuli & imi-

imitatores Domini nostri Jesu Christi sequamur exemplum Magistri & Salvatoris nostri, qui pecuniam & loculos habuit, quam Judæ traditori servandam commendavit. Quare beatus Augustinus super Johannem, & habetur in Decreto, VII. Quæstione prima, Capitulo *Exemplum*: Ubi sic ait: Exemplum Domini accipite conversantis in terra. Qua de re habuit loculos, cui Angeli ministrabant? nisi quia Ecclesia ipsius loculos erat habitura, ne quis postea scandalum pateretur, cum aliquem servorum Christi animadverteret ista necessaria procurare. Hæc Augustinus. Probatur hoc etiam ex auctoritate universalis Ecclesiæ, quæ major est singulis Sanctis Doctoribus; Ipsa enim in suis generalibus Conciliis, quorum post Evangelia maxima est auctoritas, expresse approbat possessiones ab Ecclesia retinendas & possidendas. Unde Doctor Bonaventura ait: Quia Deus sciebat, quod melius est habere mercenarios, quam nullos, aut paucos filios, & ideo caritate refrigescente, dispofuit Spiritus Sanctus, ut Ecclesia temporalibus abundaret, ne cultus Dei propter paupertatem & inopiam deperiret, quia Ecclesiæ, quæ sunt pauperes, non inveniunt Rectores. Ideo Spiritus Sanctus, qui regit Ecclesiam universalem, ita dispofuit, ut Ecclesia habeat possessiones. Patet hoc etiam ex praxi Christi & primitivæ Ecclesiæ, nam in primitiva Ecclesia & in Christi præsentia erant Lazarus, Martha & Maria Magdalena, Nicodemus, Gamaliel, Joseph nobilis Decurio & alii quamplures, qui erant divites & bona temporalia possidentes, tamen erant sancti & fideles Christi Discipuli. Quare pro improbatione hujus secundi articuli Bohemorum hæreticorum, finaliter sic concludo; Quod omnis homo pertinaciter asserens, quod Ecclesia Christi non debeat habere possessiones, talis est hæreticus, & jamdiu ab Ecclesia catholica condemnatus. Hoc probat beatus Augustinus in libro de hæresibus, quod Apostoliciani dicti & facti sunt hæretici, quoniam se ab Ecclesia separantes, arrogantissime dogmatizaverunt, nullum Sacerdotem debere aliquid possidere. Hoc idem patet ex Sacro Concilio Agathensi, in quo eadem opinio hæretica publice fuit condemnata, ut notatur in Decreto, XII. Quæstione prima, & ex Concilio Martini Papæ, & in Canone Apostolorum, Capitulo *Principium*. Sacrosancta quoque Synodus Constantiensis noviter celebrata supradictum articulum Bohemorum reprobavit & condemnavit.

Tertius articulus Bohemorum hæreticorum est iste. Quod verbum Dei ubilibet & a quolibet libere & absque omni impedimento prædicetur & annuntietur. Ego intelligo originem hujus articuli. Bohemi namque hæretici sua prædicatione hæretica subverterunt a fide nobile Regnum Bohemiæ, & totam Marchiam Moraviæ. Vellent ergo libere posse hæresim prædicare, ut possent etiam Regnum Poloniæ, Regnum Hungariæ, & Regnum Bulgariæ a fide catholica subvertere, quia præfata Regna communicant Bohemorum linguæ. Vellent etiam ubilibet posse prædicare, ut latissimas provincias Sclavoniæ & Dalmatiæ, Bosnæ & Charvatiæ, Sarbiæ & Vallachiæ, provincias Rassianas & Albaniæ, provincias Samogitarum & Lituaniæ, provincias Jetiversorum & Doniæ, provincias Lussatiæ & Slesiæ, Ducatus latissimos Magnæ Russiæ, Albæ & Rubeæ; omnes has Provincias & Ducatus vellent Bohemi in hæresim subvertere, quia omnes supradictæ Provinciæ, Regna & Ducatus communicant Bohemorum linguæ, & optime intelligerent Bohemorum prædicationem. Ideo Bohemi hæretici volunt probare tertium Articulum, quod verbum Dei ubilibet a quolibet libere & absque omni impedimento prædicetur & annuntietur. Sed Christus Jesus Dominus noster futurorum præscius, tertio verbo improbat, confundit & destruit hunc tertium Articulum, cum dicit: Corpus: & quia Corpus Christi est in hostia secundum significatum primum hujus verbi Est; quod est excludere actionem & passionem, quia omnis divisio debetur quanto, nam nihil dividitur, nisi quantum, & nihil agit naturaliter, nisi quantum, & nihil patitur, nisi quantum. Cum ergo Corpus Christi non sit in hostia secundum quantitatem, ideo nulla divisio ab extra sibi convenit. Hujus exemplum habemus, quia eadem figura est in facie & in speculo, sed quare in speculo figura non potest dividi, & in facie dividitur? Quia in facie prius est quantitas, quam qualitas, sed in speculo prius est qualitas, quam quantitas, & quia qualitas est immutativa, & consequitur qualitas quantitatem. Unde non est in speculo quantitas commutative sequendo qualitatem, & ideo est ibi modo indivisibili, quia non secundum esse physicum suum. Unde & totus orbis posset apparere in speculo. Sed hæreticus Bohemus ista non intelligens, in oppositum arguit dicens: Quomodo potest esse Corpus Christi tam magnum in hostia tam parva, cum videmus quod sumptione minuitur, & consecratione non augetur? Ergo oportet quod in Sacramento remaneat

neat panis materialis, qui tegat & cooperiat Corpus Christi. Responsio. Dicendum, quod Corpus Christi extra Sacramentum habet quantitatem, & secundum esse naturæ posset dividi, augeri, vel minui, sed in Sacramento non habet quantitatem, nisi quantum subest ibi, & non modo physico; Ideo non potest in hostia dividi, nec augeri, vel minui, sicut nec figura in speculo; Quia totum hoc fit supernaturaliter potestate Divina. Unde beatus Augustinus ait: Excelsa cœlorum, vasta terrarum, profunda fluctuum, pari potestate ut præcipit virtus, servit effectus; nam qui dixit, & facta sunt omnia, sic quia hoc est Corpus meum dixit, & hoc factum est, ut probatur in Decreto de Consecratione, Distinctione secunda, Capitulo *Quia Corpus*: Catholicus quoque Doctor Sanctus Bernardus ad idem inquit: Sicut de Virgine per Spiritum Sanctum vera Christi Caro creatur, sic per eumdem Spiritum de substantia panis & vini idem Corpus Christi consecratur, & sicut, quod ubique offertur, idem Corpus Christi est, & non multa corpora, quia tantum est in exiguo, quantum constat esse in toto, nihilo minus habent singuli, quam universi, totum unus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt, quia non in specie, vel quantitate Sacramenti est gratia, sed in virtute Christi, nec oportet, ut consecratione crescat, eo quod in transsubstantiatione absolvitur a motione, cum nihil possit moveri, nisi quantum; & Corpus Christi cum non sit in Sacramento ratione quantitatis, non oportet, quod uno Sacerdote elevante & altero deponente, idem Corpus contrariis motibus moveatur. Ideo Matthæi XVII. scribitur; Quod Petrus, Johannes & Jacobus videntes in monte Corpus Christi transfiguratum, præ timore ceciderunt in terram, nam res transfigurata absolvitur ab actione, quia cum omnia probatica agant per contactum, sed Corpus Christi, quod est in Sacramento, non est ibi sub ratione quantitatis, ideo non potest agere in aerem, ut videatur, nisi addita quantitate absolvatur. Tamen oculis fidei perfecte videtur. Unde beatus Gregorius IV. Dialogorum. Quis, inquit, infidelium dubitare potest in illa Sacrificii hora Cœlos aperiri, ima summis, terrena cœlestibus sociari? Omnes quidem Angeli currunt ad miraculum, sicut servi post Regem, quum facturus est aliquid grande. Sed tremunt ad miraculum Consecrationis, sicut homines tremunt, quum terra tremuit. Unde Ecclesia canit: Adorant Dominationes, tremunt Potestates, sed adorant per oraculum, & tremunt per stuporem. Timor enim incussus stuporis cogit clamare Dei magnalia. Ideo Petrus clamavit: Bonum est nos hic esse. Et Isaac expavit stupore vehementi, & ultra quam credi potest admirans, dixit: Quis igitur ille est, qui mihi attulit de venatione cibum, & comedi? Genesis XXVII. Nunquam enim aliqua caro venatione fuit tantum quæsita ad mortem, sicut Caro Christi, ut recitant Sancti Evangelistæ, quia nullus poterat hominem ad primum statum reformare, nisi Christus Deus & homo, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; Prima Petri III. Nam dignum fuit, ut caro devicta per passionem condigne satisfaceret, ut probat Magister Sententiarum Distinctione XII. Capitulo II. Et tunc secundum Bedam immutatus est ordo noctium, ita quod noctes præcedunt, & dies sequuntur, quia per Christi passionem homo de nocte culpæ rediit ad diem gratiæ; Quod notat Glossa in Decreto, Distinctione LXXV. Capitulo *Quod die*: Quia Ecclesia Catholica formata fuit in Passione Christi, quando in Cruce lancea aperto latere, Ecclesiam desponsavit Sanguine suo pretioso. Hæretici autem Bohemi non sunt Ecclesia, quia sunt divisi ab Ecclesia, & funditus destruunt Christi Ecclesias, Sacerdotesque ac ministros Christi diversis pœnis interficiunt. Ideo Dominus noster Jesus Christus confundit & destruit tertium Articulum Bohemorum tertio verbo, cum dicit *Corpus*: quasi dicat Ecclesia catholica est Corpus meum mysticum; Et ut dicit Apostolus ad Romanos XII. *Sicut in uno corpore multa sunt membra, tamen non omnia membra eumdem actum habent*: Sic in Corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, multa sunt membra, tamen non omnia membra habent actum prædicationis, nisi sint a Deo, vel a superioribus missa, ut probat beatus Augustinus ad Horosium in fine libri, capitulo LXIV. Et Salvator noster Matthæi IX. dicit: Rogate Dominum messis, ut mittat operarios, id est prædicatores in messem, id est ad prædicandum. Ex quibus verbis in oppositum tertii Articuli Bohemorum hæreticorum, medium arguendi assumens, corollarie tertiam infero conclusionem, quæ est talis. Quod nullus homo potest prædicare verbum Dei, nisi de licentia Papæ, vel Diœcesani, aut Parochiani sit missus. Hanc conclusionem probat Apostolus ad Romanos X. dicens: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Ubi glossa beati Ambrosii ait: Non sunt veri Apostoli, nisi missi, nec prædicabunt,

nisi mittantur. Ideo Sanctus Innocentius Papa III. ante annos ducentos decretum fecit, & habetur in Capitulo *Cum ex injuncto* de Hæreticis, Et Capitulo *Excommunicamus*: Ubi sic ait, Cum enim officium prædicatorum sit præcipuum in Ecclesia Dei, nullus temeritate propria absque licentia Papæ speciali, vel Episcopi Diœcesani officio prædicationis se audeat ingerere sub pœna excommunicationis, nisi mittatur ab eisdem, quia licet Sacerdotibus in collatione Ordinis conferatur potestas prædicandi verbum Dei, tamen quantum ad hoc non subjicitur eis materia, in quam agere possint, vel debeant, nisi de licentia Superioris; In cujus signum LXXII. Discipuli Domini non prædicaverunt, nisi in illis civitatibus, ad quas Christus misit eos; Lucæ X. Sanctus quoque Johannes Baptista, licet Propheta, & in utero matris sanctificatus, tamen non prædicavit nisi missus, sicut testatur Evangelium dicens: Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Johannes, hic venit in testimonium; Johannis primo. Et Isaiæ VI. scribitur: Quis ibit & quem mittam ad prædicandum? Et Isaias respondit: Ecce ego Domine, mitte me. Jeremiæ quoque dicitur: Ad omnia, quæ mittam te ibis, & quæ mandavero tibi, loqueris ad eos; Jeremiæ primo. Amos etiam Propheta dicit se a Deo missum ad annunciandum & prædicandum filiis Israel; Amos VII. Sic nullus debet prædicare, nisi mittatur, exceptis Sacerdotibus curatis, quibus ex officio incumbit cura prædicandi. Unde Apostolus ad Romanos X. dicit: Quam speciosi supra montes pedes annunciantis bona, prædicantis salutem: Ecce, inquit Glossa, Apostolus pedes nominat, innuens a Superiori ad prædicandum missos debere procedere, & non se ingerere de tanto officio præsumptuose. Sed jam ad argumenta Bohemorum hæreticorum respondeamus. Primo arguit Bohemus hæreticus dicens: Christus præcepit omnibus prædicare, quum Discipulis suis dixit: Ite in mundum universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ. Ergo omnes Sacerdotes & Clerus debent per universum mundum discurrere, & verbum Dei omnibus libere, & absque omni impedimento annunciare & prædicare. Responsio. Negatur consequentia, eo quod videtur obligare ad impossibile. Quod probatur sic: Quia impossibile est, quod Sacerdotes, vel Bohemi hæretici vadant prædicare per universum mundum, quia nesciunt omnes linguas omnium nationum, cum nec Sancti Apostoli, ex dono Spiritus-Sancti habentes scientiam omnium linguarum, tamen non prædicaverunt per universum mundum, sed quilibet in una provincia, sicut Petrus in Italia, Andreas in Achaja, Thomas in India, Matthæus in Ethiopia, & sic de singulis; alias Christus præcepisset impossibile, quod est hæreticum. Unde beatus Hieronymus ait; Anathema sit, qui Christum præcepisse aliquid impossibile dicit; Nam secundum beatum Remigium super illud Matthæi XXVIII. Christus jussit Apostolis, ut docerent omnes gentes, quia ante passionem suam dixerat: In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis. Ergo ascensurus in Cœlum solvit hoc præceptum, & præcepit Apostolis, ut libere omnibus gentibus prædicarent. Sed cum jam ad vitandam confusionem, Ecclesiæ distinctæ sint in Episcopatus & Parochiatus, nulli Sacerdoti licet prædicare absque licentia Episcopi, vel Parochiani, quia nulli licet mittere falcem in messem alienam, præsertim cum hoc sit Ecclesiis parochialibus injuriosum, ut probatur Capitulo II. de Decimis, Lib. VI. Et juxta dictum beati Thomæ Secunda Secundæ Quæstione CLXXXVIII. Articulo LV. propter multitudinem fidelis populi necesse est, ut præter ordinarios Prælatos assumantur aliqui idonei ad officium prædicationis; Non assumpti autem non se ingerant sub pœna excommunicationis. Et habetur Extravaganti de Hæreticis, Capitulo: *Quia vero*: Ubi Decretalis sic dicit: Nonnulli sub specie pietatis auctoritatem sibi vindicant prædicandi. Omnes prohibiti, vel non missi, qui publice, vel privatim prædicationis officium usurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodentur, & nisi quantocitius resipuerint, alia competenti pœna plectantur. Ex quo patet, quod ingerentes se de prædicatione verbi Dei contra mandata & decreta universalis Ecclesiæ sunt schismatici & hæretici, falsi & graviter puniendi, quia in Spiritum-Sanctum blasphemant, quia Sacros Canones violant. Unde Sanctus Damasus Papa, & habetur in Decreto, XXIV. Quæstione prima Capitulo *Violatores*: Ubi sic ait: Violatores Canonum voluntarie, aut proterve graviter a Sanctis Patribus puniuntur, & a Spiritu-Sancto, cujus jussu & gratia Sancti Canones editi sunt, qui hoc præcipiunt, ut nullus possit prædicare, nisi missus. Ergo prima objectio Bohemorum est falsa. Iterum arguit Bohemus hæreticus dicens: Paulus Apostolus scribit, quod verbum Dei non est alligatum. Ergo quilibet & ubilibet debet libere & absque omni impedimento verbum Dei annunciare & prædicare. Responsio. Dicen-

Dicendum, quod hæretici impertinenter allegant auctoritatem Apostoli; Quod probatur sic. Quia Apostolus scribit: Verbum Dei non est alligatum, sed non scribit: Verbum Dei non est prohibitum, cum constet, quod prædicare verbum Dei omnibus hæreticis est prohibitum, quia fel draconum est prædicatio hæreticorum, & venenum aspidum insanabile, ut dicit Moyses in libro Deuteronomii. Unde scribitur Lucæ IV. quod dæmones prædicabant veritatem, dicentes: Tu es Christus Filius Dei vivi, & venisti ante tempus perdere nos: Sed Dominus noster Jesus Christus increpabat dæmones, & non sinebat eos loqui, prohibebatque eis, ne prædicarent veritatem. Cujus causam ponit Innocentius Papa III. dicens, quod hoc fecit Dominus noster Jesus Christus, ut nos doceret, hæreticam vitare pravitatem; Et ut hoc exemplo prohibeamus hæreticis, ut non prædicent etiam veritatem, quia fel draconum propinant in aureo calice Babylonis. Hæc Innocentius. Hæretici namque, ut facilius decipere possint, dictis suis quædam recta admiscent, ut ait Gregorius libro Moralium. Ideo magnus Doctor Sanctus Hieronymus in Epistola ad Damasum Papam, & habetur in Decreto, XXIV. Quæstione prima Capitulo *Quoniam vetus*: Ubi sic ait: Quoniam vetus oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam tunicam Domini per frusta discerpit, ego solum Christum sequens, Ecclesiæ Petri consocior, quia qui in arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluvio; & qui Christi non est, Antichristus est. Hæc gloriosus Hieronymus. Sanctus quoque Anacletus Papa & Martyr, & notatur in Canone, XXI. Distinctione, Capitulo *In novo Testamento* in hæc verba: In novo Testamento post Christum Dominum a Petro Sacerdotalis cepit Ordo, quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, dicente Domino: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; Quoties enim fidei ratio ventilatur, non nisi ad Petrum & sui nominis auctorem referri debet, & omnis Sanctæ Religionis dubitatio ad Romanam Ecclesiam & Sedem Apostolicam, quæ est caput Ecclesiarum, est referenda, ut inde normam sumat & informationem, unde sumpsit exordium. Ita habetur in Decreto, XXII. Distinctione, Capitulo *Præceptis*: Justum est enim, unam esse supremam Ecclesiam, quæ immediate illuminatur a Deo, sicut supremi Angeli immediate a Deo illuminantur, & ipsa suprema Ecclesia alias Ecclesias illuminet, qui medii illuminati illuminent subditos, & subditi illuminati non debent alios illuminare. Sic Bohemi hæretici, quia universali Ecclesiæ nolunt esse subditi, non merentur illuminari; Nec intelligunt verba Apostoli, dicentis: Verbum Dei non est alligatum: quia Apostolus scribebat illa verba de seipso; Secunda ad Timotheum II. eo quod ipse Apostolus erat tunc in vinculis alligatus, & tamen potuit prædicare in vinculis, verbo ad se venientibus, & scripto absentibus. Unde beatus Gregorius III. libro Moralium, Capitulo III. sic ait: Verbum Dei non est alligatum, quia prædicatores sancti pro defensione fidei suplicia subeunt, & tamen ad eamdem fidem, quos volunt recipere, etiam inter verbera non desistunt. Ergo secunda objectio Bohemorum est falsa. Sed adhuc arguit Bohemus hæreticus, dicens: Apostolus Paulus scribit II. ad Thessalonicenses III. dicens: Orate fratres pro nobis, ut sermo Dei currat, & clarificetur ad omnes. Ergo omnes debent currere, & verbum Dei ubilibet libere & absque omni impedimento annunciare & prædicare. Responsio. Dicendum, quod hæc auctoritas Apostoli facit contra Bohemos hæreticos. Quod probatur sic; quia Apostolus jubet orare pro se, ut non impediatur ab hæreticis & schismaticis, qui falsa prædicant, & verbo veritatis resistunt, ut alios seducant. Unde beatus Ambrosius in glossa super eadem Epistola sic ait: Orandum esse hortatur Apostolus, ut dignetur Deus suam doctrinam dirigere, & in corda audientium transfundere, ut compesceret & sedaret schismaticorum seditiones, nam schisma est origo subversionis, fovea hæresum, radix infidelitatis, nutrimentum scandalorum, quia modicum fermenti totam massam fidei corrumpit; prima ad Corinthios V. Quare Sanctus Thomas Secunda Secundæ, Quæstione V. Articulo III. dicit: Quod quicunque non credit, quidquid Sancta Ecclesia catholica docet, nullum articulum fidei credere potest, quia deficit sibi formalis ratio credendi, eo quod dubitat de hoc, quod Ecclesia docet; Et habetur Extravaganti de Hæreticis in hæc verba: *Dubius in fide infidelis est*. Ideo Sanctus Johannes Evangelista in II. Canonica sic ait: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam catholicam non habet, nolite eum in domo recipere, nec dicatis ei Ave; Qui enim dixerit ei Ave, communicat operibus ejus malignis. Ergo III. objectio Bohemorum hæreticorum est falsa. Quare pro improbatione hujus tertii articuli Bohemorum hæreticorum finaliter sic concludo; Quod omnis homo pertinaciter asserens, quod verbum Dei libere & ubi-

ubilibet absque omni impedimento annuncietur & prædicetur, talis est hæreticus, & ab universali Ecclesia condemnatus; Nam hæresis sic deffinitur: Hæresis est dogma falsum Ecclesiæ universali contrarium, & pertinaciter defensatum. Quod probat beatus Augustinus in Epistola ad Casianum; Et habetur in Decreto, xxv. Quæstione prima Capitulo *Prima salus*. Ubi sic ait: Cum prima salus sit, rectæ fidei regulam custodiri, & a constitutis Patrum nullatenus deviare, quia instituta Majorum pro lege Dei sunt tenenda, dicente Domino: Qui vos audit, me audit. Et qui vos spernit, me spernit; Lucæ x. Unde beatus Cyrillus inquit: Qui Patres Sanctos audit, Christum audit. Ob hoc inevitabilis pœna hæreticis imminet, qui præcepta Sanctorum Patrum negligunt, & novum ritum vivendi introducunt. Ideo Sanctum Constantiense Concilium hunc tertium Bohemorum articulum rationabiliter reprobavit, & præmissa sententia publice condemnavit. Et hæc de Tertio.

Quartus Articulus Bohemorum hæreticorum est iste; Quod omnia peccata mortalia, & præcipue publica ubique & in quolibet statu rite & rationabiliter sunt punienda & destruenda. Ego intelligo originem istius quarti Articuli Bohemorum; Sanctus namque Petrus Apostolus præcepit laicis, non dominari Clero, sed Bohemi laici & hæretici contra præceptum beati Petri Apostoli volunt dominari Clero; Ideo volunt omnia peccata in quolibet statu punire & destruere, ut libere possent Clerum & Sacerdotes cædere, & suspendere, quia multos jam Sacerdotes manibus, oculis, naso & auribus mutilaverunt, & plures in patibulis suspenderunt, alios quoque igne cremaverunt; Imagines Christi & Sanctorum, ac gloriosas Reliquias Martyrum igne consumpserunt; Ecclesias, Monasteria, & Sacra Christi Altaria funditus destruxerunt. Scimus tamen, quod imagines Christi & Sanctorum Reliquiæ, Ecclesiæ quoque & Altaria nullum peccatum publicum fecerunt. Quare ergo per Bohemos puniuntur & destruuntur? nisi ut ex defectu Cleri & Ecclesiarum ac imaginum fides Christi in Regno Bohemiæ aboliretur, & totus populus Bohemorum paulatim transiret ad ritum Saracenorum. Sicut in Egypto & Thebaida Christiani, qui tunc erant, ex defectu Cleri, Ecclesiarum & imaginum jamdudum omnes facti sunt Saraceni. Similiter Bohemi hæretici volentes delere fidem Christi, invenerunt quartum Articulum: Quod omnia peccata in quolibet statu puniantur, & destruantur. Sed Dominus noster Jesus Christus fons totius pietatis & misericordiæ hunc quartum articulum Bohemorum improbat, confundit, & destruit quarto Verbo; cum dicit: Meum: Nempe hæc dictio meum est proprie propria Christi, quia convenit uni & soli Domino Jesu Christo & semper; Ac si patenter Dominus Jesus Christus dicat: Meum Corpus mysticum est congregatio fidelium, & ego sum Caput eorum; Quod si mei fideles petant, advocatum me habent apud Patrem cœlestem, & ego sum propitiatio pro peccatis eorum, nam omnia peccata meorum fidelium ego affixi Cruci cum manibus & pedibus meis, ideo misericordiam volo & non Sacrificium, non enim veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam; Matthæi ix. Est autem vera pœnitentia in corde per contritionem, in ore per confessionem, & in opere per satisfactionem. Isti sunt tres dies, quibus pervenitur ad terram promissionis æternæ, de quibus scribitur Exodi viii. Ibimus viam trium dierum in desertum pœnitentiæ. Sed arguit Bohemus hæreticus, dicens: Confessio auricularis non est necessaria, quia nullus Sacerdos potest peccata dimittere, nisi solus Deus. Ergo nullus debet confiteri Sacerdoti, sed confiteatur soli Deo in corde suo, & salvus erit. Responsio. Dicendum, quod confessio vocalis & Sacramentalis est necessaria propter tria. Primo propter præceptum Ecclesiæ catholicæ, ne claves Ecclesiæ vilescant & contemnantur. Unde beatus Augustinus ait: Nemo dicat: Ego occulte in contritione confiteor Deo, qui mihi ignoscit, quia in corde ago confessionem. Ergo sine causa claves datæ sunt in Ecclesia, & frustramus verbum Christi. Sed cum in se quis protulerit utilissime contritionis sententiam, veniat ad Sacerdotes, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, quia Sacerdotes quantum ad Confessionem & Consecrationem ac prædicationem tenent locum Apostolorum, & habent claves Regni Cœlorum, ut probatur in Decreto, xxvi. Quæstione iv. Capitulo *Alligant*. Et Capitulo *Quam præpostera*: Ubi dicitur, quod non debent claves Ecclesiæ contemni, ut non vilescat auctoritas. Quare beatus Johannes Chrysostomus super Epistola ad Romanos ait: Nemo contemnat claves Ecclesiæ; non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui hanc potestatem dedit, & Dominos fecit homines tanti honoris; Et habetur in Canone, xi. Quæstione iii. Capitulo *Nemo*: Secundo necessaria est confessio propter verecundiæ satisfactionem. Unde Glossa super Matthæum ait:

ait: Jubemur peccata nostra confiteri, ut erubescentiam patiamur pro pœna. Quod probans beatus Augustinus, inquit: O homo, cur confiteri erubescis peccata tua? peccator ego sum, sicut & tu; Et quod per confessionem scio, minus scio, quam id, quod nescio. Elige ergo quod vis, si non confessus lates, inconfessus damnaberis. Tertio necessaria est confessio propter magnam confessionis utilitatem. Quare beatus Augustinus super Johannem ait: Confessio est salus animarum, dissipatrix vitiorum, restauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum. Quid plura? Confessio obstruit os Inferni, & aperit portas Paradisi. Nec aliter posse subveniri ad ingressum Paradisi, si absit facultas confitendi. Ita concludit Magister Sententiarum Distinctione XVII. Capitulo IV. Sed adhuc replicat Bohemus hæreticus, dicens: Nemo habens manus immundas, potest alium mundare, sed maculare. Ergo Sacerdos immundus, vel peccatis mortalibus ligatus, non potest alios solvere, nec a peccatis mundare. Responsio. Dicendum, quod duplex est potestas Sacerdotum. Prima est Ordinis, quæ non potest per peccatum tolli, nec impediri, ut probat beatus Thomas in IV. Distinctione XVIII. Quæstione prima Articulo primo. Secunda est Jurisdictionis, vel Officii, & hæc potest impediri per excommunicationem, aut per suspensionem, vel interdictum. Ideo Sacerdos excommunicatus, aut hæreticus, vel schismaticus non potest absolvere, quia est ligatus, ut probatur in Decreto, XVII. Quæstione IV. Capitulo *Ad Episcopos*: Quare beatus Augustinus de vera & falsa Pœnitentia sic ait: Nemo pœnitere potest, quem non sustinet unitas Ecclesiæ catholicæ; Ideoque non petas Sacerdotes per aliquam culpam ab unitate Ecclesiæ divisos, quia Judas ad divisos abiit, & cum divisis periit. Et habetur in Canone de Pœnitentia, Distinctione VI. Capitulo primo. Tales sunt Bohemi hæretici ab Ecclesia catholica divisi. Quapropter Dominus noster Jesus Christus improbat, confundit, & destruit quartum Bohemorum Articulum quarto verbo, cum dicit *Meum*: Quasi dicat: Meum est punire peccata hominum, non est Bohemorum, quia scriptum est: Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera ejus; Johannis VII. Ex quibus verbis in oppositum quarti Articuli Bohemorum medium arguendi assumens, corollarie quartam infero conclusionem, quæ est talis. Non omnia peccata publica, legi Dei contraria, ubique & in quolibet statu sunt punienda & destruenda. Hanc conclusionem probat catholicus Doctor Sanctus Augustinus in primo de libero arbitrio, dicens: Tolle postribula a civitate, & eam totam replebis adulteriis, & gravissimis contra naturam peccatis. Salvator quoque noster eamdem conclusionem probat in Evangelio Matthæi XIII. ubi dicitur: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum. Tunc pius Dominus & Salvator noster dignatus est per seipsum parabolam zizaniorum exponere, ne si nos dictam parabolam exponeremus, Bohemi hæretici non crederent nobis; Et ait: Ager est mundus, inimicus homo est Diabolus, qui in mundo superseminavit zizania, messis est finis mundi, messores sunt Angeli, qui colligent zizania ad comburendum, sed usque ad finem mundi finite zizania crescere cum tritico. Nolo ut eradicetis zizania, ne forte evellatis & triticum: Sed Bohemi hæretici dicunt: non est verum, quia, placeat Deo, vel displiceat, nos volumus nunc eradicare zizaniam, quia volumus punire & destruere omnia peccata publica, legi Dei contraria. Ideo catholicus Doctor Sanctus Augustinus in libro de unico Baptismo parvulorum, exclamat contra hæreticos in hæc verba, dicens: O quantus arrogantiæ tumor, quanta jactantiæ oblivio, ut quis se facere posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, ut zizaniam a tritico separarent. Sed jam ad argumenta Bohemorum hæreticorum respondeamus. Primo arguit Bohemus hæreticus, dicens: In veteri Testamento Deus punivit, & destruxit peccata hominum; sicut per diluvium destruxit genus humanum, & per ignem & sulfur Sodomam & Gomorrham. Ergo omnes fideles debent punire & destruere in quolibet statu omnia peccata publica, legi Dei contraria. Responsio. Negatur consequentia, quia arguitur a superiori ad inferius. Quod probatur sic; Deus namque cum sit Creator omnium, nullum habet superiorem, ideo potest libere subditos punire & destruere juxta beneplacitum suæ sanctæ voluntatis. Nos vero, quia peccatores sumus, peccantibus proximis compassionem & pietatem exhibere debemus, quia secundum beatum Gregorium hæc vita inter Cœlum & Terram sita, sicut in medio subsistit, ita bonos & malos recipit, quos nunc Sancta Ecclesia indiscrete sustinet, sed postmodum in egressu discernet, præsertim

cum

cum Sanctus Thomas dicat Secunda Secundæ, Quæstione XXXIII. Articulo V. quod ex peccato præcedenti indignus quis redditur, ut alium puniat, & præcipue si majus peccatum commisit, non est dignus, ut alium puniat de minori. Unde Dominus Matthæi VI. ait: Ipocrita ejice primum trabem de oculo tuo, & postea prospicies, ut educas festucam de oculo fratris tui. Quod tractans beatus Thomas, inquit: De hiis Dominus loquitur, qui cum mortali crimine detineantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt. Et mirum est, quod Bohemi laici & hæretici solum festucas Cleri & Sacerdotum aspiciunt, suas vero trabes, hoc est homicidia, furta, sacrilegia, stupra, patricidia, rapinas, prædas, incendia, & maxima peccata ac scelera non vident, nec considerant, cum ipsi sint in vitiis & moribus omnibus Paganis & Saracenis deteriores; Quod ego faciliter probare possem, quia experientia didici, quando fidem Christi prædicans tribus annis in terra Saracenorum habitavi; Ob hoc cognosco mores Saracenorum; Similiter vitia & malos mores Bohemorum novi, quia & ego Bohemus sum natione, sed non errore. Vere omnes Pagani & Saraceni, quantum ad mores respectu Bohemorum sunt justi & innocentes. Ideo Saraceni surgent in judicio cum generatione Bohemorum pessima, & condemnabunt eam, quia Saraceni ignorantes fidem Christi, tamen quantum ad mores sunt innocentes & justi. Bohemi autem confitentes se nosse fidem Christi, tamen faciunt opera Antichristi; Nec debent punire peccata aliena, qui non puniunt sua. Ergo prima objectio Bohemorum est falsa. Iterum arguit Bohemus hæreticus, dicens: Christus in Evangelio præcipit: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te; Et si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te. Ergo sub pœna damnationis æternæ subditi laici debent punire & destruere peccata Sacerdotum & Cleri. Et quod nec Deus, neque Angeli possunt prohibere subditos laicos, ut non puniant Clerum & Sacerdotes, quia mulieres & laici condemnabunt Clerum & Sacerdotes in die Judicii. Responsio. Dicendum, quod Bohemi hæretici impertinenter allegant auctoritatem Evangelii; Quod probatur sic: Quia Christus Dominus non dixit de oculo, nec de manu, neque de pede corporali, quod debeat abscindi, si scandalizaverit hominem, quia sic nullus homo haberet manus, nec pedes, sed Christus dixit de manu, pede & oculo interioris hominis, qui debent abscindi, idest removeri a malo, ut non consentiant peccato; Nec debent subditi laici punire Prælatos & Sacerdotes. Unde Magnus Doctor Sanctus Hieronymus, exponens illud Matthæi XVIII. Si peccaverit frater tuus, dic Ecclesiæ; dicit: Præcipit Dominus Jesus Christus, ut peccata fratrum publica dicamus Ecclesiæ, idest Prælatis Ecclesiæ; Quod si Prælatos non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Ex quo patet, quod Prælati & Sacerdotes debent judicare & punire subditos, sed non subditi Prælatos. Quod probat Spiritus-Sanctus per Isajam Prophetam, dicens: Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut elevabitur baculus contra portantem se, qui utique lignum est? Isaiæ X. Et transumptive in Decreto, Distinctione XXI. Capitulo *Inferior*: Ubi dicitur, quod inferior non potest Superiorem judiciis suis adjicere, aut propriis definitionibus subjugare. Unde beatus Thomas Secunda Secundæ Articulo IV. dicit: Quod correctio, seu punitio, quæ est actus justitiæ per cohibitionem pœnæ non competit subdito respectu Prælati, sed Prælato respectu subditi. Actus enim ex aliquo habitu, vel potentia procedens se extendit ad omnia, quæ continentur sub objecto illius potentiæ, vel habitus; Et non e converso. Ideo Dominus & Salvator noster ejecit de templo laicos ementes, & vendentes, sed non Sacerdotes; Joannis V. Et Apostolus præcipit Timotheo, dicens: Adversus Presbyterum noli accusationem recipere; Prima ad Timotheum V. Quia Clero & Sacerdotibus debetur regalis reverentia, & non popularis violentia. Ob hoc beatus Petrus Sacerdotibus dicebat: Vos estis genus electum, Regale Sacerdotium, gens Sancta, populus aquisitionis; Prima Petri II. Et Ecclesiastici ultimo ita scribitur. In tota anima tua time Deum, & Sacerdotes ejus honora. Hoc confirmans Dominus per Prophetam, dicit: Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari; Psalmo CIV. Quia bestia, quæ tetigerit montem, idest Sacerdotem, lapidabitur; Exodi XIX. Et Oza tangens arcam Domini, morte subitanea corruit: Quia quis extendit manum in Christum Domini, & innocens erit? Primi Regum XXVI. Quid ergo aliud est in Regno Bohemiæ potestatem laicalem insanire contra Clerum & Sacerdotes, quam ancillam insurgere contra dominam, Agar contemnere Saram, & discipulos insurgere contra magistros; Est & filios rebellare contra Patres; Est Cœlum subjicere ter-

terræ; Est spiritum subjugare carni. Sed jam impletum est, quod venerabilis Doctor Magister Henricus de Hassia in lectura sua super Genesim de populo Bohemorum, non tam exposuit, sed magis prophetavit in hæc verba: Surgent tandem in publicum cœtum quidam schismaticorum, quos Diabolus ex hæreticis colliget, qui, capta opportunitate, exibunt in publicum, prædicantes, Clerum ordinarium jam a Deo esse reprobatum & abjectum, & ob hoc sibi amplius non esse obediendum, nec credendum. Cumque isti schismatici cursum sui erroris firmaverint, Sacerdotes & Doctores ubique persequentes, fustibus & gladiis coercebunt & expellent, & tunc ad simplicem populum dicent, quia Doctores & rectores non habetis, nobis obedite, & quæcunque vobis dicimus & præcipimus, facite, & salvi eritis. Sicque cæci ducentes cæcos, utrique in foveam Inferni cadent. Ergo secunda obiectio Bohemorum hæreticorum est falsa. Sed adhuc arguit Bohemus hæreticus dicens: Apostolus Paulus præcipit, dicens: Auferte malum de vobis: Ergo omnes mali, facientes peccata publica, legi Dei contraria, debent puniri, destrui, suspendi & auferri. Responsio. Dicendum, quod hoc argumentum facit contra Bohemos, quod probatur sic: Quia Bohemi sunt mali, & per mala opera malam fidem indicant. Ergo Bohemi sunt puniendi & destruendi. Unde Philosophus IV. Metaphysicæ ait: Non dictamine rationis, sed violentia pœnalis correctionis malis est obviandum. Absit itaque a Christifidelibus hæc sacrilega Bohemorum doctrina, excludens virtutem moralem justitiæ, inter alias tenentem principatum; De qua habetur in Decreto, XII. Quæstione II. Capitulo *Cum devotissima*: Ubi sic dicitur: Summum in rebus bonum est justitiam colere, atque sua cuilibet jura servare. Nec expedit omnia peccata mortalia pœnaliter prohibere. Quare Philosophus ait V. Ethicorum: Quod lex poli debet esse, sicut linea plumbea in Lesboe Insula, quæ flectitur juxta exigentiam lapidum incidendorum. Cum igitur in multitudine hominum major pars communitatis est imperfectorum, ideo lex sic rigida non induceret pacem communitatis, sed magis dissensionem; Nam secundum prohibitionem doctrinalem possunt omnia prohiberi, sed non secundum prohibitionem pœnalem. Unde Dominus dicit Matthæi IX. Non mittunt vinum novum in utres veteres, ne frangantur. Sic non omnia mala lex vult puniri, cavens pejora. Ideo Proverbiorum XXX. scribitur: Qui emungit, elicit sanguinem. In veteri etiam Testamento dabatur libellus repudii, ne viri occiderent uxores suas. Et permittebatur Judæis usuram recipere a Paganis, ne usuram facerent cum fratribus. Sic David Rex non punivit Semei & Joab dignos morte. Quia oportet in hoc tempore multa dissimulari, quousque veniat Judex, qui manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo; Ad Romanos XIII. Bohemi autem hæretici negant principia fidei, dicentes: Quod Papæ & Prælatis non est obediendum, si sunt mali; Et quod eorum excommunicatio non est timenda; Et quod Indulgentiæ eorum nihil valent; Et quod imagines Christi & Sanctorum sunt Idola, & hæ non debent adorari, sed debent ubique destrui & comburi. Ideo sunt hæretici, & non sunt audiendi. Nam replicat Bohemus hæreticus, dicens: Deus in veteri lege præcepit, dicens: Non facies sculptile, nec figuras eorum, quæ sunt in Cœlo, vel in terra, & non adorabis ea. Ergo catholici, qui adorant contra præceptum Dei imagines Crucifixi, & Sanctorum hominum & fœminarum, peccant mortaliter, & sunt idolatræ, ac in statu damnationis æternæ. Responsio. Dicendum, quod adorare dicitur dupliciter. Primo adorare, idest petere ab imagine gratiam, vel remissionem peccatorum, & tali modo nullus debet imagines adorare. Adorare secundo modo, idest venerari. Et tali modo omnes fideles debent adorare imagines. Nam imago Crucifixi debet adorari adoratione Latriæ, sicut Christus. Unde canit Ecclesia: Tuam Crucem adoramus, Domine. Imago beatæ Mariæ Virginis debet adorari adoratione Hyperduliæ. Et imagines Sanctorum debent adorari adoratione Duliæ. Ita scribit Magister Sententiarum. Non obstante quod Deus præcepit Exodi XXII. dicens: Non facies tibi sculptile, & non adorabis ea: intelligitur de adoratione primo modo; Nam secundo modo quilibet fidelis debet imagines adorare, idest venerari, quia, ut dicit Philosophus secundo Posteriorum: Propter quod unumquodque tale, & ipsum magis. Hoc est, qui adorat imagines Christi propter Christum, magis adorat Christum, quam imaginem. Sunt igitur imagines adorandæ, quia in ipsis laici, qui litteras nesciunt, legunt, quid sequi debeant, & præcipue Gentibus pro lectione pictura est. Ita habetur in Decreto de Consecratione, Distinctione III. Capitulo *Perlatum*: Nam & Salomon ex mandato Dei fecit in templo duos Cherubim; Tertii Regum VII.

Et Moyses ex præcepto Dei fecit Arcam, & servavit manna in ea; Exodi XVI. Similiter ex præcepto Dei fecit serpentem æneum, & suspendit eum in ligno; Numeror. XXI. Sic & nos servamus Crucem Domini & imagines Sanctorum, ac reliquias veneramur, recolentes Dei beneficia, quæ repræsentant. Ita habetur in Canone de Consecratione, Distinctione III. Capitulo *Venerabile*. Unde beatus Gregorius reprehendit Serenum Massiliensem Episcopum, qui fregerat imagines, dicens: Dic mihi Frater, a quo factum Sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Et Sanctus Augustinus de Doctrina Christiana libro III. ait: Qui veneratur tale signum divinitus institutum, non hoc veneratur, quod videt, & transit, sed id potius, quo talia cuncta referenda sunt. Ideo imagini Crucifixi in relatione ad Christum est sibi cultus Latriæ exhibendus, quia sic motus non sistit in imagine, sed finitur in illo, cujus est imago. Ergo & ista objectio Bohemorum est falsa. Quare pro improbatione hujus quarti Articuli Bohemorum finaliter sic concludo. Quod omnis homo pertinaciter asserens, quod omnia peccata publica ubique & in quolibet statu sunt punienda & destruenda, talis est schismaticus & hæreticus, ac perpetuo interitu damnandus, quia talis est contrarius ordinationi divinæ, & Sanctæ universalis Ecclesiæ. Quod probat Apostolus ad Romanos XIII. dicens: Qui autem ordinationi Dei resistunt, ipsi sibi damnationem aquirunt, quia omnia, quæ sunt, a Deo ordinata sunt. Catholicus quoque Doctor Sanctus Augustinus contra Faustum hæreticum idem probat in hæc verba: Quid vos o hæretici tamquam de mandatorum Dei observatione jactitatis, qui contra Deum facitis, quia fidem catholicam non servatis, cum sine fide impossibile est Deo placere, & si Evangelium allegatis, tamen contra Evangelium Ecclesiæ Dei insultantes, discordias, odia, persecutiones christianis infertis? Hæc Augustinus. Infertur ergo corollarie, quod Bohemi & Moravi sunt hæretici, quia obstinate contradicunt doctrinæ Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ. Sunt apostatæ, quia a fide catholica recesserunt. Sunt blasphemi, quia infamant Prælatos & Rectores Ecclesiæ. Sunt sacrilegi, quia Ecclesias spoliant, & Calices frangunt. Sunt prædones & fures, quia semper aliena diripiunt. Sunt præcursores Antichristi, quia conculcant juge Sacrificium, & interficiunt Sanctos, cujuslibet professionis, sexus, vel ætatis sint. Sunt detractores, mendaces & contumeliosi, quia verbis injuriam faciunt omnibus catholicis. Omnes itaque Bohemi hæretici declinaverunt, simul inutiles facti sunt; Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum; Psalmo XIII. Omnes inquam Bohemi declinaverunt, sed diversimode; Nam quidam declinaverunt a recto, idest a nominativo fidei, & pravitatis in Genitivo perfidiæ, & bestialitatis. Alii declinavere a recto æquitatis in Dativo injuriæ & malignitatis. Alii declinaverunt a recto caritatis in Accusativo invidiæ & falsitatis. Alii declinaverunt a recto humilitatis in Vocativo superbiæ & vanitatis. Alii vero declinaverunt a recto pietatis in Ablativo prædæ & violentæ rapacitatis. Et sic hodie in toto Regno Bohemiæ juxta Prophetæ sonum, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum, quia a majore usque ad minorem cuncti faciunt malum; Jeremiæ VI. Et hii omnes Bohemi sic incongrue, immo sic vitiose declinantes, maledicuntur a Deo, dicente David: Maledicti, qui declinant a mandatis tuis; Psalmo CXVIII. Insuper cum iniquis & cum Diabolo perpetue damnantur, dicente Propheta: Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem; Psalmo CXXV. Tunc videlicet quum dicet: Ligatis manibus Bohemorum & pedibus, projicite eos in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium; Matthæi XXII. & merito, quia Bohemi hæretici diligunt vanitatem, & quærunt mendacium; Psalmo IV. Nam & verba Prophetæ ita cecinerunt: Sapientes sunt Bohemi, ut faciant mala; bene autem facere nescierunt; Jeremiæ IV. Et ratio est ista, quia omnis Bohemus, ut dixit David, cum psalleret: Noluit intelligere, ut bene ageret; Psalmo XXXV. Sed jam breviter convertens stropham epilogi, peto, supplico & obsecro in Domino Jesu Christo omnes, qui tractatum istum viderint, aut legerint, ut claudant viscera compassionis & misericordiæ super tam infelici & misera Bohemorum progenie, præsertim cum superamantissimus & superdulcissimus Dominus noster Jesus Christus super morte Lazari lacrymas compassionis & pietatis dignatus est ostendere, & lacrymatus est Jesus, inquit Joannes IX. Quis ergo rogo poterit lacrymas saltem interiores continere? cum videt tot millia Bohemorum morte æterna perire, & quotidie ad Infernum cum Diabolo in igne æterno arsuros descendere. Qui si vellent ad unitatem Sanctæ Matris Ecclesiæ redire, possent secure una nobiscum ad Regnum Cœlorum & ad vitam æternam pervenire, præstante Domino nostro

Jesu

Jesu Christo, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

Explicit Tractatus contra hæreticos Bohemos, quem compilavit Frater Hieronymus de Praga, reclusus heremita in Civitate Basilea Anno Domini M. CCCC. XXXII.

Sermo modernus ad Monachos in Festivitate S. Benedicti.

B*enedictus qui venit in nomine Domini*: hæc verba originaliter scribuntur Matthæi XXI. Capitulo, & transsumptive in Canone de Consecratione, Distinctione IV. Capitulo *Multa*: Reverendissimi Patres & Fratres in Christo charissimi, quia sicut testimonio sanctæ Scripturæ edocemur, cum malus Prælatus populo præficitur, secundum exigentiam subditorum permittitur operari. Unde Sanctus & gloriosus Hieronymus ait: audaciter forsitan aliquid dicimus, tamen quod scriptum est dicemus: Non semper Prælatus populi & Judex Ecclesiæ per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt; nam si mali sunt actus nostri, & operamur malum in conspectu Dei, datur nobis Prælatus secundum cor nostrum, idest merito cordis nostri malus. Audi namque quid dicat Deus: Fecerunt sibi Regem, & non per me Principem constituerunt, & non per consilium meum: Et post pauca: Si malum faciat populus in conspectu Domini, & talis perseveret, datur Ecclesiæ talis Prælatus, sub quo famem & sitim populus patiatur, non famem panis & sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei, ut probatur in Decreto, Causa VIII. Quæstione prima, Capitulo *Audaciter*: Et XVI. Quæstione prima, Capitulo *Revertimini*: Sic proculdubio, cum bonus Prælatus populo datur, brachio Dei illa Congregatio dinoscitur esse præmunita. Vere beatus ille populus & felix Congregatio, quæ meretur habere bonum Rectorem, quia sub capite sano omnia membra salvantur. Ideo semper eligendus est in Prælatum, qui est scientia doctior & vita sanctior, cujus comparatione cœteri grex dicantur, ut probatur in Decreto VIII., Quæstione prima, Capitulo *Licet*: Unde beatus Hieronymus super Levitico ait; sciant omnes & certi sint, quia qui doctior & sanctior est, & qui in omni virtute eminentior est, talis eligendus est ad regimen aliorum. Quod si aliter fiat, non est consulere populo, sed nocere: nec est præstare regimen, sed discrimen, ut probatur in Decreto, Distinctione LXI., Capitulo *Miramur*: Nam, ut asserunt Philosophi, primum in unoquoque genere debet esse regula ceterorum, eo quod omnis Prælatus prius in seipso debet ostendere, qualiter subditos in domo Dei oporteat ambulare, cum vita Prælati subditis debeat esse in exemplum, ut probatur in Decreto, Causa secunda, Quæstione VII. Capitulo *Cum Pastoris*: Vulnerato namque Pastore, quis curandis ovibus adhibebit medicinam? prima, Quæstione prima, Capitulo *Fertur*: Et ratio est, quia totum corpus invadit morbus, si prius languor non fuerit curatus in capite, ut probatur in Canone, secunda, Quæstione VII. Capitulo *Sicut inquit*: Unde Aristoteles Ethicorum III. ait: Eligimus quidem, quæ magis scimus esse bona. Et idem III. Topicorum inquit: Eligendo quidem bona, vel mala, quales sumus, ostendimus. Si enim mali sumus, malum eligimus. Quod si boni sumus, non nisi bonum eligimus. Sed quia, ut ait Chrysostomus super Matthæum: Nostrum est tantum eligere & velle, Dei autem est facere & adimplere. Unde Sanctus Hieronymus ait: Est & aliud opus, quod facit Moyses, nam ad bella non vadit, nec pugnat contra inimicos, sed quid facit? orat, & donec orat, vincit populus ejus. Quod si relaxaverit & dimiserit manus, populus ejus vincitur & fugatur, ut probatur in Canone, Distinctione XLV. Capitulo *Disciplina*: Ideo beatus Augustinus ait: Deus est vera & summa vita, in quo manere, consistere est, in quo habitare, vivere est; a quo averti, cadere est; a quo exire, mori est; quem nemo amittit, nisi deceptus; quem nemo quærit, nisi admonitus; quem nemo invenit, nisi purgatus. Hinc est, quod beatus Ambrosius ait! Accedite morbidi ad Jesum, quia vita est; Si in tenebris estis, lumen est; Si esuritis, cibus est; Si peregrini estis, patria est; Et ipse vera & summa vita est; Ipse namque suis aderit, qui suis adesse consuevit; ut habetur in Capitulo *Ad Dominum* XXXII., Quæstione VII. Ad hoc Alanus de planctu naturæ inquit: Ego operans operantis Dei vestigiis expresse inhærere non possum; meum namque effectum fateor esse defectum: & meum vigorem, vilitatem esse perpendo, ideo ad ipsum, qui virtus est, humiliter confugio. Verum, ut ait beatus Bernardus in quadam Epistola; felix est illa domus & beata Congregatio, ubi de Maria Virgine frequenter fit mentio. Ipsam ergo more solito pro impetranda Spiritus Sancti gratia, salutemus.

Benedictus qui venit in nomine Domini, ubi Thema, Reverendi Patres & fratres in Christo cariſſimi, quia, ut ait beatus Johannes Chryſoſtomus in tractatu de Symbolo: quemadmodum ſi vides arborem foliis defluentibus, marcidam ſtatim intelligis, quia aliquam culpam habet a radice, quæ non eſt ſana; ita cum videris Congregationem diſſolutam & indiſciplinatam, ſine dubio cognoſce culpam eſſe ipſius Prælati, qui non eſt ſanus, ſed negligens. Unde beatus Bernardus in expoſitione Regulæ Sancti Benedicti Capitulo VII. ait: Negligentia Prælatorum in tantam deordinationem & confuſionem ſubditos induxit, quoniam in eis eſt terra ſurſum, & Cœlum deorſum: ubi terrena cœleſtibus præponuntur, & Deus in eis conculcatur, terra autem deificatur. Ubi deficit charitas & regnat cupiditas; Diabolus quoque ab eis honorifice recipitur, & Deus contumelioſe repellitur; Ubi uſurarii & raptores honorifice recipiuntur, & pauperes Chriſti repelluntur. Ideo Sanctus & glorioſus Hieronymus ſuper Exodum inquit: Tanta debet eſſe ſanctitas & ſcientia Prælati, ut omnis motus, greſſus, & ornatus ejus, & quidquid agit, quidquid loquitur, totum debet eſſe exemplar & doctrina ſubditorum. Talis fuit Sanctus Pater Benedictus, nam de ipſo ſcribitur Johelis ſecundo; Exultate & lætamini, quia dedit vobis Dominus Rectorem & Doctorem juſtitiæ, qui deſcendere faciet ad vos imbrem doctrinæ matutinum & ſerotinum; Et tertii Regum quinto dicitur: Benedictus Dominus hodie, qui dedit Sapientiſſimum ſuper populum iſtum plurimum. Ipſe namque fuit juſtus præſignatus per Samuelem; Fuit benignus declaratus per Moyſen; Fuit providus ſignificatus per Joſeph; Fuit a Deo dilectus denotatus per Eliam; Fuit namque Sanctus Benedictus alter Abraham, ideſt Pater multitudinis Monachorum, & non eſt inventus ſimilis illi in gloria Sanctorum; Eccleſiaſtici XLIX. Unde merito de ipſo jubilare debemus, dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini: Quæ fuerunt verba in Themate charitati veſtræ propoſita & allegata.

In quibus verbis a me ſic breviter introductis Sanctus & glorioſus Pater Benedictus commendatur a tribus. Primo commendatur propter intentionis rectitudinem, mundum fugiendo. Secundo propter habitationis ſolitudinem, Deum meditando. Tertio propter patientiæ fortitudinem, continue perſeverando. Quantum ad primum dico, quod in verbis thematis commendatur Sanctus Benedictus propter intentionis rectitudinem, mundum fugiendo, cum enim Deus & mundus ſint termini motu oppoſiti, nemo poteſt accedere ad unum, niſi recedat ab alio, ut probatur in Decreto, Cauſa XXXII., Quæſtione prima, Capitulo *Cum renunciatur*: Ob hoc inquiebat Canon: qui convertitur, non ſolum mutet ſæculum, ſed fugiat, ut habetur Diſtinctione LIII., Capitulo *Legem*: Advertens illud Auguſtini ſermone XXI. de verbis Domini. O munde immunde, quid præſtabis? quid amari a nobis conaris? & ſubdit: non amemus mundum, premit enim amatores ſuos, nec eos ad bonum adducit. Et idem ad Thomam Comitem loquens: Contemne, inquit, mundum, quia non eſt in obſcuro claritas, non in doloſo veritas, non in crimino ſubtilitas, ſed in ſolo Deo habetur & invenitur. Unde Seneca in quadam Epiſtola ait: amor mundi nos in fortunæ adducit poteſtatem: hic amicis & liberis mæſtus; hic ægris ſollicitus; hic aliquam paſſis infamiam triſtis. Fortuna etiam honores, divitias & gloriam excutit; Quorum alia inter diripientium manus ſciſſa ſunt; alia infida ſocietate diviſa; alia magno detrimento eorum, in quos devenerant, pertenſa. Beatus quoque Gregorius in homilia inquit. Ecce jam in ſeipſo mundus aruit, & tamen adhuc in noſtris cordibus floret; Ubique mors, ubique luctus, ubique deſolatio; Undique percutimur, undique amaritudine replemur, & tamen cæca mente carnalis concupiſcentiæ ejus amaritudines amamus, fugientem ſequimur, labenti inhæremus; & quia labentem retinere non poſſumus, cum ipſo labimur, quem cadentem tenemus. Ideo beatus Chryſoſtomus ſuper Epiſtola ad Hebræos ait: contemne divitias & locuples eris eis; contemne gloriam, & eris glorioſus; contemne remiſſionem & quietem, & tunc eam recipies; fuge mundum, & ſalvus eris. Ergo ſi convertendus non habet rectam intentionem mundum fugiendi, per converſionis quidem ſpeciem accedit ad Deum, ſed intentione ficta per hypocriſis perniciem elongatur a Deo, ut probatur in Decreto, XII. Quæſtione prima, Capitulo *Nolo*. Sanctus autem Benedictus, ut teſtatur beatus Papa Gregorius, quia ab ipſo pueritiæ ſuæ tempore cor gerens ſenile, cum adhuc in hoc mundo eſſet, quo libere uti potuiſset, jam quaſi aridum mundum cum flore deſpexit, & relicta domo, rebuſque Patris, ſoli Deo placere cupiens, ſanctæ converſationis habitum ſuſcepit. Ipſe enim reliquit cum Abraham terram & populum, cum Petro peram & ſacculum, cum

Jacobo

Jacobo virgam & baculum, cum Paulo maris navigium, cum Joseph vestem & pallium, cum Matthæo lucrum & pretium, cum Moyse reliquit Ægypti onera, cum Eliseo boves & opera. Advertens illud, quod scribit beatus Hieronymus ad Paulam de interpretationibus Hebraicorum nominum: habeant qui volunt suas divitias, vase gemmato bibant, serico niteant, plausuque populi delectentur, & per varias voluptates divitias suas vincere nequeant; nostræ divitiæ sunt in lege Dei meditari die ac nocte, pulsare januam non patentem, panem Trinitatis accipere, & sæculi fluctus, Domino præeunte, calcare. Unde beatus Bernardus ait: Labor, latebræ, & voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia. Hæc vitam solent nobilitare monasticam. Nostri autem oculi omne sublime vident; nostri pedes omne forum circumeunt; nostræ linguæ in omnibus audiuntur consiliis; nostræ manus omne diripiunt patrimonium. Ad hæc Seneca Epistola XL. inquit: Nemo alius est Deo dignus, quam qui opes contempsit, quarum possessionem non tibi interdico, sed efficere volo, ut eas intrepidus possideas. Quod nunc consequemur, modo si te sine illis beate victurum persuaseris; si illas tamquam exituras aspexeris. Ideo beatus Ambrosius in libro de fuga sæculi ait: hæc est mundifuga, abdicatio omnium & terrenorum ac domesticorum, & quædam alienatio carissimorum, ut suis se abneget, qui servire Deo elegit, ut probatur in Decreto, Causa XII.; Quæstione prima, Capitulo *Cui portio*: Cum enim mundana omnia multiplici mutabilitati subjaceant, ac in eis perpetuitatis nihil existat, rationalis animus vita perpetua vivens, hoc cognoscit, ut si præceptum non adesset Dominicum, solus instinctus sufficeret naturæ, ut hujus mundi vanitatibus derelictis, quæreret perenniter secum mansura; sed animalis homo sponte non vult relinquere, quæ invite se cognoscit in morte relicturum. Qua in re, ubi humana deficit ratio, ad mundum despiciendum auctoritas Divina præcipit, dicens: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt; Johannis secundo. Quod verbum pertractans beatus Gregorius: Ecce, inquit, anima sine dilectione esse non potest, nam aut in infimis, aut in summis delectatur, & quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto majori fastidio torpescit ad infima; Et quanto acriori cura inardescit ad infima, tanto torpore damnabili frigescit a summis, quia utraque simul amari non possunt. Unde idem Johannes ait: Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, quia omne, quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ; & subdit, qui igitur terrenarum rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Hæc Gregorius. Nam qui amicus vult effici hujus sæculi, inimicus efficietur Dei; Jacobi IV. Hinc est, quod beatus Bernardus ait: Multi sunt hodie dicentes: durus est hic sermo, & quis potest eum audire, quia non possumus carnem nostram odio habere; non possumus mundum spernere. Dic mihi o homo, ubi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? nil ex eis remansit, nisi cineres & vermes. Attende diligenter, quid sunt, & quid fuerunt homines? utique fuerunt, sicut tu es. Comederunt, biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad Infernum descenderunt; hic caro eorum vermibus datur, & illic animæ eorum igni deputantur, donec infelici collegio colligati sempiternis involvantur incendiis, qui socii fuerunt in vitiis. Quid illis profecit vana gloria, brevis lætitia, carnales deliciæ, mala concupiscentia, cum jam ceciderunt in magna tormenta? & quod illis accidit, tibi quoque accidere potest. Hæc Bernardus. Sanctus quoque Hieronymus in Epistola ad Paulinum inquit: Sosthenes ille Thebanus, homo ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit, nec putavit posse virtutes simul & divitias possidere, ut probatur in Canone, XII., quæstione secunda, Capitulo *Gloria Episcopi*: In figuram hujus scribitur Genesis XXXV. quod Jacob, convocata omni domo sua, dixit eis: abjicite deos alienos, qui in medio vestrum sunt, & mundamini ac mutate vestimenta vestra, & ideo audire meruit a Domino: Surge & ascende in Bethel, idest in domum Dei. Quia monachi debent abjicere Idola pecuniæ, ut nihil habeant proprium, si volunt ascendere in domum Dei, idest in Regnum Cœlorum, quia, ut ait beatus Bernardus, quod monacho habenti proprium, negabit Deus suum proprium, quod est parcere & misereri. Unde Sanctus Hieronymus in Regula sua ait: Obtestor vos omnes & singulos, ne aurum, argentum, aut pecunia seducat aliquem vestrum, sed omnes Religiosi intelligant, quod nihil proprium licet eis habere, qui ex voto promiserunt paupertatem observare. Ideo necessario quæritur, utrum monachus habens proprium, peccet mortaliter? Ad hoc dicendum, quod tria sunt substantialia præcepta

pta Regulæ, quæ quilibet monachus promittit observare in Professione, videlicet paupertas, castitas, & obedientia. Ad hæc tria obligatur quilibet monachus sub præcepto; & quia proprietas violat votum paupertatis, ideo monachus habens proprium, peccat mortaliter, & non potest salvari, quia & oratio ejus sibi fit in peccatum, ut probat beatus Augustinus in Canone, XII. Quæstione prima, Capitulo *Nolo*: Et in Capitulo *Non dicatis vos habere aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia*: Potest tamen Abbas, vel Prælatus concedere subdito usum rei propriæ, idest usum libri, aut vestimenti, tabulæ, vel graphii, sed non potest concedere subdito, ut habeat pecuniam, vel aliquid proprium, quia de proprietate, sicut de castitate nec Papa potest dispensare, ut probat Innocentius Papa III. & Extravaganti in Decretali de Statu Regularium, Capitulo *Cum ad monasterium*: Ubi dicitur, quod facilius est Papæ facere de monacho non monachum, quam facere de monacho proprietarium, quia quilibet monachus proprietarius ipso facto est excommunicatus, secundum statuta, quæ præcipiunt, quod quilibet Abbas, Prior, aut Prælatus quolibet anno in Dominica Olivarum, accepta stola, & extinctis candelis excommunicet omnes suos subditos proprietarios. Ideo dicit beatus Gregorius, & Clemens Papa, ac Innocentius Papa III. quod debet quilibet monachus cum pecunia, si apud eum inventa in morte fuerit, in sterquilinio sepeliri in signum perpetuæ damnationis, ut probatur Extravaganti de statu Regularium & monachorum, Capitulo *Sunt quidam*: Nam, ut ait Sanctus Papa Gregorius, magis puniuntur Religiosi & Monachi proprietarii non observantes Regulam, quam Domino sponte promiserunt, quam Ananias & Zaphirra, qui mentiti sunt Spiritui Sancto, & ad pedes Apostoli Petri mortui sunt, ut probatur in Decreto, XXVII., Quæstione prima, Capitulo *Nuptiarum bonum* cum suis concordantiis, quia tam auri, quam pecuniæ, vel cupiditatis non debet sollicitior usus fieri, quam margaritæ cœlestis. Unde beatus Ambrosius ait: renunciando mundo & honori ac pompis hujus sæculi, est etiam ipsi somno minus indulgendum, quam natura postulet, sed interpellandum est gemitibus, interrumpendum est suspiriis, sequestrandum est orationibus, vivendum est ita, ut vitali moriatur usui, ut probatur in Canone de Pœnitentia, Distinctione prima, Capitulo *Sunt qui arbitrantur*: Ideo Sanctus Pater Benedictus, non solum in mundi contemptu, Christi imitator fuit, sed etiam mundi celsitudinem, laudes & honores contempsit. Unde beatus Gregorius secundo libro Dialogorum ait: Vir Domini Benedictus plus appetens mala mundi perpeti, quam laudes, pro Deo laboribus fatigari, quam honoribus extolli, deserti loci secessum petiit, ubi crebrescente ejus fama, cum Abbas cujusdam monasterii obiisset, tota Congregatio ad ipsum venit, & ut eis præesse deberet petiit, qui diu negando, distulit, sed tandem victus precibus, assensum dedit; moxque eis omnem proprietatem interdixit, & ut Regulam observarent, præcepit. Cumque fratres conspicerent, se assuetam proprietatem oportere relinquere, & totam Regulam observare, venenum vino miscuerunt, & sibi recumbenti obtulerunt, sed Benedictus signum Crucis edidit, & quasi jactu lapidis vas illud vitreum illico confregit, ac signo vitæ potum mortis fugavit; & hoc de prima parte sermonis.

Dixi secundo, quod in verbis Thematis commendatur Sanctus Pater Benedictus propter habitationis solitudinem, Deum meditando, nam qui vere solitariam vitam elegerunt, digni sunt convenienti honore, ut probatur in Decreto, causa XVII., Quæstione prima, Capitulo *Qui vere*: In hac enim solitudine sibi gloria Dei apparuit; Exodi XIII. Respexit ad solitudinem, & ecce gloria Domini apparuit in nube. Unde Threnorum tertio scribitur: sedebit solitarius & tacebit, quia levavit superse; non superbiendo, sed cœlestia meditando & contemplando, de quo Isidorus de summo bono ait: Omnis profectus noster ex lectione & meditatione ac contemplatione procedit; quæ enim nescimus, lectione discimus, & meditatione conservamus, ac contemplatione degustamus. Beatusque Bernardus de meditationibus sic inquit: Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, devotio commendat orationem, oratio perducit ad contemplationem. Ideo beatus Ambrosius in Epistola ad Vercellensem Ecclesiam ait: Qui didicerunt a Domino Jesu Christo mites esse & humiles corde, plus meditando & orando proficiunt, quam legendo & audiendo, quia tuta vita est, in qua nihil est, quod timeas; quæ compensatur mentis placiditate, & levatur contemplatione, usu substentatur, otio occupatur, alienis molestiis non urgetur, & urbanis discursibus non gravatur; nam, ut ait beatus Bernardus de Consideratione ad Eugenium Papam. Tria sunt, quæ oculum intelligentiæ confundunt, atque a contemplatione veri luminis excludunt, vide-

videlicet tenebræ peccatorum, recordatio præteritorum malorum, & cura terrenorum. At contra istum triplicem morbum triplex est remedium; nam primus ejicitur per confessionem & satisfactionem; Secundus per continuam lectionem; Tertius per contemplationis quietem. Unde beatus Hieronymus in Epistola ad Rusticum monachum scribit, dicens: nunquam de manu tua & ab oculis tuis liber Psalterii discedat, dicatur ad verbum oratio sine intermissione, vigilet sensus, nec vanis cogitationibus sit patens, sed cor tuum pariterque animus tendatur ad Dominum; ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis, ut probatur in Canone de Consecratione, Distinctione quinta, Capitulo *Nunquam:* Et beatus Augustinus de Opere Monachorum ait. Quæ est ista perversitas? lectioni nolle obtemperare, dum vis in illa vacare, nam Propheta beatum illum vocat, qui in lege Dei meditatur die ac nocte, Psalmo primo. Et Sanctus Doctor Hieronymus in Epistola ad Eustochium virginem, inquit. Semper aliquid agendum est, ne animus noster ex otio malarum cogitationum nexibus ligetur, quia otium est mater omnium nugarum, noverca omnium virtutum, & virum fortem fortiter præcipitat in reatum; facit namque suffocare virtutem, nutrire superbiam, & viam contruere ad gehennam, est namque otiosorum status damnabilis, quia in ipso consistit operatio turpis, materia vilis, exitus flebilis, mors tristabilis, dissolutio miserabilis, & damnatio detestabilis. Unde beatus Bernardus in Epistola ad Fratres de Monte Dei ait: Omnium tentationum & cogitationum malarum & inutilium incentivum otium est, summum enim malum est otium. Nunquam sit otiosus servus Dei, quamvis ad Deum feriatus sit, quia scribitur Proverbiorum IV. Qui sectatur otium, stultissimus est. Tales sunt heremitæ simplices & indiscreti, quia omnis solitarius aut est bestia, aut Angelus. Quare Seneca Epistola XLIII. ait: Otium sine litteris mors est, & vivi hominis sepultura. Mihi vero per otium nullus dies exit, & partem noctis studiis occupo, non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigilia fatigatos, cadentesque in opere detineo. Ideo Sanctus & gloriosus Hieronymus in Epistola ad Rusticum monachum inquit. Solitariam vitam nunquam reprehendimus, quippe quam sæpe laudavimus, sed de Monasteriis hujusmodi volumus egredi milites, quos Eremi dura rudimenta non terreant; qui speciem conversationis multo tempore tenuerunt; qui olim fuerunt minimi, ut primi omnium fierent; quos nec esuries, nec satietas aliquando stravit; qui paupertate lætantur; quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est. Sanctus quoque Papa Gregorius libro VI. Moralium ait: Contemplationis arcem aliqui tenere desiderant, sed prius se in vita activa probent; Si jam nulla mala proximis irrogant; Si irrogata a proximis æquanimiter portant; Si ablatis bonis temporalibus non se conturbant; Si cum se intus vident, nequaquam secum umbras rerum corporalium trahant, sed de puritate contemplationis gaudeant. Hinc est, quod Prosper libro primo de vita contemplativa ait: Activa vita habet sollicitum cursum, contemplativa habet gaudium sempiternum; in illa acquiritur regnum; in hac percipitur; illa facit pulsare Paradisi januam; ista vocat consumandos in patriam; in illa contemnitur mundus; in hac videtur Deus. Merito ergo major est vita contemplativa, quam activa, quia hæc in usu præsentis operis laborat; illa vero sapore intimo venturam requiem degustat. Ideo venerabilis Beda super Johannem ait. Manet quippe in bonis solitariis Spiritus Sanctus, ut bonis insistant actibus, paupertatem diligant, mansuetudinem consequantur, pro æterno desiderio lugeant, esuriant & sitiant justitiam, misericordiam ac munditiam cordis amplectantur, sed etiam eleemosynis, orationibus, jejuniis, ceterisque fructibus spiritus insistere desiderent, ut probatur in Canone de Pœnitentia, Distinctione secunda, Capitulo *Quærendum:* Tales namque solitarii otiosi esse non possunt. Nam, ut scribit Sanctus Hieronymus contra Jovinianum monachum & hæreticum: Sapiens, inquit, nunquam solus est, sed habet omnes, qui sunt, & qui fuerunt boni, & animum liberum quocunque vult profert & transfert, & quod corpore non potest, cogitatione complectitur, & si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo. Talis bonus solitarius fuit Sanctus Pater Benedictus, qui, ut scribit beatus Gregorius, cum adhuc puer esset, relicta nutrice, desertum locum petiit, ubi hominibus incognitus in quodam specu solus habitavit, cui Romanus monachus quotidie unum panem per funem ministravit, quo contentus, nihil aliud gustavit, quia raptus in contemplatione & devotione ac oratione cum Deo loqui consuevit. Ipse enim cum Johanne Baptista habuit cibum parciorem; Cum Elia Propheta habuit spiritum puriorem; Quia cum Aaron stola se ligavit, cum Noe arcam fabricavit; Et cum David fortiter pugna-

pugnavit; Idcirco beatus Gregorius ait: Religiosam vitam eligentibus, congrua nos oportet consideratione prospicere, ne cujusdam necessitatis occasio aut desides faciat, aut robur (quod absit) conversationis infringat, ut probatur in Decreto, XII., Quæstione secunda, Capitulo *Religiosam:* Quia sicut vigente in humano corpore humorum varietate, corpori sanitas inesse non valet, sic animæ vitiis irretitæ & propriæ voluntati subjectæ spiritualis sanitas adesse non potest, quoniam divina Sapientia in malevolam animam non intrat, nec habitat in corpore subdito peccatis. Merito ergo, qui gratiam Dei vult obtinere, seipsum abneget, tollens Crucem suam quotidie, carnem suam maceret, contra vitiorum blandimenta vigilet, & ipsa abhorreat. Quare Apostolus ait: Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Ad Galatas ultimo. Quod verbum tractans beatus Gregorius in libro Moralium, inquit: Sunt nonnulli, qui æternæ vitæ gaudia cupientes, valde a mundo se alienos reddunt, etiam sua relinquunt, & mundi gloriam contemnunt, & tanto Dei Omnipotentis amore replentur, ut mutata mente sibimetipsis contrarii esse videantur; implentes hoc, quod veritatis voce dicitur: Si quis vult venire post me, tollat Crucem suam quotidie. Nam qui mundum deserit, ut Christum sequi possit, si adhuc avaritiæ lucra sectatur, si honoris superbia extollitur, si immunditia libidinis se polluit, Christum, in quem credit, sequi contemnit. Hæc Gregorius. Cor enim nostrum, cum sit Dei habitaculum & Spiritus Sancti templum, debet evacuari vitiis, & virtutibus repleri, claudi Diabolo, & aperiri Christo. Unde beatus Bernardus in libro meditationum sic ait: Omni custodia & sollicitudine cor tuum debes custodire, ut in illo Deus requiescere possit. In omni creatura, quæ sub Cœlo vanitatibus occupatur, nihil humano corde sublimius, nihil nobilius, nihilque similius Deo invenitur. Quapropter nihil a te Deus requirit, nisi cor tuum. Munda ergo illud per veram Confessionem & assiduam orationem, ut mundo corde Deum videre possis per continuam contemplationem. Magna tibi custodia est necessaria, quia omnia agis in conspectu Judicis cuncta cernentis, qui semper tecum est, & si non adest per gratiam, adest per vindictam. Hæc Bernardus. Internum ergo candorem ab omnibus vitiis mundet & præparet, qui gratiam Dei vult invenire: Sicut fecit Sanctus Pater Benedictus, & ideo prævenit eum Deus in benedictionibus dulcedinis & posuit in capite ejus coronam de lapide pretioso; Psalmo XX. Unde merito sibi possumus dicere illud Judith XV. Benedictus es tu, quia servasti mundum cor tuum. Benedixit te Deus, in virtute sua; & per te redegit ad nihilum inimicum Diabolum. Ipse enim cum Apostolo corpus suum castigavit, & Diabolum in specie merulæ superavit. Nam ut refert beatus Gregorius, dum Sanctus Benedictus in Eremo habitavit, Diabolus quamdam fæminam ante oculos cordis ejus adduxit, & tanta tentatione cor ejus accendit, ut pene eremum relinquere deliberaret, qui mox vestem exuit, & in spinis & vepribus nudum se in tantum volutavit, ut toto corpore vulneratus exivit, & diabolum superavit. Hic considerandum est, quod Sanctus Benedictus solo pane & aqua vivens, tantas tentationes carnis sustinuit. Quas ergo gulosi monachi sustinebunt? qui deliciis affluunt, & inter epulas ac convivia putant se posse castitatem servare, quod est impossibile, ut probatur in Decreto, Distinctione XXXV. Capitulo *Ecclesiæ Principes:* Quia luxuria semper sequitur gulam, sicut filia matrem. Unde beatus Ambrosius in sermone de Quadragesima ait: Fames amica est castitatis & inimica lasciviæ; Saturitas vero castitatem perdit, & nutrit luxuriam. Ideo Sanctus Hieronymus in Epistola ad Paulinum ait. Sit tibi vilis & vespertinus cibus, olera & legumina; interdumque parvos pisciculos pro summis ducas deliciis; Nam qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnopere, quod de pretiosis cibis stercus conficiat. Hinc est, quod Jovinianus Monachus factus est hæreticus, quia gulam & ebrietatem non esse peccata mortalia Romæ publice prædicavit, ut probat beatus Hieronymus in libro secundo contra Jovinianum, & habetur in Decreto, Distinctione XXXV. Ideo necessario quæritur, utrum monachi peccent mortaliter, comedendo carnes extra infirmitatem? Ad hoc dicendum est, quod illi monachi, qui comedunt carnes quasi continue, tales propter contemptum Regulæ & inobedientiam Statutorum, semper peccant mortaliter comedendo carnes. Dicit enim Canon in Decreto de Consecratione, quod monachi non debent vesci carnibus, quod si contrafecerint, debent incarcerari. Sed talis pœna carcerum non infligitur, nisi pro peccato mortali. Ergo per consequens monachi edentes carnes peccant mortaliter. Secundo probatur sic. Facere contra votum est peccatum mortale:

tale: Sed monachi ex voto tenentur obedire Regulæ Sancti Benedicti, quæ præcipit non comedere carnes, præter infirmos: Ergo sani comedentes contra votum, & per inobedientiam, peccant mortaliter, ut probatur Extravaganti, Capitulo *De Voto & voti redemptione*: Quia per hanc viam ea, quæ uni sunt consilia, alteri propter votum transeunt in præceptum, ut probat beatus Thomas de Aquino secunda secundæ, articulo quinto. Ubi sic ait: Si præcipit mihi Prælatus meus, ut carnibus vescar, non obediam ei, sed contradicam, quia Regula & Statuta altiora sunt Prælato, quibus tam Prælatus, quam subditus obedientiam spoponderunt; nec sine culpa possunt ab utroque contemni; solus enim contemptus in transgressione facit peccatum mortale, quia contemptus est quædam mala consuetudo ad transgrediendum proclivis ex assiduitate delinquendi. Unde Salomon ait. Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit. Vel contemptus est voluntaria transgressio cujuscunque debiti constituti, ex securitate impunitatis procedens. Et quia monachi non puniuntur pro transgressione Regulæ, nec Statuti, sicut puniuntur sæculares per suos Officiales, ideo ex contemptu comedunt carnes, sed tanto gravius punientur in Inferno cum divite, qui epulabatur quotidie splendide; Lucæ xvi. & tunc cruciati in flamma, petent guttam aquæ ad refrigerandam linguam, & non accipient, quia gulæ delectatio est in lingua & in gutture, ad mensuram duorum, aut ad plus trium digitorum, & pro tam brevi delectatione oportet pati tormenta perpetua sine fine, quia, ut ait beatus Augustinus, peccatum veniale si placet, propter delectationem fit mortale. Sanctus autem Pater Benedictus ita pruritum gulæ vicerat, ut in tota vita sua in diebus Quadragesimæ semel tantum in hebdomada parvissimum gustaret potius, quam sumeret cibum. Qui cum in Festo Paschæ jejunaret, ut refert beatus Gregorius, Dominus cuidam Presbytero apparuit, dicens: tu tibi delicias præparas, & servus meus in tali loco fame cruciatur; qui protinus surrexit, & cum magna difficultate eum inveniens, dixit: surge & sumamus cibum, quia hodie Pascha Domini est. Sicque Deum benedicentes, sumpserunt cum gaudio cibum. Et hoc de secunda parte.

Dixi tertio, quod in Verbis in Themate propositis commendatur Sanctus Pater Benedictus propter operationis fortitudinem, continue perseverando. Non enim redire a sancto proposito unquam voluit, sed manere, & carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigere; ad Galatas v.; cum illis, qui seipsos castraverunt propter regnum Cœlorum; Matthæi xix. & transumptive in Capitulo *Qui fitit* xxxiii., Quæstione v. Tenuit quoque coronam suam, ne alius acciperet eam; Apocalypsis vi. advertens beatum esse; Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; Matthæi xxiv. Et transumptive in Decreto, Causa vii., Quæstione prima, Capitulo *Suggestum*: Quia incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur, ut probatur in Canone de Pœnitentia, Distinctione tertia, Capitulo *Incassum*: De quo Exechielis primo sub figura quatuor animalium pulcre describitur, cum dicitur: nec revertebantur, cum ambularent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur: Et habetur transumptive de Pœnitentia, Distinctione secunda, capitulo *Non revertebantur*: & Capitulo *Pennata*: Debet namque quilibet, & maxime monachus hanc perseverantiam habere, sine quia nil boni agitur ad salutem, juxta illud Isidori de summo bono: Tunc placet Deo nostra conversatio, quando bonum, quod agimus, perseveranti fine complemus, quia salus perseverantibus promittitur, præmium perseverantibus datur. Non enim beatus est, qui bona facit, sed qui incessabiliter facit. Quare beatus Cyprianus ait: Animus ad bonum deditus, & in bono opere firmus a Deo Judice coronatur, ut probatur in Decreto de Pœnitentia, Distinctione prima, Capitulo *Numquid Cain*: beato Bernardo Epistola xxii. sic dicente: absque perseverantia nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor consequitur, quia perseverantia nutrix est ad meritum, mediatrix ad præmium, soror est patientiæ, & constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem valet habere, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Hæc sola est unica filia Summi Regis, finis virtutum, earumque consummatio. In hac merces omnium bonorum est reposita, & omnium Beatorum est corona. Ideo David post triumphum non solum ad Saulis singulare colloquium, ad Jonatæ cordiale incendium, ad filiæ nuptiale connubium, sed ad solii Regalis fastigium, ut Dei & plebis amicus, merito dicitur ascendisse; primi Regum xi. Et post victoriam habitam de filiis Amon ei imponitur Diadema Regni; secundi Regum xii. Sic Sanctus Pater Benedictus, quia

cum Paulo Apostolo bonum certamen certavit, cursum consumavit, fidem servavit; & cum Petro oves Christi devote pavit; cum Johanne secreta cœlestia degustavit; cum Andrea multa adversa patienter sustinuit; cum Bartholomæo carnis blandimenta devitavit; cum Matthæo pecuniam refutavit; cum Philippo intrepidus perstitit; cum Jacobo recte subditos gubernavit; cum Sancto Simone post Christum ambulavit; & cum Taddæo Jesum ardenter amavit, quia Vir Domini Benedictus, ut testatur Sanctus Gregorius, Apostolorum, Patriarcharum, Prophetarum & omnium Justorum spiritu plenus fuit, ideo verus Christi discipulus extitit. Unde Isidorus de summo bono ait. Disce a Christo modestiam, disce tollerantiam & perseverantiam; Non debes in pœnitentia deficere; Christum respice pro te passum, palmis & flagellis cæsum, sputis derisum, clavis confixum & crucifixum. Sic Sanctus Pater Benedictus didicit a Christo modestiam, & perseverantiam, quia fuit humilis in conversatione, stabilis in fide, verecundus in verbis, justus in factis, misericors in operibus, & temperatus in moribus. Erat namque in arduis tollerans, in jejuniis mansuetus, in orationibus devotus, & in persecutionibus patiens; cum patientiæ virtus sit illa, quæ velut ignis aurum, sic Sanctos probat, dicente beato Gregorio: Sicut unguenta redolere latius nesciunt, nisi fuerint commota, & sicut aromata fragrantiam suam, nonnisi cum incenduntur, expandunt; ita Sancti viri omne, quod virtutibus redolent, in tribulationibus innotescit. Unusquisque vir Sanctus, cum non pulsatur, despicabilis & levis videtur; Si qua vero eum tritura persecutionis opprimat, mox in fervore virtutis, omne, quod in se operuerat, innotescit. Hæc Gregorius. Merito ergo Sancti viri tribulationibus agitantur, ut velut expoliti lapides in supernæ Jerusalem structura ponantur. Nec solum hujus rei causa, sed ut posteris patientiæ eorum exempla tribuantur, ut dicitur Tobiæ primo de ipso Tobia & de Sancto Job. Sic Sanctus Pater Benedictus multas dæmonum insidias & malorum hominum persecutiones patienter sustinuit, & nobis patientiæ exemplar reliquit. Nam, ut refert beatus Gregorrius, quidam Presbyter nomine Florentius viro Dei invidens, panem veneno infectum sibi obtulit, ut Magistri corpus & discipulorum animas occideret, cui Sanctus Benedictus patienter cessit, & ad alia loca transmigrans, locum, non hostem mutavit, nam tanto post graviora prælia pertulit, quanto contra se pugnantem hostem antiquum invenit. In monte enim Casino non occulte, sed aperte ejus se oculis Diabolus ingerebat, & stridens in eum dentibus, terribili voce clamabat: Maledicte & non Benedicte, quid me persequeris? Et super quemdam fratrem novitiorum parietem projecit, ipsumque mox confractum extinxit; quem tamen Sanctus Benedictus orando a mortuis resuscitavit. Et alium senem monachum arreptum vexare cepit, sed Benedictus, fugato dæmone, præfatum monachum liberavit. Et quia in omnibus constantissimus & patientissimus fuit, ideo victoriam de ipso hoste reportavit, & a Christo coronam vitæ promeruit. Unde merito ei potest dici illud Jacobi primo: Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Sed quid dicam de nobis carissimi, qui continue peccamus, & peccatis peccata adjicimus? Qui si in aliquo a Deo propter nostras pravitates affligimur, patientiam non habemus, sed mox contra Deum murmuramus, ac furore ebrii, non solum nos non agnoscimus, sed nec patientium Sanctorum exempla attendere volumus, & præcipue Capitis nostri Jesu Christi, qui tot & tanta pro nobis passus fuit, & tamquam ovis ad occisionem ductus, os suum non aperuit; Isaiæ L. Christus enim passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus; prima Petri IV. Nam si aliquando hujusmodi tentationum vento concutimur, aut flagellis divinis affligimur, pensemus illud Jacobi primo: patientia opus perfectum habet: Et illud Apostoli secunda ad Corinthios x. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis sustinere. Et illud beati Gregorii secundo Moralium, exponentis illud Job primo: Ecce omnia, quæ habet, in manu tua sunt; inquit Gregorius: Sciendum est, quod Sathanæ voluntas semper mala est, sed nunquam potestas injusta est, quia a semetipso voluntatem habet, sed a Deo potestatem; quod enim ipse facere inique appetit, hoc Deus facere non nisi juste permittit; formidari ergo non debet, qui nihil nisi permissus, facere valet; sola Divinitas timenda est, quæ cum hostem sævire permiserit, ei ad usum justi judicii etiam injusta illius voluntas servit. Unde commentator eloquentissimus Cassiodorus super Psalmo *Voluntarie sacrificabo tibi*: Patientia, inquit, est, quæ omnia vincit adversa, non colluctando, sed sufferendo, non murmurando, sed gratias agen-

agendo. Ipsa est, quæ maculas fere totius iniquitatis abstergit; Ipsa est, quæ limpidas animas Deo reddit; Nam illi voluntarie Deo sacrificant, qui inter angustias tribulationum, jugiter Deo gratias agunt. Quia, ut dicit beatus Ambrosius super Psalmo *Beati immaculati*: Illud est magnificum, si tu subjectus contumeliis, judicium Dei laudes; Si vexatus infirmitate, judicia Dei prædices; Si te paupertas non revocet, quominus laudes justitiam Dei. Beatusque Chrysostomus super Epistola ad Hebræos ait: Nihil ita confusionem facit ingerenti mala, sicut fortis tolleratio patientis, & neque in verbo murmurare, neque in opere reddere vindictam. Caveant ergo subditi, ne contra suos Majores murmurent, quibus obedire tenentur, quia, ut ait beatus Gregorius tertio Moralium, qui contra superiorem sibi potestatem murmurat, liquet, quod illum redarguit, qui eamdem potestatem superiori dedit. Et beatus Cyprianus in quadam Epistola inquit: Qui inobediens & murmurans extiterit, juxta arbitrium prioris tamdiu pœniteat, quamdiu culpæ qualitas existat. Ideo beatus Bernardus in libro de Præcepto & Dispensatione ait: Sive Deus, sive homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradidit, pari profectu obediendum est, nec per irreverentiam differendum est, nisi cum Deo contraria præcipit homo. Exemplo itaque Christi quilibet debet obedire suo superiori, nam de Christo dicit Apostolus: Factus obediens Patri usque ad mortem; ad Philippenses secundo. Utique potius mortem voluit suscipere, quam obedientiam violare, ut omnes doceat, quam grata sit in oculis Divinæ Majestatis humilis obedientia præcipienti. Quare beatus Gregorius tractans illud primi Regum: Melior est obedientia, quam victima; jure, inquit, obedientia victimis præponitur, quia per victimam aliena caro, per obedientiam vero propria voluntas mactatur. Nam verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis. Ad hæc Sanctus Hieronymus in Regula sua ait. O felix & abundans gratia sanctæ obedientiæ, quæ summa virtutum causa est, nam obedientia simplici gressu hominem ducit ad Christum, & non solum mens subditorum excusatur a reddendo Deo rationem, sed nec etiam obligatur reddere de alienis. O summa libertas obedientiæ, qua obtenta vix possit homo peccare. Sciendum vero est, nunquam per obedientiam malum fieri, sed aliquando debet per obedientiam bonum, quod agitur, intermitti, quia non servili metu, sed charitatis affectu obedientia servanda est, hoc est non timore pœnæ, sed amore justitiæ, nam sine dubio ampliorem gratiam meretur ille, qui paratum se exhibet ante mandatum, quam qui obedire satagit post mandatum. Qui vero sui Superioris contemnit mandatum, sciat se in futuro sæculo fore damnatum. Quod beatus Bernardus in libro de Præcepto & Dispensatione probat, dicens. In obediendi ratione hæc generalis regula teneatur, ut in difficilioribus agendis tam obedientia gratior, quam inobedientia gravior judicetur; & in facilioribus agendis, minusque onerosis, tam contemptus damnabilior, quam actus laudabilior æstimetur. Unde Johannes Cassianus in Collationibus Abbatis Moysis inquit: Nullo vitio tam præcipitem monachum Diabolus pertrahit & perducit ad mortem æternam, quam cum eum, neglectis consiliis seniorum suorum, judicio persuaserit fore inobedientem, quia verus obediens non attendit quale sit, quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur. Unde beatus Augustinus in libro de Opere Monachorum ait. Quid iniquius, quam nolle obedire Majoribus, nec obtemperare minoribus? quia nec præcepta sine culpa negliguntur, nec sine crimine & periculo animæ jussa Majorum spernuntur. Ideo necessario quæritur, utrum Monachi peccent mortaliter, non faciendo obedientiam a Prælato eis impositam? Ad hoc dicendum est, quod obedientia est unum de tribus substantialibus præceptis Regulæ, quam Monachi in Professione coram Deo & Sanctis omnibus jurant & promittunt observare, & ob id non facientes obedientiam, peccant mortaliter, & sunt in periculo damnationis, nam ut ait Canon: Absque obedientia etiam fidelis reputatur esse infidelis. Et Sanctus Benedictus in Regula ait: Monachi, si aliter fecerint, quam promiserunt, sciant se a Deo damnandos, quem irrident. Idcirco tertio Decretalium de statu Regularium & Monachorum, Capitulo *Cum ad monasterium* & subjacens Gregorius Papa IX. præcipit, dicens; Sit ergo studii tui, ut monachi & alii religiosi revertantur ad Regulam & obedientiam, quam promiserunt, & observent pro viribus, sicut decet, quia contemnere, est obedientiam ad bonum postponere, nam ad malum nullus debet obedire. Unde beatus Thomas secunda secundæ, articulo v. ait. Si mihi Prælatus mandaverit fratrem odire, vel persequi,

resistam, dicendo, quod oportet magis Deo obedire, quam hominibus. Quod si jubet, me sanum Ecclesiæ jejunium irritare, contradicam, quia Ecclesia major est illo. Sed in aliis omnibus, quæ non sunt contra salutem animæ, libenter obediam. Ideo Propheta ait: Apprehendite disciplinam, supple obedientiæ, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa; Psalmo secundo. Et transumptive in Decreto, XXIII. Quæstione IV. Capitulo *Si Ecclesia:* Ubi notandum est, quod iram Dei debemus timere propter pœnæ infernalis gravitatem, & propter Regni cœlestis hæreditatem, nam pœnæ magnitudinem aggravat culpæ magnitudo, quia monachi inobedientes gravius peccant, quam sæculares in eodem genere delicti, ut probatur in Canone, Distinctione XL. Capitulo *Homo christianus*: Idcirco inobedientes monachi sunt sub potestate Diaboli, quia habet potestatem in eos Diabolus, tamquam in suos servos, ut probatur in Decreto, XXIII., Quæstione prima, Capitulo *Hiis:* Insuper monachi inobedientes collocantur cum Diabolo in loco terribili, hoc est in Inferno, qui est subtus terram, ubi omnes fæces sunt, & pœnæ ac tormenta infinita, ut probatur in Decreto, XIII. Quæstione secunda, Capitulo *Tempus*: ibique cum Diabolo cruciabuntur perpetuis suppliciis ac tormentis sine fine. Quia secundum beatum Gregorium ad magnam Dei justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato, ut probatur in Canone de Consecratione, Distinctione IV. Capitulo *Voluisset:* Secundo timenda est ira Dei, & apprehendenda est disciplina obedientiæ propter Regni cœlestis hæreditatem, ne ab ea excludamur, ad quam nos vocavit Dominus, dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis, supple per obedientiam, & invenietis requiem animabus vestris; Matthæi XXV. & in Decreto, III. Quæstione prima, Capitulo *Quam proposita*: In hac hæreditate est requies post laborem, & gaudium post mortem, quia gaudent in Cœlis animæ defunctorum Sanctorum, ut probatur in Decreto, XIII. Quæstione secunda, Capitulo *Tempus:* Ibi tristitia nostra vertetur in gaudium; Johannis XVI. & in Decreto, XVI. Quæstione prima, Capitulo *Placuit:* Unde Apostolus ait: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; ad Romanos VIII. & prima, Quæstione III. Capitulo *Salvator:* Ibi dicent Sancti: Transivimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium; Psalmo LXV. & de Consecratione, Distinctione prima, Capitulo *Consilio.* Ideo beatus Hieronymus in Epistola ait: Nullus labor durus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria æterna Regni cœlestis acquiritur. Ad hanc gloriam jam Sanctus Pater Benedictus lætus pervenit, nam, ut refert beatus Gregorius, eodem anno, quo de hac vita erat migraturus, obitus sui diem fratribus annunciavit, & ante sextum diem sui exitus aperiri sibi sepulchrum jubet, qui mox febribus correptus in Oratorium se portari fecit, ibique exitum suum Dominici Corporis & Sanguinis perceptione munivit, atque erectis in Cœlum manibus, stetit, & ultimum spiritum inter verba orationis emisit, ac inter Choros Angelorum ad cœlestem gloriam feliciter pervenit. Ad quam nos perducat Dominus Jesus Christus: qui vivit & regnat cum Deo Patre & Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit sermo in Festo Sancti Benedicti Abbatis ad Monachos, quem compilavit & dictavit Dominus Hieronymus de Praga Eremita reclusus ad preces Fratrum Monasterii Sancti Benedicti prope Civitatem Florentiam.

Sequitur in Codice: *Sermo modernus, sive Epilogus in Vitam S. Romualdi Confessoris & eremitæ Camaldulensis eremi; & sermo copiosus, quem compilavit & dictavit domnus Hieronymus de Praga dictæ sacræ eremi eremita reclusus ad preces eremitarum anno* M. CCCCXXX. in quo etiam agitur de S. Adalberto martyre & archiepiscopo Pragense. Verum, quia Johannes Bollandus in Actis Sanctorum ad diem VII. februarii integrum ipsum sermonem protulit, & adjecit vitæ S. Romualdi scriptæ a S. Petro Damiani, ideo consulto prætermittimus, ne actum agere videamur.

SERMO MODERNUS IN FESTO SANCTI HIERONYMI DE DALMATIA DOCTORIS GLORIOSI.

BEatus in facto suo erit: Hæc verba scribuntur originaliter Jacobi primo capitulo, & transumptive in Decreto de Pœnitentia, Distinctione IV. capitulo: *Si enim:* Reverendi Patres & Fratres in Christo carissimi, quia si remoto phantasmatum turbine, & relicto post terga tempore divinis irradiata fulgoribus mens humana in beatæ felicitatis æterna specula rapiatur, proculdubio cernet ibi Regem

in

in decore suo, qui extendit Cœlum sicut pellem, & facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem; Psalmo CIII. licet humana mens adhuc mortalibus gravata membris in tam excellenti luce non figitur, dicente Domino: non me videbit homo & vivet; Exodi XXX. & prima Johannis IV. scribitur: Deum nemo vidit unquam: De quo beatus Thomas secunda secundæ, Quæstione XXVI. articulo III. & notat Glossa VIII. Quæstione prima, Capitulo *Ad nostram* de Hæreticis; quod intelligendum est per sensus corporeos, sicut aliquid videtur per colorem, qui est objectum visus, quia color est qualitas in subjecto existens, & est res composita, sed quia omne compositum est corruptibile, ergo Deus videri non potest per visum. Unde Paulus prima ad Corinthios XIII. ait: Videmus nunc in ænigmate & speculo, tunc autem facie ad faciem; De quo Magister Sententiarum libro IV. Distinctione VIII. Capitulo VI. de Moyse & Paulo ac de aliis secundum prædictas glossas intelligit: Quare ipse Sanctus Doctor Hieronymus in Regula sua de seipso testatur, dicens: Scio quid loquor carissimi, nam ut in insipientia dicam: Ego homunculus, sic abjectus, sic vilis in domo Dei, adhuc vivens in corpore, Angelorum sæpe choris interfui, de corporeis & de mundo per hebdomadas nihil sentiens, & divinæ visionis intuitu post multorum dierum spatia, præscius futurorum, corpori reditus fiebat. Quid, ibi manens, felicitatis habebam! Quid innenarrabilis delectationis sentiebam! Testis est ipsa Trinitas, quam videbam, nescio quo intuitu; Testes sunt ipsi Beati Spiritus, qui aderant; Testis est conscientia mea, qui tantis bonis ipse fruebar, quot & quanta nescit referre mollities corporis mei. Quapropter additum est nobis liberum arbitrium tamquam instrumentum ad bene operandum, hoc est ad merendum & Deum laudandum. Job XXXVIII. Nonne audiebas, cum me laudarent astra mattutina? Ille ergo bene utitur hoc instrumento, qui utitur ad finem, ad quem datum est nobis liberum arbitrium, sicut cetera bona naturalia, ut probatur in Decreto, XXXII. Quæstione secunda, Capitulo *Is autem:* Nam quidam male utuntur hoc instrumento, de quibus beatus Hieronymus ait. Nonne videtur vobis in obscuritatem mentis ingredi illum, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur; qui physicus perscrutator oculos trans Cœlum levat; qui jambum fervet; qui totam metrorum silvam in suo studiosus corde discutit; Et ut ad aliam partem transeam, qui divitias per fas & nefas quærit; qui adulatur Regibus; qui hæreditates captat alienas, & opes congregat, quas in momento, cui sit relicturus, ignorat, ut probatur in Decreto, Distinctione XXXVII. Capitulo *Nonne*. Sanctus autem Hieronymus bene utebatur hoc instrumento, cui Dominus dedit quinque talenta, ut lucrum afferret cum usura; Matthæi XXV. Et Apostolus ait: Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem; Alii sermo sapientiæ in eodem spiritu; prima ad Corinthios XII. Ideo pro hujus Spiritus Sancti gratia impetranda, more solito salutemus gloriosam Virginem Mariam, dicentes una mecum: Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum &c.

Beatus in facto suo erit, ubi Thema, Reverendi Patres & Fratres in Christo carissimi, quoniam nullius perfecti actus est recta dispositio, nisi veri Dei gratia præcesserit; nam qui ipsam imitatur, tenebris non obvolvitur, quia est lux vera, fame non opprimitur, quia est refectio plena. Sic nos oportet animarum nostrarum saluti aggregare salutem, & bonitati adjungere bonitatem, sicut fecit Sanctus Doctor Hieronymus, Quia fuit gloria & honore decoratus; ideo dicitur: Beatus. Secundo fuit in Divini cultus sedulitate studiosus; ideo dicitur: In facto suo. Tertio fuit ad bonum sine tarditate sollicitus; ideo dicitur: Erit. Quantum ad primum dico, quod in verbis in Themate propositis, commendatur Sanctus Hieronymus Doctor, quia fuit Dei gratia gloria & honore decoratus, ideo dicitur Beatus, nempe cum facilius ad operis sui gratiam favor inclinatur auctoris, & grandis etiam hominis prærogativa monstratur, nam hominem gloriosum, virtuteque pretiosum reddit imago. Ipse namque fuit Doctor egregius & Presbyter Cardinalis dignissimus, qui cum esset Dominus, minister fore videbatur. Et ne videretur superstitiosus, aut hypocrita, conformabat se cum aliis in moribus, ut probatur in Decreto, Distinctione XIII. Capitulo *Si quis virorum:* Sunt autem tria, quæ efficiunt gloriam & honorem. Primo vitæ Sanctitas. Quare beatus Gregorius ait: Nos, qui aliis præsumus, non ex locorum, vel generis dignitate, sed morum nobilitate & vitæ sanctitate innotescere debemus, ut probatur in Decreto, Distinctione XL. Capitulo *Nos, qui præsumus:* Hinc beatus Augustinus inquit: Numerus ordinatur Christianorum, non fictus, mendax, nec auri quidem vestis, nec purpura, sed boni mores sunt; ut probatur in

Cano-

Canone de Consecratione, Distinctione II. Capitulo *Succurre*: Hic habetis conditionem, altilium imitantes. Unde beatus Gregorius ait. Quid vero per altilia, nisi Patres novi Testamenti figurantur, qui dum gratiam æternæ pinguedinis percipiunt, mittentes quasi contemplationis pennas, se se ad sublimia sublevant? ut probatur in Decreto, XXIII. Quæstione V. Capitulo *Cum in lege*: Secundo sanguinis claritas, quia sæpe solet filius similis esse Patri, præsertim in operibus Sanctitatis; non enim potest facere filius, nisi quod viderit Patrem facientem, ut probatur in Canone de Consecratione, Distinctione V. Capitulo *Salvator*. Quare Augustinus ait. Seminarium vitiorum, vel virtutum a parentibus habemus, quorum merita, vel demerita in successoribus; ut probatur in Decreto, Distinctione L. Talem namque sanguinis claritatem ut plurimum Canones considerant, ut in Capitulo *Nobilissimus*, Distinctione LXXXXVII. & prima, Quæstione prima, Capitulo *Contra pacem*: Hanc nobilitatem morum & generis habuit Sanctus Doctor Hieronymus, & ideo merito est honorandus. Fuit itaque excellentissima Sclavonicæ gentis nobilitate progenitus; De qua gente Diocletianus & Maximianus ac Maximinus Imperatores Romani extiterunt. Unde beatus Ambrosius ait. Nobilitas namque, quæ ingenuos præcedit natales, præ ceteris honoranda est, ut probatur in Decreto, Distinctione LXXXVI. Capitulo *Non satis*: Gloria enim Patris est filius sapiens: Ita inquit Canon, Distinctione LXXXXV. Capitulo *Esto*: Filii namque Regum non immerito Reges dici possunt, ut probatur in Decreto, XXIV. Quæstione prima, Capitulo *Domino*: Tertium est Officii dignitas. Ideo beatus Gregorius ait: Quis dubitet Sacerdotes Regum & Principum, omniumque fidelium magistros esse censendos? ut probatur in Canone, Distinctione LXXXXI. Capitulo *Quis dubitet*: Hinc secundum beatum Ambrosium, Sacerdotalis dignitas nullis potest comparationibus adæquari, nam si Regum & Principum Diademati compares, longe inferiores erunt, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum, & osculata eorum dextera, se credunt ipsorum orationibus communiri; ut probatur in Canone, Distinctione C. Capitulo *Duo sunt*: Ad hanc dignitatem debent assumi ætate maturi, & fidei integritate, in persecutione probati, & castitate integri, ut probatur in Decreto, VII. Quæstione prima, Capitulo *In Castitate*: Hanc Sacerdotalem dignitatem Sanctus Hieronymus habuit, quia Presbyter Cardinalis fuit, de quo Dominus per Prophetam ait: Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum; Psalmo LXXXVIII. Et prima, Quæstione VII. Capitulo *Si quis*: Unde Salomon ait: Nobilis in portis vir ejus, idest Ecclesiæ, quando sedebit cum Senatoribus terræ; Proverbiorum XXXI. Fuit namque Sanctus Hieronymus alter Joseph nobilis Decurio, quia & ipse expectabat Regnum Dei; Marci, ultimo. Et bene Joseph, qui interpretatur augmentum; auxit enim Ecclesiam Dei vehementer gloria & honore; quia justorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit usque ad perfectionem; Proverbiorum IV. & de Pœnitentia, Distinctione II. Capitulo *Non revertebantur*: Fuit itaque Sanctus Hieronymus nobilis in portis, ideo cum Propheta poterat dicere: Aperite mihi portas justitiæ: Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam; Psalmo CXVII. Et merito nobilis in portis, nam ut testatur increata Veritas: Qui non intrat per ostium, idest per portam in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille est fur & latro; Johannis X. & in Decreto, VII. Quæstione prima, Capitulo *Non furem*: Et extra de Jure Patronatus, Capitulo *Relatum*: Attollite ergo portas Principes vestras, & introibit Rex gloriæ; Psalmo XXIII. Rex namque a regendo dicitur, quia per virtutem auctoritate animi Reges appellantur, ut probatur in Decreto, XXXII. Quæstione VII. Capitulo *Secundum illud*; Ideo Salomon in præmissa auctoritate exprimit Regiam dignitatem Sancti Hieronymi, dicens: quando sedebit cum Senatoribus Terræ, non cum Scribis & Pharisæis, de quibus Salvator testatur in Evangelio, dicens: Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, dicunt enim & non faciunt; Matthæi XXIV. & in Canone, Distinctione XIX. Capitulo *Servi*: Sed cum Senatoribus Terræ inquit, idest cum Cardinalibus, qui pars corporis Domini Papæ sunt, ut probatur in Decreto, Causa VI. Quæstione prima, Capitulo *Si quis*: Ipse autem pro Christi amore pileum deposuit, & omnem sæculi pompam relinquens, fugit ad eremum & vastam solitudinem inter Syriam & Mare Oceanum, & ob hoc magis est honorandus, nam qui vere vitam solitariam elegerunt, digni sunt convenienti honore, ut probatur in Decreto, XVI. Quæstione prima, Capitulo *Qui vere*: Unde ipse in Epistola ad Eustochium Virginem testatur, dicens: O quo-

quoties ego ipse in Eremo constitutus sedebam solus, quia amaritudine repletus eram: horrebant in sacco membra deformia, & squallidæ cuti situs Æthiopicæ carnis advenerat, quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; & si aliquando repugnantem me somnus oppressisset, nudæ humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis vero & potu taceo, cum illuc infirmi monachi frigidam bibunt aquam, & coctum aliquid manducare cavent sicut luxuriam. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum & vitæ æternæ desiderium, tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum & ferarum socius eram. Auxilio itaque omni destitutus ad Jesu jacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subjugabam. Memini me clamantem crebro diem junxisse cum nocte, nec prius cessasse a pectoris verberibus, quam rediret, Domino jubente, in me tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi cogitationum consciam, timebam, & mihimet iratus & rigidus, solus deserta penetrabam. Si alicubi concava vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, illud miserrimæ carnis ergastulum, & ut mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, & Cœlo oculos inhærentes, sæpe videbar mihi interesse choris & agminibus Angelorum. Et hæc de primo.

Dixi secundo, quod in verbis in Themate propositis commendatur Sanctus Doctor Hieronymus, quia fuit in divini cultus sedulitate studiosus, cum dicitur in facto suo; quare beatus Augustinus in Epistola ad Cyrillum ait: Gloriosissimi Hieronymi Presbyteri laudes tacere non possum. Ipse certe gloria virtutis nostræ fuit, transferens utrumque Testamentum ex Hebræa lingua in Græcam, pariter & Latinam, disponensque ipsum posteris in æternum, & præparans officiorum seriem cunctis Ecclesiæ ministris, totam pene Ecclesiam ædificavit, & ideo magnus apparet in sapientiæ ineffabilis profunditate. Liberales autem scientias ita perfecte scivit, quod sibi nullus similis adhuc apparet. De Scripturis vero sacris æqualem sibi neminem unquam novi. Hebræorum, Græcorum, Chaldæorum, Persarum, Medorum, Sclavorum, Francorum, Alemannorum, Italicorum, Arabicorum, & pene omnium nationum linguas & litteras, tanquam si fuisset in eisdem natus, scivit. Quid plura dicam? quæ Hieronymus ignoravit, natura ulla hominum nunquam scivit. Ipse namque a pueritia in Sacræ Scripturæ studio perseveravit, sicut ipse in Chronica sua & in Epistola ad Pamachium & Oceanum testatur, dicens: Dum essem juvenis, miro discendi fervebam ardore, nec juxta quorumdam præsumptionem ipse me docui, sed Victorinus Rhetor & Donatus Grammaticus præceptor meus, Romæ insignes habentur. Gregorius quoque Nazianzenus apud Constantinopolim Didascalus meus fuit; Apollinarem Laodicenum audivi Antiochiæ frequenter & colui. Et cum jam canis spargebatur caput, & magistrum potius, quam discipulum decebat, perrexi Alexandriam, adii Didimum, in multis ei gratias ago, quia quod nescivi, didici. Putabant me homines finem fecisse discendi, sed rursum Jerosolymis & Bethleem, quo labore, quo pretio Barhaniam Hebræum nocturnum habui præceptorem; timebat enim Judæos, & mihi alterum exhibebat se Nicodemum. Ideo de ipso ait Propheta: Potens in terra erit semen ejus, generatio ejus benedicetur; Psalmo CXI. & in Decreto de Consecratione, Distinctione IV. Capitulo *Primum interroget*: Quia enim Sanctus Hieronymus maximus Doctor extitit, idcirco potens in terra erit semen verbi ejus; fuit enim in Sacra Scriptura studiosus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in conversatione sanctissimus. Sinceritatem mentis vultus sui sinceritate monstrabat, & pietatem clementissimi cordis ostendebat in lenitate sermonis; & quidquid ad salutem pertinere posset æternam, non minus implebat, Beatissimus opere, quam sermone. O virum per omnia Deo dignum. Eminebat in ipso habitu animi pulchritudo in specie exterioris hominis, ut ipsam putares expressam imaginem Sanctitatis. Erat enim in incessu venerandus, & omni benignitate colendus. Censuram quoque austeritatis temperabat mansuetudo humilitatis. Delinquentibus quoque minabatur frontis severitas, sed blandiebatur cordis serenitas. Internorum autem bonorum suorum formas & species sicut nemo ad plenum potuit aspicere, ita nemo sufficit explicare, quas sicut ille studuit excolere, ita laboravit occultare, & cum vellet augeri, nolebat agnosci. Sed quia hæc est natura justitiæ, ut quanto studiosius abscondi optat, tanto clarius innotescat, & occultatio ipsa cum sit prædicatio, per populos tantorum bonorum fama volitabat. Eminebat in admiratione omnium velut civitas supra montem posita, nec lucerna poterat latere sub modio abscondita. Erat namque Sanctus Hieronymus elector quietis, refugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abjectionis, impatiens honoris,

pau-

pauper in pecunia, ſed dives in conſcientia, humilis ad merita, ſuperbus ad vitia, ſemper in exercitio operis, ſemper in compunctione cordis. Nulla ei cura propenſior niſi de Deo in ſtudio & lectione atque ſermone, aut cum Deo in devota oratione, quia geſtans contrita jejuniis oſſa, ſtudebat de perſecutore longo triumphare martyrio, nam etſi ipſum gladius perſecutoris non tetigit, dignitatem tamen martyrii non amiſit. Quem quia diu contigit corpore vivere, neceſſe fuit etiam longiora carnis & Diaboli ac malorum hominum tentamenta tollerare. Sed quia adjuvante Deo virtutem patientiæ ſervavit, dum in ſancta pace vixit, martyrii coronam promeruit. Fuit itaque Sanctus Hieronymus virgo floridus, Eremita præclarus, Doctor inclytus, & martyr deſiderio conſecratus, nam pro cibo & potu hæc ſecum dicebat: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte; dum dicitur mihi quotidie: ubi eſt Deus tuus? Pſalmo XLI. & illud: Satiabor dum apparuerit gloria tua; Pſalmo XVI. & quia ſæpe ſuo corde ad hanc anhelabat, & continuis ſuſpiriis ac gemitibus diurnis atque nocturnis illam deſiderans, pio luctu ad ſuperna gaudia ſublevando ſe anima ſancta paſcebat. Et vere felix Sclavoniæ Terra, quæ talem genuit, ac de alumno nobis Patronum, & de homine Angelum emiſit, de quo Dominus in Evangelio ait: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere ſibi Regnum; Lucæ XIX. & tranſumptive in Decreto, Diſtinctione XLIII. Capitulo *Adrianus*. Ipſe namque non erat ſicut ille filius junior, qui diſſipavit bona ſua in terra longinqua, vivendo luxurioſe; Lucæ XV. ſed erat ſicut filius ſenior ſenſu, ſcientia, & Sapientia; propter enim Sapientiam ſeniores vocati ſunt, ut probatur in Decreto, Diſtinctione LXXXIV. Capitulo *Porro*. Eſt namque ſenectus venerabilis non ætate, nec numero annorum computata, quia ſcriptum eſt: Maledictus puer centum annorum; Iſaiæ XLV. & ſecunda, Quæſtione ſecunda, Capitulo *Puer in ſenſu*: Nam juvenis dicitur, qui juvenilibus deſideriis præoccupatus, nulla gravitate conſtringitur, ut probatur in Decreto, Diſtinctione XXIV. Capitulo *Quorumdam*. Sanctus autem Hieronymus fuit ille ſenior ſapiens, de quo ſcribitur in Evangelio: Nunc ſcimus, quia ſcis omnia, & non eſt opus, ut quis te interroget; Johannis VI. Ipſe enim in terra longinqua ſubiit voluntarios labores, ut quietem aliis præpararet, ſicut probatur in Canone, Diſtinctione III., Capitulo *In principio*. Unde ipſe in Epiſtola ad Ruſticum monachum ait: Sic vive & multo tempore diſce, ut alios poſſis docere, & rationabile obſequium præſtare Deo. Ne ſis prius miles, quam tiro; ne magiſter ſis prius, quam diſcipulus; ne Doctor erroris inveniaris, ut probatur in Decreto, Cauſa XVI. Quæſtione prima, Capitulo *Sic vive*: Nam ut ait Apoſtolus: Qui ignorat, ignorabitur, quod de illo dictum eſt, qui noluit intelligere, ut bene ageret; Pſalmo XXXV. beato Auguſtino libro Quæſtionum ſic dicente: Non omnis ignorans immunis eſt a pœna; ille enim a pœna excuſari potuit, qui quod diſceret, non invenit; Illis autem ignoſci non potuit, qui habentes, a quo diſcerent, operam non dederunt. Sanctus autem Doctor Hieronymus tanta ſcientia & ſapientia erat ſenior, ut adhuc hodie in Eccleſia Dei nullus ſibi ſimilis poteſt inveniri; ipſe namque tenebat cum Orpheo plectrum, & cum Eſculapio paſtoralem baculum, cum Thalete tempora, cum Chriſippo numeros, & cum Euclide menſuras aſpiciebat. Ipſe, inquam, Sanctus Hieronymus ſentiebat ut Pythagoras, dividebat ut Socrates, explicabat ut Plato, implicabat ut Ariſtoteles, blandiebatur ut Æſchines, iraſcebatur ut Demoſthenes, vernabat ut Hortenſius, æſtuabat ut Cetegus, morabatur ut Fabius, ſimulabat ut Craſſus, diſſimulabat ut Cæſar, ſuadebat ut Cato, diſſuadebat ut Appius, perſuadebat ut Tullius. Et ſi ad Sanctos Patres habeatur reſpectus, ipſe inſtruebat ut Chryſoſtomus, aſtruebat ut Auguſtinus, attollebat ut Hilarius, ſubmittebat ut Baſilius, corripiebat ut Gregorius, conſulebat ut Horoſius, affluebat ut Ruffinus, ſtringebat ut Euſebius, narrabat ut Paulinus, provocabat ut Ambroſius; nam ut teſtatur beatus Auguſtinus, glorioſus Doctor Sanctus Hieronymus de vanis philoſophorum & litterarum ſtudiis verberibus evocatus, Sacræ Scripturæ miniſterio deputatur, in cujus vultus lumine, divina gratia influente, utriuſque Teſtamenti vidimus lumen, de quo idem ipſe ſcribit in Epiſtola ad Euſtochium virginem, dicens: Referam tibi meæ infelicitatis hiſtoriam, cum ante annos plurimos domo, parentibus, ſorore, cognatis, & quod hiis difficilius eſt, conſuetudine lautioris cibi propter Cœlorum Regna me privaſſem, & Jeroſolymam militaturus Deo pergerem, bibliotheca, quam mihi Romæ confeceram, carere non potui. Itaque miſer ego, lecturus Tullium jejunabam, & poſt noctium crebras vigilias & lacrymas Platonem ſumebam in manibus. Si quando Prophetam legere cepiſſem,

pissem, sermo horrebat incultus, & dum sic antiquis serpens illuderet, in media Quadragesima medullis infusa febris corpus invasit, interim parantur exequiæ, & vitalis animæ calor in solo tantum pectore palpitabat, cum subito raptus ad tribunal Judicis pertrahor, ubi tantum luminis erat ex circumstantium fulgore, ut projectus in terram, sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi; & ille, qui residebat: mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus; illico obmutui, & inter verbera; nam cædi me jussit, clamare cepi, Miserere mei Deus, Miserere mei, tandem ad Præsidentis genua provoluti, qui astabant, precabantur, ut veniam tribueret adolescentiæ, & errori locum daret pœnitentia. Ego vero jurare cepi, & nomen ejus obtestans, dicere: Domine si unquam habuero Codices sæculares, aut legero, te negavi. In hæc Sacramenti verba dimissus, revertor a Superis, & mirantibus cunctis, oculos aperio plenos lacrymis, & scapulas liventes habui & plagas sensi, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore, & tanto dehinc studio divinos libros legi, quanto sæculares ante non legeram. Et hoc de secundo.

Dixi tertio, quod in verbis in Themate propositis commendatur Sanctus Doctor Hieronymus, quia fuit ad bonum absque tarditate sollicitus, cum dicitur, erit, unde scribitur ad Titum secundo: Apparuit gratia Dei & Salvatoris nostri, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, & juste, & pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem; & habetur in Decreto de Consecratione, Distinctione v. Capitulo *Jejunium*: Ipse namque fuit in sermone veridicus, in judicio justus, in consilio providus, & in moribus sobrius, sive decoratus; utebatur jejunio, indutus omni tempore cilicio, pulcher aspectu, sed pulchrior opere & sensu. Ipse enim erat verus Israel, idest videns Deum per contemplationem. Igitur audi Israel mandata mea, & observa ea in toto corde tuo, & dabo tibi terram fluentem lac & mel; Deuteronomii vi. & transumptive in glossa de Consecratione, Capitulo *Translato Sacerdotio*: Euge Hieronyme Sanctissime; Quanta est hodie in Cœlo inter Confessorum agmina gloria tua, quia & apud Deum nota est, & apud homines, & in perpetuum coronata triumphat; Sapientiæ iv. Ideo gloriosa dicta sunt de te Hieronyme, civitas & habitatio Dei; Psalmo LXXXVI. Divulgatum est enim nomen tuum usque ad extremum Terræ propter crebras victorias tuas; secundi Paralipomenon xvi. Equidem ipse in hac peregrinatione sæculi solo corpore constitutus, cogitatione tamen semper in illa cœlesti patria conversatus est. Qui huic mundo crucifixus ac mortuos, quidquid laboravit in hac vita ad illam transtulit, & de sinistra semper transmisit ad dexteram, atque in Cœlo labores suos reposuit, quoniam pro ovibus Christi contra hæreticos animam suam ponebat, & vigilabat, ut probatur in Decreto xxiii. Quæstione iv. Vere fidelis servus Sanctus Hieronymus & prudens, sciens conservis suis dare in tempore tritici mensuram; Matthæi xxii. idest pro captu audientium mensurate & opportune divini verbi pabulum ministravit, ideo merito ab omnibus est laudandus & honorandus. Unde commentator eloquentissimus Cassiodorus Epistolarum suarum libro primo ait: Justum est, ut bene docentibus laudis præbeatur assensus; nam si equorum cursus hominum clamoribus incitatur, & insonantium manibus agitur, ut a mutis animalibus velocitas appetatur, quantum inde homines stimulari posse credimus, quos ad laudis appetitum singulariter aptos videmus, quia semper virtus laudata crescit. Unde idem ipse Sanctus Hieronymus Epistola LXXXIX. ait: Doctor, seu Præceptor probæ ætatis & vitæ merito est eligendus, quia summa apud Deum est nobilitas clarum esse virtutibus. Ob hoc Tullius libro primo de Officiis, Capitulo xxvi. inquiebat: Fundamentum perpetuæ commendationis & laudis est ipsa virtus, sine qua nihil potest esse laudabile. Decet ergo virtuosos laudare & honorare, quia solum bonum laudabile est, ut probatur in Decreto, Causa xxii. Quæstione secunda, Capitulo *Ita*: Digne ergo Sancto Hieronymo laus & honor exhibetur, ut quoddam testimonium boni in ipso laudetur, & merito aliis honore præferatur, nam laudari & honorari quærunt homines ad manifestationem boni in laudato existentis, ut prosequitur beatus Thomas secunda secundæ quæstione xxvi. articulo primo, ut sic flores laudis, honoris, & honestatis fructus in ubertate succrescant, ut habetur in Clementina, Capitulo *Ne in agro*: Talis fuit Sanctus Doctor Hieronymus, nam ipse fuit humilis & gratiosus, utilis & virtuosus, habilis & fructuosus, quia fuit fide rectus, corde humilis, animo prudens, verbo gravis, in loquendo peritus, in orando assiduus, in docendo sollicitus, nullum læsit, omnibus bene voluit, jactantiam fugit, pauperes

non despexit, Christum super omnia dilexit; Et per hos virtuosos actus, quos describit beatus Ambrosius libro secundo de Virginibus, laudem & honorem habuit in terris, & gloriam sempiternam possidet in Cœlis. Unde beatus Augustinus in Epistola ad beatum Cyrillum Episcopum describit vitam Sancti Hieronymi in hæc verba: Hieronymus, inquit, gloriosus Eremita per quadriennium in Eremo ferarum tantum & scorpionum socius fuit, quadraginta annis vinum & siceram non bibit, ab omni carnium & piscium esu ita se abstinuit, quod ea vix nominare volebat, coctum aliquid nonnisi in ultima infirmitate bis comedit, cilicino sacco carnem suam macerans, desuper vilissimo panno se tegebat, stratum alium nisi terram nunquam scivit, non nisi semel in die fructibus, aut herbarum foliis, seu radicibus pastus post vesperas, dehinc se orationibus præbens, usque ad secundam horam noctis vigilabat, postmodum somno fessus, in terra dormiens usque ad mediam noctem quiescebat, qua hora continue surgens, orationibus, lectionibus & Scripturis Sanctis, quibus tota fulget Ecclesia, intentus, usque ad esus horam perdurabat. Ita levissima flebat peccata venialia, ut quis æstimasset eum hominem interemisse. Ter in die continue carnem suam diris verberibus flagellabat ita, quod de ejus corpore rivi sanguinis in terram fluebant. Quando etiam aliquod verbum otiosum audiebat, quasi pestem maximam fugiebat. Sibi otium nullum erat. Semper aut orando, aut legendo, aut alios docendo, Deo serviebat. Quid plura? si Sanctorum singulorum vitas perquirerem, eo majorem, ut puto, neminem invenirem. Hinc completis vitæ suæ annis LXXXXVIII. mense VI. ultima febre correptus, in terra decubuit, ad quem venerunt omnes fratres lacrymis madefacti, quos Sanctus Doctor deosculans, præcepit sibi afferri Sanctissimum Corpus Domini nostri Jesu Christi, quod, præmissa longa oratione, cum lacrymis, & pectus suum feriens, devotissime suscepit, moxque ad terram supinus rediit, atque manus in modum Crucis super pectus tenens, dixit: Nunc dimittis Domine servum tuum in pace. Tunc subito tanta lux quasi fulgur de Cœlo veniens, circumfulsit eum quasi unius horæ spatio, ita quod nullus circumstantium fratrum potuit eum videre, sed vocem Christi audierunt, dicentem: Veni dilecte mi, quia tempus est, ut mercedem accipias pro laboribus tuis, quos mei causa viriliter superasti: Ad hæc Sanctus Hieronymus, cunctis audientibus, respondit: Ecce ego ad te venio pie Jesu, suscipe me, quem tuo Sanguine redemisti pretioso. Tunc statim, recedente lumine, sancta illa anima carne soluta, cum Christo, totaque Cœlesti Curia comitante, gloriosa migravit ad Regna Cœlorum. Quæ nobis præstare dignetur Dominus Jesus: qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

Explicit sermo in Festo Sancti Hieronymi de Sclavonia Doctoris gloriosi, quem compilavit & dictavit Domnus Hieronymus de Praga Anno M.CCCC.XXXII.

Sermo modernus in Festo Sancti Blasii de Sclavonia Episcopi et Martyris gloriosi.

Qui *Sanctus est sanctificetur adhuc*. Hæc verba originaliter scribuntur Apocalypsis ultimo, & transumptive in Decreto, Distinctione XLVII. Capitulo *Quantumlibet*: Reverendi Patres & Fratres in Christo carissimi. Quia publica Religione consecrata virtus nulla laudatione privata indiget; Ipsa enim in necessitatibus adest, in tribulationibus surgit, in periculis defendit. Unde impediti desiderii sui effectu, dono Sancti Spiritus consequentur, ut probatur in Decreto de Consecratione, Distinctione IV. Capitulo *Proprie*: Alioquin sicut paxillus non bene fixus, nisi firmiter alicui fortiori adhæreat, omne, quod in eo pendet, cito deficit, & ipse solutus rigore suæ firmitatis, cum omnibus ad terram dilabitur; Sic & virtus, nisi suo Conditori adhæserit pertinaciter, ipsa & omne, quod consentit, cito deperit. Ad hæc inquiebat Egesippus Apostolorum tempori vicinus, libro VI. Vos, inquit, Deus deseruit, quia pietatis cultum deseruistis, præsidium speratur Divinum, sed vos qui defendebat, ad hostem migravit, quia quem debebamus, Romani venerantur. Sic in timore Domini Abraham penetravit Ægyptum; Genesis XX. & in Decreto, Causa XXIV. Quæstione V. Sic Sanctus Præsul Blasius in Christo roboratus, omnia superavit tormenta carnificum, quia spem sui certaminis Christi amore substentans, robur Sanctæ Fidei in dilectione Dei habuit connexum: Unde beatus Ambrosius in libro Virginitatis sic inquiebat. Omnia Christus est nobis; Si vulnere carere desideras, medicus est; Si auxilio indiges, virtus est; Si mortem metuis, vita est; Si Cœlum desideras, via

via est; Si tenebras fugis, lux est; Si cibum quæris, alimentum est. Gustate ergo & videte, quoniam suavis est Dominus; Beatus vir, qui sperat in eo; Psalmo XXXIII. Hinc est quod Sanctus Hieronymus ad Paulam ait: Christus est nobis omne bonum; Christus sanctificatio est, sine qua nemo videbit Deum; Christus redemptio est, id est redemptor & pretium; Christus est omnia, ut qui omnia propter Christum dimiserit, omnia inveniat pro omnibus, ut possit libere dicere: Pars mea Deus. Ideo beatus Augustinus inquit: Projice te in Deum, nec enim ita crudelis est, ut se subtrahat, & te cadere permittat. Ad ipsum ergo humiliter accedamus; & pro impetranda Spiritus Sancti gratia, more solito gloriosam Virginem Mariam salutemus.

Qui Sanctus est, sanctificetur adhuc; ubi Thema, Reverendi Patres & Fratres in Christo carissimi, quia hodie Solemnitatem Sancti Blasii Martyris atque Pontificis colimus, quem velut stellam matutinam in Dei templo fulgere Divini & positivi Juris pagina testatur. Gaudeat Congregatio nostra Parentis tam Sancti, Martyris fecunda virtutum: Ecce prophanus hostis antiquus nunquam humanæ naturæ tantum profuisse potuit obsequio, quantum profuit odio, quia quantum contra Parentes nostros ignorantia & peccatum abundavit, tantum in Sancto Blasio Martyre gratia Divinæ bonitatis, & donum Sanctitatis effulsit. Beata ergo es fidelium concio tota, quæ maligni spiritus imanitatem peccati expulsione per merita Sancti Blasii hodie vincere meruisti. Hujus autem Solemnitatis utilitas, carissimi, in Ecclesiasticis præcipue est constituta Canonibus, quæ ex doctrina Sancti Spiritus ita per totius anni circulum distributa est, ut lex providentiæ omnibus sit adscripta temporibus, ut probatur in Decreto, Distinctione LXXVI. Capitulo *Hujus observantiæ*: Ut ergo ad Solemnitatem Sancti Blasii Martyris ceteri propensius animentur, ipsius virtus est ab omnibus excolenda, & sæpe ac sæpius sanctificanda, nam hoc Divina voce præcipitur, cum dicitur: Qui Sanctus est, sanctificetur adhuc, quæ fuerunt verba caritati vestræ in Themate proposita. In quibus verbis a me sic breviter introductis Sanctus & gloriosus Martyr Christi Blasius, triplici de causa est a nobis sanctificandus. Primo quia puritate sanctæ Fidei fuit decoratus. Secundo quia venustate omnium virtutum fuit ornatus. Tertio quia dignitatis excellentia fuit sublimatus. Quantum ad primum dico, quod Sanctus Martyr Blasius est adhuc a nobis sanctificandus, quia puritate Sanctæ Fidei fuit decoratus, nam ad puritatem Sanctæ Fidei quis magis extollendus, quam Sanctus Præsul & Martyr Blasius, qui puritatem Sanctæ Fidei colens, erat Doctor & instructor fidelium, & apotheca omnium Sanctorum charismatum; qui quanto in superficie videbatur altior, tanto meritorum multitudine erat profundior, & similibus verbis contextis, ut perfectus vir, loquebatur, modo profitendo, quod accepit, modo iterum sperando, quod credidit? Sic viri Ecclesiastici Sacerdotes & Clerici puritate mentis & corporis debent esse decorati. De hiis scribitur Deuteronomii primo: Date ex vobis viros Sapientes & gnaros, quorum conversatio sit probata in tribubus vestris. Debent namque Sacerdotes & Clerici esse viri; vir enim dicitur a virtute secundum Papiam, quia major vis in eo est; Vel vir dicitur fortitudo, secundum Tullium libro secundo de Tusculanis, quia in viris debet esse virtus puritatis & constantiæ, ut probatur in Decreto, XXXII. Quæstione VII. Capitulo *Sed illud*: Equidem sicut castitas sine fide parum, vel nihil prodest, ita fides sine castitate nihil est; Cor enim hominum de operum ostenditur qualitate, & formas mentium species detegit actionum, maxime ubi occurrat conversatio mulierum. Unde Proverbiorum VI. scribitur, quod non potest toto corde cum Deo habitare, qui fæminarum accessibus copulatur, ideo beatus Hieronymus Epistola XLIX. ad Oceanum inquit: Cavendi sunt Sacerdotes & Presbyteri a frequentibus fæminarum accessibus, quia istius modi sexus reprehensibiles exhibet Clericos; quid tibi cum fæminis? qui ad Altare cum Christo fabularis; nam fæmina est janua Diaboli, via iniquitatis & Scorpionis percussio; nocuumque genus est fæmina. Quia cum proximat stipula, incenditur ab igne, nam flammigero incendit fæmina conscientiam pariter habitantis, exuritque fundamenta montium. Ego judico, quod, si fæminæ cum Clericis habitant, non deerit viscarium Diaboli, quia ex hiis aucupatum est ab initio peccatum, nam ferreas mentes devicit libido. Ideo qui factus Sacerdos, aut Presbyter est, accingatur baltheo castitatis, ut jubetur in Canone de Pœnitentia, Distinctione prima, Capitulo *Qui Sanctus*: Nec sufficit excusando, dicere, licere Clerico conversari cum fæminis consanguineis, vel parentibus, quia secundum beatum Augustinum: Non omnes, quæ cum mea sorore sunt, sorores meæ sunt,

ſunt, ut probatur in Decreto, Diſtinctione LXXXI. Capitulo *Legimus*. Sacerdotes namque & Presbyteri, ac Clerici in conſpectu Dei puro corde, & mundo corpore debent Deo miniſtrare, ita ſcribitur de vita & honeſtate Clericorum, Capitulo *Ut Clericorum*: Si Sacerdos enim, aut Presbyter contaminatus fuerit carnali concupiſcentia, quomodo exaudiri ſe credit poſſe in Miſſa, cum ſcriptum ſit: Omnia munda mundis? Quo immundis & inquinatis nihil eſt mundum, ut probatur in Canone, Diſtinctione LXXIV. Capitulo *Propoſuiſti*: Ideo de immundis Sacerdotibus ſcribitur in Decreto, Diſtinctione XXXII. in hæc verba; Præcipiendo mandamus, ut nullus audiat Miſſam Presbyteri, quem ſcit habere concubinam indubitanter, vel ſubintroductam mulierem. Unde & Sancta Synodus hoc ſub pœna excommunicationis, & privationis decrevit ex Carthaginenſi concilio, quo dicitur: Placuit Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos abſtinere a mulieribus; Quod ſi non fecerint, excommunicentur, & ab Eccleſiaſtico removeantur officio. Et rationem aſſignat Apoſtolus ad Corinthios VI. dicens: Neſcitis, quod membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, & Chriſtus habitat in vobis? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. Quæ, rogo, conventio Chriſti ad Belial, aut quæ communicatio eſt lucis ad tenebras? Ideo beatus Hieronymus ait: Vehementer Eccleſiam Dei deſtruit, meliores laicos, quam Sacerdotes reperiri, ut probatur in Decreto, VIII. Quæſtione III. Capitulo *Qualis*: Unde clamat beatus Gregorius: Tot mortibus Sacerdotes digni ſunt, quot mala exempla tranſmittunt ad poſteros, XI. Quæſtione III. Capitulo *Præcipue*: Ideo nihil aliud reſtat Sacerdotibus, quam fuga mundi & mulierum, quia mulieres non melius, quam fugiendo, vincuntur. Unde beatus Hieronymus ait: Hoſpitium tuum nunquam, aut raro terant pedes mulierum, ut habetur in Canone, Diſtinctione XXXIII. Capitulo *Hoſpitiolum*. Sanctus ergo Præſul Blaſius a pueritia ſua ſemper purus mente & corpore degebat; innocens, Deum colens, verax, manſuetus, ab omni opere pravo ſe abſtinens. Videntes autem id hii, qui in civitate Sebaſte erant, elegerunt illum ſibi Epiſcopum. Ipſe vero beatiſſimus Præſul mox ad Sanctum Martyrem Euſtratium clanculo ſuis cum Clericis abiit, & eum, quo detinebatur carcere, in Chriſto corroborans, viſitavit. Cui etiam ſequenti die pro Domino morituro Sacram Euchariſtiam contulit, poſteaque dato ſibi pacis oſculo, ad montem, qui Argeus vocatur, aufugiens, in quoddam antrum ſe contulit, ubi diu demorans, puræ fidei ſagaciſſimus hoſpes, tantam gratiam a Deo promeruit, ut alimoniam ei Divino nutu, ſicut olim Prophetæ Eliæ corvi deferebant quotidie. Sed & ad oſtium illius ſpeluncæ diverſi generis feræ & agreſtes beſtiæ concurrentes, ferino quodam more benedictionem a Sanctiſſimo Blaſio expectabant, quæ niſi collata benedictione impudenter ibidem perſeverantes, nullatenus diſcedebant. Et ſi quæ ex eis morbo, aut aliquo dolore detinerentur, mox benedictione Sancti Blaſii curabantur, quia cum adhuc puerili verſaretur ætate, medicinalem didicerat artem, porro ſic maluit activam eligere vitam, ut theoricam nullatenus deſereret. De ipſo itaque longe lateque tantus rumor Sanctitatis excreverat, ut longe circumquaque poſitis urbibus, ac municipiis ab omnibus Sanctus nuncuparetur eximius. Interea Agricolaus tyrannus contra Chriſtianos diabolica furia inſtigatus, miſſis apparitoribus ſuis, juſſit vinctum e latibulo trahi, & ad ſe adduci Sanctum Blaſium. In ipſa autem nocte Chriſtus de Cœlo vocavit Sanctum Præſulem, dicens: Surge Beate Blaſi, Miſſarum perfice morem, & Calice guſtato, Corpus Sacrum ſuſcipe meum: Qui mox evigilans, intellexit, quod eum Dominus vocaret ad Calicem paſſionis, & valde alacri ſpiritu ſurrexit, & Sancta munia ſolemni celebravit honore, Corpus quoque Dominicum puro corde & corpore devote ſuſcepit. Et hæc de primo.

Dixi ſecundo, quod in verbis in Themate propoſitis docemur ſanctificare adhuc Sanctum & glorioſum Martyrem Blaſium, quia venuſtate omnium virtutum fuit ornatus; humana enim natura, ſi ordini non ſit intenta, minuit rationem virtutis. Inſuper omnis actio vacare de temeritate & negligentia dicitur, nec vere agere, quiſquis non poſſit cauſam probabilem reddere; ita inquit Tullius libro primo de Officiis, Capitulo XVIII. Benedicendus ergo & ſanctificandus eſt Sanctus Blaſius Sacerdos; cujus humilitas alterius confudit ſuperbiam; Cujus patientia proximi extinxit iracundiam; Cujus obedientia alterius pigritiam tacite increpavit; Cujus fervor inertiam alieni torporis ſuſcitavit; Qui proximi ſui turbatum præ ira oculum cordis gratia conſolationis, atque ædificationis illuminavit. Ob hoc inquiebat beatus Auguſtinus libro IV. de Civitate Dei: Animam rationabilem, quam in cœleſtibus ſedibus habitare non dubitat, nec habere ſuper ſe

niſi

nisi Deum, quam sicut sol illuminat, ita Deus animam illustrat. Decet ergo virtuosos honorare & sanctificare, quia solum bonum amabile est, ut probatur in Decreto, XXII. Quæstione II. Capitulo *Ita*: Ergo honor & sanctificatio alicui exhibetur, ut quoddam testimonium boni in ipso, qui honoratur, vel aliis sanctitate præfertur. Sic igitur honorari & amari quærunt homines ad manifestationem boni in amato existentis, ut prosequitur beatus Thomas secunda secundæ, Articulo primo, & Quæstione XXVI. ut sic flores honoris & honestatis fructus in ubertate succrescant, ut habetur in Clementina, Capitulo *Ne in agro*: Talis fuit Sanctus Blasius Sacerdos, nam ipse erat humilis & gratiosus, utilis & virtuosus, habilis & fructuosus, & quod hiis majus est, in Christo credens, Diabolum ejusque complices superavit triumphans, & omni morum venustate ornatus, palmam martyrii a Christo promeruit. Sic viri Ecclesiastici, Sacerdotes, Presbyteri & Clerici debent bonis moribus adornari; Unde Canon inquit: Sacerdotes & Clerici bonis moribus vivant; canendis Psalmis invigilent; cor, linguam & corpus, Deo auctore, conservent, ut habetur in Decreto, Distinctione XXXII. Capitulo *Si qui* & XII. Quæstione prima, Capitulo *Gravitas*: Debent itaque Sacerdotes & Clerici habere gravitatem in victu, vestitu, & incessu; Nam in victu debent gravitate morum esse maturi, sæcularium convivia & tabernas devitantes. Ideo in Decreto, Distinctione XXXV. sic scribitur; Quod Presbyter ac Diaconus ebrietati deserviens, aut cesset, aut certe degradetur. Quare beatus Hieronymus in Micheam Prophetam sic ait: Sacerdotes, Presbyteri & Clerici, qui deliciis affluunt, & inter epulas se posse servare castitatem credunt, propheticus sermo describit, quod ejiciendi sunt de lautis conviviis & de epulis, multo labore acquisitis, quia confusio & ignominia est Christum crucifixum, pauperem, esurientem & nudum farsis corporibus prædicare, & jejuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre, ut habetur in Decreto, Distinctione XXXIX. Capitulo *Ecce*: Hinc est, quod Apostolus ait: Esca ventri & venter escis, Deus & hunc & hanc destruet; Prima ad Corinthios VI. Quia sicut Nabuzardan Princeps coquorum Regis Babilonis muros Jerusalem destruxisse legitur, sic crapula omnes virtutes in Clero destruit & anichilat, ut probatur in Decreto, Distinctione XL. IV. Capitulo *In principio*, beato Hieronymo in Epistola ad Nepotianum sic dicente; Plenus venter facile de jejunio disputat, nam natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio & cibario pane ventrem implebat, nunc in Sacerdotio carnes & quæque delicata fastidit, ut probatur in Decreto, Causa XII. Quæstione secunda, Capitulo *Gloria Episcopi*. Debent etiam Sacerdotes, Presbyteri, & Clerici habere gravitatem morum in vestitu, ne vestimenta eorum sint nimis fulgida, neque nimis rupta, nam dissolutos absque honesto habitu, aut fractis vestibus non recipimus. Ita inquit Canon XXIII. Quæstione V. Capitulo *Si apud*: Quia secundum beatum Hieronymum vita sæcularis, gestus histrionicus, & vestis curiosa magis inhonorant Clericum, quam honorant. Incessus quoque Sacerdotum & Clericorum debet esse neque nimis tardus, neque nimis citus, sed cum gravitate itineris mentis gravitatem ostendat; Unde refert beatus Hieronymus, Alexandrum Regem spretum fuisse, quia Leonidis pædagogi sui non potuit in incessu carere vitiis. Debent ergo Clerici esse honesti in victu, in incessu, & in habitu corporis, ut Deo & hominibus studeant placere; Ita scribitur in Canone, XXI. Quæstione IV. Et generaliter omnia, quæ pietatem, æstimationem, famam, opinionem, & verecundiam Sacerdotum & Clericorum lædunt, vel sunt contra bonos mores, aut contra jura, ipsos posse facere credendum non est, nam ab omni indecentia debent abstinere, ut probatur in Canone de vita & honestate Clericorum, Capitulo *Sum ab omni*: Sic Sanctus Blasius Sacerdos erat omni morum venustate ornatus, & meritorum efficacia insignis, forma præstantior, & animo stabilis, ac virtute patientiæ præclarus. Nam cum Agricolaus, Præses crudelis, ad Sanctum deducendum transmitteret Blasium, ceperunt populi infirmos omnes, & languidos in ipso itinere ponere; tunc Sanctus Blasius simul cum ministris veniens, omnes infirmos in nomine Domini nostri Jesu Christi sanavit. Cumque Agricolao præsentatus fuisset, & Jovem non esse Deum, sed solum Christum multis rationibus affirmasset, mox sævus Agricolaus vehementer iratus, præcepit eum fustibus cædi, dicens: Jovem omnipotentem blasphemare noli; qui cum diu cæderetur alacri vultu dicebat: Gloria sit tibi Christe Deus per sæcula semper, qui me consertam promittis vincere pugnam. Quo dicto, cernens in eo judex tantam patientiam, jussit eum tetro carceri tradi, ad quem plurimi Christiani venientes, be-

benedictionem, & sanitatem ac robur fidei ab illo accipiebant. Quo audito truculentissimus Præses imperavit Christi Antistitem, toto circumstante populo, suo præsentari obtutui, & immanissimo accensus furore, jussit eum equuleo suspendi, & gravissime torqueri, dicens: Nunc videbimus, si Deus tuus Christus te possit de pœna hac liberare, & allatis ungulis ferreis, fecit totum corpus Sancti Blasii effodere, itaut ungues ferreos discerpentes sanguinis unda sequeretur. Ipse autem roboratus in Christo, quia tormenta pro nihilo ducebat, & morum gravitate ornatus, in omnibus pœnis patientiam servabat. Et hoc de secundo.

Dixi tertio, quod in verbis in Themate propositis docemur, sanctificare adhuc sanctum & gloriosum Christi Martyrem Blasium, quia dignitatis excellentia fuit sublimatus; virtus enim sua unumquemque clarificat & sanctificat. Ita scribitur in Decreto de Consecratione, Distinctione v. Capitulo *De spiritu*: Nam virtus facit hominem clarum & dignum. Unde Boetius libro primo, metro v. Latet, inquit, in obscuris condita virtus: Et Tullius libro primo de Officiis: Hominis, ait, mens, alter discendo, alter cogitando, semper aliquid aut inquirit, aut agit, videndique & audiendi delectatione ducitur. Ob hoc inquiebat Sanctus Hieronymas: Hæc meminisse debemus, hominem non totum commutari continue, sed in bene proficientibus de die in diem, crescente novitate, commutari dicitur renovari, quousque infirmitas ad firmitatem spiritualem, incorruptamque perveniat. Ita habetur in Decreto de Consecratione, Distinctione IV. Capitulo *Non ex quo*: Ubi notandum est, quod qui sanctificandus est, adhuc debet cum humilitate venerari, cum amore celebrari, & cum honore clarificari, quia in sanctificando debet esse ordo in ore, per quod manifestatur cor, & in voluntate, quæ sæpe ad malum tendit, ut prosequitur beatus Thomas de Aquino secunda secundæ, Quæstione XXI. Articulo primo. Et ideo Tullius libro primo de Officiis, Capitulo XXVI. inquiebat: Fundamentum perpetuæ commendationis & dignitatis est ipsa virtus, sine qua nihil potest esse laudabile. Merito igitur de beato Blasio dici potest, quod inquit beatus Cyprianus in Epistola ad Clerum: Frater noster illustris, a Domino jam probatus, Deo carus, adhuc novellus, sed virtutis, & fidei laude provectus, nec invenio quid in eo prædicare plus debeam, gloriam vulnerum, aut sanctitatem morum. Verum quia gloria est summus honor, ut habetur in Decreto XXIV. Quæstione prima, Capitulo *In omnibus*: Unde beatus Ambrosius sic inquiebat: Sacerdotalis sublimitas nullis potest comparationibus adæquari; nam si Regum & Principum diademati compares, longe inferius erit, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares; Quippe cum videas Regum colla & Principum submitti genibus Sacerdotum & osculata eorum dextera, se credant eorum orationibus communiri. Ita scribitur in Canone, Distinctione c. Capitulo *Duo sunt*. Ideo beatus Gregorius ait: Quis dubitet Sacerdotes Regum & Principum, omniumque fidelium magistros esse censendos, ut probatur in Decreto, Distinctione LXXXXI. Capitulo *Quis*: Hanc dignitatem Sanctus Blasius, rogatus a fidelibus, & valde coactus suscepit; sic viri Ecclesiastici, Sacerdotes & Presbyteri non debent quærere dignitates, honores & beneficia, sed magis subterfugere propter pericula animarum suarum, quia, ut ait Chrysostomus super Matthæum; Quicunque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in Cœlo; Nec inter servos Christi computabitur, qui pro Sacerdotio tractaverit; Nec unusquisque festinet, quomodo aliis major appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur. Unde Apostolus ad Hebræos v. ait: Nemo sibi assumat honorem, nisi qui vocatur a Deo tanquam Aaron, ut probatur in Decreto, VIII. Quæstione prima, Capitulo *In scripturis*: Hinc est, quod beatus Hieronymus super Levitico inquit; Sciant omnes & certi sint, quia qui doctior est & sanctior ex omni populo, & qui in omni virtute est eminentior, talis eligendus est in Sacerdotem, & ad regimen animarum. Quod si aliter fiat, non est consulere populo, sed nocere, nec est præstare regimen, sed discrimen. Ita habetur in Decreto, Distinctione LXI. Capitulo *Miramur*: Quia nihil est, quod magis noceat, quam quod assumantur indigni ad regimen animarum, ut probatur in Canone de Electione, Capitulo *Nihil*: Et de ætate & qualitate, Capitulo *Indecorum*: Quare beatus Gregorius ait: Nemo in Ecclesia Dei magis nocet, quam qui male agens, officium Sacerdotale tenet; peccantem namque talem redarguere nullus præsumit, & ad malum exemplum culpa vehementer extenditur: Quin propter officium Sacerdotii homo peccator veneratur. Ideo beatus Hieronymus in Epistola ad Rusticum monachum inquit: Disce prius, ut possis alios docere, & rationabilem hostiam offeras Deo, ne sis miles priusquam tiro,

ne

ne magister sis prius, quam discipulus, ne prædicator erroris inveniaris. Ob hoc Canon Distinctione LXI. ait: Statuimus, ne illis regenda Ecclesia Dei credatur, qui legitimarum institutionum nescii, & totius humilitatis sunt ignari. Debent ergo Sacerdotes & Presbyteri populos docere, Psalmos canere, orationi devote instare, & fidelibus Christi humilitatis & charitatis exempla præbere; Quod facit contra multos Sacerdotes, qui Psalmos cum syncopa decantant, Missas, & divinum Officium negligenter dicunt, vana & inutilia in animo cogitantes; Nam in Ecclesia Dei plus valet unus Psalmus cum devotione mentis, quam mille cum sola vociferatione sermonis, ut probatur in Decreto de Consecratione, Distinctione V. Capitulo *Non mediocriter*: Quia non in multitudine Sacrificiorum propitiatur Deus, sed in mentis devotione. Ita scribitur in Decreto, III. Quæstione VII. Capitulo *In gravibus*: Bene ergo dicitur, quod Deus de paucissimis orationibus est contentus, ut notat Glossa, Distinctione XII. Capitulo *Omnia*: Sic contentus fuit Sancti Blasii Sacerdotis devotis orationibus, nam cum censor iniquitatis Agricolaus præfectus suis præcepit complicibus, dicens: Deferte hunc Blasium ad lacum, & ibi eum marmoreo pondere ad collum ligato, demergite in aquam, sed orante Sancto Blasio, mox aqua ipsius laci glaciali soliditate concreta est, ita ut vir Dei super eam sicut super aridam ambularet, & Deo Psalmos caneret. Cumque quidam astantium, diabolico instigante spiritu, ut Sanctum virum in profundum submergerent, super lacum abire conati sunt, qui statim ut latices pedibus tetigerunt, submersi in profundum, nusquam comparuerunt. At Domini Præsul ultro egrediens, & a militibus detentus, iterum Præsidi est præsentatus, mox iniquus Præses, data sententia, jussit eum cum duobus pueris decollari; Qui extra urbem Sebastem eductus, una cum duobus pueris gladio percussus, migravit ad Regnum Cœlorum. Quod nobis &c.

Explicit sermo in Festo Sancti Blasii de Sclavonia Episcopi & Martyris gloriosi, quem compilavit Dominus Hieronymus de Praga ad preces Abbatis Vallis-Castri.

SERMO MODERNUS IN FESTO SANCTI GEORGII DE SCLAVONIA MARTYRIS GLORIOSI.

GAudete & exultate: Ecce enim merces vestra multa est in Cœlis. Hæc verba originaliter scribuntur Matthæi V. Capitulo, & transumptive in Decreto, Causa XXIV. Quæstione prima, Capitulo *A recta*. Reverendi Patres & Fratres in Christo carissimi, quia multi proposuerunt in animo suo investigare sapienter de omnibus, quæ sub sole fiunt; Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occupentur in ea, quia omnia, quæ sunt in mundo, sunt vanitas vanitatum, & omnia vanitas & afflictio spiritus; Ecclesiastes Capitulo primo. Nam regula est apud mathematicos, quod si duæ lineæ sunt ex opposito concurrentes, & se invicem in puncto intersecantes, quæ primo fuit ad dexteram, est postmodum ad sinistram, & e converso. Idem patet ex puncto in viis publicis. Ambulantibus enim per vias, quæ se in aliquo puncto, vel bivio intersecant, illo puncto transito, pars, quæ erat ad dexteram, erit ad sinistram, & e converso. Sic ad propositum in mundo isto est duplex via: Una est via justorum, & alia est via impiorum. Unde Propheta ait: Quoniam novit Dominus viam justorum, & iter impiorum peribit; Psalmo primo. Per dexteram autem intelligitur prosperitas, & per sinistram adversitas, quia aliqui deficiunt hic temporaliter in adversitate, sed plures sunt, qui peccant in prosperitate, dicente Propheta: Cadent a latere tuo mille & decem millia a dextris tuis; Psalmo LXXXX. Ideo via justorum in hoc mundo est sinistra, idest pœnitentiæ adversitas; Sed via malorum in hoc mundo est dextera, id est vitæ prosperitas, quia via impiorum prosperatur; Jeremiæ primo. Sed istæ duæ viæ se intersecant in puncto & in bivio, id est in morte, quia tunc mali, qui in isto mundo fuerunt ad dexteram prosperitatis & lætitiæ, vadunt ad sinistram adversitatis & pœnæ æternæ. E converso autem justi, qui in ista vita fuerunt ad sinistram adversitatis & pœnitentiæ, post mortem vadunt ad dexteram prosperitatis & gloriæ sempiternæ; Proverbiorum VIII. Mecum sunt divitiæ & gloria. In figuram hujus legitur Genesis XLVIII. quod Joseph obtulit duos filios suos Manasse & Efraim benedicendos a patre suo Jacob, & collocavit primogenitum Manassem ad dexteram, & mino-

minorem Efraim ad finiſtram, Jacob autem in ſpiritu cancellavit manus in modum crucis, & poſuit dexteram ſuper minorem, & ſiniſtram ſuper majorem; per Jacob benedicentem intelligitur Deus, de quo Propheta ait: Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus; Pſalmo LXVI. Per Joſeph intelligitur mundus; Joſeph enim accreſcens interpretatur, & habet primogenitum Manaſſem, id eſt oblivionem, quia accreſcentia temporalium facit oblivifci Deum, & tales in hac vita ponuntur ad dexteram proſperitatis, ſed in morte Deus manum convertet, & illos obliviofos & majores natu ponet ad ſiniſtram damnationis æternæ. Ideo Sanctus Georgius Martyr, cum eſſet nobilis miles & Tribunus de Sclavonia de civitate Salona, congregavit multum pondus auri, & perrexit in Cappadociam ad Imperatorem Diocletianum, ut acciperet ſibi Comitis dignitatem; Sed cum videret paganos Idolis ſacrificare, & Chriſtianos pœnis graviſſimis torqueri, compunctus corde intra ſe dicebat: quid mihi prodeſt vana dignitas, aut hujus mundi falſa proſperitas, ſi poſt mortem ad æterna tormenta deſcendam? & hæc dicens, totum aurum, quod attulerat, & omnia, quæ habebat, pauperibus erogavit, & corpus ſuum graviſſimis pœnis pro Chriſti nomine expoſuit. Ideo merito gaudet & exultat nunc in Cœlis; quæ fuerunt verba in themate propoſita, pro quorum majori intelligentia ſalutetur Maria.

Gaudete & exultate: Ecce enim merces veſtra multa eſt in Cœlis, ubi Thema, Reverendi Patres & Fratres in Chriſto cariſſimi; Quia beatus Bernardus gaudium inæſtimabile nobis oſtendere volens, ſic inquit: Cœleſtes cives ſumus conſcripti, ideo neceſſe eſt illorum communicare gaudiis, qui quaſi quodam impetu copioſo hodie lætificant civitatem Dei, unde nobis contemplantibus in comuni, experientia & Sacræ Scripturæ in pluribus partibus lucide demonſtrant, quod Sanctus Georgius Martyr gaudet in Cœlo propter tria. Primo propter amæni loci ſpecioſitatem; Secundo propter dilecti ſocii firmam charitatem; Tertio propter Domini noſtri continuam fidelitatem. Quantum ad primum dico, quod Sanctus Georgius Martyr gaudet & exultat in Cœlo ob ſpecioſi loci amænitatem. Quare beatus Gregorius ait. Quid fratres Paradiſo jucundius, aut quid Cœlo ſpecioſius? ut probatur in Decreto, Diſtinctione XL., Capitulo *Quælibet* & prima, Quæſtione prima, Capitulo *Teneamus*. Ideo Caſſiodorus Epiſtola XL. ait: In Cœleſti Beatitudine veraciter ſine fine gaudium eſt, ſine aliquo tædio manens ſemper æternitas, & ſola inſpectio Divinitatis efficit, ut beatus quis eſſe poſſit; hæc veraciter perenni mente præſtat; hæc jucunditates accumulat. Nam hæc civitas cœleſtis habet ſpecioſum fundamentum, ſpecioſum murum, ſpecioſas portas, ſpecioſas plateas, ſpecioſam gentem, ſpecioſum ducem. O civitas cœleſtis, manſio ſecura, patria totum continens, quod delectat. Ibi omnes delectantur de Deo, cujus aſpectus pius, facies decora, eloquium dulce. Ibi præmium eſt videre Deum, vivere cum Deo, eſſe cum Deo, qui erit omnia in omnibus. Ibi eſt ſumma felicitas, ſumma jucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna ſecuritas, & ſancta æternitas. Ibi eſt vera lætitia, plena ſcientia, omnis pulchritudo, omnis beatitudo. Ibi eſt pax, pietas, honeſtas, gaudium, lætitia, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor & concordia dulcis. Unde bene dicebat Pſalmiſta: Glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei; Pſalmo LXXXVI. Sanctus autem Georgius Martyr in hac vita acquiſivit ſibi amæni loci promiſſam ſpecioſitatem, multis modis ſuſtinens adverſitates & perſecutiones propter fidem Chriſti. Nam anno ab Incarnatione Domini fere ducenteſimo LXXX. reſidente in Urbe Roma Marcellino Summo Pontifice, dum Imperator Diocletianus, qui erat natione Sclavus, in provincia Cappadociæ omnes Chriſtianos interficeret, nunciatum eſt ei, quod Georgius Tribunus eſſet Chriſtianus; quo audito, non mediocriter contriſtatus eſt, ſed cum blanditiis & promiſſionibus eum a fide Chriſti ſeparare non poſſet, juſſit illum in terram extendi, & a quatuor carnificibus crudeliter cædi, ſed orante Chriſti Martyre, tantam illi conſtantiam divina gratia tribuit, ut pænarum cruciatus pro nihilo duceret, quod cum Imperator cerneret, unde patienter reſpicere debuerat, inde inflammatus amplius ira exarſit, juſſitque illum ligari ſuper rotam ferream, gladios habentem deſuper aptatos, qui Martyris membra paulatim dilaniarent. Impoſito namque Chriſti Martyre ſuper rotam, & orante ac dicente: Chriſte Deus clemens dirumpe vincula mortis, ut tibi decantem devota cantica laudis, continue diſrupta eſt rota. Quod videns Magnentius magiſter militum, credidit, & cum plurimis militibus & paganis baptizatus eſt. Imperator autem juſſit Sanctum Georgium obſcuro carceri mancipari. Ad quem venit quædam vidua habens filium cæcum,

ſurdum

surdum & mutum, quem beatus Georgius in Christi nomine sanavit. Hoc audientes multi infirmi ac debiles veniebant ad carcerem. Sanctus autem Georgius fidem Christi eis prædicabat, & omnes cum gaudio in Christi nomine sanabat. Habebat itaque in dolore gaudium & in pœna exultationem. Quare Sanctus Doctor Hieronymus in epistola ad Virginem exulem ait: Bellator Christi vulneris dolorem aut contemnit, aut nescit, dum vivacitatis sensibus solam videtur cogitare victoriam: Sicut qui hyemis tempore vadit ad balnea, prius asperitatem frigoris nudus patienter suscepit, quia eum secutura calefactio consolatur. Et Valerius libro v. in fine scribit, quod cum Genoson Rex filium majorem natu nomine Gerulum in prælio cecidisse cognovisset, statim coronam deposuit; sed cum audisset, ipsum fortissime pugnantem interiisse, capiti reposuit coronam, testatus majorem se ex virtute filii alacritatem, quam ex morte amaritudinem sentire. Ideo beatus Gregorius in Pastorali ait: De spe æternæ hæreditatis gaudium sumant, quos adversitas vitæ temporalis humiliat, quia nisi salvandos in perpetuum cerneret, erudiendos sub disciplinæ regimine divina dispensatio non frænaret. Et beatus Nicolaus Papa inquit: Animos cœlestis patriæ pace ac securitate prædicata erigere debemus, & tamdiu super eorum cautelam oportet nos esse sollicitos, ut si Dei judicio præsentis temporis commoda amittunt, futuræ vitæ sperent se gaudia absque ambitione suscipere sempiterna, ut probatur in Decreto, Causa VII. Quæstione prima, Capitulo *Sciscitaris*. Ideo Sanctus Georgius Martyr in labore præsenti requiem recepit. Unde Apostolus secunda ad Corinthios XI. ait: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror? Hinc est, quod beatus Augustinus super Psalmo LIV. inquit: Christus manebat in deserto orans, in quo docebat nos in secreto conscientiæ quiescere, cum a malis premimur. Ita scribitur in Decreto, VII. Quæstione prima, Capitulo *Hoc tunc*: Et Tullius de Oratore libro secundo ait: Magna laus videri solet tulisse casus sapienter, non fractum esse fortuna, sed retinuisse in rebus asperis dignitatem. Et Seneca de tranquillitate animi ait: Nil est tam acerbum, in quo non æquus animus solatium inveniat. Ideo Sanctus Martyr Georgius morte vitam sumpsit. Quare Apostolus ait: Cupio dissolvi & esse cum Christo; ad Philippenses primo. Et Propheta orabat, dicens: Educ de carcere animam meam ad confitendum Nomini tuo; Psalmo CXL. primo. Seneca quoque Epistola LXXVIII. ait. Mors viri justi est æterna natalis dies; Ideo nec vita sit tibi tædio, nec mors timori. Per quod probatur, quod magis celebre festum est mors Martyrum, quam natalis eorum, quia nati sunt ad laborem & dolorem, sed moriuntur ad quietem & æternam consolationem; quod notat Glossa in Decreto, XXXIII. Quæstione IV. Capitulo *Non oportet* & hoc propter loci speciosi amænitatem. Matthæi V. Beati, qui lugent, quoniam consolabuntur. Et transumptive de Pœnitentia, Distinctione prima, Capitulo *Fleat*. Et hoc de prima parte sermonis.

Dixi secundo, quod Sanctus Martyr Georgius gaudet & exultat in Cœlo propter dilectæ societatis firmam charitatem. Unde Lucæ XV. scribitur: Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia, ut probatur in Decreto, XXIII. Quæstione IV. Capitulo *Ex hiis*: Ideo Apostolus ad Corinthios ultimo ait: Gaudemus, quia nos infirmi sumus, vos autem potentes estis, & oramus vestram confirmationem. Socrates quoque in exhortationibus Capitulo secundo inquit: Acceptos amicos non solum anxiantes in sinistris, sed non invidentes in prosperis; plures enim infelicibus compatiuntur, prosperitatibus autem invident, & hii non sunt veri amici. Hinc est, quod Valerius libro IV. Titulo de Amore & dilectione sinceræ fidei ait: Amici præcipue in rebus adversis cognoscuntur, in quibus quidquid præstatur, certe suspectus est, qui plus semper petat, quam impendat. Quare Proverbiorum XVII. scribitur: Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur. Hinc est, quod Boetius de Consolatione libro primo inquit: Hoc tantum dixerim, ultimam esse adversæ fortunæ naturam, quæ dum commiserit aliquod crimen, affligitur: quæ perferunt, meruisse creduntur. Et Cassiodorus Epistola XXVIII. ait: Piaculum quoddam est inter tristes velle gaudere, & humanitatis refugit affectum, qui dolorem non sequitur alienum. Unde Quintilianus Declamatione VIII. Unusquisque, inquit luctibus ac lachrymis suis credit accedere quamdam dignitatem, si miserrimi esse videamur. Beatus quoque Hieronymus in Epistola ad Asellam scribit: Osculabantur mihi manus, & ore viperino detrahebant, dolebant labiis, & corde gaudebant. Sicut ergo molesta est societas fal-

falsorum proximorum, sic læta est societas dilectorum firma caritate conjunctorum. Hanc Sanctus Georgius Martyr acquisivit cum multis doloribus & tribulationibus. Quisquis igitur ad servitium Dei accedere cupit, recognoscat se ad torcularia ivisse, nam in hoc mundo tamquam in campo certaminis positi sumus, & qui hic dolores, aut plagas, aut tribulationes non susceperit, in futuro ingloriosus apparebit. Unde beatus Bernardus ait: Cum tribulamur, conterimur, & mundamur, cum premimur, exuimur carnalium desideriorum tegumentis, tamquam vinum a vinaciis. Ob hoc dicimur filii Christi, quasi imitatores Passionis Christi. Ad hoc autem exterimur, ut obliviscamur amorem mundanorum, & deponamus rerum terrenarum dilectionem; ac etiam attendentes peregrinationem, tribulationem, tentationem, & multiplicem laborem, incipiamus quærere, quæ non sunt hujus vitæ. Ideo beatus Chrysostomus super Matthæum inquit. Si minaces nautis pelagi fluctus, si tempestates & hyemes agricolis, si vulnera & gravissimi ictus militibus leves & tollerabiles sunt propter spem temporalium, multo magis cum Cœlum præparatur in præmium, & læta societas Sanctorum, nihil ex præsentibus doloribus debet sentiri. Unde Vegetius de re militari libro IV. scribit de Aristotele, quod cum esset supremæ vitæ, & reliquias senilibus ac rugosis membris in summo litterarum studio vix custodisset, sic valenter pro salute patriæ incubuit, ut eam hostilibus armis solo æquatam in lectulo Athenensium jacens, manibus, quibus erat, eriperet. Hinc est, quod Tullius libro Officiorum tertio ait. Neque solum nobis divites & felices esse volumus, sed liberis & propinquis, ac maxime Reipublicæ. Quare beatus Augustinus quinto de Civitate Dei refert de quodam, qui præcipitavit se in hiatum terræ armatus, & interiit, eo quod dictum fuisset oraculis Deorum, ut illum, quem Romani habetent optimum, illuc mitterent. Si ergo pagani propter spem futuræ vitæ, & ob bonum societatis carnalis tanta passi sunt, quanto magis vere sunt beati, qui pro Cœlesti Regno & dulci societate Sanctorum hic modico tempore patiuntur, cum non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis; beato Gregorio sic dicente: Quæ autem lingua potest dicere, quanta sunt Cœlestis Regni gaudia, Angelorum Choris interesse, cum omnibus Sanctis Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, sed semper inter Angelos & Sanctos sine fine gaudere? Ideo Sanctus & gloriosus Martyr Georgius omnia hic tormenta pro Christo lætanter sustinuit, & alios ad hæc verbis & exemplis adduxit. Nam Imperator Diocletianus ad suggestionem paganorum illico jussit beatum Georgium suo iterum conspectui præsentari, quem alloquens ait: Aperi oculos cordis tui o miser, & Deum Jovem, ac Deum Apollinem adora, ne indignata Deorum Majestas, aut Cœlesti fulmine te consumat, aut vivum ad tartara mergat. Ad hæc beatus Georgius respondit: Properemus, si placet, ad templa Deorum, ut quantum Divinitas eorum niteat, experimento probemus. Hoc audiens Cæsar, gavisus est gaudio magno, & præcepit omnibus ire ad templum Apollinis, & videre Christi militem sacrificia immolare. Quo cum venisset, conversus ad statuam Apollinis, dixit. Adjuro te per Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, ut exeas, & omnia idola confringas. Ad hanc vocem omnia idola corruerunt, & dæmones cum magno ululatu & gemitu inde recesserunt. Tunc Imperator præcepit afferri sartaginem sulphure & pice plenam, quæ dum acerrime accensa fuisset, beatum Georgium ligatum in ea poni præcepit. Ille autem dum graviter ureretur, & oraret, mox Dominus Jesus Christus misit Angelum suum, qui flammivoma instrumenta extinguens, divino alloquio consolatus est eum, dicens: Pax tecum miles Christi optime, noli tormenta pavere; nam Christus adest, qui te victorem faciet, & ad gaudia æterna cum gloria perducet. Quod videns Regina Alexandra, & multitudo populi, quæ astabat, credentes in Christo, baptizati sunt. Tunc Imperator ira inflammatus, jussit Reginam Alexandram per capillos suspendi, & post ejectam foris civitatem, decollari. Sanctum vero Georgium ferro vinctum imperavit in carcere recludi, & fame ac siti cruciari. Et hoc de secundo.

Dixi tertio, quod gloriosus Martyr Sanctus Georgius gaudet & exultat in Cœlo propter Domini sui continuam fidelitatem. Unde Apostolus ait: Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Et Isajæ LXI. scribitur: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Et habetur in Decreto, Distinctione XV. Capitulo *Sancta Romana Ecclesia*: Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe vinum cum gaudio, quia Deo placent opera tua; Ecclesiastici VIII. & Propheta ait: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui; Psalmo

Psalmo XXXVI. Ideo beatus Hieronymus super Cantica inquit: Beatæ sunt illæ animæ, quæ dorsum suum curvaverunt, ut suscipiant super se sessorem verbi Dei, & fræna ejus patiantur, ut quocunque voluerit, flectat eas. Ita scribitur in Decreto, Distinctione XV. Capitulo *Ad fidem*. Sanctus itaque Martyr Georgius in hac vita acquisivit Domini nostri continuam fidem, attendens, quod scribitur secunda ad Corinthios VI. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus & angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, per arma justitiæ a dextris, & a sinistris. Tales enim debent esse veri milites Christi, quia in eis vigere debet disciplina militaris, maxime in abdicatione voluptatum carnis. Quare narrat Valerius libro secundo, quod Cornelius Scipio eodem momento, quo castra intravit, edixit, ut omnia, quæ voluptatis causa erant, amoverentur, & auferrentur, & tunc constat maximum instititorum, & lixarum cum duobus militibus abiisse, & statim exercitus, recreata virtute, Numantiam solo æquavit. Ideo dicitur, Romanos gentium victores fecerunt scientia exercitata, & fides, quam impendebant Reipublicæ, & ob hoc prævaluerunt adversus multitudinem Gallorum, proceritates Germanorum, vires Hispanorum, dolos Afrorum. Hujus vero nostræ militiæ est, tueri Ecclesiam, & purgare perfidiam, Sacerdotium augere, pauperum injurias propulsare, pacificare provincias, & pro fratribus, si opus est, animam ponere. Unde Bernardus super Cantica ait: Secure procedite milites Christi, & inimicos Crucis intrepido animo propellite. Quam gloriosi revertuntur victores de prælio? Quam beate moriuntur Martyres in prælio? ut probatur in Decreto, XIII. Quæstione secunda, Capitulo *Non æstimamus*: Et Valerius libro III. Capitulo primo ait: Sic prandete commilitones tamquam apud inferos cœnaturi, & post hanc vitam victoria vobis promissa securi. Ideo Vegetius de electione militum sic inquiebat: In hoc totius Reipublicæ salus vertitur, ut tirones non solum corporibus, sed etiam animis potentissimi & fideles eligerentur, quia fidelitas est lampas animi, eo quod sicut lampas illuminat domum, ita fidelitas illuminat animam. Unde Petrus Blesensis in quadam Epistola ait: Nihil detestabilius nota proditionis in milite, nam licet Joab omnia fortiter vicerit, tamen non computatur in catalogo fortium David; quia fortitudinem ejus proditio in Abner & Amasam denegavit. Sola fidelitas est, quæ dilatat gloriam populi, quæ pacem firmat, & terrorem incutit inimicis; beato Augustino super Psalmo XXXII. sic dicente: Justus ex fide vivit, fides tua justitia tua, quia utique si credis, caves, si autem caves, coronaris, & conatum tuum Deus novit, & luctamen considerat, & hortatur, ut pugnes, & adjuvat, ut vincas, & certantem expectat, & deficientem sublevat, & vincentem coronat. Hæc autem fidelitas conservatur per virium crebram exercitationem & mutuam conversationem, juxta illud beati Ambrosii super Psalmo: Beati immaculati. Hæc enim fidelitas nisi exercitata, languescit, & crebris otiosa temperatur incomodis, remissas excubias callidus insidiator irrumpit, assuetum autem in bello externa fraus instruit, & gloriose provehit ad palmam victoriæ. Quare Apostolus ait: Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones; Ad Hebræos XI. Sic gloriosus Martyr Sanctus Georgius per fidem jam pervenit ad æternam promissionem; nam Imperator Diocletianus, dum tantam catervam paganorum ad Christi gratiam properare cerneret, & Christi Martyrem nullo modo ad suum votum flectere posset, in zelo iracundiæ protulit sententiam, dicens: Georgium Tribunum & militem regalia præcepta contemnentem, & Diis blasphemiam inferentem jubemus gladio vitam finire. Ad hanc igitur jussionem iniqui satellites ducebant beatum Georgium extra civitatem ad decollandum, cumque pervenisset ad locum destinatum, petiit inducias ad orandum, & elevatis oculis ac manibus in Cœlum, oravit, dicens: Gratias tibi refero, Domine Jesu Christe, quia te adjuvante, perficere potui, quod te præcipiente inchoavi. Te adoro; Te laudo; Te glorifico. Ecce ad te venio. Accipe obsecro in pace spiritum meum. Expleta itaque oratione, percussus gladio, migravit ad Dominum Jesum Christum VIII. Kalendas Majas, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto est super omnia Deus benedictus in sæculorum sæcula. Amen.

Explicit sermo modernus in Festo Sancti Georgii de Sclavonia Cappadocum Tribuni & Martyris gloriosi, quem compilavit & dictavit Dominus Hieronymus de Praga ad preces Fratris Lucæ de Sclavonia & heremitæ heremi Camalduli. Anno Domini M.CCCCXXVIII.

SERMO MODERNUS IN EXEQUIIS MORTUORUM.

NOlumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & ceteri, qui spem non habent. Hæc verba originaliter scribuntur prima ad Thessalonicenses IV. & transsumptive in Decreto, Causa XIII. Quæstione secunda, Capitulo *Quam præposterum*: Reverendi Patres & Fratres in Christo carissimi. Quia sicut experimur, mundana felicitas multis amaritudinibus est respersa, nam ubique timor & tremor, ubique labor & dolor: Caro, dum vivit, dolebit, & anima semetipsam lugebit. Nunquam enim unam diem ducimus in sua delectatione jucundam, quoniam aliqua parte diei reatus conscientiæ, vel motus concupiscentiæ nos conturbant; A mane usque ad vesperam cogitationes vanæ succedunt, & mens in diversa distrahitur. Unde Apostolus clamat dicens: Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Ad Romanos VII. & in Decreto, XV. Quæstione prima. Ideo Propheta ait: Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo; Psalmo CXL. Nam anima in se perfectissima est creata, sed corpori conjuncta, maculatur, contrahendo maculam culpæ, labem peccati, sordes iniquitatis, sicut ex vase corrupto liquor infusus corrumpitur. Habet itaque anima tres naturales vires; Rationalem, ut discernat inter bonum & malum; Irascibilem, ut respuat malum; Concupiscibilem, ut appetat bonum. Istæ tres vires animæ oppositis vitiis corrumpuntur carnalibus; Nam vis rationalis corrumpitur per ignorantiam, ut non discernat inter bonum & malum; Vis irascibilis corrumpitur per melancholiam, ut non respuat malum; Vis concupiscibilis corrumpitur per carnale desiderium, ut non appetat bonum. Prima gignit peccatum, Ultima parit peccatum, Media delictum generat & peccatum. Unde Innocentius Papa de contemptu mundi Rubrica tertia ait: Hæc tibi vitia ex carne corrupta contrahuntur, ut non quæ vultis, illa faciatis, & habetur in Decreto de Pœnitentia, Distinctione III. Capitulo *Cavendum*. Ideo Salomon ait: Beatiores judicavi mortuos, quam vivos, & utrisque beatiores eos, qui nondum nati sunt. Hinc secundo Machabæorum Capitulo XII. scribitur: Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Paulus quoque raptus usque ad tertium Cœlum, & postea reversus ad terram, scribens Thessalonicensibus super morte carorum ait: Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini; Quæ fuerunt verba in themate proposita; pro quorum intelligentia, & Spiritus Sancti gratia salutabitur Maria.

Nolumus vos ignorare de dormientibus, ubi thema, Reverendi Patres & Fratres in Christo carissimi. Quia Apostolus Paulus in verbis thematis tria facit. Primo testificatur conditionem decedentium in pœnitentia, cum dicit: Nolumus vos ignorare de dormientibus. Secundo consolatur afflictionem dolentium ex benevolentia, cum subdit: Ut non contristemini. Tertio detestatur imperfectionem diffidentium de Christi clementia, cum addit: Sicut & ceteri, qui spem non habent. Quantum ad primum dico, quod Sanctus Paulus Apostolus testificatur conditionem decedentium in pœnitentia, cum dicit: Nolumus vos ignorare de dormientibus, nam secunda ad Thessalonicenses IV. scribitur: Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo, quia decedentium in pœnitentia, hoc est eorum, qui moriuntur in Domino, una singularis conditio est, quod dicuntur dormire in somno pacis, & non mori; Et hoc propter conditiones & proprietates dormientium, quia de hominibus dormientibus possumus loqui dupliciter. Uno modo prout sunt in actu dormitionis. Alio modo prout sunt in actu excitationis. Primo modo assimilantur mortui dormientibus, prout sunt in actu dormitionis. Sunt enim aliqui dormientes, qui somniant pulcras & consolatorias visiones: Sicut Joseph, qui vidit in somnis Solem & Lunam, & Stellas undecim adorare se; Genesis XXXVII. Talibus assimilantur illi, qui in statu pœnitentiæ mortui sunt, de quibus dicitur Apocalypsis XIV. Beati mortui, qui in Domino, idest in pœnitentia, moriuntur: Tales vident visiones delectabiles; Isajæ XXXIII. Regem in decore suo videbunt oculi tui, idest Christum in Deitate sua, & videbunt faciem suam in carne humana & glorificata, quæ plena est omnium gratiarum & consolationum, in quem desiderant Angeli prospicere. De hoc loquitur beatus Bernardus, dicens: Oh quantum gaudium omni dulcedine plenum, & omni delectatione, videre hominem Deum & hominis conditorem. Et breviter, nullus posset hujus visionis dulcedinem enarrare, quia oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus hiis, qui dili-

diligunt eum; prima ad Corinthios xi. Unde beatus Gregorius in homilia: Quis, inquit, intellectus capere sufficit illius supernæ civitatis quanta sint gaudia? Angelorum Choris interesse; præsentem Dei vultum cernere; incircumscriptum lumen videre; nullo mortis metu affici, sed perpetuæ æternitatis vita perfrui? Ideo beatus Hieronymus scribit in Epistola, dicens: Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur, grandis enim debet esse violentia, generatos in terra Cœlum acquirere, & possidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam; Ubi nulla infirmitas turbat, nulla necessitas angustat, nulla molestia inquietat, sed perennis lætitia regnat. Sanctus quoque Augustinus in libro de Civitate Dei sic ait: Quod difficilius quæritur, solet dulcius inveniri; cumque in hoc sæculo variis tentationibus infestaris, tunc mente in Cœlum vola, & cogita, quod hæc nihil aliud sunt, nisi æterni regni materia, quia consideratio præmii minuit vim flagelli; Nam Curtius armatus equo in abruptum se præcipitem dedit, quia jusserant Dii, ut illum, quem Romani haberent optimum, immitterent. Si ergo homo paganus, nullam spem vitæ æternæ habens, se morti exposuit; quanto magis nos Christiani opera pœnitentiæ debemus facere, ut ad gaudia vitæ æternæ possimus pervenire. Ad illa gaudia jam pervenit Reverendus Pater iste Domnus Raphael Generalis, cujus funeri exequias exhibemus, quia opera pœnitentiæ fecit, & in morte sua magna signa contritionis ostendit. Ad Hebræos vi. Non est tam injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri; & habetur in Decreto de Pœnitentia, Distinctione secunda, Capitulo *Non sufficit*. Et secunda Petri secundo dicitur: Satagite, ut per bona opera vestra certam vestram vocationem faciatis. Quare Innocentius Papa ait: Taliter sequentia bona continuate prioribus, quousque dignum a Deo possitis meritum expectare. Ita habetur Extravagante de ætate & qualitate, Capitulo *Intelleximus*. Ideo Actuum ix. legitur, quod Tabita suscitata est a beato Petro, quia erat plena bonis operibus & eleemosynis. Quanta autem sit utilitas spiritualiter per gratiam suscitari per bona opera, patet ex hoc, quod scribitur prima ad Corinthios xii. Paule sufficit tibi gratia mea; Unde ipse Dominus ait: Memor esto, unde cecideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac; Apocalypsis iii. & de Pœnitentia, Distinctione secunda, Capitulo *Si enim inquit*. Et secundi Paralipomenon ix. scribitur: Iram Dei meruisti, sed bona opera inventa sunt in te, propter quæ ira Dei mitigatur, & gloria confertur. Ad Romanos ii. Gloria & pax omni operanti bonum. Ideo beatus Augustinus in sua epistola ait: Fidelis bene vivens securus hinc exit; Agens autem pœnitentiam tantum in morte, si securus hinc exeat, ego non sum securus. Et habetur in Decreto de Pœnitentia, Distinctione vii. Capitulo *Qui egit*. Talis autem fuit Venerabilis Pater Raphael noster defunctus; nam ut bonus religiosus de observantia monasterii Sancti Benedicti prope Florentiam semper bene vixit, plenus bonis operibus & virtutibus. De quo scribitur secundi Machabæorum xxii. Hic est fratrum amator & populi Israel; Hic est, qui multum orat pro populo & universa civitate sancta, quia non est inventus similis illi in toto Ordine Camalduli, qui conservaret legem Excelsi; Ecclesiastici xlviii. Nota de Pœnitentia, Distinctione prima, Capitulo *Deo quis similis dicatur*. Ergo quod scribitur primo Paralipomenon ultimo: Mortuus est David, id est manu fortis, Raphael in senectute bona, plenus dierum & gloria. Et hoc de prima parte sermonis.

Dixi secundo & brevius, quod in verbis in themate propositis consolatur Apostolus afflictionem dolentium ex benevolentia, cum subdit, ut non contristemini, unde ad Corinthios vii. ait: Scripsi vobis per multas lachrymas, ut non contristemini, sed ut sciatis, quam caritatem habeam ad vos. Tenemur enim Deo solvere debitum, ideo contristari non debemus; quare Propheta ait: Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem? Psalmo lxxxvii. Omnes enim morimur, & quasi aqua dilabimur; primo Regum xiv. Ideo beatus Augustinus in libro de Civitate Dei scribit de quodam Rege, qui cum Idolis in Capitolio sacrificaret, nuntiatur ei, quod filius suus unicus obiisset, sed ille non reliquit sacra, quæ manibus gerebat, non lachrymatus est, nec omnino suspiravit, sed ait, sepeliatur; memini enim me genuisse mortalem; & subdit Augustinus: Quid dicturus est in judicio Diabolus, nonne potest dicere? Ecce hic cultor meus, cui nec resurrectionem, nec Paradisum promiseram, & tamen pro morte unici filii sui sacra mea non reliquit, nec flevit; Tui vero Christiani, pro quibus mori dignatus es, ut mortem non timerent, non solum lugent, sed sæpe irascuntur, & præ dolore te blasphemant. Cavendus est ergo luctus mortuorum, exemplo David, qui mortuum filium

suum

suum noluit lugere, sed ait: Cur lugebo mortem filii? Ego magis ad eum vadam, ipse vero non revertatur ad me; primo Regum XII. Quare beatus Hieronymus ait: Resurgere credimus, & tamen nostros caros plangimus. Quid faceremus, si mori tantum praeciperet Deus? voluntas utique ejus sola sufficeret ad solatium, cui nullum praeponere debemus affectum. Exemplum hujus scribit beatus Cyprianus de quodam aegroto, qui dum graviter infirmaretur, impatiens erat, & tamen mori nolebat; cui infirmanti Angelus cum indignatione apparens, dixit: pati timetis, & exire non vultis, quid ergo faciam vobis? & sic ab eo iratus discessit. Ideo beatus Ambrosius rogatus, cum esset infirmus, ut prolongationem vitae sibi a Deo impetraret, ita respondit: Non sic inter vos vixi, ut me pigeat adhuc vivere, nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Et quia Venerabilis Pater iste Generalis sic solvit debitum universae carnis, ideo non debemus contristari, maxime propter aeterni boni adeptionem, quam jam possidet. Unde beatus Cyprianus in libro de mortalitate sic ait. Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, & domus jam fatigata ruinam minaretur, nonne absque tristitia tua, & proximorum tuorum inde migrares, ut domum meliorem intrares? Sic anima nostra est in corpore, sicut habitator in domo, sed audi, quid de hac domo dicat Propheta: Tamquam parieti inclinato, & maceriae depulsae; Psalmo LXI. Nam sicut maceries est constructio lapidum absque ligamine, sic corpus nostrum est ex quatuor elementis compositum, & nullo firmo ligamine colligatum, & ideo est morti vicinum, quia quotidie de ipso aliquid deperditur. Ad Hebraeos VIII. Quod antiquatur & senescit, prope interitum est. Sed quia habitatio coelestis, quam inquirimus, est melior & securior, ideo dicebat Apostolus secunda ad Corinthios V. Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod exaedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed aeternam in Coelis. Hinc est, quod beatus Hieronymus in Epistola ad Tirasium ait: Gaudent parentes tota vita sine filiis commorari, dumodo placeat, quod cupiunt, de suis pignoribus adipisci. Peregrinantur namque, ut ad dignitates, ad studia acquirenda, ad causas Matrimonii explicandas cum periculo & labore perveniant, sed ut ad palatia Coeli, ad studia Christi, ad honorem vitae perpetuae, ad patrimonium possessionis aeternae, & ad securitatem coelestis gloriae valeant pervenire, nemo filios suos a se gratulatur, vel parentes, aut amicos abscedere. Exemplum hujus in Theobropo Philosopho, de quo dicit beatus Augustinus in libro de Civitate Dei, quod Theobropus lecto Platonis libro, ubi de animae immortalitate disputavit, se praecipitem dedit de muro, ut ex hac vita migraret ad illam, quam credidit esse meliorem. Si ergo homo paganus tantam fidem dedit dictis Platonis, quanto magis Christiani per Christum debent de beata vita certificari, & non debent de sua, vel suorum carorum morte dolere. Unde beatus Ambrosius in libro de bono mortis sic ait: Si plena est oneribus haec vita, utique finis ejus alleviamentum est; alleviamentum autem bonum est; mors autem finis est; Ergo mors bona est. Propter hoc Silvius ait. Apud plurimos luctuosa sunt puerperia, & laeta sunt funera, quia qui nascuntur, multiplicem miseriam passuri sunt; Qui vero moriuntur, de omni miseria hujus mundi liberantur, dumodo ante obitum a peccatis absolvantur. Quare Seneca in Epistola, quam scripsit Marulo; Mors, inquit, est natalis dies; non ergo de natalitio tristandum est, sed potius appetendum, praesertim cum anima hominis virtutibus vivat, ut probatur de Poenitentia, Distinctione prima, Capitulo *Homicidiorum*, & in Decreto, Causa prima, Quaestione prima, Capitulo *Prophetavit*. Nam licet in hoc mundo vera felicitas haberi non possit, ut ait Boetius de consolatione philosophiae Prosa V. quia beatitudo hominis non in creaturarum fruitione, sed in Dei veri contemplatione consistit, ut probat beatus Thomas secunda secundae, Quaestione XVIII. Articulo IV. tamen in hoc est, dare triplex bonum, videlicet maximum, medium; & minimum, de quo Magister Sententiarum libro secundo, Distinctione XXVI. Capitulo penultimo sic ait. Maximum bonum sunt virtutes; medium sunt potentiae animae, minimum bonum sunt pulchritudo corporis & divitiae; quae omnia in Venerabili Patre Raphaele, dum viveret, directae reperiebantur. In ipso namque erat maximum bonum, hoc est virtutes tam theologicae, quam cardinales, idest Fides, Spes, & Caritas, Justitia, Temperantia, de quibus habetur in Glossa, in Clementina, Capitulo *Unica*, & Extravaganti de Summa Trinitate & Fide Catholica. Erat in eo & medium bonum, hoc est memoria, intellectus & ratio, quia fuit magnae scientiae & bene litteratus, atque doctissimus. Erat in eo & tertium, scilicet pulchritudo corporis, divitiae

tiæ & honores, quia fuit Prælatus & Generalis, nam magni Prælati sunt successores Apostolorum, ut probatur in Decreto, Distinctione LXVIII. Capitulo *Quorum vices*. Et XII. Quæstione prima, Capitulo *Videntes*. Erat enim alter David devotissimus in bonis actibus, & constantissimus in virtuosis operationibus; consolans patientes in tribulationibus. Unde ait beatus Hieronymus: Iste erat spes miserorum, solatium lugentium, & in singulis virtutibus eminebat ejus ministerium. Iste subveniebat pauperibus, visitabat languentes, serviebat hospitibus, consolabatur tristes, & dolentes quosque leniebat blanditiis, gaudebat cum gaudentibus, flebat cum flentibus; quia erat cæcorum baculus, esurientium cibus, ideo merito dicere possumus: versus est in luctum chorus noster: cecidit corona capitis nostri; veh nobis, quia peccavimus; Threnorum III. sed ab hoc luctu compescit nos Apostolus dicens, ut non contristemini, & hæc de secundo.

Dixi tertio & brevissime, quod in verbis thematis Apostolus detestatur imperfectionem diffidentium, cum additur: Sicut & cæteri, qui spem non habent. Unde Proverbiorum XXIV. scribitur: Non habent futurorum spem mali, & lucerna impiorum extinguetur. Ideo hæc est differentia inter nos, & quosdam infideles, qui credunt animam simul cum corpore perire, isti merito de suorum carorum amissione possunt contristari, quia non sperant eos amplius resurrecturos, nec per consequens permansuris intercessuros. Nos vero Christifideles ad spem habendam de resurrectione mortuorum expresse docemur secundo Machabæorum XII. ubi legitur; Quod vir fortissimus Judas duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, juste & religiose de resurrectione cogitans. Quare Apostolus ait: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Et Johannis VI. dicitur: Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii, idest ad pœnas Inferni. Joh. XXIV. Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium; & ejusdem XX. Vadent & venient super eos horribiles, hoc est dæmones; justi autem procedent in resurrectionem vitæ. Isajæ V. Qui redempti sunt a Domino, venient in Sion laudantes cum lætitia; Et lætitia sempiterna super capita eorum; Fugiet dolor & gemitus, quia gaudium & lætitiam obtinebunt. Sic jam in gaudio & lætitia est iste Venerabilis Pater Generalis defunctus, sed adhuc tamen expectat diem judicii, ut gloriam geminatam in corpore & in anima obtineat, & ut animæ in ipsa carne gaudeant, in qua pro Domino dolores & cruciatus in hac vita pertulerunt, ut probatur Apocalypsis V. & Glossa super Genesis VII. & ad litteram per beatum Gregorium IV. libro Dialogorum. Et beatus Thomas idem probat Secunda Secundæ, Quæstione XVIII. Articulo secundo, & in Clementina *Ad nostrum* de hæreticis, Rubrica tertia. Ideo pro liberatione animarum, quæ sunt in pœnis Purgatorii, tenemur orare, & eas adjuvare, nam quilibet in Purgatorio constitutus petit illud Psalmi, dicens: Intende animæ meæ, & libera eam; Psalmo LXVIII. Tenemur enim liberare animas de Purgatorii pœnis duplici ratione. Primo ratione pietatis & misericordiæ, quia judicium fiet ei sine misericordia, qui non facit misericordiam; Jacobi secundo; nam si unus passer cadit in laqueum, clamat ad alios, & statim passeres veniunt, & ipsum de laqueo eripiunt. Unde Propheta ait: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus; Psalmo CXXIII. Hinc Dominus in Evangelio dicit: Multis passeribus meliores estis vos; Matthæi X. Secundo tenemur adjuvare animas in pœnis Purgatorii ratione propinquitatis, vel familiaritatis; ideo animæ clamant ad nos secundum verba Job, dicentes: Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me; & contra crudeles parentes, consanguineos, & hæredes conqueritur quælibet anima in Purgatorio, dicens cum Propheta: Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, & in umbra mortis, & longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi; Psalmo LXXXVII. Nos ergo solliciti simus orare pro anima Patris nostri Generalis modo defuncti, & adjuvare eum, si fuisset in aliquibus pœnis Purgatorii detentus, ne videamur esse imperfecti, sicut & ceteri, qui spem non habent. Spes enim non confundit, sed ad vitam perducit æternam; Quam nobis concedat Dominus Jesus Dei Filius, qui est super omnia Deus benedictus in sæculorum sæcula. Amen.

Explicit sermo in exequiis mortuorum, quem fecit, & prædicavit domnus Hieronymus de Praga & heremita reclusus circa funus Domni Raphaelis Generalis Ordinis Camaldulensis. Anno Dominicæ Incarnationis M. CCCC. XXII.

SER-

SERMO MODERNUS IN VISITATIONE MONASTERIORUM.

Visitabis fratres tuos, si recte agant, & cum quibus ordinati sunt; Primo Regum XVII. Carissimi in Christo, fratres amantissimi. Quia sicut ab omnipotente Deo omnia producuntur originaliter, ita etiam per ipsum gubernantur principaliter, & in ipso conservantur finaliter. Omnium ab ipso productio respicit suam potentiam, quia omnia creavit de nihilo; Genesis primo. Omnium per ipsum gubernatio respicit suam sapientiam, quia præparavit orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit Cœlos; Jeremiæ IX. Omnium in ipso conservatio respicit suam benevolentiam; unde & ipse ait: Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum; Joannis III. Et Sapientiæ XI. dicitur: Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Et quamvis ejus gubernatio refulgeat in omni creatura, tamen splendidius lucet in fidelium Ecclesia. Sic enim gubernat Ecclesiam terrestrem, sicut cœlestem; nam secundum Dionysium in libro de cœlesti Hierarchia, cœlestis Ecclesia gubernatur, ut superius & inferius distinguatur, & in ea quidam superiores & quidam inferiores inveniuntur. Superiores inferiores purgant, purgatos illuminant, illuminatos perficiunt; & ita est triplex actus hierarchicus secundum Dionysium, purgare, illuminare & perficere. Et juxta istam formam Deus gubernat etiam terrestrem Ecclesiam, quia quosdam constituit superiores, ut Prælatos; Quosdam inferiores, ut subditos. Et ita Prælati ratione inferiorum habent officium purgandi, illuminandi, & perficiendi. Ideo committitur eis officium visitationis, ut corrigendo inferiores, purgent a malitia, illuminent sapientia, perficiant moribus & vita. Debet ergo Visitator habere virgam correctionis ratione delinquentium. Quare Propheta ait: Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt; Psalmo XXII. & in Decreto, Distinctione XLV. Capitulo *a Disciplina*. Nam si visitator dissimulat & non corrigit crimina, magis dicendus est canis mutus, quam visitator, ut probatur in Decreto, Distinctione LXXXIII. Capitulo *Nemo*. Melius est enim pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione habere beneficium. X. Quæstione III. Debet autem visitator rigide corrigere peccata delinquentium, ut quos divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat a peccato, ut probatur Extravaganti de vita & honestate Clericorum, Capitulo *Ut Clericorum*, ut cum Propheta possit dicere: Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; Psalmo LXXXVIII. Ideo sibi a Domino dicitur: Visitabis fratres tuos, si recte agant, & cum quibus ordinati sunt. Quæ fuerunt verba in themate proposita, pro quorum declaratione & intelligentia salutetur Maria.

Visitabis fratres tuos, si recte agant, & cum quibus ordinati sunt, ubi thema, carissimi in Christo fratres dulcissimi, quia in verbis in themate propositis tria describuntur, quæ Visitatoribus necessaria esse videntur. Primo operis bonitas; Visitabis fratres tuos. Secundo fratrum honestas; Si recte agant. Tertio Domini voluntas; Et cum quibus ordinati sunt. Quantum ad primum dico, quod Visitatoribus necessaria est operis bonitas; Unde scribitur in Capitulo *In singulis* de statu monachorum: In generali Concilio ordinentur circumspectæ personæ, quæ singulas Abbatias & monasteria non solum monachorum, sed etiam Sanctimonialium, inquit Papa, vice nostra studeant visitare & corrigere. Tenentur namque visitatores corrigere delinquentes propter necessitatem & propter utilitatem, quia si visitatores negligentes fuerint ad corrigendum, maledicentur a Deo & damnabuntur; Jeremiæ XXIII. Nos non visitastis gregem meum, & ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, dicit Dominus; Et III. Regum XX. scribitur: Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. In figuram hujus Exodi IV. dicitur: Descendit Moyses, ut visitaret fratres suos in Egypto tenebrarum. Unde beatus Paulus dicebat ad beatum Barnabam: Revertentes visitemus fratres nostros, quibus prædicavimus; Actuum XV. Non solum autem visitandi sunt propter necessitatem, sed etiam propter utilitatem. Jeremiæ LX. Ponam visitationem tuam pacem & justitiam. Debet enim visitator in sua visitatione facere justitiam contra transgressores præcepti divini, & Regulæ, ac Statutorum. Esdræ VII. dicitur visitatori: Missus es, ut visites Judæam secundum legem Dei tui, & omnis, qui non fecerit legem Dei, judicium erit de eo, sive in mortem, sive in exilium, sive in carcerem. Unde Dominus Exodi XXVI. ait: Si spreveritis leges meas, visitabo vos velociter. Quia visitator non debet esse pusillanimis in expectando & prolongando correctionem.

Ideo

Ideo beatus Bernardus in Epistola ait: Non erit visitator præceps in sententia, nec vehemens in vindicta; non in corrigendo remissior; non in parcendis severior; non pusillanimis in expectandis; non superfluus in victu; non notabilis in vestitu; non personarum acceptator, sed æque puniat parvum, sicut magnum. Isajæ XXVII. Visitabit Dominus in gladio duro, grandi & forti, & secundum magnitudinem operis, sic erit visitatio tua; idest secundum gravem, graviorem, & gravissimam culpam debent puniri transgressores in visitatione. Jeremiæ X. Visitabit Dominus super omnem incircumcisum, & super omnes, qui attonsi sunt in coma. Quasi dicat: omnes visitabit, qui Regulam & Statuta non servant. Unde Isidorus in libro de summo bono ait: Atrociter in discussione divini judicii arguendi sunt, qui, quæ professione spoponderunt, opere implere contemnunt. De talibus itaque falsis religiosis dicit beatus Gregorius in moralibus. Ex actione sæcularium confunditur actio religiosorum, dum isti etiam promittendo, non servant, quæ in præceptis audiunt; & illi vivendo, ea custodiunt, in quibus nequaquam legalibus mandatis adstringuntur. Ideo beatus Augustinus in quadam Epistola ait: Ex quo Deo servire cepi, sicut difficile sum expertus meliores, quam qui in monasterio profecerunt, ita non sum expertus pejores, quam qui in monasterio defecerunt. Debet ergo visitatio esse severa contumacibus & superbis. Jeremiæ LV. Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus, venit tempus visitationis tuæ. Præcipue tamen visitator debet illos punire, qui promiserunt obedientiam, & sunt rebelles contra Regulam & Statuta. Illis autem, qui sunt humiles, debet esse benignus, exemplo leonis, qui prostratis coram se & humilibus parcit. Sic visitator humilium debet custodire spiritum in pace. Job X. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum. Quare beatus Gregorius in Pastorali ait: Sit rector, seu visitator singulis compassionem, proximis pro cunctis contemplatione suspensus, ut per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat, & per contemplationis altitudinem cæteros transcendat, quia melius est reddere rationem de misericordia, quam de justitia, ut probatur in Decreto, Distinctione LXXXXV. Capitulo *Non satis*. Unde Propheta ait: Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine; Psalmo C. Et hoc est contra illos visitatores, qui nihil de misericordia admiscent in suis judiciis; & tales non habent formam visitationis Christi, de quo scribitur: Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto; Lucæ primo. Sic visitator debet cum misericordia & pura intentione fratres visitare. Non prece, nec pretio malis consentire, sed solum Deum habens præ oculis, salutem fratrum, & quietem debet zelare, juxta illud Evangelii: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Quod exponens beatus Bernardus in libro de præcepto & dispensatione, ait. Ut interior oculus tuus simplex sit, duo illi arbitror esse necessaria; puritatem in intentione, & veritatem in opere, quia non simplex oculus erit illius, qui bonum diligit, & malum nescius agit. Unde Boetius de consolatione philosophiæ inquit. Non sufficit intueri, quod veritatis oculo secum est, prudentia enim rerum exteriora metitur. Debent namque visitatores esse circumspecti & pleni oculis discretionis & providentiæ, bonos remunerando, & malos ad rectum callem juxta posse reducendo. Ideo beatus Bernardus super XI. Proverbiorum ait: Qui animarum curam pro Domino suscipiunt, ut errantes doceant, vel mœstos consolentur, vel temporalibus substentent, vel renitentes ad remedia salutis pertrahant, vel pastore destitutos gubernent, ut secum plures ad domum Dei perducant, juxta illud Apostoli: prædica verbum, insta opportune, & importune; ad Timotheum IV. Dicturus importune, præmisit opportune, quia apud auditoris mentem ipse sua vilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit, ut probatur in Decreto, Distinctione XLIII. Capitulo *Sit rector*. Ne adducere debet, quid os loquentium iniqua loquatur, dum tamen a tramite veritatis non recedatur. Sed consideranda est erga subditos magis benevolentia, quam severitas, plus caritas, quam potestas, plus correctio, quam commotio, ne visitator magis quærat, quæ sua sunt, quam quæ Jesu Christi, sed semper timorem Domini habeat, cuncta cum diligentia faciente, & hæc de primo.

Dixi secundo, quod in verbis in themate propositis describitur fratrum honestas, cum dicitur: si recte agant. Debent itaque subditi libenter & reverenter ac honeste visitatorum correctionem, tamquam medicinam Dei recipere, ne mali, aut suspecti habeantur, juxta illud Evangelii: Qui male agit, odit lucem (supple correctionis) ut non arguantur opera ejus; Johannis III. Unde Proverbiorum XVII. scribitur: Qui disciplinam abii-

abiicit, stultus est; nam stultus irridet disciplinam Patris sui. Qui autem custodit increpationem Patris sui, astutior fiet. Ideo Propheta ait: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa; Psalmo secundo, & transumptive in Decreto, XXIII. Quæstione IV. Capitulo *Si Ecclesia*. Qui enim non sustinet visitatorum correctionem, projectus est a facie Dei. Quare Propheta ait: Non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore; Psalmo IX. & in Decreto, XXVI. Quæstione secunda, Capitulo *Qui sine Salvatore*. Debet ergo devotus frater dicere: Visita nos Domine in salutari tuo; Psalmo CV. Beati itaque sunt illi, qui sæpe visitantur a Deo, vel per suos servos, vel per gratiam suam, quia poterunt se in vitæ honestate conservare. Triplex autem debet esse honestas fratrum. Prima in habitu. Quilibet enim debet incedere vestitus secundum Regulam, & secundum suam condecentiam, neque nimis fulgidis vestibus, neque nimis ruptis, ut probatur in Decreto, Distinctione XLI. Capitulo de Custodia; Nam dissolutos & absque habitu, aut fractis vestibus non recipimus. Ita scribitur in Decreto, XXIII. Quæstione V. Capitulo *Si apud*. Sed etiam incessus fratrum debet esse neque nimis tardus, neque citus, sed cum gravitate itineris, mentis gravitatem ostendat. Unde refert beatus Hieronymus, Alexandrum Regem fuisse spretum, quia Leonidis pedagogi sui non potuit carere vitiis in incessu. Debet ergo quilibet religiosus esse honestus in statu mentis, in incessu, & in habitu corporis, ut Deo & hominibus studeat placere. Sic habetur in Decreto, XXI. Quæstione IV. Nam ab omni indecentia debent abstinere, ut probatur Extravaganti de vita & honestate Clericorum, Capitulo *Cum ab omni*; Quia secundum beatum Hieronymum vita sæcularis, gestus histrionicus, & vestis curiosa magis inhonorant religiosum, quam honorant. Ideo beatus Augustinus ait in Regula sua: Non sit notabilis habitus, nec affectetis placere vestibus, sed moribus, sed in incessu, in statu, & in habitu vestro nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Secundo debent esse honesti in moribus; Debent enim fratres morum gravitate esse maturi, sæcularium convivia devitantes. Unde inquit Canon: Fratres bonis moribus vivant; canendis Psalmis invigilent, cor, linguam, & corpus, Deo auctore conservent. Ita habetur in Decreto, Distinctione XXXIII. Capitulo *Si qui* & XII. Quæstione prima, Capitulo *Firmitas*. Nam in mensa, dum comedunt, bina vice tantum potum sumant, ut probatur in Decreto, Distinctione XL. prima, Capitulo *A Crapula*. Et generaliter ea, quæ pietatem, æstimationem, famam, seu opinionem, & verecundiam nostram lædunt, vel sunt contra bonos mores, vel contra jura, nos facere posse credendum non est. Quare Apostolus secunda ad Timotheum ait: Esto fidelis in verbo, in conversatione, in caritate. Qui facit contra fratres; Qui Psalmos cum syncopa & cum negligentia decantant, vana & inutilia in animo cogitantes; nam in Ecclesia plus valet unus Psalmus cum devotione mentis, quam mille cum sola vociferatione sermonis; ut probatur in Decreto de Consecratione, Distinctione V. Capitulo *Non mediocriter*. Quia non in multitudine Sacrificiorum propitiatur Deus, sed in mentis devotione. Ita scribitur in Decreto, III. Quæstione VII. Capitulo *In gravibus*. Bene ergo dicitur, quod Deus paucissimis bonis orationibus est contentus, ut notat Glossa, Distinctione XII. Capitulo *Omnia*. Unde beatus Bernardus ait: Seminemus hominibus exemplum bonum per aperta opera. Seminemus Angelis gaudium per orationes & devota suspiria; nam beati Angeli & omnes Sancti Dei delectantur in orationibus & devotis vocibus religiosorum. Sed hodie a multis religiosis contemnitur divinum Officium, quia multi vertunt dorsum ad Altare, & faciem suam ad mundum, quod valde est abominabile apud Deum. Exechielis XVIII. Introduxit me in atrio domus Domini, & ecce quasi quindecim Viri, dorsum habentes contra templum, & facies eorum ad orientem, propter hoc non parcet oculus meus, dicit Dominus, & non miserebor, nisi devote & munde mihi servierint omnes. Tertio debent esse honesti in opere, ne libido refrænata in mente exeat aliquando in opere; cor enim hominum de operum ostenditur qualitate, & formas mentium species detegit actionum, maxime ubi occurrat conversatio mulierum. Unde Proverbiorum VI. scribitur: Quod non potest toto corde cum Domino habitare, qui fæminarum accessibus copulatur; nam & Thamar virgo a fratre suo Amon corrupta est; Secundo Regum XIII. Ideo beatus Hieronymus Epistola XLIX. ad Oceanum inquit: Cavendi sunt Clericorum & monachorum frequentes accessus fæminarum, quia istiusmodi sexus reprensibiles exhibet Clericos. Quid tibi cum fæminis, qui ad Altare cum Christo fabularis? Nam fæmina est janua Diaboli, via iniquitatis, Scorpionis

per-

percussio, nocivumque genus est. Cum proximat, stipula incenditur ab igne, nam flammigero foco percutit fæmina conscientiam pariter habitantis, exuritque fundamenta montium; Ego judico, si cum fæminis viri habitant, non deerit viscarium Diaboli. Ex hiis aucupatum est ab initio peccatum; Nam ferreas mentes domat libido. Ideo qui sanctus monachus est, accingatur baltheo castitatis, ut probatur in Decreto de Pœnitentia, Distinctione prima, Capitulo *Qui Sanctus*. Nec sufficit dicere, licere sibi conversari cum fæminis proximis & parentibus, quia secundum beatum Augustinum, non omnes, quæ cum mea sorore sunt, sorores meæ sunt, ut habetur in Decreto, Distinctione LXXXI. Capitulo *Legitur*. Clerici ergo & Monachi in conspectu Dei puro corde, & mundo corpore debent ministrare Deo. Ita scribitur Extravaganti de vita & honestate Clericorum Capitulo *Ut Clericorum*. De hiis autem tam monachis, quam clericis finaliter concludatur, ut quisque possit dicere: Et observabo me ab iniquitate mea, quia visitavit me in salutari suo; Et hoc de secundo principali.

Dixi tertio, quod in verbis in themate propositis describitur Domini voluntas; Cum quibus ordinati sunt; juxta illud Tobiæ IV. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat. Unde Propheta ait: Revela Domino viam tuam, & ipse faciet, & educet quasi lumen justitiam tuam; Psalmo XXXVI. & habetur in Decreto, prima, Quæstione VII. Capitulo *Non observetis*. Natura enim humana in suæ creationis exordio, nil avare, nil incontinenter, nil injuste agendum esse suasit, sed Parentis primi motus constat, ipsam esse vitiatam & conculcatam peccatis, & ideo ipsa natura per visitationis officium eas maxime exiget virtutes, quæ cunctis necessariæ, atque utiles sunt futuræ. Ne ergo opinemini ad mediocria vos ducendos certamina, neque pro exiguis rebus hunc explicare sermonem; audite ergo verbum Domini. Oportet congregatos in unum in lege Dei meditari, ut probatur in Decreto, Distinctione XVIII. Capitulo *Propter*. Convocando videlicet meditationes, affectiones, actiones & omnes circumstantias quasi ad capitulum, ut judicis locum ratio possideat. Unde Valerius libro VI. Capitulo secundo ait: Libertas, cum inter virtutem utramque posita sit, si salubri modo se temperaverit, laudem, si quo non debuerit, profuderit, reprehensionem meretur. Ob hoc Isajæ XLVI. scribitur: Prævaricatores redite ad cor. Ideo inquit Lactantius; Veniens in hunc mundum tres dicitur reperire furias, iram, luxuriam, & cupiditatem; idcirco autem dicuntur furiæ, quia nisi reprimantur tamquam furiosæ, & insanæ se habent. Nam ira, si non reprimitur, trahit monachos ad vindictam, ad blasphemiam, ad furias, ad clamores, lites, contentiones, rixas, ad verbera, & ad homicidia. Similiter luxuria, si non refrænatur, trahit monachos ad illicitas voluptates, ut vino pretioso se repleant, & cibis bonis se ingurgitent, & post hæc ad immunditias, mollities, turpitudines, & fornicationes se tradant. Sed & cupiditas, si non refrænatur, trahit monachos ad furta, ad rapinas, usuras, proprietates, fraudulentias, & ad multas injurias & vitia, sed etiam ad alia multo graviora peccata, quæ non sunt hominibus manifesta. Unde Exechielis VIII. dicitur: Fili hominis fode parietem, & ingredere, & vide abominationes pessimas, quas faciunt isti. Magna abominatio est, quando in religiosis loco paupertatis est proprietas; Major, quando loco obedientiæ est contumacia; sed maxima & pessima, quando loco continentiæ regnat luxuria. Nam de proprietate dicit beatus Bernardus, quod monacho habenti proprium, negabit Deus suum proprium, quod est parcere & misereri, quia facilius est Papæ facere de monacho non monachum, quam facere de monacho proprietarium. Similiter de monachis contumacibus Sophoniæ primo dicitur: Visitabo super viros defixos in fæcibus contumaciæ, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina. (*Ad litteram*) Qui non deferunt cucullam, nec vestem grossam suæ Religioni congruam, neque curant observare Regulam, quam servare coram Deo & Sanctis ejus promiserunt. Similiter de immundis & luxuriosis Religiosis scribitur Jeremiæ V. Saturavi eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores in fæminas; numquid super hiis non visitabo? dicit Dominus. Unde Seneca in Epistola ait: Luxuria voluptas fragilis est; brevi fastidio objecta, quo avidius acta est ocyus in contrarium recidens, cujus subinde necesse est, ut pœniteat. In qua nihil est magnificum, sed est res misera, membrorum turpium, aut vilium exitu fœda. Ob hoc beatus Gregorius in moralibus ait: Nulla ante Dei oculos justitiæ, pietatisque sunt opera, quo corruptionis contagio monstrantur immunda. Sic filius prodigus consumpsit omnia bona sua vivendo luxuriose; Lucæ XV. Debent ergo religiosi esse mundi corde & corpore, quia Dominus dicit:

dicit : Beati mundo corde , quoniam ipsi Deum videbunt; Matthæi v. Ideo primam furiam, hoc est iram reprimebat Job xxxi. dicens : Non te superet ira , ut aliquem opprimas. Et Proverbiorum x. scribitur : Fatuus statim indicat iram suam ; Qui autem dissimulat iram suam, sapiens est. Quare Propheta ait: Irascimini , & nolite peccare; Psalmo iv. Secundam furiam, hoc est luxuriam reprimebat Tobias , dicens. Tu scis Domine , quod non luxuriæ causa accepi uxorem , sed solo posteritatis amore ; Tobiæ viii. Quia castitas laicorum est in fide Matrimonii , ut probatur in Decreto, xxv. Quæstione secunda , Capitulo *Omne itaque* . Et ideo ita peccat vir adulterando, sicut uxor , quia vir & mulier ad imparia non judicantur. xxxii. Quæstione prima , Capitulo *Si quis*. Imo vir quoad Deum plus peccat, quam mulier , quia est caput. xxxiii. Quæstione v. Capitulo *Cum Caput* . Tertiam furiam, idest cupiditatem reprimebat Apostolus , dicens : Habentes victum & vestitum, hiis contenti simus; Ad Timotheum vi. , & xii. Quæstione prima . Nam qui pauperi in necessitate non subvenit , rapinam facit , ut ait Ambrosius, & in Decreto , Distinctione xlvii. Capitulo *Sicut hii*. Sic dives damnatur , quia Lazaro non miseretur ; Lucæ xvi. Sed beati sunt pauperes boni religiosi absque proprio , quoniam ipsorum est regnum Cœlorum. Quod nobis &c.

Explicit sermo in visitatione monasteriorum, quem fecit, & prædicavit domnus Hieronymus de Praga, quando in Venetiis visitavit monasteria.

Incipit Epilogus Domni Hieronymi de Praga revelationum beatæ Angelæ de Fulgineo.

VEre fidelium experientia probat, perspicit, & contrectat de Verbo vitæ incarnato , quemadmodum ipse Dominus in Evangelio dicit : Si quis diligit me , sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum , & ad eum veniemus , & mansionem apud eum faciemus . Et qui me diligit , manifestabo ei meipsum. Quam experientiam, & ipsius experientiæ doctrinam ipse Deus suos fideles facit probare plenissime ; Et hic etiam nuper aliquam suorum fidelium ad devotionem suorum fecit aliqualiter indicare prædictam experientiam & doctrinam. Quæ minus plene & multum diminute, & detruncate , in veritate tamen in verbis sequentibus describuntur. Qua vero causa, & quomodo ego indignus pater ejus spiritualis , coactus, ut credo, a Deo fuerim ad scribendum, & prædicta Christifidelis beata Angela coacta fuerit ad dicendum; Ego vero Frater Hieronymus de Praga, quia salutaris profectus , & laudabile incrementum, ac devotionis amicorum sinceritas , mihi dudum multorum beneficiorum declarata indiciis, ad piæ compensationis vicissitudinem rependendam , me cogit epilogare, & corrigere supradictas revelationes, superflua resecando, & defectus supplendo; Nam si ex debito caritatis omnibus sim astrictus, vobis tamen amicis meis longe amplius me reputo obligatum, quorum devotionem frequenter sum expertus, quorumque recepi beneficia potiora . Accipite igitur amici carissimi munus pauperis ingenio, non ex paupere, sed ex pleno affectu oblatum ; Et prædictis efficaciter insistentes , studeatis velut boni mercatores pro æternis habendis , temporalia commutare.

De vera fidelium experientia , qua reperitur thesaurus absconditus in agro.

Dixit sponsa Christi beata Angela, quod colloquendo cum socia sua de Deo , assignaverat xxvii. passus , vel mutationes, quas facit anima , quæ proficiscitur per viam pœnitentiæ , quas inveniebat in se.

Primus passus est cognitio peccati, quo anima valde timet , ne damnetur in Inferno, & in isto passu plangit amare.

Secundus passus est confessio , ubi anima adhuc habet amaritudinem , & verecundiam , & adhuc non sentit amorem , sed dolorem ; Unde retulit beata Angela Patri suo spirituali , quomodo multoties communicaverat cum peccatis , quia præ verecundia non plene confitebatur, & de die & de nocte reprehendebatur a conscientia sua; Et cum rogasset beatum Franciscum, ut inveniret ei Confessorem , qui cognosceret bene peccata ejus , & ipsa posset bene confiteri ei, in ipsa nocte apparuit ei frater senex, & dixit ei: Soror si citius rogasses me , citius fecissem tibi, sed quod petisti, est tibi factum; & mane statim ivit ad Ecclesiam Sancti Francisci, & rediit cito, ac invenit in reditu unum Fratrem prædicantem in sancto Feliciano, & erat ille Frater Capellanus Episcopi , & statim deliberavit , Domino faciente , confiteri ei plene sua peccata , si ipse poterat habere auctoritatem Episcopi , & fuit bene confessa sibi ; unde in isto passu adhuc habet verecundiam , & ama-

amaritudinem , & non sentit amorem , sed sentit dolorem.

Tertius passus est pœnitentia, quam facit , satisfaciendo Deo de peccatis suis , & adhuc est in dolore.

Quartus passus est recognitio divinæ misericordiæ , quæ prædictam misericordiam concessit ei, & extraxit eam de Inferno, & hic incipit illuminari , & tunc plus plangit & dolet , quam patitur , & affectat facere pœnitentiam acutiorem,

Quintus passus est cognitio sui , quia jam aliquantulum illuminata , nihil videt in se nisi defectus , & tunc condemnat seipsam Deo , quod certissime est digna Inferno , & hic recipit adhuc amarum planctum; Et intelligas, quod in omnibus istis passibus est mora , & scio de me , quod in quolibet passu morabar & plangebam, & non dabatur mihi plus simul, quamvis aliqua consolatio mihi esset, quod poteram plangere in quolibet passu , sed erat consolatio amara.

Sextus passus est quædam illuminatio gratiæ , qua profunde dabatur mihi cognitio omnium peccatorum , & videbam, me offendisse omnes creaturas pro me factas . In illa illuminatione reducebantur profunde in memoriam mihi peccata mea , & in confessione , quam faciebam de eis coram Deo, & invocabam omnes Sanctos, & Beatam Virginem, ut intercederent pro me , & rogabam omnes creaturas , quas videbam , me omnes offendisse , ut non accusarent me, & tunc dabatur mihi cum magno igne amoris orare , & videbatur mihi , quod omnes creaturæ haberent de me pietatem, & omnes Sancti.

Septimo passu dabatur mihi respicere in Cruce , in qua videbam mortuum Christum pro nobis, sed erat adhuc visio insipida , quamvis haberem ibi magnum dolorem.

Octavo passu in aspectu Crucis data est mihi major cognitio, quomodo Filius Dei fuerat mortuus pro peccatis nostris , & tunc recognovi omnia peccata mea cum dolore maximo, & sentiebam , quod ego crucifixeram eum , sed non cognoscebam adhuc , quod esset majus beneficium , an quod me reduxerat ex peccatis & de Inferno, & converterat me ad pœnitentiam, an quia crucifixus fuerat pro me? Sed in ista cognitione Crucis dabatur mihi tantus ignis , quod stando juxta Crucem , expoliavi omnia vestimenta mea , & totam me obtuli ei ; & quamvis , cum timore tamen, tunc promisi ei servare perpetuam castitatem , & non offendere eum cum aliquo membrorum meorum , accusando ei singillatim omnia membra mea , & peccata omnium membrorum meorum ; & rogabam eum , ut ipse me faceret observare istam castitatem omnium membrorum meorum & sensuum , quia ex una parte timebam promittere, & ex alia parte ignis prædictus cogebat me promittere prædicta, & non poteram facere aliud.

Nono passu dabatur mihi quærere, quæ esset via Crucis , ut possem stare ad pedem Crucis , ubi refugiunt omnes peccatores, & fuit mihi demonstrata via Crucis isto modo, quia inspiratum est mihi , quod si ego volebam ire ad Crucem , quod parcerem omnibus , qui me offendissent , & expoliarem me de omnibus terrenis , & de omnibus hominibus, & de omnibus parentibus & amicis , & de possessione mea, & de meipsa, & cor meum darem Christo , & irem per viam spinosam tribulationis; & tunc cepi dimittere pannos meliores , & de cibariis feci similiter , sed erat mihi adhuc satis verecundum & pœnosum , quia non sentiebam adhuc de amore , & eram cum viro meo , & factum est, volente Deo, quod illo tempore mortua fuit mater mea (quæ erant mihi magnum impedimentum) & postea mortuus est vir meus, & omnes filii me in brevi tempore , & quia inceperam viam prædictam , rogaveram Deum , ut morerentur , & magnam consolationem habui de morte eorum , & cogitabam , quod deinceps cor meum semper esset in corde Dei , & cor Dei semper esset in corde meo.

Decimo passu cum peterem a Deo quid possem facere , per quod plus placerem ei , ipse pro sua pietate apparuit mihi pluries dormienti & vigilanti, & dicebat mihi : Ostendo tibi a planta pedis usque ad verticem pœnas meas , & ostendebat pilos barbæ sibi evulsos, & superciliorum & capitis , & numerabat omnes flagellationes , & dicebat : Hæc omnia pro te sustinui , & tunc reducebantur in memoriam meam mirabiliter omnia peccata mea, quibus ostendebatur mihi, quod ego iterum recenter plagassem eum peccatis meis, & tunc habui de peccatis meis majorem dolorem , quam unquam habuissem . Similiter videnti mihi passionem suam , dicebat mihi , quid potes facere pro me, quod tibi sufficiat ? & tunc plorabam multum , & lacrymabar tantum ardenter , quod lacrymæ coquebant carnem meam , unde oportebat me ponere aquam ad refrigerandum.

Undecimo passu propter prædicta movi me ad faciendum magis asperam pœnitentiam . Hic est longus passus ad scribendum , & mirabilis , & supra humanum

num modum difficilis; Et ego ſcriptor dico, quod in omnibus paſſibus non ſcripſi pœnitentiam ejus mirabilem, quam ipſa beata Angela faciebat, quia & ipſa non manifeſtavit mihi tunc, niſi quantum oportebat eam dicere pro paſſibus diſtinguendis, & ego nolebam ſcribere unam dictionem plus, niſi quantum ipſa mihi dicebat.

Duodecimo paſſu cum non videretur mihi, quod poſſem cum rebus ſæculi facere ſufficientem pœnitentiam, deliberavi relinquere omnia, ut poſſem facere pœnitentiam, & venire ad Crucem, ſicut mihi a Deo fuerat inſpiratum, nam cum ego deſiderabam vehementer fieri pauper, & cogitarem frequenter cum multo zelo, ne forte accideret mihi mors prius quam fierem pauper. Et contrario impugnabar a multis tentationibus, eo quod eſſem juvenis, unde mendicare poterat mihi eſſe periculum, & verecundia; Et quod oportebat me mori fame & frigore & nuditate, & quia omnes mihi diſſuadebant: Quadam vero vice venit mihi magna illuminatio in corde meo, cum qua illuminatione venit mihi quædam firmitas, quod ſi oporteret me mori fame, ac nuditate, ex quo Deo placebat, læta moriebar pro Deo, & ex tunc vere deliberavi relinquere omnia.

Tertio decimo paſſu intravi per dolorem Matris Chriſti, & Sancti Johannis Evangeliſtæ, & rogabam, ut ipſi aquirerent mihi ſignum certum, quo ſemper habere poſſem in memoria Paſſionem Chriſti continue. Inter iſta accidit, quod in ſomno fuit mihi oſtenſum Cor Chriſti, & dictum eſt mihi: In iſto Corde non eſt mendacium, ſed omnia ſunt ibi vera.

Quartodecimo paſſu, dum ſtarem ad orationem, Chriſtus ſe oſtendit mihi in Cruce vigilanti magis clarum, hoc eſt, quod dedit mihi majorem cognitionem de ſe, & tunc vocavit me, & dixit mihi, quod ego ponerem os meum in plagam lateris ſui, & videbatur mihi, quod ego viderem, & biberem Sanguinem ejus, fluentem recenter de latere ſuo, & dabatur mihi intelligi, quod in iſto mundaret me, & hic incepi, & habui lætitiam magnam, quamvis ex conſideratione paſſionis ejus haberem triſtitiam.

Quintodecimo paſſu figebam me in Sancto Iohanne & in Matre Dei, cogitando dolorem eorum, & rogando ipſos, quod ipſi acquirerent mihi gratiam iſtam, quod ſentirem ſemper dolorem Paſſionis Chriſti, vel ſaltem de dolore eorum; Et tantum dedit mihi ſemel Sanctus Johannes, quod fuit de majoribus doloribus, quam unquam ſenſerim; & dabatur mihi intelligere, quod Sanctus Johannes tantum dolorem ſuſtinuerat de paſſione & morte Chriſti, & de dolore Matris Chriſti, quod æſtimabam, & æſtimo, quod fuiſſet pluſquam martyr.

Sextodecimo paſſu, iveram in Eccleſiam, & rogaveram Deum, quod faceret mihi aliquam gratiam, & dum ego orabam, poſuit in corde meo *Pater noſter* cum tanto claro intellectu Divinæ bonitatis, & meæ indignitatis, & ſingula verba exponebantur mihi in corde, & quamvis plorarem amare propter peccata, & indignitatem meam, quam ibi cognoſcebam, tamen ibi habebam magnam conſolationem, & cepi guſtare aliquid de dulcedine divina, quia ibi cognoſcebam melius dulcedinem divinam, quam in aliqua re, & adhuc eram in amaritudine propter peccata; Et in quolibet prædictorum commorata fui per longum tempus, antequam poſſem me movere ad alium paſſum, ſed in aliquo paſſu morata ſum plus. Unde dicebat beata Angela, admirando: Oh cum quanta amaritudine perficitur anima! nihil hic ſcribitur. Ita habet fortes ligaturas in pedibus, & ita habet malum adjutorium a mundo & a Dæmone.

Decimo ſeptimo paſſu poſt iſtud demonſtratum eſt mihi, quod beata Virgo acquiſivit mihi gratiam, qua dedit mihi aliam fidem, quam habueram, quia uſque adhuc videbatur mihi, quod fides mea fuiſſet quaſi mortua, & lachrymæ, quas habebam, fuiſſent quaſi per vim factæ, ſed poſtea dolui de paſſione Chriſti efficacius, & de dolore Matris Chriſti, & tunc faciebam pœnitentiam, & quantamcunque faciebam, videbatur mihi parva. Et tunc recluſi me in paſſione Chriſti, & data eſt mihi ſpes, quod ibi poteram liberari, & hic incepi habere conſolationem per ſomnia, & cepit mihi dari dulcedo in anima, de Deo continue vigilanti & dormienti. Quare quadam vice, dum eram in carcere, in quo me recluſeram per Quadrageſimam majorem, & diligenter meditarer in uno verbo Evangelii, & ſic obdormivi, & ſtatim ducta fuit ab uno in viſione, & dictum eſt mihi, quod intellectus Evangelii eſt res tantum delectabilis, quod ſi quis bene intelligeret, oblivïſceretur omnium mundanorum, & dixit mihi ille, qui me ducebat; Vis iſtud probare? & cum aſſentirem, ſtatim duxit me, & fecit me illud probare, & intelligebam cum tanta dulcedine bona divina, quod ſtatim oblita fui omnium mundanorum, & oblita eram mei ipſius, &

eram

eram in tanta dulcedine, quod petebam ab illo, qui me ducebat, ut de illo statu non discederem de cetero, & respondit ille, quod istud adhuc non poterat esse, & statim reduxit me, & aperui oculos, & sentiebam maximam lætitiam de hiis, quæ videram, & ex tunc tanta certitudo remansit mihi, & tantum lumen & ardor amoris Dei, quod affirmabam certissime, quod nihil prædicant de delectatione Dei, & ea, quæ prædicant, non intelligunt.

Decimooctavo passu postea habebam sentimenta Dei, & habebam tantam delectationem in oratione, quod non recordabar de comestione, & erat ignis amoris Dei in corde meo in tantum, quod non fiebam fessa de genuflexionibus, nec de aliqua re pœnitentiæ. Postea veni ad tantum majorem ignem, quod si audiebam loqui de Deo, stridebam, & si aliquis stetisset cum securi super me ad interficiendum me, non potuissem abstinere, & quando videbam passionem Christi pictam, vix poteram sustinere, sed capiebat me febris, & infirmabar, unde socia mea abscondebat a me picturas passionis Christi.

Decimonono passu. Quod semel inspiratum est mihi, & fui tracta ad considerandum delectationem, quæ est in contemplatione Divinitatis & humanitatis Christi, & tunc fuit major consolatio, quam unquam fuissem experta, in tantum quod per magnam partem illius diei steti in pedibus in cella, ubi orabam sola, & cor meum erat in illa delectatione, & post hæc jacui, & perdidi loquelam, & socia tunc venit ad me, & cogitabat, quod ego morerer, & essem in morte, sed me tædebat, quia faciebat mihi impedimentum in illa consolatione maxima. Et quadam vice, antequam complevissem omnia pauperibus erogare, quamvis satis parum remansisset, rogabam Deum, dicens: Domine istud, quod facio, non facio pro alio, nisi ut inveniam te, & respondit mihi, apta te, quia statim quando hoc, quod facis, factum fuerit, tota Trinitas veniet in te, & multa alia promisit mihi, & extraxit me de omni tribulatione, & dimisit me cum multa dulcedine.

Vigesimo passu post istud, quod prædictum est, ivi ad Ecclesiam Sancti Francisci ad Assisium, & tunc evenit mihi in via, & impleta fuit dicta promissio, & adhuc non compleveram omnia dare pauperibus pro eo, quod quidam vir dives de regno Neapuliæ volebat se expropriare simul mecum omnino de omnibus, quia ipse fuerat conversus per gratiam Dei, & ammonitionem meam, ideo expectaveram eum, verumtamen relatum est mihi postea, quod ille mortuus est in illo itinere, & quod Deus fecit mirabilia per ipsum, & quod sepultura illius in reverentia habebatur. Iste passus vigesimus est valde mirabilis, & magnæ revelationis divinæ, quamvis alii septem, qui sequuntur, sunt adhuc multo mirabiliores, & ideo in illis septem omnia comprehenduntur, quæ revelata fuerunt mihi.

Vigesimo primo passu, quando beata Angela pervenit inter Spellum, & viam arctam, ascendens versus Assisium, & orans beatum Franciscum, ibi in trivio dictum est ei: Tu rogasti servum meum Franciscum, & ego nolui mittere nuncium alium, sed ego sum Spiritus Sanctus, qui veni ad te, ut parem tibi consolationem, quam nunquam gustasti, & veniam tecum intus in te usque Assisium, & non perpendent alii, & tu non poteris facere aliud, quia ego ligavi te, & non discedam a te, quousque secunda vice venias ad Ecclesiam Sancti Francisci, & tunc discedam a te secundum istam consolationem, sed tamen a te nunquam discedam de cetero, si tu me diligas, & incepit dicere: Filia mea dulcis mihi, filia mea, dilectum templum meum, ama me, quia tu es multum amata a me, multo plus quam tu ames me. In istis verbis cepi dubitare multum, & dixit anima mea sibi, si tu esses Spiritus Sanctus, non diceres mihi talia, quia non convenit, & ego sum fragilis, quæ possem inde habere vanamgloriam, & respondit mihi, modo cogita, si potes tu de omnibus istis habere vanam gloriam unam, & ego incepi & conata fui velle habere unam vanam gloriam, & non potui, & incepi respicere per vineas, ut exirem de ista locutione, & ubicunque respiciebam, dicebat mihi: Ista est mea creatura, & sentiebam dulcedinem divinam ineffabilem, & reducebantur ad memoriam meam tunc omnia peccata mea, & sentiebam in me tantam humilitatem, plusquam unquam senseram, & dicebat mihi, si totus mundus modo veniret tecum, tu non posses eis modo loqui, quia tecum venit major mundo; Et ut daret mihi securitatem de dubio meo, dicebat: Ego sum, qui crucifixus sum pro te, & habui famem & sitim pro te, & sparsi sanguinem meum pro te, tantum te dilexi; Et dicebat, pete gratiam quamcunque vis pro te & sociis tuis, & pro quibuscunque vis, & para te ad recipiendum, quia ego sum multo plus ad dandum paratus, quam tu ad recipiendum; Et ego dixi, & clamavit anima mea, nolo petere, quia non sum

sum digna ; Et venit mecum usque in Ecclesiam Sancti Francisci, statimque cum ego genuflexi in introitu Ecclesiæ , dixit mihi: modo est hora, quod te, filia dulcis , templum meum , dilectum meum , pro ista consolatione dimittam, sed te non dimittam unquam, si me diliges, & tunc in ipso verbo tantam dulcedinem sensi , quod fuit valde dulcissimum, & tunc respexi , ut viderem etiam oculis corporis , & vidi rem plenam majestate immensa , quam nescio dicere , sed videbatur mihi, quod erat omne bonum , & multa verba dulcedinis dixit mihi , quum recessit a me, & cum immensa suavitate , & plane discessit, & cum mora ; Et tunc post discessum ejus cepi stridere alta voce , & vociferare sine aliqua verecundia , dicendo hæc verba : O amor incognitus ! quare & quare me derelinquis ? Et ego clamabam, volens mori, & dolor magnus erat mihi , quod non moriebar, & remanebam , & tunc omnes compages meæ disjungebantur . Sed postquam redii de Asisio cum illa maxima dulcedine , veniebam per viam ad domum , & iterum dixit mihi : Do tibi hoc signum , quod ego sum, qui loquor, & qui locutus sum ad te , do crucem & amorem Dei intus in te, & hoc signum erit tecum in æternum; Et ego statim illam crucem & amorem sentiebam intus in anima corporaliter , & sentiendo liquefiebat anima in amore Dei, & veni domum, & jacebam in hac consolatione maxima & languore per octo dies , & sentiebam unam dulcedinem pacificam & maximam, quam nescio dicere, & clamabat anima : Domine capias pietatem de me , & non me permittas plus remanere in hoc mundo , & octo diebus jacui , & non potui loqui , nec dicere Pater noster, nec surgere; Et dixerat mihi per viam illam : Ego fui cum Apostolis , & videbant me oculis corporis, & non sentiebant istud , quod tu sentis, & tu me non vides, & sentis me , & tu habes annulum amoris mei , & es arrata a me, & nunquam discedes a me, & benedictionem Patris & Filii & Spiritus Sancti habeas tu , & socia tua Lella; & dixit hoc in recessu , quia ego petiveram pro socia mea, & respondit mihi istud: Sociæ tuæ do aliam gratiam. Et quum dixit mihi : Non recedes a me de cetero, anima clamavit : O non peccabo mortaliter, & respondit, hoc non dico tibi, & multoties ista talis collocutio facta est mihi , sed non cum prædicta mora , & ita profunde & cum tanta dulcedine. Et postquam reversa est de Asisio , & jacebat, sicut dictum est, socia sua, quæ erat mirabilis simplicitatis, ac puritatis & virginitatis , audivit vocem unam ter sibi dicentem : Spiritus Sanctus est intus in Lella, & tunc ivit ad beatam Angelam, & cepit inquirere , dicens : Dicas mihi istud , quod habes , quia mihi sic ter dictum est ; Et beata Angela respondit , si tibi est dictum , placet mihi , & affirmavit , & ex tunc beata Angela communicavit sociæ suæ plura de divinis secretis. Ista prædicta socia sua retulit mihi Scriptori post hæc , quod dum quadam vice beata Angela jaceret in excessu mentis , in latere suo vidit ista socia sua quasi stellam rotundissimam diversorum colorum resplendentium, & procedebant ex ea radii miræ pulchritudinis grossi , & radiis subtiles, & postquam processerunt de pectore illius jacentis, in latere plicabant se radii ascendentes sursum versus Cœlum , & istud vidit oculis corporis vigilando , & erat hora tertia . Quadam vice ego frater, qui scripsi verba ista divina , feci sibi istam interrogationem , dicens: Quomodo dictum fuerat ei in ista præcedenti revelatione, *Ego sum Spiritus Sanctus*, & paulo post dictum est ei, *Ego sum* , *qui fui pro te crucifixus*, & ipsa respondit mihi ita, dicens: Postquam reversa fui domum, cœpi cogitare , quia & ego dubium habui de illo , & statim facta est mihi responsio divina, dicens: Jam venit, jam venit in te tota Trinitas, & quum tibi fuerunt dicta illa verba , jam in te erant Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Quære ab eo, quomodo potuit venire in te tota Trinitas , & dabatur mihi intelligi, quod quamvis venisset in me, tamen erat in Cœlo, & non discedebat de Cœlo. Et dixit beata Angela, quadam vice cogitabam de magno dolore, quem Christus habuit in Cruce, & cogitabam de clavis, quia audieram, quod clavi illi de manibus & pedibus Christi, carnem portaverant intus in ligno, & tunc habui magnum dolorem de illa pœna Christi, quod non potui stare in pedibus, & inclinavi caput super brachia mea , quæ projeceram in terra , & tunc Christus ostendit mihi collum & brachia sua , & statim prior tristitia conversa est in tantam lætitiam , quod de ea non possum manifestare aliquid, & erat tanta pulchritudo illius colli , vel gutturis , quod videbatur mihi, quod ego viderem Divinitatem ejus , & illam claritatem nescio assimilare alicui rei , vel colori de mundo , nisi tantum claritati Corporis Christi , quam aliquando video in Missa , quando elevatur Corpus Christi . Ad hæc ego , qui scripsi, dixi ad eam; Peto te, dic mihi, quidquid unquam vidisti in Corpore Christi;

sti ; Et illa respondit : Aliquando video ipsam hostiam in tanta claritate, sicut vidi collum , vel guttur ejus cum tanta pulchritudine, quod datur mihi intelligere certitudinaliter , quod video Deum sine aliquo dubio . Aliquando autem vidi in hostia duos oculos splendidissimos ita grossos, quod de hostia videretur tantummodo ora. Alia vice vidi in hostia sicut puerum Jesum duodecim annorum , & erat tantæ pulchritudinis, & lætitiæ, ac delectationis , quod non recedet a me in æternum.

Vigesimo secundo passu, postquam illæ locutiones divinæ factæ fuerunt mihi eunti Assisium , post annum dum eram in oratione, & volebam dicere Pater noster, subito venit vox in anima , & dixit mihi : Tu es plena Deo ; Et tunc revera sentiebam omnia membra plena delectamento Dei, & desiderabam mori , & jacebam , & dicebat socia , quod egrediebantur lachrymæ de apertis oculis, & tunc dicebatur mihi & sentiebam : Quomodo Deus amplexatur animam ! Et dixit mihi Dominus: Filia mea dulcis mihi, plusquam ego sim tibi, templum meum, delectum meum , cor Dei stat modo super cor tuum , & cum istis verbis venit mihi tantum sentimentum Dei, plusquam unquam adhuc fueram experta , & etiam omnia membra corporis sentiebant istud delectamentum , & jacui in istis , & dictum est mihi: Deus Omnipotens reposuit in te multum amorem, plusquam in fœmina istius civitatis, & ipse delectatur in te , & Deus est impletor tui , & sociæ tuæ, & studete, quod vita vestra sit lumen omnium , qui volunt ad hoc respicere, & illi, qui respiciunt, & non operantur, durum & forte erit eis judicium ; & comprehendebat anima hoc judicium crudele esse literatorum magis quam laicorum , quia cognoscunt ita per Scripturas , & despiciunt . Et tantus est amor Dei omnipotentis , quem posuit in nobis, quod continue stat nobiscum , sed non cum istis sentimentis , & dicebat mihi , ego possum facere omnia, & quod videas me, sicut viderunt Apostoli, & non sentias me, & possum facere, quod me sentias, sicut sentis , & non videas me , & respondit anima & clamavit: Si tu es filius Dei omnipotentis , da mihi aliquod signum, quod sim secura, & dixit mihi, ego dabo tibi istud signum: Do tibi unum amorem de me, quo anima continue erit calida de me , & iste amor erit ita fervens, quod si aliquis dixerit tibi malum, tu habebis pro gratia, & clamabis te indignam tali gratia, quia hoc habui ego , & fuit tantus amor , quem habui ad vos, quod omnia patienter sustinui, sic & tu, cum desiderabis , quod omnes dicant tibi malum , tunc cognosces , quia ego sum in te , quia hoc est signum certum gratiæ Dei. Et ecce modo ungo te unguento syricoso, quo fuit unctus Sanctus Siricus, & alii multi Sancti ; & subito ego sentiebam ipsam unctionem cum tanta dulcedine , quod desiderabam mori etiam cum omni tormento corporali, & cogitabam, quod nihil erat , quod Sancti sustinuerunt tormenta martyriorum , & quod rogabant Deum pro illis , qui ipsos occidebant ; & ego desiderabam , quod totus mundus diceret mihi verecundiam, & quod mors mea esset longa cum omni tormento , & quod omnia tormenta essent in quolibet membro meo, & erat mihi delectabile rogare Deum pro illis , qui mihi hic omnia mala facerent . Et ego videbam Deum , & Sancti stabant omnes ad laudandum eum ante illam Majestatem ; Et dicebat mihi filia mea amata multo plus mihi , quam ego tibi . Ecce omnes Sancti habent tibi specialem amorem , & Mater mea ; Et eris associata a me cum illis . Et totum istud valde parum videbatur mihi de Sanctis & de Matre sua , sed tota delectabar in ipso , tanta erat pulchritudo ipsius , quia erat summum bonum; Et tanta erat dulcedo, quam sentiebam de ipso, & clamabat anima mea: Quare habes mihi tantum amorem, quia sum ita peccatrix ? Et quare habes tantum delectum in me , quæ sum ita turpis, & quæ toties te offendi ? & respondit mihi : Tantus est amor , quem habeo repositum in te , quod peccata tua non recordor, & oculi mei defectus tuos non respiciunt . Et dicebat mihi : Tantus est amor , quem habeo animæ , quæ diligit me sine malitia , quod modo multo majorem gratiam facerem ei, quam fecerim Sanctis tempore illo, quo referuntur multa mirabilia de ipsis, & non est aliquis, qui posset se excusare, quia omnis persona potest amare me , & ego non quæro aliud, nisi ut diligeret me anima , quia ego sum amor animæ , & conquerebatur, quia isto tempore tam paucas personas invenit , in quibus posset ponere gratiam suam. Et dixit mihi : Nulla persona poterit habere excusationem salutis , quia non oportet eas plus facere , nisi sicut facit infirmus medico , qui ostendit ei infirmitatem suam , & disponit se ad faciendum ea, quæ dicit sibi medicus . Et respondit hic anima Beatæ Angelæ , & cepit numerare omnia membra & peccata omnium membrorum , & confitebatur ei,

ei, & ipse totum audivit patienter, & sanavit eam, & dixit: Istud habuit Maria Magdalena, videlicet dolorem, quia erat infirma, & habebat desiderium liberandi ab infirmitate, & quicunque istud habet, potest liberari, sicut ipsa. Item dixit mihi scribenti Beata Angela; Cum orarem ante comestionem, & rogarem Dominam, quod ipsa acquireret mihi gratiam a Filio suo, ut ipse auferret mihi per suæ Sanctissimæ Passionis merita omne peccatum, & quod ipse faceret mihi, & sociæ meæ absolutionem, & benediceret istud comedere & bibere, quod nos volebamus facere, subito responsio fuit mihi facta, dicens: Filia mea dulcis mihi, istud, quod petivisti, est tibi factum, omne peccatum est tibi ablatum, & absolutio facta est vobis, & benedictionem habetis, & comedere & bibere vestrum placet mihi, & est vobis semper benedictum; Et anima tunc sentiebat Deum esse in se, & cognoscebat, quia ita erat verum propter lætitiam spiritualem, & dulcedinem divinam, quam sentiebat veraciter de Deo. Item alia vice, quando stabam in Ecclesia, & hora erat, quum personæ genuflectebant ad elevationem Corporis Christi, tunc facta est mihi talis locutio a Beata Virgine, & dixit mihi: Filia mea dulcis Filio meo & mihi, Filius meus jam venit ad te, & recepisti suam benedictionem, & faciebat me intelligere tunc, quod Filius suus erat in Altari, quasi diceret mihi nova de maxima lætitia tanta, quod nescio eam dicere. Et dicebat mihi, postquam recepisti benedictionem a Filio meo, conveniens est, ut ego venirem ad te, & darem tibi benedictionem meam, & stude te, quantum potes, ad amandum, quia tu es multum amata, & tu venies in rem infinitam; Et tunc tantam lætitiam recepit anima, quantam nunquam receperam, & non poteram genuflectere ante elevationem, sed steteram recta in prædictis locutionibus, & in ipsa elevatione Corporis Christi omnia membra mea sentiebant maximam delectationem, & ego vellem semper in illo esse.

Vigesimo tertio passu rogabam Deum, ut ostenderet mihi, qui sunt filii sui, & fuit mihi dictum a Deo hoc exemplum. Esset unus, qui haberet multos amicos, & invitaret eos ad convivium, & quia non omnes invitati venirent, dolebat de illis, sed venientes ponebat ad convivium, & illos, quos plus diligit, ponit juxta se, & comedunt de mensa sua. Et ego quærebam dicens, quid est Domine, quod tu invitas omnes? & respondit; Ego vocavi omnes ad vitam æternam, qui volunt venire, veniant, quia nullus potest excusari, quod non sit vocatus. Et dicebat: Ecce vocati veniunt, & ponuntur ad mensam, & quærebam ego: Isti vocati qua via venerunt? & respondebat, dicens, per viam tribulationis; Et isti sunt virgines castæ, pauperes, patientes, & infirmi, & nominabat multa genera salvandorum; Et ego in omni verbo intelligebam rationem, & delectabar valde, & studebam non movere etiam oculos, ne perderem illam consolationem; Et isti vocabantur proprie filii, & istis filiis suis structis Deus permittit tribulationes, & hoc facit eis pro speciali gratia, ut comedant in una mensa secum. Et dicebat mihi aliud exemplum de cruce, quod erat istud. Ecce unus pater, qui haberet suos filios, qui peccarent, & accideret, quod pater innocens propter peccata filiorum occideretur, isti sui filii, naturale est, quod deberent dolere de occisione patris. Ita vide anima, quod major debet esse dolor de morte Christi, qui est plusquam pater carnalis, & mortuus propter peccata vestra. Unde dicebatur mihi: Dole anima, quum transis juxta Crucem, in qua Christus mortuus est. Postea in die Jovis-sancti ego & socia mea tulimus omnes pannos capitis nostri, & ivimus ad hospitale pauperum & infirmorum, & venditis pannis illis, emimus pisces pro pauperibus, & fecimus eis prandium, & postea lavimus pedes fæminarum, & manus hominum, maxime cujusdam leprosi, qui habuit manus valde putridas, & bibimus de illa lotura, & tantam dulcedinem sensimus, quod per totam viam venimus in magna suavitate, ac si communicassemus. Item quadam vice dixit Christus Beatæ Angelæ, & ostendit sibi, quomodo ipsa erat vilis, & de vili materia creata, & quomodo in ipsa nullam bonitatem invenit, & ideo dictum est ei: Vide? quid es tu, pro qua ego veni. Quadam vice fuit mens Beatæ Angelæ levata & posita circa unam mensam, & videbat super mensam unam plenitudinem divinæ Sapientiæ, & in illa plenitudine cognoscebat, quod non erat licitum inquirere, & velle scire illud, quod vult facere divina Sapientia, & ideo dicebat, qui vult illud inquirere, graviter errat.

Vigesimo quarto passu facta fuit mihi divina locutio, ita dicens: Ego, qui loquor tibi, sum Divina potentia, qui apporto tibi gratiam, & gratia, quam apporto tibi, est talis, quod volo, quod prosis omnibus hominibus, qui videbunt te; Et tunc anima, quamvis sentiret maximam lætitiam, tamen dicebat: Domine nolo

nolo hanc gratiam, quia timeo, ne mihi noceat, & ne possem inde habere vanam gloriam. Et respondit mihi, dicens: Tu non habes ibi facere aliquid, quia non est tuum, sed solum es illius custos, serva illud bene, & redde illi, cujus est; Et anima tunc comprehendebat, quod isto modo non poterat mihi nocere, & dixit mihi, placet mihi, quod tu habeas istum timorem, & illa tria facias, quæ dicta sunt tibi, & fiet tibi illud, quod petisti matrem meam, & ego petiveram Beatam Virginem, quod impetraret mihi gratiam a Filio suo, qua cognoscerem, ut non essem decepta in locutionibus, quæ fiebant mihi; Et statim incepi facere illa tria prædicta, quæ sunt ista. Quia dictum fuerat mihi: Deus ostendit se tibi; locutus est tibi; dedit sentimentum suum de se tibi; ut & tu evites videre, loqui & audire omnia, quæ non sunt secundum eum. Et statim cum incepi illa tria facere, cor meum levatum fuit ab omnibus terrenis, & positum fuit in Deo ita, quod nihil poteram cogitare, & videre nisi Deum, & si loquebar, aut comedebam, & quidquid faciebam, non impediebat quod cor meum erat semper in Deo, & duravit istud tribus diebus & tribus noctibus. Et post hæc dum quadam die sederem in domo mea pigra, facta est mihi quædam locutio, dicens, ego, qui loquor, sum Sanctus Bartholomæus, & dicebat, quod in ipsa die erat festum suum, & implevit animam tristitia, & vagatione, & fui extra orationem, & non poteram me recolligere, & duravit mihi hoc per decem dies, & tunc fui confessa, & disposui me ad communicandum, & dum cantabatur Missa, facta est mihi locutio divina dulcissima, quæ statim reaptavit totam animam, & dixit mihi: Filia mea dulcissima, nulla creatura potest tibi dare consolationem, nisi solus ego, & postea dixit, ego volo tibi ostendere de potentia mea, & statim fuerunt aperti oculi animæ, & videbam unam plenitudinem Dei, in qua comprehendebam totum mundum ultra mare & citra mare, & abyssum, & omnem creaturam, & anima tunc admirando nimis, clamavit, dicens: Est iste mundus prægnans de Deo, & comprehendebam totum mundum quasi quid parum, sed potentiam Dei excedere, & implere omnia; Et dixit mihi, modo ostendi tibi potentiam meam, vide etiam humilitatem meam, & videbam tantum profundam humilitatem Dei ad homines, quod anima mea mirabatur, & reputabat in se nihil aliud esse nisi superbiam, & tunc cepi dicere, quod nolebam communicare, quia videbatur mihi, quod non eram digna, & cum facta fuisset elevatio Corporis Christi, dixit mihi: Ecce potentia Divina, quæ modo est super altare, & sum intus in te, si tu me recipis, vel non recipis, tu me jam recepisti, sed tamen communica in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & ego, qui sum dignus, facio te dignam, & tunc remansit in me dulcedo innenarrabilis, & lætitia magna, qua non carere credo in vita mea. Quadam vice, dum jacerem in lecto infirma, dictum est mihi: Surge, & sta genibus flexis, & manibus junctis, & ego per infirmitatem non confidebam posse surgere, & tunc dixit mihi, surge, & percute tuum pectus, & dic tuam culpam, vidente socia tua, de eo quod non obedivisti mihi, & statim surrexi cum magna lætitia, & non sentiebam debilitatem, nec infirmitatem, & tunc dixi Deo meam culpam, vidente socia, & dixit mihi: Dicas ista verba; Laudata & benedicta sit Sancta Trinitas, & Sancta Maria Virgo. Et factum est post hæc; Ego eram valde tribulata, & videbatur mihi, quod essem derelicta a Deo plusquam per quatuor septimanas, & infra illud tempus facta est mihi locutio divina, dicens: Filia mea amata a Deo Omnipotente, & ab omnibus Sanctis, & Deus reposuit suum amorem in te plusquam in aliqua fæmina vallis Spoletanæ, & anima respondit, clamans, quomodo possum hoc credere, cum sim plena tribulatione, & videtur mihi, quod sim derelicta a Deo, & respondit, quando tibi videtur, quod sis derelicta, tunc magis es adjuta a Deo, & magis tibi propinquus est Deus, & statim fuit mihi facta mirabilis dispositio, qua poteram me totam mittere intus in Christum; & quum communicavi, habui, innenarrabile sentimentum Dei, & dimisit in me unam pacem, qua datur mihi intelligere, quod omnis tribulatio, & quidquid accidere potest, fit pro bono meo, & fuit mihi facta gratia nova, quam non habueram prius, & subito fuit levata anima in tanta lætitia, quæ si duraret, credo, quod corpus perderet omnes sensus, & perderentur omnia membra, sed Deus istum ludum sæpe in anima & cum anima facit, quia statim recedit, quum anima cupit eum tenere, remanet tamen in anima maxima lætitia & securitas.

Vigesimoquinto passu, ego eram in Vesperis, & respiciebam Crucem, & subito fui accensa uno amore, & videbam & sentiebam, quod Christus in me amplexabatur animam cum illo brachio, cum quo fuit crucifixus, & gaudebam

cum ipso tanta lætitia & securitate plusquam nunquam consueveram, & nullo modo possum habere tristitiam aliquam de passione ipsius, sed delector videre & pervenire ad illum hominem passionatum; Et aliquando videtur animæ, quod cum tanta lætitia & delectatione intrat intus in latus Christi, quod nullo modo posset dici, vel narrari. In die Sabbatho Sancto fui rapta in extasim; & steti in sepulcro simul cum Christo, & osculata fui primo pectus Christi, & videbam eum jacentem oculis clausis, sicut jacuit mortuus in sepulcro, & postea osculata fui os ejus, ex quo ore admirabilem & delectabilem odorem accepi, & postea posui maxillam meam super maxillam Christi, & Christus posuit manum super aliam maxillam meam, & strinxit eam ad se, & dixit mihi ista verba: Antequam jacerem in sepulcro, tenui te ita astrictam. Quadam vice in Quadragesima rogabam Deum, ut mihi daret gratiam, quia eram sicca ab omni bono, & tunc fuerunt aperti oculi animæ plusquam oculi corporis, & videbat amorem venientem ad se, & statim quum fuit prope eam, retraxit se retro, & propter hoc fecit eam magis languere, & anima intus clamabat, petens, quod non faceret eam tanta morte languere, quia vitam æstimabat mortem; & statim facta fuit sibi locutio divina, & dixit: Multi sunt, qui credunt stare in amore, & stant in odio, & multi credunt stare in odio, & stant in amore, & respondit anima clamans, numquid ego, quæ sum tota amor, sum in odio? & tunc non respondit ei verbo, sed ostendit sibi manifeste, quod non erat in odio, & tunc ego remansi contenta, & sum secura, etiamsi Angelus diceret mihi contrarium, non sibi crederem; & post illud habui amorem mortalem multo majorem quam prius, & tunc nollem aliquid audire de passione Domini, & nollem, quod nominaretur mihi Deus, & non habeo, nec desidero habere lacrymas, & nihil mihi videtur, quod dicatur de Evangelio, & tantum sum impleta de illo amore, & tantum sum Angelica, quod diligo bufones, serpentes & dæmones, & peccatum mortale non displiceret mihi, idest non haberem inde displicentiam, credens, quod juste Deus permittit, & si tunc comederet me canis, non curarem; Et iste dictus gradus est major, quam stare ad pedes Crucis. Et quadam vice non eram in oratione, sed posueram me ad pausandum post comestionem, & subito fuit elevata anima, & videbam Beatam Virginem Mariam in magna gloria, & dum respicerem ipsam cum magna lætitia, apparuit mihi Dominus Jesus, sedens juxta illam in humanitate glorificata, & ego intelligebam carnem illam, quomodo fuit crucifixa, & omnes pœnas ejus videbam, & nullo modo dolebam de eis, sed erat mihi tanta delectatio, quod dici non potest, & perdidi loquelam, & reputabar mori, sed mihi erat pœna supermaxima, quod non moriebar, & quod non perveniebam statim ad illud bonum inenarrabile, quod videbam, & duravit istud videre continue per tres dies, & non impediebar a comestione, nec ab aliqua re, sed jacebam continue, & non loquebar aliquid. Dixit beata Angela, quod multis modis cognoscit anima, quum Deus venit in se intus, de quibus multis dixit duos; Unus est quædam unctio, quæ subito ita renovat animam, & omnia membra corporis reddit mansueta, & concordantia cum anima, quæ non potest lædi, vel turbari in aliquo, & sentit, & audit intus, quod Deus loquitur ei. Alius modus est una amplexatio, quam Deus facit animæ, quam nunquam nec mater filium potest cum tanto amore amplecti, sicut Deus amplectitur animam, & stringit eam ad se, cum tanta dulcedine, quod nullus potest credere, nisi expertus, & apportat secum ignem, quo tota ardet in Christo, & tunc securatur & certificatur, quod Christus est in se. Sed tamen sunt aliqui modi, in quibus potest esse deceptio in personis spiritualibus. Unus modus est, quum amor non est purus, sed admiscet ibi persona de suo, hoc est de voluntate sua, & quum habet ibi persona aliquid de mundo, & mundus invitat, & commendat eam, & omnis invitatio mundi est falsa, & in isto, quod mundus invitat eam, & videt eam, plus crescunt illæ lacrymæ, & dulcedines, & tremor & stridor, qui sunt in illo amore non puro, & quamvis in illo amore non puro habeat lacrymas & dulcedines, tamen non fiunt intus in anima, sed fiunt in corpore, & cito illa dulcedo deficit, & persona cito obliviscitur, & hæc omnia probavi in me, sed quum amor est purus, tunc persona reputat se mortuam & nihil esse, & non recordatur omnino alicujus laudis, nec alicujus boni, & iste amor est intus in anima, & facit animam videre defectus suos, & bonitatem Dei, & adducit animam prædictus amor intus in Christum. Alius modus deceptionis est iste. Quando persona sentit se amatam a Deo, & sentit in se bona spiritualia, & operatur bona, tamen quia se nimis assecurat, & transit modum, reputans illa bona a seipsa, vel pro meritis suis,

suis, vel plus habere bona, quam alii, & per talem reputationem decipitur, & perdit gratiam Dei, quia verus amor Dei conservatur in humilitate, & crescit per multas tribulationes & adversitates, quas Deus permittit super suos amatos, ut purgentur, sicut aurum per fornacem ignis.

Vigesimo sexto passu beata Angela patiebatur multas infirmitates corporis & animæ, & innumerabilia tormenta a dæmonibus excitata, nam de passionibus corporis, non remanserat sibi in corpore membrum, quo non horribiliter pateretur. De tormentis vero animæ, quæ a dæmonibus sustinebat, nullam sciebat assignare similitudinem, nisi de homine suspenso per gulam, qui, ligatis post tergum manibus, & velatis oculis, suspensus viveret, cui nullum auxilium, aut remedium remansisset, sic dæmones animam meam multo crudelius suspendunt, quod nullum videtur substentamentum remanere, & omnes virtutes animæ subvertunt, sciente & aspiciente anima, & ex hoc fit tantus dolor animæ desperatus, quod clamo & ploro irremediabiliter, & quum anima videt cadere, & discedere omnes virtutes, tunc fit timor & planctus, & clamo ad Deum, quod me adjuvet, & multoties in corpore meo non remanet aliquod membrum, quod non sit percussum & pœnatum a dæmonibus, & omnia vitia corporis revixerunt, & etiam illa vitia, quæ nunquam fuerunt, venerunt in corpore, & præbent magnam pœnalitatem, & in locis verecundis est tantus ignis, quod consuevi apponere ignem materialem ad extinguendum illum ignem, quia tunc eligerem viva assari, quam pati prædicta, immo tunc clamo mortem per quemcunque modum veniret, sed & anima videt, quod est ei ablata omnis potentia, & non habet vim aliquam resistendi vitiis, & videt, quod est contra Deum, & cadit in eis, & clamat anima Deo, dicens: Si debes me mittere in infernum, non differas, sed statim facias, & dico Deo, ex quo me dereliquisti, tu comple, & submerge me in infernum, & quamvis essem infirmissima, & plena doloribus in omnibus membris, quod non possem me movere ad ambulandum, vel ad sedendum, & non poteram comedere nisi valde modicum, tamen eram pinguissima in corpore, & rubicunda, & videbam me cecidisse ab omni bono, & extra omnem gratiam, & videbam me in tanta plenitudine peccatorum & defectuum, quod non poteram cogitare, quod Deus amplius velit mihi misereri, & mansi in hac desperatione plusquam duobus annis, & post duos annos cepi recordari bona præterita, quæ mihi Deus fecerat absque meis meritis, sola sua gratia, & cognovi, quod quanto magis anima cadit, & humiliatur in infimo, tanto magis purgatur, & aptatur, ut sit elevata in supremo, quia nulla anima potest plus elevari, nisi quantum humiliatur, & complanatur. Et post hæc eram in Ecclesia Fratrum minorum in Fuligno in die Purificationis Sanctæ Mariæ Virginis, & facta est mihi ibidem locutio, dicens: Hæc est hora, qua Domina venit in templum cum Filio suo, & anima tunc fuit elevata, & vidit Dominam intrantem illa hora, & obviavit sibi cum magna reverentia & honore, & ipsa Domina extendit versus me Filium suum, & dixit mihi: Accipe dilecti Filii mei, & dicendo verba, extendit brachia, & posuit in brachiis meis Filium suum, qui videbatur habere oculos clausos, quasi dormiret, & erat pannis involutus; & tunc ipsa quasi ab itinere fatigata, sedit, & faciebat tam pulcherrimos gestus, & habebat tam delectabiles mores, quod erat dulcissimum & delectabile aspicere ipsam, & sæpe volvebam me ad puerum, quem sic astrictum tenebam in brachiis, & sæpe volvebam me ad ipsam Dominam, & aspiciebam eam tam pulcherrimam. Et tunc subito puer remansit mihi, in brachiis totus nudus, & tunc aperuit oculos, & respexit me, & tunc in respectione illorum oculorum tantum sensi amorem, quod me vicit omnino, & apposui faciem meam faciei suæ, & tunc subito apparuit una immensa Majestas, & dixit: Qui non viderit me parvum, non videbit me magnum; Et dixit: Ego veni, & obtuli tibi, & tu offeras, & non dixit quid, vel quomodo, sed tunc anima intelligens, obtulit seipsam.

Vigesimo septimo passu fuit elevata anima mea, & videbam Deum in tanta claritate, & tanta plenitudine, quod ego perdidi illum amorem, & facta sum non amor, & post istud vidi eum in una tenebra, & ideo in tenebra, quia est majus bonum, quam possit cogitari, vel intelligi; Et tunc data fuit animæ meæ una fides certissima, una spes secura & firmissima, quæ abstulit a me omnem timorem, & in illo bono, quod videtur in tenebra, recollegi me totam, & effecta sum ita secura de Deo, quod nunquam possum dubitare de eo. Et postea in Quadragesima procedenti impercibiliter inveni me totam intus in Deo, majori modo quam consueveram, eo quod recipiebam majora bona, quam prius, & quia eram in ipsis bonis continue, & eram plena deli-

deliciis, & plena lætitia, & fiebant in anima mea operationes divinæ tam ineffabiles, quod nullus Sanctus, nec Angelus posset eas enarrare; & sum extracta de omnibus, quæ prius habebam, & in quibus prius consueveram delectari, sicut de Cruce, & de humanitate Christi, & de passione, ac paupertate Filii Dei. Et sum extracta de primo modo videndi Deum in tenebra illa, quæ tantum me consueverat delectari, quia in Cruce Christi, in qua tantum delectabar, quod erat mea pausatio, & meus lectus, modo nihil invenio, & in paupertate Filii Dei nihil invenio, & in omnibus, quæ nominari possunt, nihil invenio. Quadam vice dum irem per viam cum socia mea, resplenduit facies mea sicut nix, & oculi erant grossi & splendentes sicut fulgur, ego autem cooperiebam vultum, timens, ne aliqua persona obviaret nobis, & videret me sic transfiguratam, & dixit mihi socia mea, quid tibi prodest, quod cooperis vultum? quia oculi tui videntur resplendere sicut candelæ, & ista socia, quia erat simplex valde & timida, & nesciebat adhuc dona gratiarum, lamentabatur, & percutiebat pectus suum pugnis, & dicebat, dicas mihi, quare tibi accidit istud? stude subtrahere te, quia amodo non possumus ire super terram; Et hoc non semel, sed multoties accidit mihi. Et ego cepi confortare sociam meam, ne timeret, & dicebam: Ne timeas, quia Deus præsentavit se in anima mea, faciens operationes divinas, & ineffabiles, & manifestat se animæ, donando ei majora adhuc dona cum majori claritate, nam duobus modis præsentat se Deus animæ. Uno modo præsentat se intime in anima mea, & tunc intelligo eum præsentem, & intelligo, quomodo est præsens in omni creatura bona & mala, in Dæmone, in Angelo, in inferno, in Paradiso, in adulterio, in virginitate. Unde dum sum in ista veritate, non minus delector de Deo, videndo unum dæmonem, vel unum adulterum, sicut videndo virginem, vel unum Angelum; Et de isto recipit anima magnam gravitatem sapientiæ, & magnam consolationem divinam, & lætitiam. Alio modo præsentat se Deus animæ magis specialiter, quia recolligit me totam in se, & facit in anima multas operationes divinas, & dilatat animam, & donat dona & dulcedines maximas cum tanta claritate & tam profundo abysso, quod solum illud præsentare Dei est illud bonum, quod habent Sancti in vita æterna, nisi quod in vita æterna est alia experientia, quia minor Sanctus, qui est in vita æterna, habet plus, quam possit dari alicui in hac vita. Et ideo quamvis ego possum recipere tristitias, & lætitias exterius, tamen intus in anima est una camera, in qua non ingreditur aliqua tristitia, nec lætitia, neque delectatio alicujus rei, quæ nominari possit, sed est in me omne illud bonum manifeste, quod non est aliud bonum, & in illo manifestare Dei intelligo, & habeo totam veritatem, quæ est in Cœlo, & in terra, ac in inferno, & in toto mundo, & in omni loco, & in omni re; Et habeo totum delectamentum, quod est in Cœlo, & in terra, & in omni creatura. Et omnia, quæ prius habui, vidi, aut dixi, apparent mihi fabulæ, & nihil esse in comparatione istius manifestæ gratiæ, in qua video me solam cum Deo totam nudam, totam sanctificatam, totam veram, totam rectam, totam certificatam, totam cœlestem in eo, & quum sum in isto, non recordor alterius rei; Et aliquando dum eram in prædictis, dixit mihi Deus: Filia divinæ Sapientiæ, templum dilecti delectum, & filia pacis, in te pausat tota Trinitas, tota Veritas, ita quod tu tenes me, & ego teneo te. Et una operatio vera animæ est, quam intelligo cum magna capacitate, & magna delectatione, quando venit Deus in Sacramento Altaris cum illa societate, & quæsivi a Deo, ita dicens: Ecce tu es in isto Sacramento Altaris, ubi sunt fideles tui? & respondens, dixit mihi: Ubicunque sum ego, ibi sunt fideles mei mecum, & ego ipsa videbam ita esse, & clarissime inveniebam me, ubicunque ipse erat; Sed illud, quod est esse in Deo intus, non est illud, quod est esse foris, quia ipse est solus, qui est ubique intus et foris, & comprehendit omnia. Et ipse dicebat tantum de Fidelibus sanctis, qui erant cum eo. Et remanet in me una unctio divina continua, quæ est summa omnium unctionum, et super omnes unctiones, quas unquam habuerim omnibus diebus, et ad prædictum statum ego sum ducta, et elevata a Deo, non per me veni, quia ego nescivi istum statum velle, nec desiderare, nec petere, et sum nunc in prædicto statu continue, et sæpissime levatur anima a Deo, et non requiritur meus consensus, quia dum ego non spero, nec cogito aliquid, subito a Deo levatur anima, et dominor et comprehendo totum mundum, et non videtur mihi, quod ego stem in terra, sed quod stem in Cœlo in Deo, et iste prædictus status, in quo modo sum, est excellentissimus super omnes alios status, quos unquam habui, quia est tantæ majoris impletionis, et tantæ clari-

ritatis, & certitudinis, & nobilitatis, ac dilatationis, quod nullum statum præteritum sentio appropinquare ei; Et ego rogavi Deum, ut ipse me faceret scire, si in illis, quæ dixi, & quæ scripta sunt, esset aliquod verbum mendacii, vel superfluum, ut saltem possem confiteri, & emendare; Et respondit mihi, quod totum, quod dixi, & quod scriptum est, erat verum, & non erat ibi aliquid falsum, vel superfluum. Et dixit Dominus, quia totum scriptum est secundum meam voluntatem, & ego illud confirmabo in perpetuum. Amen.

Testamentum ultimum Beatæ Angelæ.

In nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi Nazareni, cujus nomen sit benedictum in æternum & in sæculum sæculi. Amen. Hæc sunt verba ultima, quæ dixit legitima sponsa Christi Sancta Angela de Fulgineo, quando ad suum felicem exitum propinquavit. Primo igitur in principio suæ infirmitatis, quæ incepit in Festo Sanctorum Angelorum de mense Septembris, & duravit usque post octavam Nativitatis Christi, infra quod tempus fecit istud testamentum. Et primo dixit, dum desiderarem multum communicare in ipso Festo Angelorum, nec esset, qui mihi apportaret Sacratissimum Corpus Christi, cepi multum dolere, & subito fuit elevata anima, & ecce multitudo Angelorum maxima deduxerunt eam ad unum Altare, & dixerunt ei: Hoc est Altare Angelorum, & super ipsum Altare ostenderunt ei illum, qui est laus Angelorum, & dixerunt animæ ipsi Angeli: In isto, qui est super Altare, est complementum & perfectio Sacrificii, quod tu quæris, & dixerunt, præpara te ad recipiendum eum, quia te desponsavit annulo sui amoris, & conjungimentum jam factum est, & iterum vult de novo facere conjungimentum. Postmodum vero ipsa beata Angela ultima infirmitate quassata, & mente ipsius abundantius solito in abyssum divinæ Majestatis absorpta, interrupte & cum interpolatione loquebatur & raro. Verba tamen ipsius, prout capere poteramus, qui præsentes eramus, recollegimus & scripsimus, quæ sunt hæc. O Deus meus fac me dignam, ut possim cognoscere altissimum mysterium tuum, quod fecit ardentissima, & ineffabilis tua caritas, cum dispensata caritate ab ipsa Trinitate, idest mysterium altissimum tuæ Sanctissimæ Incarnationis, quod fecisti pro nobis, quæ Incarnatio fuit principium nostræ salutis, & ista Sancta Incarnatio facit nobis duo. Primum est, quod implet nos amore. Secundum est, quod reddit nos certos de salute nostra. O incomprehensibilis caritas, supra istam non est major caritas, quam quod Deus meus fiat caro, ut me faciat Deum; O amor evisceratus, quando recepisti formam nostram, non defecisti te, ut aliquid minueretur a te, nec a tua Divinitate, o incomprehensibilis, factus es comprehensibilis, o increatus, tu es factus creatura, o incogitabilis, tu es factus cogitabilis, o impalpabilis, tu potes palpari, o Domine fac me dignam videre profundum hujus altissimæ caritatis, quam nobis communicasti in ista Incarnatione Sanctissima; O felix culpa, quæ meruisti nobis ostendere occultissimum divinæ caritatis profundum; O Altissime, fac me capacem ad intelligendum hanc altissimam & ineffabilem caritatem. Tria ergo in ista Incarnatione Filii Dei considerare debemus. Primum est amor, o amor summus & transformatus, o ineffabilis visio, quam tu Jesu Christe facis me intelligere, quod mihi es natus, o quam gloriosum & plenum delectatione est istud intelligere. Secundum est, quod reddit nos certos, quia certitudinem, quam habuimus ab Incarnatione, eamdem habemus a Nativitate, quia ad illud, pro quo incarnatus est, ecce natus est, & habemus pueritiam documenti a Jesu Christo nato, de paupertate, dolore, & despectu, quia in ipsis natus est, vixit, & finivit. Tertium est magisterium suæ mortis, quia ad hoc natus est nobis, ut moriatur pro nobis. Quinque consideranda sunt in hac morte Jesu Christi. Primum est declaratio certificationis nostræ salutis. Secundum est fortificatio & victoria contra inimicos nostros. Tertium est repletio & superabundantia amoris Dei, manifestati per ipsam mortem. Quartum est, quod nos replevit una profunda eviscerata, & altissima veritate, idest cognoscere, videre, & intelligere, quomodo Deus Pater ostendit & declaravit nobis Filium suum in ista Sanctissima Incarnatione, Nativitate & morte. Quintum est considerare, quomodo Filius Dei manifestavit nobis Patrem per obedientiam, quam servavit per totam vitam suam, & in morte finivit; & per ipsam obedientiam respondit Deo Patri pro toto humano genere. Quando victor resurgens a mortuis, videntibus Apostolis, ascendit in Cœlum, ut sit advocatus noster apud Patrem cœlestem; ad cujus dexteram ipse gloriosus sedet. O admirabilis amor, & jocundus, quia in te est in veritate omnis sapor, omnis suavitas, omne

omne placimentum, & ista est contemplatio, quæ elevat animam de mundo, & facit eam stare supra se, & est pacifica & tranquilla. Post hæc locuta est Sancta Angela de septem donis, sive beneficiis specialissimis nobis a divina bonitate collatis, & dixit. O Domine fac me dignam & capacem ad intelligendum ista septem dona, quæ fecisti inter multitudinem donorum tuorum. Primum donum est ineffabilis creatio, qua nos, & omnia de nihilo creasti. Secundum donum est admirabilis electio, qua dignatus est nos eligere ante tuam præsentiam. Tertium donum est inæstimabile, quod nobis fecisti, quum tuum Filium ad mortem misisti, ut dares nobis vitam, quod est donum super omne donum. Quartum est donum altissimum tuæ bonitatis, quia dignatus es me facere sensibilem, & rationalem, & non brutam, nec bestialem. Quintum donum est intellectus. Fac me Domine cognoscere istud donum, quia dedisti nobis intellectum, ut possimus te Deum nostrum intelligere. Sextum donum est sapientia. O Domine fac me dignam cognoscere ardentissimam caritatem tuam, cum qua donasti nobis istud donum, idest tuam sapientiam assaporare te in veritate. Septimum donum est amor. O summum esse fac me dignam intelligere istud donum, quod est supra omne donum, quia omnes Angeli & omnes Sancti non habent aliud videre, nisi videre te amatum, & amare te, quia tu ipse es amor; Et ideo illi, qui veniunt ante tuam præsentiam, erunt remunerati secundum amorem, quem habuerunt, & nihil aliud est, quod ducit contemplatores ad contemplandum, nisi verus amor. O admirabilis mirabilia faciens in filiis tuis. O supremum bonum, o divina bonitas! quia dignasti nos substentare in medio tuæ substantiæ. Quis humanus intellectus ad istam substantiam non deficiat? sed cum intellectu divino intelligimus divinam substantiam, & ista est propria artha illorum, qui sunt vere solitarii, & ideo omnes chori Angelorum sunt hic occupati, & in tali occupatione occupent se omnes illi, qui sunt veri contemplatores, & postea erunt veri solitarii, & erunt separati a terra, & istorum conversatio in Cœlis est. Amen.

Eodem tempore rogata Sancta Angela a fratribus circumstantibus, ut eis pro testamento daret aliquam informationem spiritualem, cepit assignare falsitates, & pericula, quæ sunt in amore spirituali & deceptiones, dicens: Nihil est in mundo, nec homo, nec diabolus, nec aliqua res, quam habeam ita suspectam, sicut amorem, quia amor penetrat animam plusquam aliquid aliud, & nihil est, quod ita totum cor occupet & liget, sicut amor, & ideo nisi habeantur arma, quibus ligetur & regatur, de levi præcipitat animam, & facit magnam ruinam, & hoc non dico de malo amore, quia malus amor ab omnibus debet totaliter vitari tamquam res diabolica & periculosa, sed dico hoc de bono amore spirituali, qui est inter Deum, & hominem, & inter proximum & proximum. Contingit enim sæpe, quod duo, vel tres mares, vel fæminæ, vel mixtim multum & viscerose se diligunt, & habent ad invicem magnas & singulares affectiones, & faciunt sibi magna obsequia, & multum ex corde, & vellent quasi semper simul stare, unde hoc est valde reprehensibile & periculosum, quantumcumque fiat spiritualiter & propter Deum, nisi habeantur arma prædicta, nam amor, quem habet anima ad Deum, nisi sit armatus, & cum fervore sumatur, aut cito deficit, aut aliquando sic inordinate sumitur, quod non potest continuari. Amor vero proximi, seu qui est inter devotos & devotas, nisi regatur armis, vel fit caro, vel multum ad invicem conversando perdunt de tempore, quia eorum corda sunt nimis indiscrete ad invicem colligata, quare propter malum amorem volo habere suspectum bonum amorem. Arma vero, quibus bonus amor debet regi, inveniuntur & dantur in animæ transformatione. Est enim triplex animæ transformatio. Aliquando enim anima transformatur in voluntate Dei. Aliquando cum Deo. Aliquando intra Deum, & Deus intra animam. Prima transformatio est, quum anima conatur imitari opera istius Dei passionati & hominis, quia in ipsis manifestatur, & manifestata est voluntas ipsius Dei. Secunda transformatio est, quum anima unitur Deo, & habet magna sentimenta, & magnas de Deo delectationes, sed tamen possunt exprimi verbis, et cogitari. Tertia transformatio est, quum anima unione perfectissima est transformata intra Deum, et Deus intra animam, et altissima de Deo sentit, et gustat in tantum, quod nullo modo possunt exprimi verbis, nec cogitari. Prima transformatio non facit ad præsentem materiam amoris. Secunda sufficit ad regendum amorem, si est bene viva; sed tertia est summa, in ista enim tertia, et etiam in secunda, sed non sic perfecte, infunditur animæ a gratia quædam sapientia, qua mediante scit regere amorem Dei et proximi. Nam sentimenta, dulcedines, et fervores de Deo scit anima ita sapien-

ſapienter componere, quod durat amor, & in hiis, quæ incipit, poteſt perſeverare, nec oſtendit ea per riſum, & ſaltum & geſtus corporis. Similiter in amore proximi, vel devoti ſic ſcit ſapienter & devote ſe habere, quod quum eſt condeſcendendum proximo, condeſcendit, & quum non, non condeſcendit, & ratio horum eſt, quia Deus eſt immutabilis, anima vero non poteſt eſſe immutabilis, ſed anima quanto magis eſt unita Deo, tanto minus habet de mutabilitate. Unde in tali unione anima acquirit dictam ſapientiam, & quamdam maturitatem & gravitatem ſapientiæ, & ſapidam diſcretionem, & quoddam lumen, ita quod cum iſtis ſcit ita regere amorem Dei & proximi, quod non poteſt decipi, vel præcipitari. Et qui non ſentit ſe tali ſapientia infuſum, nunquam deberet ſe cum aliquo, vel aliqua in tali amore ponere ſingulari & viſceroſo, quantumcunque fieret propter Deum & bona intentione, propter pericula, quæ veniunt per amorem. Amor enim habet varias proprietates, nam anima propter ipſum & in ipſo primo tenereſcit. Secundo infirmatur, ſed poſtea fortificatur; cum enim ſentit amorem caloris divini clamat & rumorem facit ad inſtar lapidis, qui ponitur in fornace, reſolvendus in calcem, qui dum tangitur ab igne crepitat, ſed poſtquam fuerit coctus, non facit aliquem rumorem, ſic anima in principio quærit conſolationes divinas, quæ, ſi ſubtrahantur, tenereſcit, & clamat contra ipſum Dominum, & conqueritur de ipſo, dicens, quare facis mihi hæc mala? & ſimilia dicit. Et hæc teneritudo naſcitur ex quadam ſecuritate, quam ſumit anima de Deo, & in hoc ſtatu ſtat contenta conſolationibus, & hujuſmodi, ſed & ex carentia earum creſcit amor, & incipit quærere amatum, quem ſi non habet, infirmatur, nec contentatur tunc de conſolationibus, quia ſolum quærit amatum, & quanto plus habet de conſolationibus & ſentimentis, tanto plus creſcit amor, & tanto magis infirmatur, niſi habeat præſentiam amati. Sed poſtquam anima perfecte unitur Deo, & ponitur in ſede veritatis, quæ veritas eſt ſedes animæ, non clamat, nec conqueritur de Deo, nec infirmatur, nec tenereſcit, immo cognoſcit ſe indignam omni bono, & omni dono Dei, & dignam majori Inferno, quam ſit ille, qui factus eſt, & ponitur in ea una ſapientia, & una maturitas, & ſit ſtabilis, & ordinata & a Deo fortificata, quod iret ad mortem, & habet Deum in plenitudine; quantum capere poteſt, & Deus etiam ipſam creſcere facit, ut fiat capax illius, quod vult ponere in ea, & videt illum, qui eſt, & videt, quod omnia nihil ſunt, niſi quantum habent eſſe ab eo, qui eſt; Habet etiam omnia, quæ præceſſerunt, comparative pro nihilo, & etiam omnia creata; nec curat de morte, nec de infirmitate, honore, vel vituperio, & ita pacificatur, & quietatur, quod nihil appetit, & perdit deſideria, nec poteſt operari, quia eſt victa, & ita videt in illo lumine, Deum ita debite & ordinate facere, quod etiam de ejus abſentia non infirmatur, & ita fit conformis voluntati Dei, quod eam abſentem non requirit, ſed de omnibus, quæ facit, contentatur, & totum ei comittit. Tunc autem iſta vera ſunt, videlicet quod anima ſic fortificata & quieta in iſto amore, perdit deſideria, nec poteſt operari, quando habet dictam viſionem Dei in dicta plenitudine. Sed quum aufertur ei, nulli enim animæ conceditur, quod ſemper in ea perſeveret, datur ei unum novum deſiderium infocatum ſine pœna, operandi opera pœnitentiæ fortius, quam prius. Et ratio eſt, quia iſte ſtatus eſt perfectior ceteris aliis, & perfectio habet hæc facere, quia quanto major eſt, tanto magis conatur imitari magiſtrum perfectionis, iſtum Deum hominem paſſionatum; Sed iſte Deus homo paſſionatus habuit in tota vita ſua unum ſtatum ſolum, ſcilicet crucem, nam in cruce incepit, in cruce mediavit, & in cruce finivit. Semper enim fuit in cruce paupertatis & doloris, ac continui deſpectus, & veræ obedientiæ, aliarumque arduarum operationum pœnitentiæ. Et quia hæreditas Patris debet manere in filiis, & Deus Pater hanc hæreditatem crucis & pœnitentiæ dedit unigenito Filio ſuo, debent omnes filii Dei adoptivi, quantum ſunt in majori perfectione, hanc hæreditatem habere, & etiam continuare toto tempore vitæ ſuæ, & hæc eſt longitudo, & terminus pœnitentiæ, videlicet quantum homo vivit. Magnitudo vero ejus eſt, quantum homo poteſt ſuſtinere, & iſta eſt transformatio in voluntate Dei. Cum vero anima eſt tranſformata in Deo, vel intra Deum, & eſt in illa perfecta unione, & plenitudine viſionis, non quærit amplius, ſed cum inde revertitur, nititur transformari in voluntate amati, quouſque redeat in illam unionem. Ipſe autem oſtendit voluntatem ſuam per dictas operationes crucis & pœnitentiæ, quas ſemper habuit in ſemetipſo. Ergo quanto quis eſt perfectior & plus amat Deum, tanto magis conatur

tur facere, quæ ille fecit, & vitare omnia, quæ ipsi Deo quovis modo possent esse contraria. Et si aliqui, ut sunt illi, qui sunt de spiritu libertatis, dicerent se perseverare in perdimento desideriorum; & qui nunquam possunt aliquid appetere, vel desiderare; & qui nullo modo, & in nullo tempore possunt aliquid operari, non est credendum eis, quia non est verum; & cogitent, si operantur illicita, nam bene possunt comedere splendide, saltare, jocari, & facere actus illicitos, sed si possunt hæc mala facere & desiderare, multo magis, si Deum diligerent, deberent desiderare, & operari, quæ sunt bona & placita Deo. Sed multi credunt stare in amore, & sunt in odio, & multi credunt habere amorem Dei, & habent amorem carnis, mundi, & Diaboli. Unde aliquis amat Deum, ut custodiat eum ab infirmitatibus, & tribulationibus corporalibus, & temporalibus periculis. Amat etiam amicos & consanguineos inordinate, propter utilitatem suam & honorem. Amat etiam homines spirituales, ut faciat sibi mantellum de sanctitate eorum. Amat quoque seipsum inordinate in tantum, quod de corpore suo facit animam, & Deum, & propter utilitatem istius Dei, idest corporis sui, amat etiam res temporales & transitorias; Et quia talis amor non est purus, ideo fructus taliter amantium est caro cum omnibus vitiis spiritualibus & carnalibus. Sunt & alii, qui credunt amare Deum, & amant Deum, sed amore infimo & imperfecto; Amant enim aliqui Deum, ut parcat eis peccata, & liberet eos de inferno, & det illis gloriam Paradisi. Amant alii Deum, ut habeant consolationes & dulcedines divinas. Amant etiam scientiam, ut sciant bene prædicare, ut magis amentur & honorentur. Amant præterea habere paupertatem & humilitatem ac alias virtutes, ut excellant alios; & desiderant, quod nullus alius possit approximare eorum perfectioni; & in hoc videntur assimilari peccato Luciferi, qui noluit habere aliquam creaturam parem. Et aliqui sunt, qui ut habeant famam universalem sanctitatis, commendant ipsi universaliter omnes & spirituales & non spirituales. Amat etiam aliquis devotam, vel devota devotum amore spirituali, & iste amor crescit, & crescendo desiderat habere præsentiam amati, & tunc incipiunt sibi invicem manifestare secreta, & inter alia manifestant sibi, quomodo se invicem diligunt, & sic appetunt propter devotionem se mutuo tangere, vel osculari, quia credunt, quod hoc non noceat, sed quia carent armis ad regendum amorem, transfodiuntur gladio amoris, & truncatur in eis lingua, & suffocatur ratio propter fervorem amoris, ut non possit contradicere amato in omne, quod vult, si invitatur, & si non invitatur, ipsa invitat; Et sic totum amorem divinum commutat in hunc amorem carnalem & diabolicum, quia postquam verba, nec præsentia satisfaciunt amori, tunc inclinatur amans & amatus ad omne opus vitiosum, & ideo dico, quod amor est omnino habendus suspectus, quia in ipso concluditur omne malum, excepto amore optimo & perfecto, qualis est, quum anima est addextrata, & adducta ad visionem esse Dei, quia tunc videt, quomodo omnis creatura habet esse ab eo, qui est summum esse, in quam visionem addextrata & adducta anima trahit ab ipsa visione unam sapientiam ineffabilem, unam gravitatem & sapientiam maturam, quia videt quod omnia, quæ sunt ab ipso, sunt optime facta; hæc enim visio istius summi esse excitat unum amorem correspondentem & sufficientem isti esse, nam istud summum esse docet nos amare omne, quod habet esse ab ipso amore ipsius summi esse, & docet nos amare rationales creaturas, maxime illas, quas esse videt amatas ab ipso summo esse, qui cognoscuntur per signa. Istud est enim signum manifestum illorum, quia sunt veraces & sequaces unigeniti istius summi esse, & quia sunt semper suspensi oculis mentis suæ ad amandum & sequendum & transformandum se totos & totaliter in voluntatem amati istius summi esse. Et quia anima novit & scit amare istud summum esse, novit etiam & scit amare creaturas secundum earum convenientias, & plus & minus secundum inclinationem istius summi esse, & in nullo potest transire modum, sed remanet solidata, & est sufficiens ad expellendam omnem malitiam omnis alterius amoris. Datur etiam animæ visio increati, quæ visio dimittit in anima unum amorem increatum, cui amori nihil potest operari, est enim sine operibus, sed amor ipse operatur. Attendendum vero est, quod quando hæc visio increati data fuit animæ, tunc anima operabatur, & tota se desiderabat uniri isti increato, & tunc ipse increatus operabatur in anima, & inspirabatur sibi, quomodo recederet ab omni creatura, ut posset sibi melius uniri, sed amor operatur, & operationes amoris ipse amor operatur. Principium hujus operationis est illuminare, & etiam novum desiderium dare infocatum. Est unus amor fortis novus, ad quem amorem novum

vum anima operatur, & non operatur quidquam, quia ipse amor increatus operatur; Ipse amor increatus per nos operatur omne bonum, & nos operamur omne malum. Et ista est vera anihilatio, videre in veritate, quod nos non sumus operatores alicujus boni; Et isti sunt, qui habent spiritum veritatis, qui vident istam prædictam veritatem. Et verus amor non apportat risum in ore, nec comedere, nec bibere inordinate, neque ullam alacritatem vanam, nec dicit operatio amoris: Non teneor alicui legi, sed semper plus legi se subjicit, imo etiam ubi non est lex, facit sibi legem. Et amor Dei nunquam stat otiosus, etiam viam Crucis corporaliter sequendo. Istud enim signum veri amoris portare animæ crucem, hoc est longam pœnitentiam, longam, quantum vivit, & magnam & duram, quantum potest. Et tunc quum amor operatus fuerit operationem crucis & pœnitentiæ, tunc videbo me in veritate servam inutilem. Et si quid petere voluero, petam propter pœnitentiam, quam fecit in me propter me; Istud est enim signum veritatis spiritus, cognoscere in veritate ipsum Deum esse totum amorem, & cognoscere se totum odium; & habita in veritate hac cognitione in anima, de necessitate oportet, quod faciat pœnitentiam corporalem. Sed quum anima facit aliquam pœnitentiam, & in illa pœnitentia est sibi gravis, & tunc videtur animæ, quod operetur ipsa, & in veritate non operatur ipsa, sed operatur in ea ipse increatus propter eam, & aliquando facit sibi esse levem pœnitentiam, & hoc facit ad suam utilitatem. Nec miremur, si operator gravat nos de pœnitentia, quia verus magister venit ad faciendum pro nobis pœnitentiam, & toto tempore vitæ suæ vixit in continua & amarissima cruce, & pœnitentia pro nobis. Et illi, qui ad visionem increati, & ad visionem esse increati Dei elevantur, inveniuntur in cruce, & in istis operibus virtuosis cum novo amore infocato etiam ad virilius operandum. Et illi, qui non sunt in hoc spiritu veritatis, faciunt sibi idola de istis operibus virtuosis. Et ideo filioli mei & Patres ac Fratres studete vos diligere invicem, & habere istam caritatem divinam in veritate, quia per istam caritatem & mutuam dilectionem meretur anima hæreditare bona divina; Et ego non facio aliud testamentum, nisi quod recommendo vobis istam mutuam dilectionem, & relinquo vobis totam hæreditatem meam, hoc est vitam Christi, videlicet paupertatem, dolorem, & despectum. Et imposuit manum super caput singulorum, dicens: Benedicti sitis a Deo & a me filioli mei vos, & alii omnes, qui hic præsentes non sunt, & sicut significata est mihi & demonstrata a Christo ista æterna benedictio, ita concedo eam vobis, & cum toto corde meo eam do vobis præsentibus & absentibus, & ipse Christus eam det vobis cum illa manu, quæ fuit clavata in Cruce. Et illi, qui habebunt istam hæreditatem, scilicet vitæ Christi, erunt veri filii orationis, & non est dubium, quod postea habebunt hæreditatem vitæ æternæ. Et postea dixit; in hoc, quod volo dicere, nihil habeo facere, sed totum est Dei, nam placuit divinæ bonitati dare mihi sollicitudinem & curam filiorum suorum & filiarum, qui sunt in mundo, qui sunt ultra mare & citra mare, & custodivi eos & doloravi eos, & dolores mei fuerunt plures quam sciatis; Et dixit: O Deus meus jam amodo reassigno eos tibi, ut tu custodias & conserves eos ab omni malo. Et postea dixit: O filioli mei studeatis habere istam caritatem ad omnes homines, quia in veritate dico vobis, quod plus recepit anima mea de Deo, quum ploravi peccata proximi cum toto corde meo, quam quum ploravi peccata mea; Et in veritate non est major caritas, quam dolorare & plorare peccata proximi sicut sua, vel plusquam sua. Mundus tristatur de hoc, quod dico, quia videtur esse contra naturam, sed caritas, quæ hoc facit, non est de hoc mundo. O filioli mei studeatis vos istam caritatem habere; Et neminem judicetis, etiamsi videretis hominem peccare mortaliter, non dico quod non displiceat vobis peccatum, sed dico, quod non judicetis peccantes, quia nescitis judicia Dei, nam multi videntur apud homines salvati, qui apud Deum sunt damnati, & multi apud homines videntur damnati, qui apud Deum sunt salvati, & scirem vobis dicere, quod aliqui sunt, quos vos despexistis, & vadunt destruendo bona incepta, de quibus ego firmam spem habeo, quod Deus reducet eos ad viam suam, & faciet eis misericordiam & gratiam suam.

De obitu beatæ Angelæ de Fulgineo.

Et post hæc, quum jam erat prope transitum, in die præcedenti dicebat frequenter: Pater in manus tuas commendo animam & spiritum meum. Et semel post dictum verbum dixit nobis: Modo ad istud verbum responsio facta est mihi talis, dicens:

çens : Quod impressum est in corde tuo in vita, impossibile est, quod non habeas in morte. Et vidi, & ecce anima mea fuit lavata & mundata in Sanguine Christi, qui erat ita recens & calidus, sicut exierat de latere Crucifixi; & anima audivit dici sibi ista verba : O Sponsa, o amata, o speciosa & dilecta a me cum dilectione, veni, quia omnes Sancti expectant te cum magna lætitia & exultatione, in veritate volo quod venias ad me, non cum istis doloribus, sed cum jubilo & lætitia inenarabili, sicut decet Regem ducere sponsam diu amatam cum regio vestimento, & demonstravit mihi illud vestimentum, sicut demonstrat sponsus sponsæ diu amatæ, & hoc non erat de purpura, nec de serico, sed erat quoddam lumen mirificum, quo vestitur anima. Et tunc ostendit mihi Verbum, & dixit mihi : Hoc est Verbum, quod voluit incarnari pro te. Et tunc etiam transitum fecit per me, & me totam tetigit & amplexatus est me, & dixit mihi : Veni dilecta mea, speciosa mea, amata a me cum dilectione; Veni, quia omnes chori Angelorum expectant te cum gaudio & magna lætitia. Et dixit mihi : Ego non comittam te Angelis, nec aliis Sanctis, ut te deducant, sed ego personaliter veniam pro te, & assumam te ad me, & tunc diximus ei : Ergo vis recedere & relinquere nos, & illa respondit: Tanto zelavi vos, quod amodo non zelo plus, quia omnino debeo recedere. Et tunc conversa ad nos, dixit ista verba : Maledictæ sint sufficientiæ, quæ tollunt animam, scilicet potentiæ, honores & prælationes. O filioli mei studeatis esse parvi, Et postea clamavit dicens : O nihil incognite: o nihil incognite : In veritate non potest anima habere meliorem visionem in hoc mundo, quam videre suum nihil, & stare in carcere suo. Et major deceptio est in spiritualibus sufficientiis, quam in temporalibus, videlicet scire loqui de Deo, facere pœnitentiam magnam, intelligere scripturas, & habere cor quasi continue occupatum in rebus spiritualibus, quia isti multoties in errorem cadunt, & difficilius corriguntur & reducuntur, quam illi, qui temporales habent sufficientias. Et iterum clamavit : O nihil incognite: o nihil incognite! Et tunc eodem die cessantibus doloribus universis, quibus multis diebus ante per membra singula interius & exterius horribiliter tormentata fuerat & afflicta, in tanta quiete corporis, & spiritus jucunditate jacebat, quod jam videbatur de promissa sibi lætitia aliquid degustare. Et tunc interrogavimus eam, si supradictus jubilus erat sibi jam datus, & illa respondit, quod jam inceperat jubilus prædictus. Et in hac quiete ac mentis jucunditate usque post Completorium diei Sabbathi lætissima jacens, multis fratribus circumstantibus eam, & mysteriorum officia exhibentibus, ipsa die, octava Innocentium, ultima hora diei, quasi leviter dormiens, requievit in pace, & anima illa sanctissima, carne soluta, & in abyssum divinæ claritatis absorpta, innocentiæ & immortalitatis stolam a Christo suo sponso recepit, perenniter regnatura cum ipso. Qui nos perducat per virtutem Sanctæ Crucis, & per merita ipsius Sanctæ Angelæ ipse Dei Filius Jesus, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus. Amen. Obiit autem Venerabilis Sponsa Christi Sancta Angela de Fulgineo ex hujus mundi naufragio ad Cœli gaudia, sibi longo ante tempora jam promissa, Anno Dominicæ Incarnationis MCCCIX. pridie Nonas Januarii, tempore Domni Clementis Papæ quinti. Amen.

Explicit Epilogus in libro revelationum beatæ Angelæ de Fulgineo, quem compilavit & dictavit Domnus Hieronymus de Praga & reclusus heremita ad preces Ser Marii de Burgo Sancti Sepulcri Anno Dominicæ Incarnationis M. CCCC. XXV.

INCIPIT EPILOGUS DOMNI HIERONYMI DE PRAGA IN VITA BEATÆ CATHARINÆ DE SENA.

SEntentia est primæ veritatis, quæ propter nostram salutem carnem assumpsit, quod hii, qui in corde bono & optimo verbum retinent, fructum afferunt in patientia; Et ut in libro Dialogorum dicit beatus Gregorius: Ego virtutem patientiæ signis & miraculis majorem puto. Sed & Apostolus Jacobus in Canonica sua patientiam dicit habere opus perfectum. Unde beatus Paulus caritatem, quæ est regina virtutum, per patientiam commendat, dicens: Caritas patiens est, benigna est. Hac de causa Sacrosanta Mater Ecclesia, cum vitam Sanctorum, in Beatorum cathalogo describendorum, examinat, plus ad virtuosam actionem, quam ad miracula attendit duplici ratione. Primo quia plures mali fecerunt & faciunt miracula, sicut Magi Pharaonis & Simon Magus, & Antichristus cum discipulis suis faciet tempore suo. Secundo quia quandoque aliqui etiam virtute divina fecerunt miracula, qui fuerunt finaliter reprobati

ti & damnati, ficut Judas, & illi, de quibus dicit Salvator in Evangelio, quod in die judicii dicent fibi: Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, & miracula fecimus, quibus ipfe refpondebit: Difcedite a me operarii iniquitatis. Per quod manifefte datur intelligi, quod figna, five miracula non poffunt certificare Ecclefiam militantem, & quod perfona, per quam facta funt miracula, fit ad æternam beatitudinem prædeftinata. Quare Sacrofancta Mater Ecclefia, quæ regitur a Spiritu Sancto, volens de meritis Sanctorum certificari, quantum eft poffibile in hac via, quærit de vita eorum, ideft de hiis, quæ in hac vita operati funt. Sic enim Sponfus ejus docuit eam, dicens: A fructibus eorum cognofcetis eos, hoc eft ab operibus. Hæc autem funt opera caritatis Dei & proximi, in quibus tefte Salvatore univerfa lex pendet & Prophetæ. Sed quia hæc opera Deo placita Diabolus conatur impedire per fe, & homines mundo deditos, ideo neceffaria eft Sanctis patientia, per quam feipfos confervent in dilectione Dei & proximi, non obftantibus perfecutionibus quibufcunque. Unde Salvator ait: In patientia veftra poffidebitis animas veftras. Hac igitur de caufa plus inquiritur in canonizatione Sanctorum de operibus, quam de miraculis, & inter ipfa opera plus quæritur de operibus patientiæ, tamquam de hiis, quæ majus teftimonium perhibent caritati & fanctitati. Hinc eft quod vita beatæ Catharinæ de Sena tota fuit patientia decorata, & ideo nullus de ipfius Sanctitate poteft rationabiliter dubitare. Ad hoc namque ego Frater Hieronymus de Praga, recitans actus patientiæ beatæ Catharinæ de Sena, quafi totam legendam ipfius epilogabo propter faftidiofos doctores, quibus in materiis devotis una hora videtur die prolixior, in fabulis vero, aut nugis dies videtur brevior hora. Porro virtutem patientiæ verfari circa ea, quæ homini adverfantur, nullus eft, qui ignoret. Quædam enim adverfantur animæ, quædam vero corpori. Sunt autem bona corporis trifaria fecundum philofophos. Quædam enim funt delectabilia, ficut fanitas, deliciæ ciborum & veftium, inter quæ etiam venerea computantur. Alia funt bona utilia, ficut divitiæ poffeffionum, agrorum & pecuniarum, confanguineorum & fuorum copia. Honefta autem bona funt, ficut bonum nomen, bona fama, honefta amicitia, laudabilia ftudia, & cuncta, quæ adjuvant ad exercendum actus virtutum. Prædictorum autem quædam funt omnino illicita, & illa funt præcidenda totaliter. Quædam funt impeditiva perfecti ftatus, & illa funt contemnenda. Quædam autem funt licita & neceffaria vitæ humanæ, & horum privatio patienter eft fuftinenda.

De abftinentia & voto virginitatis ipfius.

Igitur Sacra Virgo Catharina de Sena attendens, quod patientia fibi nihil prodeffe poffet, nifi prius a fe removeret illicita, & præcipue venereas voluptates, cum effet in fexto anno ætatis fuæ, vidit corporalibus oculis Dominum Jefum Chriftum in pontificalibus veftibus in pulcherimo thalamo fupra ecclefiam Fratrum Prædicatorum una cum Apoftolis Petro & Paulo refidentem, qui clementer eam afpiciens, fua Regali dextera benedixit, & ftatim animam ejus perfecto fui amore replevit; ita quod evacuatis puellaribus moribus in illa jam ætatula, pœnitentiæ & orationi fe dedit, & profecit in tantum, quod in fequenti anno, qui fuit ætatis fuæ feptimus, votum perpetuæ virginitatis emifit coram imagine beatæ Mariæ Virginis, præcedente prius deliberatione matura, & oratione diutina. Verum quia noverat puella devota, quod ad ftatum virginalem fervandum valde erat neceffaria abftinentia cibi & potus, ideo ftatim ab efu carnium fe abftinuit, & in quartodecimo ætatis fuæ anno totaliter vini potum fibi interdixit, cunctaque cibaria delicata abjecit, & folum panis & herbarum crudarum fibi efum & ufum retinuit. Somnum nonnifi fuper nudas tabulas, & non plufquam media hora deguftavit. Qua continue furgens, in orationibus & lacrymis, in fufpiriis & genuflexionibus ufque ad horam diei tertiam perfeveravit. Qua ad ecclefiam veniens, quafi quotidie cum lacrymis Confeffionem faciebat, & frequentiffime facram Communionem fufcipiebat. Tribus annis inviolabile tenuit filentium, nec alicui homini locuta fuit, excepta Confeffione Sacramentali. Quotidie tribus vicibus corpus fuum de quadam catena ferrea ita dure flagellabat, quod fanguis ex ejus virgineo corpore in terram defluebat. Et ad hæc cum alia catena ferrea corpus fuum cinxit per medium, quam nunquam folvere voluit, ut continue ferrum carnem fuam incredibili pœna roderet ac confumeret. Ita venialia flebat peccata, quod nullam confolationem volebat recipere, fed frequenter duobus, aut tribus diebus abfque cibo, & potu ac fomno in continuo fletu permanebat.

nebat. Nunquam propter aliquam infirmitatem quamvis maximam, relaxare voluit suam abstinentiam & vitæ austeritatem, sed magis augebat. Nam anno ætatis suæ vigesimo esum panis sibi totaliter interdixit, & tantum semel in die crudas herbas gustabat potius quam edebat, nihil exterius aut ovorum, aut pulmenti, aut panis, aut cujuslibet rei gustans; & usque ad vigesimum sextum ætatis suæ annum hoc abstinentiæ cucurrit gradu. Mirantur forsitan hæc quidam pusillanimes & increduli, sed audiant majora opera Domini nostri Jesu Christi.

Miraculum primum Beatæ Catharinæ.

Anno ætatis suæ vigesimosexto, dum quadam die beata Catharina in ecclesia constituta, Sacrosanctam Communionem Christi Corporis & Sanguinis vehementer desideraret, nec habere posset, ipse Salvator Christus Dominus, ut ejus desiderio satisfaceret, sibi visibiliter apparuit, & amplectens eam manu dextera, applicuit os Virginis ad lateris proprii cicatricem, innuens ei, ut se, quantum vellet, de Corpore suo & Sanguine satiaret, quod illa non segniter exequens, de Sacratissimi pectoris fonte potavit fluenta vitæ; & ex illa hora ita fuit satiata in mente & corpore, quod amplius cibum corporalem non potuit sumere, nec retinere, aut digerere, & non mirum, quia propinante fonte vitæ, potum vitalem hauserat abundanter, illaque satietate repleta, nullius alterius cibi indigebat auxilio. Exinde cepit frequenter communicare, & hac sacra Communione reficiebatur in anima & in corpore, nullumque alium sumebat cibum. Unde contigit, quod a principio Quadragesimæ usque ad Ascensionem Domini nullum omnino cibum sumpsit; Et nihil gustans tanto tempore, semper erat hilaris & jucunda, infirmis ac debilibus ministrans assidue. Quid ageret serpens antiquus Diabolus, quo se verteret, qui ante gloriabatur, dicens: Ponam sedem meam in Aquilone, & ero similis Altissimo, cernebat se vinci a puella, & a fragili sexu muliebri caput suum conteri dolebat. Stabat igitur beata Catharina satur pariter & jejuna, foris vacua & intus plena, sed antiquus serpens & tortuosus tantum Dei donum ferre non valens, cunctos tam religiosos quam sæculares propter hoc inauditum jejunium contra eam commovit, omnesque ceperunt contra eam murmurare, ac detrahentes ei, dicebant, extremitates semper vitiosas fuisse, & esse a timentibus Deum fugiendas. Alii dicebant, deceptiones esse hostis antiqui, qui ipsam ludificabat tali inaudita abstinentia. Alii carnales & detractores notorii dicebant hanc esse finctionem ad vanam gloriam acquirendam, & quod non jejunabat, sed occulte & optime comedebat. Tales rumores cum audisset grata Deo puella, vehementer pro eorum cæcitate & errore ingemuit, & ingressa cubiculum in oratione, genua fixit, orans Dominum, ut sibi redderetur comedendi facultas, ne sub occasione ejus alii murmurando peccarent.

Aliud miraculum.

Orante itaque beata Catharina, apparuit ei Christus cum multitudine Angelorum, portans in manibus duas coronas, unam spineam, & aliam auream, & dixit ad eam: Elige tibi carissima filia unam de istis coronis in præsenti vita, nam si in præsenti vita vis habere auream, in futura vita habebis spineam; quod si in præsenti spineam elegeris, in futura vita aurea coronaberis. Ad hæc beata Catherina paululum intra se deliberans, surrexit, & utraque manu spineam coronam arripiens, capiti suo ita fortiter imposuit, quod de punctura spinarum multis diebus dolores sensit; Dixitque ad Dominum: Ego, inquit, Domine, in hac vita tecum compati eligo, ut in futura vita consolationis tuæ particeps efficiar. Eadem hora apparuit ei mater Domini cum beata Maria Magdalena & cum beato Johanne Evangelista, dixitque Mater Domini ad Filium suum: Fili oro te, ut desponsare digneris hanc puellam, ut fortius possit sustinere pro nomine tuo adversitates & persecutiones, & accipiens manum beatæ Catharinæ, porrexit Filio suo; Pius autem Dominus obtulit ei annulum, dicens: Ecce desponso te mihi in fide & caritate. Erat autem annulus aureus, habens in summitate quatuor margaritas in modum Crucis, & in medio lapidem adamantinum; hunc annulum nemo videre poterat, excepta ipsa sponsa Christi. Tunc anima ipsius liquefacta est, & cor ejus nimio amore vulneratum est. Deciditque in lectum, ubi tribus diebus & tribus noctibus absque cibo & potu immobilis permansit. Post hæc rediens ad sensus corporales, deliberavit ad mensam cum aliis accedere, ut quiesceret murmuratio æmulorum; & in die Ascensionis Domini sedit ad mensam cum aliis, & accipiens herbas crudas, cepit masticare, licet nihil deglutire, & ejus, quod dentibus terebat,

sed

sed totam grossam substantiam expuebat; quia tamen fieri non poterat, quin de succo dictarum herbarum aliquid in stomachum descenderet, & hoc in tantam pœnam sui corporis vertebatur, quod oportebat totum regredi per eamdem viam, per quam ingressum fuerat. Alias etiam passiones acerbissimas sibi generabat, & totius corporis inflaturam, & tamen hanc pœnam potius tolerabat, quam quod proximi murmurando peccarent.

De magna patientia ejus.

Visis igitur ipsius puritatis, parcitatis & abstinentiæ virtutibus, per quas præciduntur cuncta carnis oblectamenta, tamquam illicita; nunc ad hujus beatæ Catharinæ patientiam descendamus. Nam pro majori parte ejus patientia circa privationem honestorum bonorum versata est. Quæ vero persona fuit sibi domestica, vel conjuncta, quæ eam non afflixerit illa privatione a sua infantia usque ad transitum ejus? Et prima fuit Genitrix ejus & ipsius germani, qui eam volentes tradere nuptui in principio adolescentiæ suæ, omni honesto eam privare volebant, ita ut etiam cellam sibi habitationis auferrent, & ipsam coquinæ squalloribus deputarent, ut non posset nec meditari, nec aliquem actum virtutis contemplativæ, seu speculabilis exercere, in qua persecutione quantam patientiam ostendit, quam læta omnibus servivit! Nec tamen secretum orationis & contemplationis obmisit. Unde quadam die pater ejus Jacobus invenit eam in uno angulo domus secrete orantem, viditque super caput ejus columbam candidam sedentem, qui territus miraculo accessit propius, sed columba se elevans, in alta Cœlorum evolavit. Ex tunc Genitor ejus reddidit ei cellam, & præcepit omnibus, ut nullus eam impediret in servitio divino. Tamen hostis antiquus volens impedire austeritates ejus tam disciplinarum, quam vigiliarum nocturnarum & stratus, matrem ejus, nomine Lappam, contra eam iterum concitavit quasi usque ad rabiem inclusive; nam dum audiebat eam flagellantem se catena ferrea, levabat vocem suam, clamans: Ah filia mea, quare teipsam interficis? Flebatque quasi mortuam, itaut sæpe vicini accurrerent ad clamores ejus. Denique noluit, ut super nudas tabulas quiesceret, nec de nocte vigilaret, ideo præcepit ei, ut secum de nocte inter linteamina dormiret in lecto, cui Sacra Virgo obediens, tali cautela utebatur: Accipiebat ligna sicca & ponebat sub linteamine, & sic supra ligna quiescebat, multo durius quam supra tabulas; & quando mater dormiebat, ipsa surgebat, & tota nocte in oratione flectebat. Quod ut mater ejus comperiit, desperata est posse eam a sancto proposito revocare, unde petivit germanam ejus nomine Bonaventuram, jam nuptam, ut veniret ad domum ejus, & ornaret caput ejus more muliebri, sed zelotes Sponsus ejus non est passus in Bonaventura tantum scelus, nam in paucis diebus periclitata in partu expiravit, & ad pœnas Purgatorii descendit, de quibus pœnis hujus Virginis precibus liberata fuit. Mater quoque ejus morbo percussa in lectum decidit, & crescente infirmitate coram multis, & absque Sacramentis Ecclesiæ expiravit. Quod ut beata Catharina filia ejus audivit, ad cadaver matris accessit, & flexis genibus coram omnibus, qui aderant, cum lacrymis oravit dicens: Eja Sponse mi dilecte, sunt ne istæ promissiones, quas mihi promisisti, quod nullus de domo mea periret? & ecce video matrem meam absque Sacramentis Ecclesiæ defunctam. Ideo per omnes miserationes tuas te peto: Redde animam matri meæ, ne pereat. Mira res, vicit Sponsa Sponsum! Et completa oratione, corpus matris ejus contremuit, & coram omnibus revixit, fuitque postmodum viva & sana usque ad ætatem decrepitam, nec amplius impedivit filiam suam in bono proposito, sed adjuvabat eam.

Aliud miraculum.

Jacobus etiam genitor naturalis beatæ Catharinæ de Sena in magna reverentia habebat filiam suam. Erat enim vir simplex & rectus ac timens Deum, & recedens a malo, laborans manibus suis artem tinctoriam; deditque licentiam beatæ Catharinæ filiæ suæ, ut largas faceret eleemosynas, nec permisit aliquem impedire ipsam in servitio divino. Inter hæc completi sunt dies ipsius Jacobi, deciditque in lectum infirmus; quod ut beata Catharina filia ejus audivit, mox ingressa cubiculum, Christum Sponsum suum pro salute patris oravit, cui Christus visibiliter apparens respondit, finem vitæ Jacobi advenisse. Ad hæc illa petiit, ut absque pœnis Purgatorii anima ejus in Cœlum evolaret. Cui Christus respondit necessarium esse, ut justitia saltem in aliquo servaretur, nec esse possibile, quod anima non perfecte purgata splendorem tantæ gloriæ possideret. Quamvis enim, ait Dominus, genitor tuus bonæ vitæ fuerit, pluraque fecerit mihi grata, fieri tamen

men non poteſt ſalva juſtitia , quin anima ejus vadat in ignem purgatorii, propter terrenæ converſationis pulverem habituatum in anima ejus . Ad hæc illa : Superamantiſſime Domine , quomodo ſuſtinere potero , quod anima patris mei quomodolibet ignibus illis atrociſſimis affligatur ? Ego te per omnes bonitates tuas obſecro, ut animam illam egredi non permittas , niſi ſit aliquo modo purgata , quod igne purgatorii nullo modo indigeat . Mira res ! obediente Deo quodammodo voci Virginis , Jacobus mori non potuit, quouſque fuit illa ſancta & pia diſceptatio terminata , quæ multis diebus duravit, Domino allegante juſtitiam , & Virgine gratiam flagitante. Tandem poſt multa Virgo ſubjunxit: Si non poteſt hæc gratia fieri , niſi ſervetur aliqualis juſtitia, fiat tunc illa juſtitia ſuper me. Quod Dominus annuens , ait : Ecce ſuſcepi petitionem tuam , ſed tu pro ipſo pœnam , quam tibi dedero, quouſque vixeris , ſuſtinebis, quam illa gratanter ſuſcepit, & ad patris lectulum accedens , ipſum promiſſione Dei lætificavit . Statimque egrediente anima Jacobi , aprehenderunt Virginem dolores iliaci , qui nunquam uſque ad ejus vitæ finem ab ea diſceſſerunt . Anima vero Jacobi ſtatim ſalvata , ſæpe ſibi apparebat , & grates agendo , multa ei ſecreta revelabat.

De tentationibus Diaboli.

Quod videns Diabolus , vehementer doluit, & jam per ſeipſum ad ſeducendam Dei virginem acceſſit ; Nam quadam die transformavit ſe in Angelum lucis , apparuitque Sacræ Virgini dicens : Catharina grata Deo puella , quare tam dure corpus tuum affligis? An neſcis, quia ſi teipſam interficis , damnaberis? Melius tibi eſſet, ut in juventute corpus tuum reficeres , & foveres, ne propter nimiam debilitatem in ſenectute deficeres , ſed bonum , quod nunc agis, ita modeſte facias , quod ſemper facere poſſes . Ad hæc prudens Virgo reſpondit . Ego ſcio, quod Sanctus Johannes Baptiſta fuit ſanctificatus in matris utero, & tamen ita duram pœnitentiam fecit in eremo; Et ego , quæ ſum concepta & nata in peccatis , non vis , ut in hac vita faciam pœnitentiam? Vivit Sponſus meus , quod non parcam corpori meo, quamdiu vixero , & arripiens catenam ferream , cepit multo durius verberare corpus ſuum ; quod videns Diabolus , confuſus diſparuit , ſed nec ſic a tentatione ceſſavit . Nam alia vice oranti ſacræ Virgini terribilis apparuit, eique dixit : Quid tu ſtulta & miſera indiſcrete perdis juventutem tuam, quia impoſſibile eſt, quod poſſis perſeverare? Accipe ergo veſtem pretioſam , & gaudeas in juventute tua, nam poſtquam eris antiqua , tunc poteris facere pœnitentiam , & habebis utramque vitam ; ſtatimque proferens pretioſam veſtem de ſerico , volebat eam veſtire , ſed beata Catharina illam pretioſam veſtem velut lutum reſpuens , ſignum Sanctæ Crucis fecit , & ſtatim dæmon una cum veſte ſerica velut fumus evanuit . Tunc Virgo Dei arripiens forcipes , capillos capitis ſui præcidit , & confugiens ad eccleſiam Fratrum Prædicatorum , petivit ſibi dari habitum Sororum de Pœnitentia beati Dominici , & obtinuit . Hæ autem Sorores non habitant in monaſterio , ſed quælibet in domo ſua , & portant tunicam albam in ſignum continentiæ , & mantellum nigrum in ſignum humilitatis, & ſunt approbatæ ab Eccleſia. Nam dominus Johannes Papa XXII. poſtquam promulgaverat Clementinam contra Beghinas & Begardos , declaravit per Bullam ſuam illam Decretalem non debere intelligi de Sororibus dictis de Pœnitentia Beati Dominici per Italiam conſtitutis , nec per ipſam earum ſtatui fuiſſe quomodolibet derogatum.

De perſeverantia ipſius.

Ex tunc beata Catharina cepit eleemoſynas facere , infirmis ac debilibus ſervire, orationi & contemplationi frequenter inſiſtere, & Sacram Communionem devotiſsime ac frequentiſsime ſuſcipere. Cumque Sorores de Pœnitentia beati Dominici cernerent Catharinam puellam cunctas Sorores in auſteritate vitæ , morum maturitate ac orationis & contemplationis devotione præcedere , mox in quaſdam ex eis ingreſſus eſt ſerpens antiquus ſator invidiæ, ceperuntque actibus ejus detrahere publice & occulte, induxeruntque ad ſuum errorem quoſdam Rectores Ordinis Prædicatorum , ita quod ſæpe ipſam Sacra Communione & quandoque Confeſſione & converſatione fecerunt privari, quod illa patientiſſime & abſque murmure ſuſtinebat, nec quiſquam potuit eam de talibus querulantem audire. Præter hæc autem, & ſi permittebatur Sacram Communionem ſuſcipere , volebant tamen , quod cito de oratione ſurgeret, & de eccleſia recederet , quod ſibi omnino erat impoſſibile , quia tanto fervore Sacram ſumebat Communionem, quod ſpiritus ejus

rapie-

rapiebatur a sensibus, & sic manebat in extasi tribus, vel quatuor horis, rigida & insensibilis, quod corpus ejus actualiter nihil sentiebat. Illi vero, qui propter dictas Sorores erant seducti, sic contra eam sæpius fuerant accensi, quod eam in tali extasi raptam capientes violenter, & levantes sic insensibilem & rigidam, extra portam Ecclesiæ projiciebant, ubi eam in fervore solis sociæ ejus cum lacrymis custodiebant, quousque rediret ad sensus, nec usquam auditum est verbum de ore ejus, quod de omnibus hiis aliquid diceret. Sed quanto magis patientiam servabat, tanto Sponsus ejus injuriantes eam magis puniebat. Nam quædam Domna eam sic in extasim raptam cum indignatione pede percussit, sed cum reversa esset ad domum propriam, subito mortali dolore correpta absque Sacramentis Ecclesiæ expiravit. Quidam autem alius, qui eam etiam cum indignatione pede percussit, & insuper quoque ipsam semel in extasim raptam extra portam Ecclesiæ violenter projecit, ille non post multos dies freneticus factus & maniacus, abiens in silvam laqueo se suspendit, & sic vitam perdidit.

De servitio infirmorum.

Et quia inter bona honesta fama bona & amicitia virtuosa numerantur, quantam patientiam hæc Virgo habuerit circa prædicta duo, sequentia tria exempla declarabunt. Erat quædam mulier Cecca nomine in hospitali leprosa, cui propter horribilem lepram nullus voluit mihistrare. Hoc sentiens Dei Virgo illuc lætanter accessit, seque sibi obtulit servituram, sed leprosa de beneficio recepto superbiens, cepit benefactricem suam verbis injuriosis infamare & sæpe objurgare, sed illa patientissime sufferens, sic humiliter ei serviebat, quod ex contrectatione illius lepræ manus Virginis fuerunt lepra infectæ, nec propter hoc suæ objugatricis servitium dimisit, quousque eam suis manibus sepelivit, & tunc miraculose de manibus Virginis lepra discessit. Secunda fuit Palmerina ejusdem habitus, quæ ad infirmitatem gravem perducta, indurato odio sacram Virginem infamabat, ita quod nec eam videre poterat; Virgo autem frequenter pro ea orabat. Vicit tandem patientia Virginis, & mollificata Palmerina veniam petiit, susceptisque Sacramentis, vitam finivit. Unde Salvator apparens Catharinæ, manifeste dixit precibus ejus salvatam esse animam Palmerinæ. Tertia fuit ejusdem habitus anus quædam nomine Andrea; hæc cancri morbum patiebatur in pectore, sic corrosivum & infectivum, quod pro fœtore, quem emittebat, nullus poterat ei servire. Quo audito Virgo sacra seipsam propter Christum illi dedit in servitium, nec prohibebat eam fœtor, seu quæcunque infectio, quin apertis naribus, læto corde simul & vultu ulcerosæ illi ministraret, vulnusque detegeret, saniem abstergeret & lavaret, ac cum omni morositate ligaret, & si aliquando nausea insurgebat, faciem suam super vulnus ponebat, & tantum sustinebat illum fœtorem, donec pene deficeret. Ingressus est autem Satanas in Andream, sicut prius intraverat in Palmerinam, & paulatim contra sibi servientem Virginem suspicando & murmurando ad tantam est deducta dementiam, quod falso & turpiter sacram Virginem infamavit, dicens, quod per carnalem corruptelam virginitatem perdiderat Virgo pura; Illa vero hæc audiens, in nullo tamen infamatricis suæ neglexit servitium, immo diligentius ei quam prius ministravit, & forti patientia vicit malitiam ejus. Sed antiquus hostis hæc non valens sufferre, dum semel vulnus illud fœtidum detersisset, stomachus ejus mirabiliter commotus est cum ingenti abominatione, de quo virgo Dei contra proprium corpus irascens: Vivit, inquit, Dominus Sponsus meus, pro cujus amore huic infirmæ servio, quod illud, quod tu abominaris, intra viscera tua claudetur, & hæc dicens, vulnus lavit, lotumque cum fœtida sanie in quadam fœtida scutella collegit, totumque bibit. Quo facto sequenti nocte sibi Dominus apparuit dicens, eam per illum actum excessisse cuncta, quæ hactenus fuerat operata.

De miraculis ipsius.

Præter omnia ista habuit in suis infirmitatibus maximam patientiam, patiebatur siquidem continue dolores iliacos, & causa hujus doloris fuit liberatio animæ Jacobi patris sui de pœnis Purgatorii. Patiebatur etiam dolores capitis quasi continue, & habebat singularem in pectore dolorem ab illo die, quo sibi Salvator apparens, fecit eam degustare pœnas suæ Sacratissimæ Passionis. Patiebatur quoque frequentissime febres; nec tamen unquam audita est querulari, sed semper læto vultu in omnibus regratiabatur sponso suo, vulnerata enim caritate erat & languida præ nimio amore, nam tribus diebus & noctibus absque cibo & potu mansit immobilis, & continue hæc verba ruminabat: Dilecte mi sponse & dulcis juvenis,

Verbum Patris, & Fili Virginis. Tantusque amor in corde ejus crevit, quod scisso corde præ nimio amore, coram multis astantibus expiravit. Tunc Christus animam ejus suscipiens, ostendit ei pœnas damnatorum, & illorum, qui sunt in Purgatorio. Deinde ostendit ei ineffabilem gloriam Beatorum, dicens: Vide filia, quanta gloria privantur, quantaque pœna puniuntur, qui me offendunt? Redeas ergo ad corpus tuum, & ostendas eis errorem ipsorum pariter & periculum & damnum. Cumque anima ejus horreret redire ad corpus, addidit Dominus: Multarum animarum salus requirit, ut redeas, nec amplius modum vivendi tenebis, quem hucusque tenuisti, sed portabis nomen meum coram populis christianis & coram Ecclesiarum Rectoribus, ut consueto meo modo per infirma mundi fortium confundam superbiam. Sicque anima ejus subito restituta est corpori, tantumque doluit pro eo, quod ad hanc miseriam rediit, quod tribus diebus & tribus noctibus continue & assidue flevit. Cepitque ex tunc sacra Virgo Catharina magnis coruscare miraculis, & spiritu prophetico multa futura prædixit. Nam de obsessis corporibus dæmones sola oratione ejiciebat, & debiles ac infirmos quosque & variis languoribus decumbentes solo tactu manus suæ sanabat. Ob hanc famam millia populorum de montibus & castellis circumjacentibus ad eam confluebant, & audita ejus sacra admonitione convertebantur, confitentes cum lacrymis peccata sua.

De conversione duorum latronum.

Eodem tempore duo latrones desperati propter maleficia sua, ducebantur ad mortem per civitatem Senarum, & tortores cum forcipibus ignitis carnes eorum hinc inde trahebant. Illi autem continue cum magno clamore Deum & beatam Virginem Mariam blasphemabant, nec ullo modo volebant confiteri. Prospiciens autem sacra Virgo per fenestram vidit multitudinem dæmonum in circuitu latronum illorum, qui animas eorum expectabant; tunc illa flexis genibus oravit Dominum, ut faceret illis latronibus misericordiam, cui Dominus ait: Non audis qualiter me blasphemant & matrem meam? Ad hæc Virgo: Tu Domine latronem in cruce suscepisti; Obsecro te per omnes misericordias tuas festina succurrere animabus istis. Dæmones autem clamabant: Cessa maledicta ab oratione tua, aut cum animabus istorum intrabimus in te, & faciemus te dæmoniacam. Quibus illa respondit: Quidquid Deus vult, ego volo, tamen ab oratione non cessabo. Quid plura? vicit Virgo volentem vinci, & fontem misericordiæ ad misericordiam inclinavit. Cum autem fuerunt in porta civitatis, apparuit eis Salvator supermisericors totus vulneratus, ipsos ad conversionem invitans & veniam promittens. Statimque dicti latrones conversi sunt, & compuncti corde, vocato Sacerdote, confessi sunt peccata sua cum lacrymis, postque blasphemias mutaverunt in laudem, seipsos continue accusantes, & dignos pœnis majoribus proclamantes, lætissime mortem susceperunt, & per temporalem pœnam ad vitam pervenerunt æternam. Multique alii impœnitentes, blasphemi & obstinati, quos nullus unquam potuit convertere, precibus hujus sacræ Virginis fuerunt conversi & salvati.

De pace Ecclesiæ.

Anno Dominicæ Incarnationis M.CCC. LXXV. civitas Florentina operante inimico humani generis contra Ecclesiam rebellavit, & cum hostibus Ecclesiæ se colligavit ad destructionem bonorum temporalium ipsius Ecclesiæ, ita quod Romanus Pontifex, qui dominabatur in Italia LX. civitatibus episcopalibus, & decem millibus castellis & terris muratis, quasi totum perdidit. Hac de causa Gregorius Papa XI. contra dictos Florentinos fecit terribiles processus, itaut per totum mundum caperentur, & bonis omnibus spoliarentur per Dominos temporales; hac necessitate coacti sunt Florentini facere pacem cum Summo Pontifice, rogaveruntque sacram Virginem Catharinam, ut dignaretur accedere Avenionem ad domnum Papam ad faciendum inter eos pacem. Quare Virgo Dei plena caritate pro animarum salute, quæ tunc erant excommunicatæ, Avenionem ad domnum Papam perrexit, & per totam illam viam maxima miracula fecit. Nam tempestatem maris fortissimam sola oratione sedavit, & multos infirmos per impositionem manuum suarum ab omni infirmitate sanavit; nec a labore & oratione cessavit, donec pacem Ecclesiæ impetravit. Sed cito renovatus est dolor ejus; Nam mortuo Gregorio Papa XI. successit ei Urbanus Papa Sextus, qui dum vitia Prælatorum vellet corrigere, plures Cardinales ab eo recesserunt, & alium Papam, immo Antipapam fecerunt, sicque schisma pestiferum in Ecclesia ortum fuit. Interim sacra

cra Virgo Catharina Senis habitans epistolas dictabat, & per diversas mundi partes destinabat. Unde instigante Spiritu Sancto dictavit librum revelationum divinæ doctrinæ per modum dialogi loquentis animæ cum Deo, quem qui devote legerit, non dicta Catharinæ Virginis, sed Augustini dicta putabit.

De adventu Beatæ Catharinæ Romam.

Urbanus Papa Sextus, audita fama beatæ Catharinæ de Sena, præcepit ei, ut Romam veniret, quæ obediens præceptis Apostolicis Romam accessit. Summus autem Pontifex visa, ea gavisus est, & voluit, ut coram Cardinalibus, qui tunc aderant, faceret verbum exhortationis, quod & fecit, & postea ad hospitium remeavit. Sed antiquus hostis cepit seminare discordiam inter populum Romanum & Urbanum Papam, ita quod aperte conabatur populus interficere Papam. Quod sentiens Virgo sacra Catharina, nimis afflicta, ad consuetum recurrit orationis refugium; Quod dum ageret, vidit totam Romanam Urbem plenam dæmonibus, qui undique populum incitabant ad patricidii scelus, & contra orantem Virginem horribiles dabant clamores, dicentes: Maledicta tu. Quare vis nos impedire? Sed nos te horrenda morte occidemus. Quibus illa nihil respondens, prolixius & ferventius orabat, petens a Domino, ut pro nominis sui honore vellet dæmonum desiderium frustrare & Vicarium suum illæsum conservare, nec permitteret, quod populus Romanus tantum peccatum faceret, Papam occidendo. Cui Dominus respondit: Sine filia hunc populum, qui quotidie nomen meum blasphemat, cadere in hoc malum, ut postmodum propter hoc grande crimen deleam eum, quia justitia mea exigit, ut amplius non sustineam iniquitates ipsorum. At illa orabat, dicens: Domine, si non potest fieri, ut non fiat justitia ista, supplico tamen, ut non spernas preces ancillæ tuæ, sed quidquid pœnalitatis debetur super hunc populum, fiat super corpus meum. Libentissime namque pro tui nominis honore, & pro Ecclesia tua sancta bibam hunc calicem passionis corporalis. Ad hanc vocem Virginis assensit Dominus, factumque est, quod ab illa hora cessavit murmur in populo Romano contra Summum Pontificem, nec amplius quæsierunt Urbanum Papam interficere.

De obitu Beatæ Catharinæ.

Statim infernales illi serpentes licentia obtenta ex divina permissione super virginale corpusculum, sicut olim super sancto Job, tanta illud crudelitate afflixerunt, quod omnibus cernentibus erat crudele ad videndum, nec deerant voces terribiles inter ipsa verbera, quibus ipsam dæmones quotidie flagellabant, horribiliter clamantes: Maledicta, quæ nos semper & ubique es persecuta, nunc venit tempus, in quo de te plenam sumemus vindictam. Tu nos hinc expellis, & nos te de hac vita corporea excludemus. Hæc autem verba sociabant simul gravissima verbera. Talique modo a Dominica prima Quadragesimæ usque ad penultimam diem mensis Aprilis, in qua migravit, passa est beata virgo Catharina de Sena, & licet corpore deficeret, granditate tamen animi lætissime currebat ad pœnas, quas ei hostes infernales crudelissime infligebant, & quanto magis orabat, tanto acrius eam dæmones flagellabant. Videns autem pius Dominus tantam patientiam sponsæ suæ, voce lapsa de Cœlo vocavit eam, quæ cognoscens diem transitus sui, lecto decubuit, vocavitque filios suos in Christo & filias, & ordinavit eis vivendi modum, quem tenere deberent post ejus transitum, qui dum flerent præ dolore & dire lamentarentur, dixit eis: Non debetis dilectissimi filii de meo transitu contristari, immo potius congaudete mecum & congratulamini, quia vado ad Sponsum meum, quem semper optavi, & dimitto locum laborum & pœnarum, & vado ad requiem sempiternam. Vobis autem affirmative promitto, quod magis vobis ero utilis post transitum meum, quam unquam fuerim, vel esse potuerim, dum fui vobiscum in hac vita tenebrosa & plena miseriis. Post hæc fecit vocari ad se Sacerdotem, & quamvis quasi quotidie confitebatur, tamen præmissa confessione cum magna devotione, suscepit Sacramenta Ecclesiæ, & elevatis oculis in Cœlum: Pater mi, inquit, in manus tuas commendo spiritum meum, statimque migravit ad Dominum. Filii autem ejus spirituales & filiæ lacrymis perfusum detulerunt corpus Virgineum ad Ecclesiam Fratrum Prædicatorum, quæ vocatur Sancta Maria Minerva. Quod ut populus Romanus audivit, commotus est, & factus est maximus populi concursus. Convenitque maxima multitudo populi ferentes secum multos infirmos & debiles ac diversis languoribus detentos, & quotquot tan-

tangebant illud ſacrum corpus Virgineum, aut veſtimenta ejus, ſtatim ſanabantur a quacunque detinebantur infirmitate, ita quod per triduum non potuerunt illud ſacrum corpus tradere ſepulturæ propter maxima miracula, quæ per Sponſam ſuam Dominus faciebat. Obiit autem hæc beata Catharina de Sena in Urbe Roma Anno Dominicæ Incarnationis M.CCCC.LXXX. die Dominica hora Tertiarum, quæ fuit dies XXIX. menſis Aprilis, Regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto; Qui eſt Deus ſuper omnia.

Explicit Epilogus in vita beatæ Catharinæ de Sena, quem compilavit & dictavit Domnus Hieronymus de Praga Anno Domini M.CCCC.XXV.

DE ERRORIBUS GRÆCORUM.

EGo Frater Hieronymus de Praga Sacræ Eremi Camalduli recluſus Eremita, dum anno præterito redirem de Jeruſalem, veni in Nicoſiam, Metropolim Cypri, & in Famam Auguſtam, & in Paphum, Coloſſum, & in Cretam, & in alias urbes ac inſulas, in quibus Græci habitant; diſputavique cum Græcis Calogeris & Sacerdotibus Græcorum, ſimulque cum Domno Coloſſenſi, multos Græcos diſputando convici, tamen reperii omnes Græcos ita obſtinatos in ſua hæreſi & pertinaces, quod fatentur publice potius velle ſuſcipere fidem Teucrorum, quam Latinorum. Habent namque Græci quatuor articulos hæreticos, quos Sanctus Leo Papa in Concilio Calcedonenſi publice condemnavit, omneſque Græcos excommunicavit, ac ſchiſmaticos eſſe & hæreticos publice declaravit. Similiter Sanctus Innocentius Papa tertius in Concilio Lateranenſi omnes Græcos excommunicavit, & hæreticos eſſe ac ſchiſmaticos publice declaravit, & ſolemniter condemnavit.

Nam primus error Græcorum eſt iſte, quod Græci negant Spiritum-Sanctum procedere a Filio, ſicut procedit a Patre, & per hoc minorem Filium, quam Patrem æſtimantes. Allegant enim Evangelium Johannis, ubi Dominus ait: Cum autem venerit Spiritus veritatis, qui a Patre procedit. Ex quibus verbis ſic arguunt: Teſte Evangelio, Spiritus-Sanctus a Patre procedit; Ergo vel procedit a Patre perfecte, vel imperfecte: Sed in Trinitate non eſt dare quidquam imperfectum: Ergo conceditur, quod Spiritus-Sanctus procedit a Patre perfecte; & quia perfecto nihil eſt addendum, ideo negatur, quod Spiritus-Sanctus procedat a Filio, quia ſuperflua eſſet alia proceſſio. Nec intelligunt hæretici, quod Spiritus-Sanctus non pluribus ſpirationibus procedit a Patre & Filio, ſed unica tantum ſpiratione ab utroque procedit, ut habetur de Summa Trinitate & Fide Catholica, Capitulo *Unica*, & in Symbolo Athanaſii *Quicunque vult ſalvus eſſe &c.*

Secundus error Græcorum eſt iſte. Quod Græci negant Catholicos poſſe conſecrare Corpus Chriſti in azimo pane, & allegant Apoſtolum dicentem, quod Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, ex quibus verbis ſic arguunt: Panis azimus non eſt panis, ſed ſunt lagana: Ergo Catholici non poſſunt in laganis conſecrare Corpus Chriſti. Unde ego vidi oculis meis in Nicoſia & in Coloſſo, quum Sacerdos Catholicus faciebat elevationem in Miſſa, Græci, qui tunc erant præſentes, vertebant poſteriora & obſcænam partem corporis contra Sacramentum Altaris. Nec intelligunt hæretici, quod in lege Moyſi præceperat Deus Hebræis, ut manducarent Agnum paſchalem cum azimo pane, & ſub pœna mortis non haberent fermentum ſeptem diebus ante Paſcha in domibus ſuis. Sic Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quia non venerat ſolvere legem, ſed adimplere, in ultima cœna manducavit agnum paſchalem ſecundum legem cum azimo pane, & in eadem cœna accepit panem azimum, & fregit ac dedit diſcipulis ſuis dicens: Hoc eſt Corpus meum. Sic & Catholici exemplo Chriſti in pane azimo conſecrant Corpus Chriſti.

Tertius error Græcorum eſt iſte. Quod Græci negant Purgatorium eſſe, nec Infernum, neque gloriam Beatorum uſque ad diem judicii, & ſic arguunt. Sicut anima non peccavit abſque corpore, ſic non debet puniri, nec præmiari abſque corpore, ſed cum in die judicii animæ unitæ fuerint corporibus ſuis, tunc reprobi ibunt in infernum, & juſti in regnum Cœlorum. A quibus dum ego quærerem, ubi nunc ſunt animæ defunctorum? Reſponderunt, quod animæ reproborum nunc ſunt in aere uſque ad diem judicii, & juſtorum animæ ſunt in manu Dei. Quibus dum ego objicerem Evangelium Lucæ, ubi Dominus ait: Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & byſſo, mortuuſque eſt dives & ſepultus eſt in inferno; Et erat quidam mendicus nomine Lazarus; mortuuſque eſt mendicus, & portatus eſt ab Angelis in ſinum Abrahæ; Reſponderunt, quod illa erat parabo-

la,

la, & non erat rei veritas; Nec intelligunt hæretici, quod in parabolis non nominantur personæ, sed, ut ait beatus Ambrosius, hic nominatur Lazarus, ut ostendat Dominus, quod animæ reproborum ante diem judicii vadunt in infernum, & animæ justorum, Apostolorum, Martyrum & Confessorum vadunt in regnum Cœlorum.

Quartus error Græcorum est iste. Quod Græci negant Papam esse Vicarium Christi, nec successorem beati Petri Apostoli, neque habentem claves ligandi atque solvendi. Et sic arguunt. Christus omnibus Apostolis dedit claves ligandi & solvendi, quum insufflavit & dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Ergo Patriarcha Constantinopolitanus, qui est successor beati Pauli Apostoli, habet claves ligandi & solvendi; Et sic quolibet anno in Dominica Olivarum Patriarcha convocat omnes Episcopos Græcorum, & induti vestibus sacris, portantes cereos in manibus, factaque solemni processione in Ecclesia beatæ Sophiæ, Patriarcha Græcorum excommunicat quolibet anno Domnum Papam, & omnes Cardinales, omnesque Episcopos Latinos, & omnes fideles catholicos, præcipiens omnibus Græcis, ne debeant disputare, nec cibum sumere cum Latinis; Et qui contra fecerit, anathema sit. Tunc omnes Episcopi Græcorum projiciunt cereos in terram, clamantes voce magna: Anathema sit. Nec intelligunt hæretici, quod ipsorum excommunicatio nihil valet, quia ipsi sunt ligati a Deo & excommunicati, eo quod Christus singulariter beato Petro dixerit: Tibi dabo claves regni Cœlorum.

Habent etiam Græci multos errores graviores. Nam domnus Colossensis nuper reperiit librum, noviter a Græcis compositum, in quo sunt scripti viginti articuli hæretici; Hunc librum præfatus Domnus transtulit de Græco in Latinum, & intendit destinare Basileam ad Concilium, hortans omnes catholicos, ut cauti sint in receptione Græcorum; quia, ut scribitur in Cronica Martiniani, Græci hæretici jam duodecim vicibus ab Ecclesia catholica fuerunt suscepti; Et ultima vice in Concilio Lugdunensi suscepti, etiam publice errores suos revocaverunt, sed tamdiu in fide catholica remanserunt, quamdiu Lugdunense duravit Concilium; quo finito, mox Græci ad vomitum redierunt, & plures prioribus errores addiderunt, nec sperari potest Græcorum perfecta unio, nisi prius Domnus Papa, aut generale Concilium caperent urbem illam sacrilegam Constantinopolim, quæ est spelunca hæreticorum, & darent ipsam urbem Magistro & Fratribus Sancti Johannis de Rhodo in possessionem, sub anathemate dicto Magistro & Fratribus præcipientes, ut Patriarcham, Episcopos & Presbyteros Græcorum delerent, & Archiepiscopum catholicum cum Clero Catholico in Constantinopolim collocarent. Sic Ecclesia catholica triumpharet, & inveterata Græcorum hæresis, vel coacta obmutesceret ad laudem Christi. Amen.

Incipit sermo modernus et valde utilis de vera et de falsa Pœnitentia.

Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis. Hæc verba Domini scribuntur originaliter Lucæ XIII. Capitulo. Et transumptive in Decreto de Pœnitentia Distinctione prima, Capitulo *Serpens antiquus*, Reverendissimi Patres & Fratres in Christo Carissimi. Quia cum omnem pœnitentiam nostram ratio quotidianorum dierum poscat augeri, nemo est de nobis, qui se ad opus honoris gaudeat incitari. Natura quippe nostra, manente adhuc mortalitate, mutabilis, etiamsi ad summa quæque studia virtutum moveatur, semper tamen potest habere, quo crescat. Et hæc est perfectorum vera justitia, ut nunquam præsumant se esse perfectos, ne ab incepti termino cessantes, ibi incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerunt appetitum. Quia ergo nemo nostrum dilectissimi tam perfectus & sanctus est, ut perfectior sanctiorque esse non cupiat, omnes simul ab hiis, in quibus pervenimus, in ea, quæ nondum apprehendimus, pia aviditate curramus: Et ad mensuram consuetudinis nostræ aliquid augmenti addamus, ut vere beati esse possimus. Quia, ut ait Aristoteles primo Ethicorum: Beatitudo hominis in propria ejus operatione consistit. Et hoc idem probatur in Decreto, Causa XXIII., Quæstione IV. Capitulo *Nabuchodonosor*, Et de Pœnitentia Distinctione secunda, Capitulo *Sicut enim*. Sed quia Beatitudo quietat Beatum, eo quod est omnium operatorum finis, ut scribitur IV. Ethicorum, & nostrum intelligere non quietatur in consideratione cujuslibet veritatis, sed veritatis primæ, & hæc in via nusquam apprehenditur, ideo sequitur necessario aliam vitam ponere, in qua intellectus humanus suo fini, idest veritati primæ

primæ conjungatur ; alias homo privaretur suo fine , quod est impossibile . Et etiam quia per intellectum apprehendit homo ordinem universi . Ex quo ordine consequenter apprehendit aliquem esse mundi gubernatorem & rectorem : apud quem, cum sit justissimus, impossibile est, ut mala impunita & bona irremunerata remaneant . Quia ad bonos rectores spectat bonos remunerare, & malos punire, ut ait Philosophus III. Ethicorum . Sed quia in hoc mundo sæpe , qui pejus faciunt , melius habent, ut probatur in Canone de Pœnitentia, Distinctione tertia , Capitulo *Quid ergo* , Ideo sequitur necessario talia in alia vita persolvi , Oportet ergo poni Infernum , in quo puniantur mali , & Paradisum , in quo boni præmia consequantur. Et illud est maximum juvamen ad pœnitentiam , quia dum homo cogitat supplicia malis , & præmia bonis esse parata , movetur ad agendam pœnitentiam , ut probatur in Decreto de Pœnitentia , Distinctione secunda Capitulo *Si enim inquit* , Et Extravaganti de Summa Trinitate Capitulo primo . Sed quia , ut ait beatus Augustinus , nullum bonum valet absque Deo, ubi nanque deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa est veritas , etiam in optimis moribus , ut probatur in Decreto XXVIII. Quæstione prima, Capitulo *Ex hiis* . Unde beatus Hilarius inquit ; nisi enim ea, quæ dicimus ab eo didicerimus, stulte atque impie dicemus . Et habetur in Canone de Consecratione , Distinctione secunda, Capitulo *In Christo*. Ipse enim est in gratia magnificus; est munerator copiosissimus; remunerator æquissimus; liberator piissimus; gratis respiciens humiles; juste judicans innocentes, & misericorditer solvens peccatores . Ideo beatus Ambrosius super Lucam ait: nemo sine Deo invenit gratiam; nemo agere potest pœnitentiam , ut probatur in Decreto de Pœnitentia , Distinctione prima . Ipse enim immemor injuriæ, memor clementiæ , nunc parcendo, nunc docendo, nunc sanando , nunc liberando, plebis corda demulcet. Ad ipsum ergo humiliter accedamus , & pro impetranda Spiritus Sancti gratia, more solito gloriosam Virginem salutemus.

Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis . Hoc est Thema Reverendi Patres & Fratres in Christo carissimi, quia ut ait beatus Augustinus in libro de Utilitate agendæ pœnitentiæ: Nolite negligere , quod vos pius Deus peccantes sustinet . Quia quanto diutius expectat , ut emendetis, tanto gravius judicabit, si neglexeritis ; pœnitentia enim acquirit indulgentiam, sine qua nemo perveniet ad vitam æternam . Quia quod facit Baptismus , facit Pœnitentia , ut probatur in Decreto de Pœnitentia , Distinctione prima, Capitulo *Multiplex*. Nam sine pœnitentia nulli profuit Baptismus , qui peccavit spontaneus ; Ergo assidue peccantibus, assidue Pœnitentia est necessaria; in multis enim offendimus omnes , nec infans unius diei absque peccato est super terram . Anima itaque nostra de se perfectissima est creata , sed corpori conjuncta maculatur, contrahendo maculam culpæ & sordes iniquitatis . Sicut ex vase corrupto liquor infusus corrumpitur. Unde Innocentius Papa de Contemptu mundi ait rubrica III. Hæc tibi vitia ex carne corrupta contrahuntur , ut non quæ vultis, illa faciatis; ut probatur in Canone de Pœnitentia , Distinctione tertia , Capitulo *Cavendum*. Nam quotidie in carne nostra seminaria vitiorum scaturiunt ebullientia , concupiscentiarum libidines ebulliunt pullulantes , iræ motus , gulæ impetus nos conturbant . A mane usque ad vesperam cogitationes vanæ succedunt, & mens in diversa distrahitur ; Et ideo Apostolus clamat cum dolore: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? ad Romanos VII. Et transumptive in Decreto XV. Quæstione prima. Sola namque pœnitentia est, quæ nos a morte æterna liberat, dicente Domino: Nisi pœnitentiam egeritis , omnes simul peribitis ; Quæ fuerunt verba Reverentiæ vestræ loco Thematis proposita. In quibus verbis a me sic ruditer introductis, diligenter considerandum est duplicem esse pœnitentiam, Divinam & humanam. Divina est, a qua prædicatio Johannis incepit, sic dicentis: Pœnitentiam agite , appropinquavit enim Regnum Cœlorum ; Matthæi IV. Et quam præcepto docuit , hanc postmodum Dominus Jesus Christus imposuit, quando mulieri adulteræ dixit : Vade & amplius jam noli peccare ; Johannis VIII. Et sanato infirmo , præcepit ei , dicens : Ecce sanus factus es , jam noli peccare; Johannis V. Non dixit, ne pecces , sed ne voluntas peccandi in te oriatur . Quod nequaquam servabitur , nisi dolor in pœnitentia continue custodiatur. Qui enim veraciter pœnitet , hic semper doleat, & de dolore gaudeat , & non sit satis quod doleat , sed ex fide doleat , & non semper doluisse doleat : Hæc Augustinus. Inde dicitur pœnitens , quasi pœnam tenens idem dolorem, quia duplex est pœnitentia , interior & exterior. Interior est virtus mentis ; Exterior vero est Sacramentum , & utraque est

causa

causa justificationis & salutis. Unde beatus Ambrosius ait: Hæc est vera pœnitentia cessare a peccato; Magni profectus est renuntiare errori; imbutos enim animos exuere atque emendare virtutis est perfectæ & cœlestis gratiæ. Et ideo pœnitentia ita definiri potest: Pœnitentia est virtus, vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus, & plangenda ulterius committere nolumus, quia sic pœnitentia vera est; in animo dolere & flere vitia, & flenda iterum non committere. Nam ut ait Isidorus: Irrisor est & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet; nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Sicut enim canis reversus ad vomitum, & sus in volutabro luti, sic pœnitens reversus ad peccatum; ut probatur in Canone de Pœnitentia, Distinctione secunda, Capitulo *Productior est pœna, quam culpa*. Unde beatus Gregorius ait: Pœnitere est anteacta peccata deflere, & flenda non committere. Nam qui sic peccata deplorat, ut alia iterum committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest si peccata luxuriæ quis defleat, & adhuc avaritiæ æstibus anhelat? Quosdam namque accipere lacrymas ad pœnitentiam cerno, & affectum pœnitentiæ non habere, quia inconstantia mentis, nunc recordatione peccati lacrymas fundunt, nunc revivifcente usu, ea, quæ fleverunt, iterando, committunt. Isaias enim dicit de peccatoribus: Lavamini, mundi estote; Lavatur, & non est mundus, qui plangit, quæ gessit, nec deserit, & post lacrymas, ea, quæ fleverat, repetit. Ideo beatus Augustinus in Soliloquiis ait: Inanis est pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. Et nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Nihil valet veniam a malis poscere, & mala denuo iterare. Et illud idem confirmat Pius Papa, dicens: Nihil prodest homini jejunare, orare & alia pœnitentiæ opera agere, nisi prius mens ab iniquitate revocetur. Ergo qui a malo sic mentem revocat, ut commissa plangat, & plangenda committere non velit, nec satisfacere negligit, ille vere pœnitet, & ad Regnum Cœlorum pervenit. Unde beatus Gregorius in homilia ait: A diebus Johannis Regnum Cœlorum vim patitur, quia qui peccatoribus pœnitentiam indixit, quid aliud quam Regno Cœlorum violentiam fieri docuit? vult namque a nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti. Nam Regnum Cœlorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. Et qui jam multos salvatos conspicimus per pœnitentiam, quid aliud quam supernæ Patriæ pignus tenemus? Est namque pœnitentia, ut ait Augustinus, animæ nostræ medicina. Ipsa namque languores sanat, mortuos suscitat, sanitatem auget, gratiam conservat, claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum, vitia fugat, virtutes exornat, mentem nutrit & roborat. Unde beatus Cyprianus in libro de laudibus pœnitentiæ inquit: O pœnitentia quid de te novi referam? Omnia ligata tu solvis; Omnia clausa tu reseras; Omnia adversa tu mitigas; Omnia contrita tu sanas; Omnia confusa tu lucidas; Omnia desperata tu confortas; Quis crudelius peccavit Paulo? Et quis gravius Petro? & tamen illi per pœnitentiam meruerunt assequi, non ministerium, sed magisterium Sanctitatis. Sed si quæritur quæ sunt illa bona præcipua, quæ inducunt homines ad istam veram & divinam pœnitentiam? Ad hoc dicendum, quod sunt XIII. bona. Primum est Divina gratia, qua quos Deus prædestinavit, hos per operationem pœnitentiæ vocavit horis & modis & temporibus, sicut decuit, ut probatur in Canone de Pœnitentia, Distinctione tertia, Capitulo *Adhuc*. Unde Augustinus super Johannem ait: Nemo venit ad pœnitentiam, nisi tractus. Quare autem illum trahat, & alium non trahat, noli interrogare, si non vis errare. Salvat enim Deus ex gratia, quos ex justitia damnare posset; ut probatur in Decreto, Causa XXIII. Quæstione IV. *Nabuchdonosor*. Secundum est Imago Divina, quæ vocatur Synderesis, in qua homo factus est ad imaginem Dei. Unde David ait: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine; Ideo accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus; qui quanto magis aspicitur, tanto magis altior apparet in mente fidelis, ut probat sanctus Papa Gregorius in Canone de Pœnitentia, Distinctione II. Capitulo *Dum Sanctam Ecclesiam*. Tertium est quatuor dotes principales, quas Deus in anima hominis formavit: Hæ sunt Prudentia, Temperantia, Sapientia, & Fortitudo, ut probatur in Decreto XII. Quæstione III. Capitulo *Existimavit*. Quartum est timor Divinus, eo quod timet in Inferno perpetuo cruciari, ut ait Salomon: Qui timet Deum, faciet bona; Unde Johannes Cassianus inquit: De timore Dei nascitur compunctio, de compunctione humilitas, de humilitate puritas cordis, & in puritate cordis charitas possidetur, ut probatur in Decreto de Pœnitentia, Distinctione prima, Capitulo *Sicut seta introducit filum, ita timor*

mor charitatem. Quintum est brevitas vitæ, quia recolit multos coetaneos suos defunctos, & paucos vivos, unde Job ait: Breves dies hominis sunt, & repleti multis miseriis. Nam postquam quis attingit annum quinquagesimum, semper est in descensu, & ideo timere debet, ut probat beatus Gregorius in Canone, Distinctione LXXXVI. Capitulo *Tanta nequitia*. Et idem probat Gelasius PP. in Decreto Causa XIII. Quæstione secunda, Capitulo *Illud*: Sextum est infirmitas corporis, de qua accidit tædium peccandi; Unde beatus Hugo ait: Quosdam præsciens Deus multum peccare posse, flagellat eos infirmitate corporis, ne peccent, ut probatur in Decreto de Pœnitentia, Distinctione prima, Capitulo *Potest fieri*: Ubi dicitur, quod ægritudo carnis peccatum repellit. Septimum est senectus & defectus potentiæ, quia videt se deficere in visu, & in aliis sensibus corporis, & in virtutibus principalibus: Et videt se incurvare & canescere, quæ omnia invitant eum ad pœnitentiam. Alias dicetur sibi illud Isajæ: Maledictus puer centum annorum, ut probat beatus Gregorius in Decreto, Causa secunda, Quæstione IV. Capitulo *Paulus dixit*. Octavum est descensus hujus Mundi, unde Augustinus ait: Mundus transit & concupiscentia ejus. Quid ergo vis? iterum amare temporalia, & transire cum tempore, aut amare Christum & vivere in æternum? Videt etiam Religiones multiplicari, & homines juvenes a temporali vita cito rapi; ut probatur in Canone de Pœnitentia, Distinctione IV. Capitulo *Si ex bono*. Nonum est, quia videt & audit Scripturas, qualiter mali & non pœnitentes cum Diabolo in Inferno perpetuo cruciantur, ut probatur in Decreto de Pœnitentia, Distinctione III. Capitulo *Inter hæc*. Et Capitulo *Quid ergo*. Decimum est recordatio gloriæ Sanctorum; Unde beatus Hieronymus super Matthæum ait: Dolorem medicinæ spes salutis mitigat; Qui desiderat nucleum, frangit nucem; Sic pœnitentiam agit, qui vult regnare cum Christo; Scit enim qualiter Sancti remunerantur a Deo in Regno Cœlorum; ut probatur in Canone de Pœnitentia, Distinctione II. Capitulo *Si enim inquit*. Undecimum est, quia jugum Dei leve est, & cito potest a misericorde Judice invenire gratiam sempiternam, ut probatur in Decreto de Pœnitentia, Distinctione II. Capitulo *Talis est mihi Deus*. Duodecimum est, quia aliquam debet invenire viam, per quam vadat in vitam æternam, & non est securior, nec melior via quam pœnitentia, ut probatur in Decreto, Causa XXIII. Quæstione IV. Capitulo *Obtineri nequaquam possunt*. Tertiumdecimum & ultimum est copiosa remuneratio, quam expectat in Christo, quando dotabitur anima cum corpore, quia corpora Sanctorum fulgebunt sicut sol in Regno Cœlorum, & erunt fortia, libera, pulcra, sana, & absque fine semper manebunt læta, ut probatur in Canone de Pœnitentia, Distinctione IV. Capitulo *Adoptionem filiorum Dei expectat creatura*. Hæc sunt, quæ inducunt hominem ad veram pœnitentiam: Et hoc de prima parte sermonis.

Dixi secundo, quod est alia pœnitentia humana: & illa est duplex. Prima ex parte Sacerdotis imponentis; Secunda ex parte pœnitentis suscipientis. Prima pœnitentia imponentis est triplex; Nam alia est pœnitentia solemnis; alia est publica; & alia privata. Solemnis pœnitentia est, quæ imponitur alicui pro peccato enormi manifesto, & vulgatissimo: hæc sola debet imponi ab Episcopo, quando Episcopus aliquem notorium peccatorem tondet, & in monasterio recludit; Vel illa, quæ fit per Episcopum extra Ecclesiam in manifesto in Capite Quadragesimæ pro manifestis & horrendis peccatis, ut probatur in Decreto, Distinctione quinquagesima, Capitulo *In Capite*. Hæc pœnitentia non debet imponi Clerico nisi deposito; & non debet iterari, quia sicut est unum Baptisma, ita est una solemnis pœnitentia. Unde beatus Ambrosius ait: Reperiuntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Christo, nam si vere in Christo pœnitentiam agerent, iterandam postea non putarent; pœnitentia enim semel usurpata, nec vere celebrata & fructum prioris aufert, & usum consequentis amittit. Quod declarans beatus Augustinus, inquit: Quamvis caute & salubriter provisum sit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis & utilis minus esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit, quis tamen audeat dicere Deo, quare huic homini, qui post pœnitentiam primam rursus se laqueis iniquitatis astringit, adhuc iterum parcis? Origenes quoque de hac solemni pœnitentia ait: Si nos aliqua mortalis culpa invenit, quæ non in crimine gravi, vel in blasphemia fidei, sed in sermone, vel in morum vitio consistit, hæc culpa semper reparari potest, nec interdicitur aliquando de hujusmodi pœnitentiam agere, sed non ita de gravioribus criminibus; in gravioribus enim criminibus est semel tantum pœnitentiæ locus.

locus. Nam gravia, quæ frequenter incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt, & ſemper redimuntur, ſed de gravioribus criminibus ſemel tantum agitur pœnitentia ſolemnis, nam de illis, ſi iterentur, iteratur etiam pœnitentia, ſed non ſolemnis. Sed ſi quæritur, in quibus peccatis Sacerdos ſimplex non poteſt pœnitentiam imponere, nec confitentem abſolvere, & quæ peccata ſoli Epiſcopo reſervantur? Ad hoc dicendum, quod in omni peccato notorio, quod totam concutiat Urbem, ad ſolum Epiſcopum pertinet abſolutio, & pœnitentiæ impoſitio, ut probatur in Decreto, Cauſa XXVI. Quæſtione VI. Capitulo *Vult*; & Diſtinctione L. Capitulo *Placuit*. Nam in occultis peccatis poterit ſimplex Sacerdos pœnitentiam imponere & abſolvere, excepto homicidio voluntario occulto, ſimonia occulta, & ſacrilegio occulto, & omni peccato, in quo de jure aliquis incurreret excommunicationem; quia iſta omnia ſpectant ad Epiſcopum; ut probatur in Decreto XVII. Quæſtione IV. Capitulo: *Si quis ſuadente*: Niſi in mortis articulo, ut probatur in Decretali extravaganti de Sepulturis, Capitulo ultimo. Et in Decreto, Cauſa XVIII. Quæſtione IV. Capitulo *Si quis*.

Secunda pœnitentia imponentis eſt publica, quando Sacerdos pro peccatis criminalibus imponit alicui peregrinationem per mundum cum baculo cubitali, & veſte ad hoc conſecuta. Vel etiam illa pœnitentia, quæ pro criminali, aut mortali peccato fit publice in facie Eccleſiæ. Sed ſi quæritur, quæ eſt differentia inter peccata criminalia & peccata mortalia? Ad hoc dicendum, quod eadem eſt differentia, quæ eſt inter genus & ſpeciem, quia quæcunque ſunt peccata criminalia, per conſequens ſunt mortalia, ſed non e converſo, quia multa ſunt mortalia, quæ non ſunt criminalia, quamvis quodammodo omne peccatum vocatur crimen, ut probatur in Canone XXV. Diſtinctione, Capitulo *Criminis appellatio*. Sunt autem principaliter XII. peccata criminalia. Primum eſt errare in Fide Catholica, ut probatur in Decreto, Cauſa XXII., Quæſtione ſecunda, Capitulo *Primum itaque eſt capitale mendacium*: Secundum criminale eſt Sodomia, quæ eſt peccatum contra naturam, ut probatur in Decreto, XXII. Quæſtione VII. Capitulo *Flagitia*: Ubi dicitur, quod in tali peccato violatur ipſa ſocietas, quæ cum Deo eſſe debet; Et Capitulo *Adulterii malum*; Ubi dicitur, quod plus peccat Sodomita, quam cum matre propria. Et XXXII. Quæſtione IV. Capitulo *In eo*; Ubi dicitur, quod de ſolo verbo tali ſædatur os, & polluitur aer: Et de Pœnitentia, Diſtinctione prima, Capitulo *Secundum*; ubi dicitur, quod quinque civitates perditæ fuerunt ex ſola vicinitate Sodomitarum. Tertium criminale eſt homicidium voluntarium, quod eſt terribilius omni peccato, ut probatur in Decreto, XXXIII. Quæſtione ſecunda, Capitulo *Si quod verius*: Quartum eſt crimen læſæ Majeſtatis, ut probatur in Canone LXXIX. Diſtinctione, Capitulo *Si quis Papam*; Et tertia, Quæſtione V. Capitulo *Actionibus*. Quintum eſt crimen Sacrilegii, hoc eſt, cum quis frangit Eccleſiam violenter, vel furatur bona Eccleſiæ, ut probatur in Decreto, ſecunda, Quæſtione prima, Capitulo *In primis*; Et XXIII., Quæſtione V. Capitulo *Rex debet*; Et Capitulo *Si quis*. Sextum eſt inceſtus cum conſanguinea, ut probatur in Decreto, Tertia, Quæſtione IV. Capitulo *Conſanguineorum*; Et XXXV. Quæſtione tertia, Capitulo *De Inceſtuoſis*; Ubi dicitur, quod pejus eſt cubare cum matre, vel cum ſorore germana, quam cum uxore aliena, & utroque deterius eſt peccatum contra naturam. Septimum criminale eſt conſpiratio vel ſecta, ut probatur in Decreto XI. Quæſtione prima, Capitulo *Conſpirationum*; Et Capitulo *Si qui Clericorum*. Octavum eſt adulterium notorium, quod eſt deteſtabile in utroque Teſtamento, ut probatur in Decreto XXXIII. Quæſtione VII. Capitulo *Quid omnibus adulterius gravius*; Et Capitulo *Nemo ſibi blandiatur*; Ubi dicitur, qui peccat in matrimonium, peccat in auctorem matrimonii. Nonum eſt falſum teſtimonium, quod Lege divina & Canone prohibitum eſt, ut probatur in Decreto, VI. Quæſtione prima, Capitulo *Quicunque*; Et Extravaganti de falſariis, Capitulo *Falſidicus Teſtis*; Ubi dicitur, quod talis tripliciter peccat, videlicet in Deum, in proximum & in judicem. Decimum eſt crimen Simoniæ, de quo Damaſus Papa ait: Omnia crimina in comparatione Simoniacæ hæreſis pro nihilo reputantur, ut probatur Extravaganti de Simonia, Capitulo *Sicut Simoniaca peſtis*; Et Capitulo *Tanta eſt labes hujus criminis*; Eſt enim damnatum crimen in utroque Teſtamento, ut probatur in Decreto, prima, Quæſtione prima, Capitulo *Qui ſtudet*. Undecimum crimen eſt ſolemne perjurium, cum aliquis jurat falſum ſuper Crucem ſacratam, idem facit, ac ſi Chriſtum negaret, ut probatur in Decreto, Cauſa XXII. Quæſtione ſecunda, Ca-

Capitulo *Qui per Crucem*. Duodecimum est crimen Usuræ, quod est detestabile in utroque Testamento; Unde David ait: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram; Et in Ezechiele scribitur: Usuram non accipies; Et probatur ultimo de Usuris, Capitulo *Quia*; ubi dicitur, quod omnes usurarii arceantur vivi ab ingressu Ecclesiæ, & mortui privantur Ecclesiastica sepultura. Et in Decreto, XIV. Quæstione III. Capitulo *Plerique*; ubi dicitur, quod qualecunque nomen imponas, usura est. Ita sunt maxima peccata criminalia accusatione & damnatione digna, ut probatur in Canone, Distinctione LXXXI. Capitulo *Apostolus Paulus*. Sunt & alia magna peccata mortalia, quæ sunt tot & tanta, quod vix possunt sub numero comprehendi; nam peccata mortalia sunt omnes transgressiones Decalogi, & sunt septem Capitalia peccata, & multa alia, quæ enumerat Apostolus ad Romanos primo, & ad Galatas quarto. Multa etiam enumerat beatus Augustinus in Canone XXV. Distinctione, Capitulo *Criminis*. Nemo tamen debet esse nimis promptus judicare peccata mortalia, ubi non constat per Scripturam ita esse, quia posset faciliter errare. Tertia pœnitentia imponentis est privata, quæ singulariter fit quotidie, quum aliquis confitetur alicui secrete Sacerdoti, & Sacerdos sibi imponit pœnitentiam. Hæc autem pœnitentia est duplex, videlicet falsa & vera. Falsa pœnitentia est, quæ non imponitur recte, sicut taxata est in Decretis; Unde beatus Gregorius ait: Falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum auctoritatem Sanctorum Patrum pro qualitate criminis imponuntur. Et habetur in Canone de Pœnitentia, Distinctione V. Capitulo *Falsas*. Hoc idem probat Innocentius Papa secundus Distinctione V., Capitulo *Fratres*. Et Concilium Laodicense in Decreto, Causa XXVI. Quæstione VI. Capitulo *Hiis, qui diversorum*. Et hoc idem probat octava Synodus XXVI. Quæstione VII. Capitulo *Pro qualitate*; ubi dicitur, quod secundum Canones debet imponi pœnitentia, alias est falsa. Et beatus Ambrosius in Canone, Distinctione prima ait: Nonnulli poscunt pœnitentiam indebitam, & statim sibi vellent reddi communionem, hiique non tam solvi cupiunt se, quam Sacerdotem ligare; sua enim conscientia non tamen se exuunt, quam Sacerdotem induunt. Ideo propter Sacerdotes simplices, qui copiam Decretorum & Decretalium non habent; & si haberent, non intelligerent, placet mihi multas pœnitentias taxatas in Decretis & Decretalibus describere, ut sciant veram & canonicam pœnitentiam confessis & contritis imponere.

Unde notandum est, quod sacri Canones pro diversis peccatis diversam ponunt pœnitentiam, verbi gratia pro quolibet peccato mortali debet pro septem annis imponi pœnitentia, ut probatur in Decreto Causa XXXIII. Quæstione secunda, Capitulo *Hoc ipsum*, & sequentibus Capitulis. Quod si Presbyter cum fæmina peccaverit, quamquam secundum auctoritatem beati Silvestri Papæ debet deponi, tamen si sua sponte confessus fuerit, & a peccato cessaverit, decem annis faciat pœnitentiam; Ita quod tribus primo mensibus ab hominibus remotus, sacco & cilicio indutus humo adhæreat, & quotidie in pane & aqua jejunet usque ad vesperam, & postea ad homines redeat, & usque ad decem annos lugeat, & qualibet septimana in solo pane & aqua tribus diebus jejunet; ut probatur in Canone, Distinctione LXXXI. Capitulo *Presbyter*. Quod si Presbyter peccat cum sua filia spirituali, hoc est qui accedit ad suam sibi confessam, vel ab ipso baptizatam, debet deponi, & duodecim annis pœniteat, & postea retrudatur in monasterio; fæmina quoque tradatur Religioni, rebus ejus pauperibus erogatis. Episcopus vero pro eodem crimine quindecim annis pœniteat, ut probatur in Decreto, XXX. Quæstione prima, Capitulo *Si Sacerdos*. Quod si Presbyter clandestinis nuptiis interfuerit, triennio suspendatur ab officio, ut probatur Extravaganti, Capitulo *Cum inhibitio*. Item si Presbyter defendendo se latronem interficit, non deponitur, duobus tamen annis pœniteat, ut probatur Extravaganti, Capitulo *Qui sine dolo*. Quod si Presbyter intuitu disciplinæ percutit discipulum, & moritur, ille Presbyter deponitur, ut probatur in Decreto, XV. Quæstione prima, Capitulo *Si quis non iratus*; quia moderare debuit, ne legis auctoritate peccaret, ut probatur XXIII. Quæstione IV. Capitulo *Qui peccat*. Quod si Presbyter ligatum latronem interficit, deponitur, ut probatur Extravaganti, Capitulo *Suscepimus*. Presbyter etiam, qui mortuum laicum involvit in Palla Altaris, decem annis pœniteat, & Diaconus sex mensibus, ut probatur in Canone de Consecratione, Distinctione prima, Capitulo *Nemo*. Quod si Presbyter revelat confessionem, debet deponi, ut probatur in Decreto de Pœnitentia, Distinctione VI. Capitulo *Si Sacerdos*. Et III.,

Quæ-

Quæstione VII. Capitulo *Sacerdos*. Quod si Episcopus ordinat invitum Clericum & reclamantem, uno anno suspenditur, ut probatur in Canone, Distinctione LXXIV. Capitulo secundo. Si autem Episcopus dissimulat correctionem de venditione Sacramentorum, seu Mysteriorum, debet Pœnitere duobus mensibus, & Sacerdos quatuor ut probatur in Decreto, prima Quæstione prima, Capitulo *Quidquid invisibilis*; Quod si quis solemniter pœnitet & postea redeat ad peccatum, decem annis pœniteat, ut probatur in Canone de Pœnitentia, Distinctione V. Capitulo *Si qui vero*. Quod si quis vovit castitatem occulte, & postea contrahit matrimonium, decem annis pœniteat, ut probatur in Decreto XXVII. Quæstione prima Capitulo *Devotam*. Qui vero ducit sponsam alienam de præsenti, debet XL. diebus in pane & aqua jejunare, & septem annis sequentibus pœnitentiam facere, ut probatur Extravaganti de sponsa duorum, Capitulo *Accepisti*. Et quia Sodomia excedit omne peccatum, ut probatur in Decreto XXX. Quæstione VII. Capitulo *Adulterium malum*; Nam Sodomia est peccatum contra naturam; Incestus est cum consanguinea, Stuprum est cum Virgine; Adulterium est cum Maritata; Raptus est, ubi de nuptiis nihil actum est; Fornicatio simplex est solutus cum soluta; Ideo pro simplici fornicatione septem annorum datur pœnitentia, ut probatur in Decreto XXII. Quæstione prima, Capitulo *Præcavendum*; Sed pro Sodomia, aut Incestu, Stupro & Adulterio, si est Presbyter, debet deponi, & decem annis pœnitentiæ, ac in monasterio retrudi. Si autem est laicus, debet excommunicari & decem annis pœnitentiæ, ut probatur in Canone Distinctione LXXXII. Capitulo *Presbyter*; Quod si quis votum simplex frangit, tribus annis pœniteat, ut probatur in Canone, Distinctione XXVII. Capitulo *Si vir*. Qui autem jurat falsum, vel alium jurare compellit, XL. diebus in pane & aqua jejunet, & septem annis pœniteat, ut probatur in Decreto VI. Quæstione prima Capitulo *Quicunque*. Qui vero perjurat ignoranter, vel coactus, tribus annis pœniteat, ut probatur in Decreto XXII. Quæstione II. Capitulo *Qui per occasionem*; Sed falsus testis, si propter verbera dixit falsum testimonium, de quo tamen mors non sequitur, duobus annis pœniteat; Si autem cito dixit falsum, quinque annis pœniteat, ut probatur Extravaganti de sorte, Capitulo *Requisisti*. Ille autem, qui blasphemavit Deum, vel Sanctos, pro qualibet vice octo sextas ferias

in pane & aqua debet jejunare, & ad minus quinque solidos debet pauperibus dare, ut probatur Extravaganti de maledictis, Capitulo ultimo. Quod si aliquis accusat proximum ad mortem injuste, quadraginta diebus in pane & aqua jejunet, & septem annis sequentibus pœniteat. Si autem accusatus membrum perdit, accusator tribus annis pœniteat, ut probatur Extravaganti de accusato, *Accusasti*. Item de homicidio inevitabilis necessitatis duobus annis pœniteat, ut probatur in Decreto XXIV. Quæstione III. Capitulo *In lecto*; Et pro casuali homicidio quinque annis pœniteat, ut probatur in Canone, Distinctione L. Capitulo *Si qua*. Sed pro homicidio voluntario XL. dies debet in pane & aqua jejunare, & septem annis pœnitentiam facere, ut probatur in Decreto, Distinctione L., Capitulo *Minor*. Qui vero Dominum suum, vel uxorem suam interficit, decem annis agat pœnitentiam & nunquam equitet, nec in vehiculo vehatur, & non accipiat uxorem usque ad decem annos, & non comedat carnes, nec bibat vinum, ut probatur in Decreto XXXIV. Quæstione II. Capitulo *Quicunque*. Quod si aliquis Sacerdotem interficit, XII. annis pœniteat, ut probatur Extravaganti de purgatione vulgari, Capitulo II. Qui autem matrem suam interficit, X. annis pœniteat, depositis armis, ut probatur in Decreto, XXIII. Quæstione II. Capitulo *Laterem*. Item qui filios suos baptizatos dormiendo oppresserunt, tribus annis pœniteant, & uno anno in pane & aqua jejunent, ut probatur Extravaganti de homicidiis, Capitulo *Si quis*. Quod si aliquis domum, vel aream incendit, datur ei annus pœnitentiæ in ultra mare, vel in Hispaniam, aut tribus annis in domo pœniteat, ut probatur Extravaganti de Pœnis Capitulo II. Item pro falsa mensura, vel falso pondere dantur XXX. dies in pane & aqua jejunare, ut probatur Extravaganti, Capitulo *Ut mensura*. Quod si aliquis lustrat domum suam cum magicis incantationibus, quinque annis pœniteat, ut probatur in Decreto XXVI. Quæstione V. Capitulo *Qui divinationes*. Illi autem qui in astrolabio vident, duobus annis pœniteant, ut probatur Extravaganti de Sortilegiis, Capitulo *Ex tuarum*. Item qui fuit hæreticus, & convertitur, XII. annis pœniteat, ut probatur in Decreto XXIV., Quæstione prima, Capitulo *Si quis dedit*. Qui autem convincitur ab hæretico nescius, vel per negligentiam, uno anno pœniteat. Qui scienter, quinque annis. Qui vero ad subversionem fi-

dei, x. annis pœniteat, ut probatur in præfato Capitulo. Et notandum, quod duobus modis unus magis peccat, quam alius. Primo propter dignitatem, ut probatur in Decreto xi. Quæstione iv. Capitulo *Præcipue Gualdradam*. Secundo propter peccati magnitudinem, ut probatur in Canone de Pœnitentia Distinctione iii. Capitulo *Inter hæc*. Ideo Sacerdos, qui celebrat excommunicatus, tribus annis pœniteat, ut probatur in Decreto xi. Quæstione iii. Capitulo *De illis*; Quod si Sacerdos cantat Missam, & non communicat, uno anno pœniteat, & septem annis cesset a celebratione Missæ, ut probatur in Canone de Consecratione Distinctione secunda Capitulo *Relatum*. Quod si cadit stilla Sanguinis Christi in terram, radatur locus & ardeat, Sacerdos vero pœniteat xl. diebus in pane & aqua; Si autem cadit super Altare, & transit per unum pannum, duobus diebus jejunet; Si vero transit usque ad secundum pannum, iv. diebus; Si ad tertium transierit, ix. diebus; Si ad quartum, xx. diebus pœniteat, ut probatur in Decreto de Consecratione, Distinctione ii. Capitulo *Si per negligentiam*. Qui autem evomuit Eucharistiam per ebrietatem, si laicus est, xl. diebus pœniteat, si Presbyter, lxxx.; Si Episcopus, cc. diebus pœniteat, ut probatur de Consecratione, Distinctione secunda, Capitulo *Si per ebrietatem*; Infirmus autem vii. dies pœniteat. Quod si mus comedit Corpus Christi, Sacerdos xl. diebus pœniteat, ut probatur de Consecratione Distinctione ii. Capitulo *Qui bene*. Item si quis scienter rebaptizatur, non potest promoveri ad Ordines, & tres Quadragesimas in pane & aqua jejunet, & vii. annos sequentes pœniteat, ut probatur in Decreto de Consecratione Distinctione iv. Capitulo *Qui bis*. Item cum bigamo nulla est dispensatio, ut probatur in Canone Distinctione xxviii. Capitulo *Presbyterum*. Quod si Presbyter in Sacris contrahit Matrimonium cum corrupta, non dispensetur, ut probatur Extravaganti de bigamia, Capitulo ultimo. Item quilibet Presbyter tenens concubinam publice, ipso facto est excommunicatus, ut probatur in Constitutionibus Ecclesiæ, & est Canon latæ sententiæ, & ex Concilio Carthaginensi, Capitulo *Placuit*. Quod si laicus secularis cognoscit uxorem suam causa saturandæ libidinis, peccat mortaliter, non in coitu, sed in voluntate, ut probatur in Decreto xxxiv. Quæstione secunda Capitulo *Quidquid*. Qui autem cognoscit uxorem suam causa incontinentiæ, venialiter peccat, ut probatur in Canone Distinctione xiii. Capitulo *Nervi testiculorum*. Sic etiam ebrietas casualis veniale est peccatum, voluntaria mortale, ut probatur in Decreto, Distinctione xxv. Capitulo *Alias*. Quod si aliquis peccat cum sua commatre, vel cum duabus sororibus, aut nepte, octo annis pœniteat, & ei consentientes, ut probatur in Decreto xxxiv. Quæstione tertia Capitulo *Non oportet*. Qui autem per ignorantiam peccat cum filia & matre, aut cum duabus sororibus, vel nepte, septem annis pœniteat, ut probatur in Canone xxxiv. Quæstione ultima, Capitulo ultimo. Item Patronus, qui res Ecclesiæ dilapidat, uno anno excommunicatur, ut probatur in Decreto xvi. Quæstione vii. Capitulo *Filiis*. Sacrilego autem imponuntur vii. anni pœnitentiæ; in duobus non debet intrare in Ecclesiam, & usque ad quartum non offert, & omni septimana tribus diebus pane & aqua jejunet, ut probatur in Decreto xii. Quæstione secunda Capitulo *De viro*. Quod si aliquis latro in extremis confitetur, aut vult confiteri, datur ei Corpus Christi, & sepelitur in cœmeterium, & oratur pro eo, ut probatur in Decreto xiii. Quæstione ultima. Qui vero in extremis desiderat habere pœnitentiam & Eucharistiam, sed perdit loquelam, danda est ei, & etiam Baptismum, ut probatur in Decreto xxvi. Quæstione vi. Capitulo *Hiis, qui*. Quod si aliquis desiderat scire plures casus pœnitentiæ imponendæ ultra istos descriptos, quærat in Decreto de Pœnitentia Distinctione prima Capitulo *Quem pœnitet*; & Capitulo *Consideret*; & extra in Decretali de homicidio Capitulo *Si est dignum*; & Capitulo *Interfecisti*; & Capitulo *Si perfodiens*; & Capitulo *Sacerdos*. Omnis autem pœnitentia, quæ non est definita in Canone, relinquitur arbitrio Sacerdotis discreti, ut ipse in confessione privata imponat privatam & discretam pœnitentiam, ut probatur in Decreto Causa xxvii. Quæstione vii. Capitulo *Tempora*; & de Pœnitentia, Distinctione prima, Capitulo *Mensuram*. Et hæc de secundo.

Dixi tertio, & brevissime, quod est alia pœnitentia suscipientis, & illa est triplex, videlicet in corde, in ore & in opere. In corde per contritionem; in ore per confessionem; & in opere per satisfactionem, quia ex quo omne peccatum committitur corde, vel ore, vel opere, justum est, ut ita curetur per contrarium, hoc est ut peccator corde doleat, ore confiteatur, & opere satisfaciat. Etiam qua

quia per peccatum homo offendit Deum, Ecclesiam & seipsum; sic per Contritionem reconciliatur Deo, per Confessionem Ecclesiæ, & per Satisfactionem sibi ipsi. Isti sunt tres dies, quibus pervenitur ad terram promissionis æternæ, de quibus scribitur Exodi VIII. *Ibimus viam trium dierum in desertum pœnitentiæ*. Ergo prima est Contritio, & illa est duplex, voluntatis & sensus, quia dum pœnitens in voluntate detestatur peccatum, & in sensu dolet; qui dolor tantum potest augeri, ut deleat omnem culpam & pœnam, ut probat beatus Thomas de Aquino libro VI. quia in sola contritione remittuntur peccata; unde Propheta ait: *Dixi: Confitebor, & tu remisisti*. Quod exponens Cassiodorus, ait: dixi; idest deliberavi apud me, quod confitebor, & tu remisisti. Magna pietas Dei, quod ad solam promissionem peccata dimiserit, votum enim pro opere judicatur. Et beatus Augustinus ad idem inquit: nondum confitetur, sed promittit confiteri, & Deus peccata remittit. Nondum est vox in ore, ut homo audiat confessionem, & Deus audit. Quia cor contritum & humiliatum Deus nunquam despicit. In signum hujus Dominus noster Jesus Christus decem leprosos mundavit, priusquam ostenderent ora sua Sacerdotibus; Lucæ XVII. Et Lazarum resuscitavit a mortuis, prius quam solveretur ab Apostolis; Johannis XI. quia Sacerdotes possunt relaxare & solvere pœnam a vere contritis, ut probatur in Decreto Causa XI. Quæstione tertia, Capitulo *Absit*; Et de Pœnitentia Distinctione tertia in secundo *Inter hæc hircum*; ubi dicitur, quod Sacerdotes sunt vicarii Jesu Christi, & habent claves Regni Cœlorum, & absolvunt ante diem Judicii. Et hoc est verum, si Sacerdotes sunt catholici. Nam si non essent catholici, non haberent claves Ecclesiæ, ut probatur in Canone de Pœnitentia Distinctione prima Capitulo *Verbum Dei*; & de Pœnitentia Distinctione VI. Capitulo primo, ubi dicitur, quod Judas ivit ad divisos, & divisus periit. Si autem aliquis non habet veram contritionem, Sacerdotes eum non possunt absolvere, quia, cum culpa remissa non est, pœna demi non potest, ut probatur in Decreto XI. Quæstione III. Capitulo *Quando Sacerdos*; Et de Pœnitentia Distinctione III. in primo *Inter hæc*; ubi dicitur, quod Sacerdotes non possunt eos mundare, qui se dolose offerunt. Est autem differentia inter Attritionem, Compunctionem & Contritionem. Nam Attritio est levis dolor pro peccatis, vadens breviter & non rediens, & ideo Attritio non delet peccata. Similiter Compunctio est planctus pro peccatis ex timore procedens, cito veniens & cito transiens, & ideo Compunctio etiam non delet peccata. Sed Contritio est gratia homini infusa, per quam pœnitens meretur habere tantam detestationem peccati cum dolore, quantam habuit in peccato delectationem; & ideo sola Contritio delet peccata. Ex hac difinitione Contritionis corollarie sequitur, quod nec damnati in Inferno, nec beati in Cœlo, nec rei in Purgatorio possunt habere Contritionem, & hoc probatur sic. Quia in vera Contritione sunt tria, gratia, dolor & meritum. In damnatis namque non potest esse gratia; in beatis autem non potest esse dolor; & hii, qui sunt in Purgatorio, non merentur. Secunda pœnitentia est in ore per Confessionem. Est autem duplex; Confessio mentalis & vocalis. Mentalis Confessio est, quæ fit soli Deo, & hæc est de jure naturali. Sed vocalis Confessio est, quæ fit homini, & ista non est de jure naturali, nam ante incarnationem Christi sufficiebat Confessio mentalis, quia Deus nondum erat homo, sed postquam Deus factus est homo, Confessio fieri debet homini vicario Christi. Hanc Confessionem Christus tacite instituit, quando dixit: Ite, ostendite vos Sacerdotibus; Lucæ XVII. Hanc Apostoli promulgaverunt, expresse Jacobi V. Confitemini alterutrum peccata vestra. Unde beatus Ambrosius ait: Non potest quis justificari a peccato, nisi fuerit peccatum ante confessus, quia qui se accusat, etsi peccator sit, justus esse incipit. Qui nec sibi parcit, & Dei justitiam confitetur. Hoc idem probans beatus Augustinus: Jam, inquit, donum Spiritus Sancti habet, qui confitetur & pœnitet, quia non potest esse confessio peccati, & punitio in homine ex seipso, sed cum irascitur sibi unusquisque, & confitetur, sine dono Spiritus-Sancti non est. Cassiodorus quoque super Psalmum *Confiteantur*; ait: Illis non Judex, sed advocatus est Christus, qui se propria confessione accusant; Nec remanet judicio condemnandum, quod fuerit confessione purgatum; Nam qui non vult confiteri in hac vita, confitebitur in futura vita, cum Angeli, & omnes homines ac Diaboli audient eum, & tamen damnabitur in perpetuum, quia si semper viveret, semper peccaret; ut probatur in Canone de Pœnitentia Distinctione VII. Capitulo *Idcirco*. Ergo pœnitens debet confiteri tali Sacerdoti docto, qui scit discer-

ſcernere inter lepram & lepram, & qui habet claves ſcientiæ, & ſcit ſolvere & ligare peccatores, ut probatur in Decreto de Pœnitentia Diſtinctione VI. Capitulo *Qui vult*. Unde beatus Auguſtinus ait: Qui vult confiteri peccata, quærat Sacerdotem, qui ſcit ligare & ſolvere, ne cæcus cecum ducens, ambo in foveam cadant, quam ſtultus evitare noluit, qui ignorantem, hoc eſt cæcum Sacerdotem quæſivit. Nullus ergo poteſt dimittere proprium Sacerdotem, & alteri confiteri, niſi proprius Sacerdos eſſet idiota & ignorans; tunc enim debet alii Sacerdoti confiteri, ut probatur in Decreto de Pœnitentia Diſtinctione VI. Capitulo *Placuit*. Quod ſi aliquis in extremis, aut in neceſſitate non poteſt habere Sacerdotem, tunc poteſt, licet non teneatur, confiteri Diacono, aut cuicunque ſocio, & erit dignus venia ex deſiderio Sacerdotis, ut probatur in Canone de Pœnitentia Diſtinctione III. Capitulo *Qui vult*. Illa vero peccata, quæ ſemel confeſſus fuit, non tenetur iterum confiteri, quia ſolutum eſt chirographum peccati, niſi velit ad majorem gratiam, ut probatur in Decreto de Pœnitentia Diſtinctione V. Capitulo *Conſideret*. Sed ſi quæritur, ex quo peccata per contritionem remittuntur, quid opus eſt vocali confeſſione? Ad hoc dicendum eſt, quod quamvis in contritione dimittantur peccata, tamen confeſſio vocalis eſt neceſſaria propter tria. Primo propter præceptum Eccleſiæ, ne claves Eccleſiæ vileſcant & contemnantur. Unde beatus Auguſtinus ait: Nemo dicat; ego occulte in contritione confiteor Deo, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago confeſſionem: Ergo ſine cauſa claves datæ ſunt in Eccleſia, & fruſtramus verbum Chriſti, ſed cum in ſe quis protulerit utiliſſimæ confeſſionis ſententiam, veniat ad Sacerdotes, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur. Quia Presbyteri quantum ad confeſſionem, & prædicationem, ac ad conſecrationem Corporis Chriſti tenent locum Apoſtolorum, & habent claves Regni Cœlorum, ut probatur in Decreto, Cauſa XXVI. Quæſtione IV. Capitulo *Alligant*; & Capitulo *Quam præpoſtera*; Ubi dicitur, quod non debent claves Eccleſiæ contemni, ut non vileſcat auctoritas. Secundo propter verecundiæ ſatisfactionem, quia pudor in confeſſione eſt magna pars ſatisfactionis. Unde Gloſſa ſuper Matthæum ait: Jubemur peccata noſtra confiteri, ut erubeſcentiam patiamur pro pœna. Quod probans beatus Auguſtinus, inquit: O homo cur confiteri erubeſcis peccata tua? peccator ego ſum, ſicut & tu, & quod per confeſſionem ſcio, minus ſcio, quam id, quod neſcio. Elige ergo quod vis: ſi non confeſſus, lates inconfeſſus, damnaberis. Tertio propter magnam confeſſionis utilitatem. Unde beatus Auguſtinus ſuper Johannem ait: Confeſſio eſt ſalus animarum, diſſipatrix vitiorum, reſtauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum. Quid plura? confeſſio obſtruit os Inferni, & aperit portas Paradiſi. Tertia pœnitentia ſuſcipientis eſt in opere per ſatisfactionem. Eſt autem principalis ſatisfactio triplex; videlicet in jejunio, eleemoſyna & oratione. Quia pœnitens per jejunium ſatisfacit ſibi ipſi; per eleemoſynam ſatisfacit proximo, & per orationem ſatisfacit Deo. Unde beatus Bernardus Sermone XXXVIII. ait: Bonum eſt jejunium & ſalutare, quo redimuntur æterna ſupplicia, dum redimuntur peccata. Et non ſolum eſt abſolutio peccatorum, ſed eſt extirpatio vitiorum; Et non ſolum meretur veniam, ſed obtinet gratiam; Nam a reatu peccati liberamur per gratiam; a ſequelis autem peccatorum liberamur per ſatisfactionem; & quamvis verum ſit, quod a privatione ad habitum non ſit regreſſus in via naturali, tamen hoc non eſt verum in via morali, quia ſicut peccata tranſeunt actu, & remanent reatu; ita ſatisfactio tranſit actu, & remanet merito. Peccata vero mortalia ſemel per gratiam dimiſſa nunquam redeunt; ut probatur in Decreto Cauſa XXIII. Quæſtione IV. Capitulo *Si illic*; Et de Pœnitentia Diſtinctione IV. Capitulo *Qui recedit*. Satisfactio autem ſecundaria eſt quadruplex, ſcilicet in cinere & cilicio, flagella, & genuflexio, afflictio & pectoris tunſio, peregrinatio & ferri oneratio. Unde beatus Ambroſius in libro de lapſu Virginis ſic ait: Qui poſt Baptiſmum mortale contraxit peccatum, jam utique ſine fine perpetuum in Inferno debet pati cruciatum; nec aliud poteſt eſſe ſalutis remedium, niſi digna pœnitentia. Hæc autem ſic agitur: In primis omnis cura vitæ hujus & mundi omittenda eſt, & lugubris accipienda veſtis; defleant oculi lacrymis: palleat facies, & cingantur viſcera ferro, & membra ſingula digna caſtigatione puniantur; totumque corpus tuum incurvetur a jejuniis: molliatur cinere aſperſo, & opertum cilicio perhorreſcat. Talis ſatisfactio pœnitentiæ, ſi fuerit perſeverans uſque ad mortem, audebit ſperare, etſi non gloriam, ſaltem vel pœnæ infernalis vacationem. Beatuſque Johannes Climacus in libro Scalæ

intellectualis scribit, se vidisse locum pœnitentiæ in solitudine, qui locus vocabatur Carcer, quia ipsa loci habitatio tota erat tenebrosa, tota fœtens, sordida & caliginosa. Ibi non erat ignis, nec oleum, nec legumen, nec piscis, nec aliquis fructus, nisi solum panis aridus & aqua. Illic habitabat maxima multitudo vere pœnitentium; & quidam illorum cunctis noctibus stabant vigilantes usque mane, & se increpantes, nullam requiem capiebant; Alii tota nocte in Cœlum miserabiliter respicientes, cum lamentis & fletibus auxilium invocabant; Alii in oratione stantes, & damnatorum more manus retro ligatas tenentes, seipsos indignos Cœlum respicere condemnabant; Alii in cinere & cilicio sedentes, frontem in terra percutiebant; Alii pectus semper tundentes, pavimentum lacrymis madefaciebant; Alii autem virgis & flagellis seipsos cædebant, ita ut guttæ sanguinis decurrebant in terram; Alii vero orabant Deum hic ad præsens cruciari, & ibi misericordiam invenire; Alii autem ex dolore contritionis sinceræ dicebant: Neque in Inferno cruciemur Pater & Domine, neque digni efficiamur Regno Cœlorum, & sufficit nobis. Sane ibi erant verba David: videre homines miseros, incurvatos & contristatos, tota die ingredientes, qui corruptis & putrefactis vulneribus corporis, cinerem cum pane edebant, & aquam cum fletu bibebant. Nil aliud apud eos audire erat nisi ista verba: Ah ah, Væh væh, Juste, juste, Parce, parce Domine. In illis erant linguæ adustæ de siti, & instar canum ex ore projectæ. Quidam autem modicum aquæ gustantes requiescebant, ne siti morerentur; Alii vero modicum panis gustantes, hunc a se longe manu projiciebant, judicantes se indignos esse cibo panis. Ubi in illis erat risus, aut otiosum verbum? Ubi dies festus? Ubi vini sapor? Ubi ollæ, aut cocti delectatio? Ubi gulæ dulcedo? Erant namque in illis plagata pectora, & sanguinis livores ex multa percussione aggregati, & ex multitudine genuflexionum genua arefacta; Oculi quoque eorum extabefacti & intus concavi ad profundum, ac genas habebant exustas a fervore calidarum lacrymarum, & facies pallidas & tabidas, nil a mortuis differentes. Ubi erat ibi lectus? Ubi vestis munda? Omnia erant fracta & sordida, & pediculis ac pulicibus cooperta. Petebant illi beati rectorem domus circumponi eis in collo & in manibus ferramenta, & compediri pedes, & stringi in patientium ligno, & neque plus inde resolvi, quousque susciperent sepulcrum. Sic illi Sancti & vere pœnitentes supererogaverunt secundariam satisfactionem ad majorem securitatem & perfectionem, quia principalis satisfactio, quæ taxata est in Canone, est de substantia pœnitentiæ, & obligat omnes sub præcepto. Nullus enim debet contemnere sacros Canones, quia per consequens peccaret in Spiritum Sanctum, cujus instinctu Canones facti sunt, ut probatur in Decreto xxv. Quæstione prima Capitulo *Nulli fas*; & Distinctione L. Capitulo *Si Diaconus*; & Capitulo; *Si ille*]. Sed si quæritur, ex quo in Canone taxatur pro quolibet peccato mortali VII. annis facere pœnitentiam, ut superius probatum est; Quid ergo faciet Sacerdos, quando aliquis confitetur ei LXX., vel LXXX. peccata mortalia, ita quod non sufficeret tota vita ejus ad pœnitentiam in Canone taxatam? Ad hoc dicendum est, quod pœnitentia taxata potest moderari ex multis causis legitimis; quas causas invenies in textu Augustini de Pœnitentia Distinctione V. Capitulo primo & II. de Pœnitentia, Distinctione prima Capitulo *In actione*; & Capitulo *Judicet*; & Capitulo *Mensuræ*; & de Consecratione, Distinctione III. Capitulo *Pœnitentibus* & Extravaganti de Homicidio, Capitulo *sicut dignum*. Debet tamen Sacerdos computare omnia peccata mortalia, quæ audivit, & computare annos, & dicere pœnitenti: Ecce tot annis deberes facere pœnitentiam, sed vita tua non potest tantum extendi, ideo do tibi talem pœnitentiam, quod omni tempore vitæ tuæ sis humilis, & jejunes qualibet VI. feria pane & aqua, nisi sis infirmus, vel dicas tot orationes, & ego te absolvo, & concedo, quod valeant tibi omnes & singulæ Indulgentiæ a quocunque fiant. Et tunc valebunt sibi Indulgentiæ, ut probatur in Canone de Pœnitentia Distinctione prima Capitulo *Verbum Dei dimittit peccatum*. Potest ergo Presbyter dispensare in pœnitentiis, consideratis causis legitimis supradictis; quæ sunt istæ: Dignitas, infirmitas, paupertas, complexio, consuetudo, status, societas, lacrymæ & devotio, regionis & temporis qualitas, discretio & ætas, & aliæ plures causæ, propter quas pœnitentia in Canone taxata potest dispensari, & major, vel minor imponi, ut probatur in Decreto Causa XV. Quæstione VI. Capitulo primo, & XI., Quæstione III. Capitulo *Absit*: Et super omnia debet Presbyter esse discretus & benivolus, & debet interrogare a peccatore,

tore, quod forsitan ignorat, quia clavis aperitionis est sermo interrogationis, ut probatur in Canone Distinctione XLIII. Capitulo *Sit Rector*. Et debet confortare poenitentem in spe, fide, & charitate, & promittere ei remissionem omnium peccatorum & vitam æternam. Ad quam nos perducat Jesus.

Explicit sermo de vera & de falsa pœnitentia, quem compilavit & dictavit dominus Hieronymus de Praga, Eremita reclusus, ad preces domni Stanislai Episcopi Plocensis; Anno ab incarnatione Domini M. CCC. XXX.

LITERÆ CONCILII BASILEENSIS AD HIERONYMUM DE PRAGA MONACHUM ET EREMITAM CAMALDULENSEM ANNO 1432. V. JUNII.

Extant apud Balutium in Miscellaneis novo ordine digestis a Mansio Tomo III. pag. 192. ex codice Bibliothecæ Senatoris Luchesinii patricii Lucensis.

Sacrosancta Synodus Basiliensis in Spiritu-Sancto legitime congregata universalem Ecclesiam repræsentans venerabili viro fratri Hieronymo de Praga Professo conventus Camaldulensis salutem & omnipotentis Dei Benedictionem.

Quia viro Dei loquimur, illi scilicet, qui se totum in holocaustum Deo obtulit, non arbitramur opus esse multis ad id persuadendum, quo nihil carius Deo esse potest. Quoniam multa ad rem bellicam pertinentia fere per quindecim annos pro extirpanda hæresi Bohemica attentata sunt, plurimi maximi exercitus manu potentissima Bohemia profecti nequaquam profuerunt, quinimmo, quo plus armis vexantur, eo magis indurantur & crescunt, visum est Spiritui-Sancto & Nobis aggredi pacis & mansuetudinis remedia, ut quod vi & terrore humano effici non potuit, fiat caritate & humanitate; nec alium modum Nos in Spiritu-Sancto legitime congregatos decere existimamus, quam in spiritu lenitatis fratres nostros ad viam veritatis reducere. Proinde in principio nostræ congregationis eosdem fraterna caritate ad nos vocavimus, offerentes illis pacem & concordiam. Et quia hactenus conquesti fuerant nullam potuisse habere audientiam, nos per literas nostras eam plenam & in libera forma obtulimus. Ut autem hoc sanctum opus maturius expediatur, solemnes nostros Oratores ad loca Bohemiæ nobis vicina transmisimus, qui rem istam diligenter curarent. Hi nostri Ambasciatores tandem in oppido Egræ cum Ambasciatoribus Bohemorum, videlicet Pragamensium, Orphanorum, Taboritarum, inter quos erant ductores illius gentis, concluserunt, quod ambasciata omnium statuum regni huc ventura sit, petierunt sibi super quatuor articulis responsionem dari, ad quos se demum reduxerunt. Conjecturamus hic ante mensem Septembris futuros esse. Narrant hi nostri Nuncii tanta cum caritate utrinque hoc negotium conclusum fuisse, ut spem maximam reductionis illorum concipiant: multa asserunt in hujusmodi tractatibus intervenisse, propter quæ tam ipsi, quam nos valde speramus ipsos nobiscum conciliandos. Recesserunt tandem ex agro se mutuo amplectentes, & præ letitia lacrimantes, illis nostros exhortantibus, ut hoc opus quam citius expediatur. Quid aliud hinc concipi potest, nisi quod Spiritus-Sanctus, sub cujus alis hæc sancta Synodus obumbratur, vult armis suis, caritatis videlicet & mansuetudinis, non ferri aut calybis hanc hæresim ab ecclesia Dei eliminare? Ut autem hæc res mature & diligenter transigatur, decrevimus, mediante gratia Spiritus-Sancti, ut reductio illorum facilius effici possit. Inter alios autem ad te oculos nostros direximus, quem tum pro idiomate, quo cum illis communicas, tum pro summa sacrarum Literarum peritia, tum pro tuæ sanctæ vitæ exemplo, tum etiam pro gratia, quam scimus te apud Deum meruisse, hac re ante omnes idoneum judicamus. Quocirca in virtute Spiritus-Sancti, & sanctæ obedientiæ tibi districte præcipiendo mandamus, quatenus visis præsentibus, omissis omnibus rebus, iter ad nos properes. Mandamus autem conventui tuo, ut viaticum tibi ministrent, quod eidem restituere pollicemur. Pro expensis autem tam hic, quam in reditu tuo faciendis, nos, ut decet, providebimus. Accingere igitur, Serve Dei ad iter, & pro salute tot animarum hunc modicum laborem subire non recuses. Existima Spiritum-Sanctum, non homines tibi præceptum fecisse. Vale Basileæ v. Junii 1432.

A tergo. *Venerabili viro fratri Hieronymo de Praga Professo conventus Camaldulensis.*

Die 21. *Aprilis anni* 1433. *Sacrosancta synodus Basileensis Hieronymo de Praga Ordinis Camaldulensis theologo & decretorum*

rum doctori, atque ipsius synodi oratori mandat, ut ejusdem synodi auctoritate moneat archiepiscopos, episcopos, abbates ceterosque regni Poloniæ prælatos, ut personaliter conveniant ad ipsam synodum *infra terminum ab ipso præfigendum &c.* Hanc Concilii bullam Laurentius Mehus in vita Ambrosii Tomo I. pag. ccccii. extare in tabulario Camaldulensi Fontisboni scribit, *Datam Basileæ* xi. *kal. maji anno* 1433. & in lucem productam ab Augustino Fortunio Parte I. Hist. Cam. lib. II. cap. 67. pag. 242. *Die* sequenti 22. *aprilis eadem sancta synodus patentibus universos Christi fideles rogat & hortatur, ut domnum Hieronymum de* Praga, *quem arduis pro ecclesia negotiis statum regni Poloniæ & Prutenorum concernentibus ad illas partes præmittit, benigne recipiant, tractent, & ob Dei, & sanctæ ecclesiæ reverentiam adjuvent, fidemque in prædictis adhibeant &c.* Hanc quoque bullam legit idem Mehus in Fontis-boni archivo, dataque est *Basileæ* x. *kal. maji* 1433.

SERIES
DIPLOMATUM ALIORUMQUE MONUMENTORUM

In Appendice hujus voluminis existentium ordine chronologico digesta.

1515. x. junii. Leo pp. X. approbat uniones monasteriorum Camaldulensium, quas comprehensas non vult in Constitutionibus suis uniones annullantibus. num. I. col. 1.

1515. x. Kal. octob. Idem erigit oppidum Burgi-sancti-sepulcri in civitatem episcopalem. n. II. 4.

1516. x. martii. Idem permittit Camaldulensibus convertere monasteria monialium in virorum, & virorum in mulierum asceteria. n. III. 9.

1517. XXVII. maji. Idem abbatibus S. Apollinaris in Classe largitur exemptionem a datiis & a gabellis, cum facultate asportandi triticum & legumina ad alia monasteria. n. IV. 10.

1518. x. januarii. Idem Vicario generali & visitatoribus Camald. plura concedit privilegia. n. V. 11.

1519. xv. aprilis. Idem revocat Brevia literasque apostolicas, quatenus contraria existant constitutionibus ordinibusque Camald. n. VI. 14.

1519. XVI. aprilis. Idem in præsidem Capituli generalis creat Petrum Delphinum generalem. n. VII. 18.

1519. IX. martii. Idem Dominico Cardinali Grimano indulget translationem fructuum abbatiæ Carcerum in alias personas, & insuper regressum ejusdem Cardinalis ad eosdem fructus. n. VIII. 19.

1520. pridie nonas septemb. Idem unit parthenoni S. Agathæ da Florentia ecclesiam S. Justi de Castro Campi. n. IX. 21.

1521. VIII. octob. Idem concedit Cardinali Laurentio Puccio, quod possit Camaldulensibus largiri ecclesiam SS. Quatuor Coronatorum de Urbe. n. X. 22.

1521. IX. aprilis. Idem recipit sub sua protectione eremum S. Hieronymi de Pascilupo, solvens unionem ecclesiæ dictæ eremi cum ecclesia paræciali dicti loci. n. XI. 24.

1521. VI. kal. maji. Idem commendat eccl. S. Mariæ de Lacu Brittononiensis diœcesis. n. XII. 26.

1524. xv. kal. aprilis. Clemens VII. unit prioratum S. Cæciliæ de Podio eremo Vivensi. n. XIII. 27.

1524. XVI. kal. aprilis. Idem unit congregationi eremitarum S. Romualdi aliquot monasteria & ecclesias. n. XIV. 28.

1524. xv. kal. aprilis. Idem vetat cæsionem & exportationem lignorum silvæ pineæ ad monasterium Classis spectantis. n. XV. 30.

1524. II. nonas augusti. Laurentius Card. Puccius permittit aliquot eremitis Camaldulensibus eligere loca ad vitam eremiticam commodiora. n. XVI. 32.

1526. XXIII. februarii. Apostolica facultas facta Generali Camaldulensi exigendi taxas & collectas etiam a Commendatariis. n. XVII. 34.

1525. I. septemb. Promissio solutionis expensarum facta ab eremitis Generali Camald. n. XVIII. 36.

1526. xx. septemb. Pauli Justiniani memoria de sarcophago S. Romualdi. n. XIX. 37.

1526. v. idus maji. Traditio monasterii S. Andreæ de Candiculis ord. Camald. Ordini Vallis-umbrosæ. numer. XX. 39.

1528. XXI. aprilis. Apprehensio monasterii S. Viti de Vicetia facta a monachis S. Mathiæ de Muriano Venetiarum. n. XXI. 40.

1528. x. kl. maji. Clemens pp. VII. tradit congregationi S. Michaelis monast. Uranense. n. XXII. 42.

1528. II. maii. Ejusdem præceptum Guarino episcopo Nucerino, ut perquirat in asceterio monialium S. Sebastiani de Fabriano caput S. Constantii. n. XXIII. 43.

1528. XVII. junii. Traditio ecclesiæ S. Mariæ de Riposo eremitis Montecoronensibus. n. XXIV. 45.

1528. XVIII. junii. Clemens pp. VII. hominibus Montis-foractis commendat Paulum Justinianum, qui in-

ingressus fuerat possessionem eremorum ejusdem montis. numer. XXV. 46.

1528. XXVII. julii. Clementis VII. Indulgentiæ concessæ eremitis Coronensibus. n. XXVI. 47.

1529. XVIII. aprilis. Abbatia S. Michaelis de Lemmo unitur monasterio S. Mathiæ de Muriano. numer. XXVII. 48.

1532. XVII. maji. Clemens VII. confirmat aliquot conventiones initas inter congregationem & inter eremum Camaldulensem. numer. XXVIII. 49.

1532. XXIV. maji. Idem permittit Antonio Jacobo episcopo Camerinensi demolitionem ecclesiæ S. Romualdi de Monticulo. n. XXIX. 53.

1532. XXVIII. Septemb. Quietantia facta a cardinale A. Spinula de numerata pecunia a Paulo de Laude generali Camald. pro impositione Clementis pp. VII. n. XXX. 55.

1532. XVII. octobris. Alia quietantia facta a card. Spinula generali Camaldulensi. n. XXXI. 56.

1532. kal. octobris. Clemens pp. VII. tradit ecclesiam S. Nicolai de Burgo S. Sepulcri Camaldulensibus. n. XXXII. 57.

1533. XXIX. maji. Sententia circa praecedentiam inter monachos Camaldulenses & Olivetanos. numer. XXXIII. 58.

1533. XXIII. augusti. Unio plurium beneficiorum monasterio Montis-acuti. n. XXXIV. 60.

1534. XVI. aprilis. Moniales S. Parisii de Tarvisio reformant monasterium Omnium-Sanctorum. num. XXXV. 61.

1534. XV. septemb. Collatio ecclesiæ S. Mariæ de Lacu ex pontificia commissione. n. XXXVI. 63.

1534. III. nonas novemb. Unio plurium prioratuum & ecclesiarum mandato Pauli III. societati eremitarum Montis-coronæ. n. XXXVII. 66.

1534. III. nonas novemb. Privilegium amplissimum Pauli III. eidem eremitarum societati. n. XXXVIII. 70.

1535. IV. kal. novemb. Pauli III. literæ pro monasterio Classensi, quod non possit obligari ad hospitalitatem exercendam & ad pauperes excipiendos. n. XXXIX. 83.

1536. XXIII. octob. Ducales litteræ Andreæ Gritti confirmantis prioratum S. Benedicti de Fileto monasterio S. Mathiæ de Muriano. numer. XL. 86.

1537. IX. maji. Permissio facta eremitis Coronensibus condendi nova loca, in quibus facilior modus sit observandæ paupertatis. n. XLI. 87.

1537. XXVIII. junii. Concessio loci Rhuensis facta a monachis S. Mathiæ eremitis Coronensibus. n. XLII. 88.

1537. XIX. novemb. Pauli III. Breve, quo copiam facit Camaldulensibus alienandi bona mobilia & immobilia pro impositione subsidii. nu. XLIII. 91.

1543. XV. kl. junii. Paulus III. unit prioratum S. Frigdiani de Pisis monasterio Vertilii. n. XLIV. 94.

1543. XXVII. octob. Ejusdem confirmatio traditionis eremi Rhuensis factæ a monachis S. Mathiæ eremitis Coronensibus. n. XLV. 97.

1544. X. januarii. Idem eximit eremitas Camaldulenses a datiis & gabellis. n. XLVI. 98.

1547. XXIV. martii. Ranucius Farnesius cardinalis generali Camald. facultatem facit congregandi Dietam. n. XLVII. 99.

1547. XIII. julii. Paulus III. confirmat electionem Generalis & Decreta in insula lacus Martani facta. num. XLVIII. 100.

1549. XIX. junii. Idem modum statuit, decedente Generali, alium eligendi. n. XLIX. 101.

1550. XI. decemb. Julius III. confirmat privilegia suorum prædecessorum concessa Camaldulensibus. numer. L. 103.

1551. VI. augusti. Idem unit monasterium S. Felicis in Platea de Florentia monasterio Montis-Coronarii. n. LI. 107.

1551. XXVII. decembris. Quietantia facta Generali Camald. a Julio III. n. LII. 109.

1555. XXVIII. febr. Julii III. breve pro castris Pergulæ & Quaradæ monasterii Classensis. n. LIII. 111.

1562. kal. julii. Unio aliquot ecclesiarum paræcialium monasterio S. Blasii de Fabriano. n. LIV. 113.

1562. VIII. julii. Pii IV. Indultum in forma Jubilæi concessum ecclesiæ S. Mariæ in Campanea Veronæ, n. LV. 115.

1563. Mense januario. Idem unit congregationi Camald. abbatiam SS. Justi & Clementis Volaterrarum. n. LVI. 117.

ronensem constituit in Abbatem Generalem congregationis Montis-Virginis, & confirmat anno 1597. n. LXXXVIII. 208.

1594. III. augusti. Idem copiam facit abbatibus Camaldulensibus conferendi IV. Ordines Minores suis subditis. n. LXXXIX. 210.

1596. VII. kal. julii. Traditio ecclesiæ S. Mariæ in Campanea Veronæ facta Camaldulensibus a Clemente VIII. n. XC. 211.

1596. III. septemb. Idem bullam edit contra ambitiosos monachos Camaldulenses. n. XCI. 216.

1596. XVIII. novemb. Consecratio ecclesiæ Vincareti. n. XCII. 218.

1597. XIX. aprilis. Clemens VIII. approbat augmentum prælatorum Camald. statutum a Gregorio XIV. n. XCIII. 219.

1598. XVII. augusti. Idem concedit aliquot Nobilibus mulieribus ingressum in eremum Camald. num. XCIV. 220.

1599. XXII. aprilis. Clementis VIII. literæ ad priorem eremi Camald. pro pace eremi. n. XCV. 222.

1599. pridie nonas aug. Idem unit ecclesias SS. Vincentii & Germani, & S. Petri in Mazzola & S. Georgii monasterio S. Mariæ Angelorum de Pisauro. n. XCVI. 223.

1601. V. aprilis. Indulgentia concessa altari S. Gregorii de Urbe. num. XCVII. 225.

1601. XXVIII. aprilis. Clemens VIII. facultatem facit definitoribus Capituli eligendi Majorem eremi. nu. XCVIII. 226.

1601. XIV. maji. Idem Alexandro Cevæ copiam facit erigendi eremum Taurini. n. XCIX. 227.

1602. XXVI. novemb. Declaratio Decreti, quo prohibetur absolutio a casibus reservatis. n. C. 228.

1603. VII. januarii. Clementis VIII. breve pro Quindenniis Camaldulensium. n. CI. 232.

1603. IV. februarii. Indulgentiæ concessæ a Clemente VIII. capellis prope cæmeterium S. Gregorii de Urbe. n. CII. 234.

1603. XI. martii. Nicolai Wolschii epistola definitoribus Monte-coronenbus. n. CIII. 236.

1603. XIV. martii. Bernardi episcopi Cracoviensis epistola eisdem data. n. CIV. 237.

1603. XXI. julii. Ejusdem Wolschii epistola Majori & Visitatoribus Coronensibus. n. CV. 238.

1603. XXI. julii. Ejusdem Bernardi ep. Cracoviensis epistola eisdem. n. CVI. 239.

1604. II. januarii. Clemens VIII. celebrationem Capitulorum ad triennium transfert. n. CVII. 240.

1604. VIII. aprilis. Sigismundi regis Poloniæ litteræ ad eremitas Coronenses. n. CVIII. 242.

1604. IX. aprilis. Clementis VIII. approbatio Constitutionum editarum in capitulo generali Classensi. num. CIX. 242.

1604. X. augusti. Nicolai Wolschii epistola ad eremitas Coronenses. nu. CX. 256.

1604. idibus decemb. Clemens VIII. tradit Camaldulensibus ecclesiam S. Andreæ de Tibure. n. CXI. 258.

1605. XXII. augusti. Paulus V. Alexandro Cevæ confirmat facultatem condendæ eremi in montibus Taurini. n. CXII. 261.

1606. ult. novemb. Caroli Emmanuelis ducis Sabaudiæ declaratio pro eremo Taurinensi. n. CXIII. 263.

1607. XI. januarii. Paulus V. Definitores in Capitulis concedit monasterio Avellanensi. n. CXIV. 268.

1607. XXIX. januarii. Paulus V. transfert Indulgentiam S. Romualdi ad diem VII. februarii. n. CXV. 269.

1607. XXIX. aprilis. Idem dividit congregationem Camald. in quatuor Provincias. n. CXVI. 270.

1607. III. decemb. Carolus Emmanuel constituit eremitas Taurinenses oratores Capellæ Ordinis equestris SS. Annunciatæ. Italice & Gallice. n. CXVII. 274.

1610. XV. junii. Idem census instituit pro eremitis Taurinensibus. num. CXVIII. 278.

1611. VI. octobris. Paulus V. permittit Majori Coronensi, ut licentiam possit comedere eremitis transeundi ad alios Ordines Regulares mitiores. n. CXIX. 282.

1612. IX. kal. febr. Traditio monasterii Saxo-ferrati facta Camaldulensibus. n. CXX. 283.

1612. XXV. febr. Roberti card. Bellarminii epistola pro Officio & Missali Ordinis S. Benedicti. n. CXXI. 289.

1617. XV. junii. Epistola Aloysii Gorii abbatis Camald. pro Novitiatibus servandis. n. CXXII. 290.

1617. XI. decemb. Instrumentum emptionis factæ per eremitas Taurinenses de prioratu Buschæ. numer. CXXIII. 292.

1619.

ne-

neralis ex triennio ad quinquennium, mandato Alexandri VII. n. CLX. 372.

1664. III. novemb. Erectio eremi Montis-pacis in Lithuania. numer. CLXI. 374.

1665. XII. novemb. Epistola Hispanica scripta Generali Camaldulensi in mortem regis Catholici. numer. CLXII. 378.

1667. XXIX. augusti. Johannis Casimiri regis Poloniæ epistola ad Generalem Camaldulensem. n. CLXIII. 379.

1668. VI. id. junii. Cardinalis Ludovici de Vandomo Legati decretum pro Capitulis congregationis Gallicanæ Camaldulensis. n. CLXIV. 379.

1668. XXII. novemb. Clementis IX. Indulgentiæ concessæ ecclesiæ S. Gregorii de Urbe. n. CLXV. 382.

1670. VI. augusti. Clementis X. breve, ne episcopi celebrent in ecclesiis Camaldulensium. n. CLXVI. 383.

1670. XII. septemb. Ejusdem breve, quomodo eremitæ Coronenses possint egredi ad tempus a suis eremis. n. CLXVII. 384.

1670. III. octob. Ejusdem breve pro auctoritate Visitatorum Camald. nu. CLXVIII. 386.

1670. VI. decemb. Ejusdem approbatio aliquot Constitutionum Camaldulensium. n. CLXIX. 387.

1671. XIX. decemb. Ejusdem Indulgentiæ concessæ diebus Sanctorum Ordinis S. Benedicti. n. CLXX. 388.

1673. XX. maji. Clemens X. brevi suo eligit Generalem, Visitatores & Procuratorem Generalem. num. CLXXI. 390.

1674. XX. julii. Idem extendit Indulgentias concessas Coronæ Dominicæ. n. CLXXII. 392.

1676. XX. martii. Erectio eremi Wigrensis in Lithuania. n. CLXXIII. 394.

1677. XV. julii. Eremitæ Coronenses possunt pernoctare extra eremos intra spatium L. milliarium ex Brevi Innocentii XI. n. CLXXIV. 399.

1679. XXII. aprilis. Officia majora in congregatione Camaldulensi alternatim distribuenda ex jussu Innocentii XI. n. CLXXV. 400.

1688. XVIII. novemb. Innocentii XI. deputatio Prælatorum majorum. n. CLXXVI. 401.

1691. V. septemb. Erectio eremi Zobor in Hungaria. n. CLXXVII. 403.

1696. I. julii. Diploma Leopoldi Imperatoris pro eadem eremo. num. CLXXVIII. 405.

1715. XXVIII. julii. Augusti II. regis Poloniæ diploma pro eremo Wigrensi. n. CLXXIX. 408.

1716. XV. decemb. Caroli VI. Imp. diploma pro eremo Rubri-claustri. n. CLXXX. 414.

1720. XXII. martii. Aliud ejusdem pro dicta eremo. n. CLXXXI. 416.

1734. XVIII. aprilis. Erectio eremi Maickensis in Hungaria. numer. CLXXXII. 422.

1738. XXXI. maji. Diploma Caroli VI. imp. pro eadem eremo. numer. CLXXXIII. 426.

1739. XIX. januarii. Aliud Augusti III. regis Poloniæ pro eremo Wigrensi. n. CLXXXIV. 429.

1740. XXVII. augusti. Aloysii Pisani ducis Venetiarum Ducales Litteræ pro monasterio S. Michaelis de Lemmo in Histria. n. CLXXXV. 433.

1745. IV. idus januarii. Benedicti XIV. bulla pro liberatione monasterii Fullinatis a Commenda. numer. CLXXXVI. 436.

1752. XIX. julii. Alia pro eodem monasterio. n. CLXXXVII. 438.

EPISTOLICUM COMMERCIUM

B. PAULI JUSTINIANI ET PETRI QUIRINI, ALIORUMQUE VIRORUM ILLUSTRIUM.

XIIII.

SERMONES

B. HIERONYMI A PRAGA EREMITÆ CAMALDULENSIS.

INDEX
RERUM, ET NOMINUM,
QUÆ CONTINENTUR IN TOMO NONO ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

Litera *a.* initium paginæ, b. medium, c. finem designant.

A

B

C

D

E

G

Gui-

L

M

Montis-

Q

Qui-

Serræ

T

V

Vallis-

X

Z

FINIS.

Errata majora, præter aliquas literas inversas, vel quæ loco alterius irrepserunt vitio Typothetarum, sic erunt corrigenda.

IN HISTORIA.

Pag. 4. lin. 20. feientia, *lege* scientia
25. lin. 14. comes, *lege* comite
30. lin. 11. die, *lege* dic
Ibid. lin. 12. viros, *lege* vivos
45. lin. 17. disciplinm, *lege* disciplinam
46. lin. 25. recensetur, *lege* recenseatur
50. lin. 18. Peregulam, *lege* Pergulam
54. lin. 34. Est, *lege* Estis
56. lin. 30. 1293. *lege* 1193.
57. lin. 3. extincto, *lege* extinctos
Pag. 83. lin. 11. cudenæ, *lege* cudendæ
87. lin. 18. his, *lege* hic
88. lin. 28. civis, *lege* civibus
96. lin. 36. capsulæ, *lege* capsula
98. lin. 19. Ambrosiana, *lege* Ambrasiana
128. lin. 34. valeas, *lege* valeat
148. lin. 25. *dele* Etiam *usque* impendit.
163. lin. 9. Silva, *lege* Silvia

IN APPENDICE.

Col. 58. lin. 7. cacedat, *lege* accedat
Ibid. lin. 24. Olivetana, *lege* Olivetanos
90. lin. 25. ne, *lege* sine
111. lin. 31. deret, *lege* decet
121. lin. 2. Pii IV., *lege* Pii V.
141. lin. 4. substentatione, *lege* substentationem
150. lin. 37. Mercatuli, *lege* Mercatali
190. lin. 34. emulationem, *lege* emulationum
244. lin. 14. præpictis, *lege* prædictis
246. lin. 46. infortitiis, *lege* intortitiis
259. lin. 35. nullis, *lege* nullus
279. lin. 8. affigono, *lege* affliggono
284. lin. 8. irritorum, *lege* initorum
299. lin. 32. habnte, *lege* habent
304. lin. 2. sia, *lege* sin
373. lin. 4. capitularum, *lege* capitulorum
Col. 404. lin. 18. eorsum, *lege* eorum.
458. lin. 30. larciando, *lege* lasciando
487. lin. 1. cieio, *lege* cielo
507. lin. 38. tempre, *lege* sempre
521. lin. 38. credere, *lege* credete
544. lin. 11. Gasparini, *lege* Gasparo Contarini
575. lin. 6. arcivescovi, *lege* arcivescovo
602. lin. 24. tollendas, *lege* tolerandas.
620. lin. 36. larum, *lege* nullarum
628. lin. 25. ignorari, *lege* ignari
653. lin. 53. porest, *lege* potest
694. lin. 58. parti, *lege* parte
696. lin. 49. viriis, *lege* vitiis
707. lin. 53. advenisse, *lege* advertisse
742. lin. 31. cassabunt, *lege* cessabunt
758. lin. 48. salvais, *lege* salutis
759. lin. 48. jenuit, *lege* senuit.

[illegible] ... præter aliquas litteras inversas, vel quæ non satis ... [illegible] ... sic emenda ... [illegible]

IN HISTORIA.

Pag. 2. lin. 40. scientiis, *lege* scientia.
25. lin. 14. comes, *lege* comite.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] recentiorum, *lege* recentiorem.
50. lin. 13. Perezulium, *lege* Perguiam.
54. lin. 24. Eli, *lege* Eliis.
[illegible] 1695, *lege* 1693.
[illegible]
Pag. 83. lin. 41. [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
163. lin. 8. Silvia, [illegible]

IN APPENDICE.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] *lege* decet.
[illegible] Pii IV. *lege* Pii V.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] habere.
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
307. lin. 38. tempus, *lege* semper.
321. lin. 38, credere, [illegible]
[illegible] Galerum, [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] quam [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] tantibus, *lege* cellabunt.
[illegible]
[illegible]

ANNALES
CAMALDULEN
OR. SA.
BENEDICTI

TOMUS IX